9.5.175

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
PATRUM
SCHOLASTICO-DOGMATICA,
TOMUS SEXTUS.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

THEOLOGIA PATRUM SCHOLASTICO-DOGMATICA, SED MAXIME POSITIVA,

AUCTORE R. P.

ANTONIO BOUCAT BITURICO,

Ordinis Sancti Franciſci de Paula Religioſo, Provinciæ Franciæ Profeſſo atque Alumno, & veterano apud Pariſios in ſacra Theologia Profeſſore.

TOMUS SEXTUS,

DE SACRAMENTIS TUM IN GENERE, TUM IN PARTICULARI, In quo diverſa antiquitatis, Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, pro aſtruendis Sacramentorum Dogmatibus, monumenta referuntur: cum reſolutione Caſuum conſcientiæ in hac materia occurrentium, & Appendice Ritualium D. Launoji, Sorbonici quondam Doctoris.

PARS PRIMA, & SECUNDA.

EDITIO PRIMA VENETA

accuratior & emendatior.



BIBLIOTH. PVB. FLORENTINAE

VENETIIS, MDCCXXXVI.

Apud PETRUM BASSALEAM

In Via S. Bartholomæi ſub Signo Salamandræ.

SUPERIORUM PERMISSU, ATQUE PRIVILEGIO.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

FONTES aperit nobis Salvator, quibus tum effrænatos mentis æſtus temperare, tum fœtidas animæ ſordes abluere; tum etiam juſtitiæ laudabilem ſitim explere valeamus. Sitientes invitat, & pro ratione ſitis, pro guſtuum varietate, modo lac, modo aquam, modo vinum indiſcriminatim largitur. Lac præbet incipientibus, ut videntes quam ſit ſuavis Dominus, inanes mundi illecebras abnegare non deſinant: Aquam fundit pœnitentibus, qua eorum abſtergit peccata: Vinum denique dat perfectis, ne deficientes in via, bene cœpti operis fructum, vel mentis inſtabilitate, vel laboris tædio, vel etiam tentationis impetu, amittant.

Sed nimis allicit fons Euchariſticus ex quo omnis ſaporis dulcedo percipitur. Et vero alibi gratiarum rivuli veluti per canales in nos effluunt; hic vero fons ipſe porrigitur, dicente Propheta Iſaia 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Hinc, in hoc mirabili Sacramento habemus & ſalutem, & Salvatorem; lumen & ipſum ſolem; vitam & vitæ auctorem; meritum & principium meriti; ita ut illud cujuſdam Patris uſurpare poſſimus, quantus Filius in Patre, tantus in utero Virginis; quantus in utero Virginis, tantus in ore, pectoreque Fidelis.

Etenim accedentes non tantum menſa ſua cibare dignatur Chriſtus, ſed & corpore ſuo paſcit, ipſe conviva & convivium. Nec mirum: amor divinus in hoc ſacratiſſimo fonte, ut verbis Tertulliani utar, (*a*) *ſublimatus* eſt *in conſummationem*. Conſummatur plane divina Omnipotentia, quæ plus dare non potuit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, quando miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe: conſummatur Sapientia, quæ plus dare neſcivit, totum claudens in exiguo, cum ædificans ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam: conſummatur Amor ipſe, ultra progredi non valens, nam cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

(a) *Lib. adverſ. Jud*, c. 14.

Quis fontem ſigillis ſeptem ſignatum, nobis aperiet? Angelicus Doctor ſanctus Thomas, quo ducente nemo cæcutit: quo loquente, lingua vel ipſorum infantium diſerta evadit: quo docente, quilibet cuncta ſcrutatur, etiam profunda Dei.

Animus erat juxta ordinem in præfatione primi voluminis, de Deo uno, ejuſque attributis jam delineatum prælo mandare tractatum de Deo trino, de Deo Creatore & Præmotore, ſed multorum votis annuere cupientes, hunc de Sacramentis (tum in genere, tum in particulari) ceteros, iſto abſoluto, abſque mora exhibituri, præoccupamus.

Tractatum ſane non jejunum, ſed omnibus numeris pro modulo noſtro abſolutum, exhibemus. Ne quid vero expectationi alienæ deſit, celebriores dogmaticæ & poſitivæ Theologiæ partes, ſemotis inutilibus quæſtionibus, pari methodo & ſoliditate ibi diſcutimus.

Inter omnes eminent ſplendidæ pro qualibet Sacramenti eſſentia aſtruenda diſſertationes, in quibus quid de fide tenendum, tanto argumentorum pondere oſtenditur & probatur; ut non remaneant validæ in ore iniqua loquentium redargutiones. Quæ omnia in uno volumine quatuor in partes diviſo concluduntur.

In prima parte fuſo calamo omnium oculis ſubjicimus: Primo, quæ Sacramentorum ſpectant exiſtentiam in genere: Secundo, quæ materiam & formam in communi: Tertio, quæ, cauſalitatem vel phyſicam, ſecundum noſtram Angelicam Scholam, vel moralem tantum juxta quorumdam Congruiſtarum placita: Quarto, quæ, intentionem requiſitam pro debita Sacramentorum confectione: Quinto, quæ, miniſtri probitatem, ubi de celebri controverſia inter Stephanum I. & Cyprianum ac Firmilianum; tum de Concilio, quod ſanctus Auguſtinus adverſus Donatiſtas urget, agimus. Demum, quæ numerum ſeptenarium Sacramentorum reſpiciunt, contra Proteſtantes omnibus traditionis monumentis roborata ultro tradimus; cui accedit Orientalis Eccleſiæ tum vetuſtioris ad Cyrillum uſque Lucarem, tum recentioris, ab iſto ſcilicet ad noſtra uſque tempora, conſenſus. Quibus abſolutis, contunduntur Miniſtri Smith ſpicula, eliduntúrque ceterorum

Pro

Digitized by Google

Proteſtantium, retorto telo, argumenta, oſtendendo ſcilicet, exquiſitis & omni acceptione dignis rationibus eamdem, Eccleſias, quas Heterodoxi nunc occupant, ante prætenſam reformationem tenuiſſe fidem. Neque vero Ambroſium, & Bernardum omittimus, quos ab hoc ſeptenarii Sacramentorum numeri dogmate nuſquam diſceſſiſſe, ibidem probatur.

In altera parte ne fidei dimittamus hoſtes, qui Sacramentorum numerum omni, quam ſibi patere via exiſtimant, eorum temerando eſſentiam, itidem exſufflare conantur, calamum de novo pro virili contra eos acuimus, probando quodlibet Sacramentum veram Sacramenti naturam ſibi vindicare, quod irrefragabilibus aſtruimus argumentis, ut ſeptenarius Sacramentorum numerus inconcuſſe ſervetur.

Baptiſmi eſſentiam & neceſſitatem abſolutam pro æterna ſalute aſſequenda, eo loci contra Manichæos, Flagellantes, Anabaptiſtas & Socinianos, tum Scripturæ, tum Patrum & Conciliorum auctoritate ſtabilimus.

Confirmationem veteribus monumentis omni exceptione majoribus munitam exhibemus, quibus accedunt Eccleſiæ Orientalis tanta teſtimonia, ut cuilibet legenti pateat, Miniſtrum Dallæum fidem hujus Sacramenti variis in libris tentantem, cauſa profus cadere.

Simili auctoritatum argumentorum apparatu, realitatem corporis & ſanguinis Chriſti in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento defendimus in viginti quinque circiter ſectionibus, ubi dogma Catholicum probatur: Primo quidem ex Scriptura ſacra juxta ſanctorum Doctorum interpretationem: Secundo, ex Conciliis: Tertio, ex traditione Patrum: Quarto, ex Eccleſiis Orientalibus, quæ ab ipſo vagiente Chriſtianiſmo ad nos uſque iſtam propugnavere fidem: Quinto, ſpecialiter ex Patribus primorum ſæculorum, quorum loca aut duriora, aut obſcuriora variis diſſertationibus ſeu articulis per clariora dilucidantur, & ad veritatis metam objectionum ſolutione perducuntur: Sexto, validiſſimis rationibus præſentia realis oſtenditur. Eodem ferme argumentorum pondere tranſubſtantiationem, & Chriſti in Sacramento Altaris permanentiam defendimus; deinde vero Sacrificii in Miſſa verita-

tem ; & hoc antiquiſſimis optimæ notæ manuſcriptis &c.

Tum Sacramenti Pœnitentiæ naturam explicamus, explicatam vero probamus oſtendendo quænam ſit Clavium poteſtas, eamque omnium ſæculorum uſu & poſſeſſione firmatam tradimus. Sed ne quis ad Spiritum erroris attendens, exiſtimet ſe abſque Sacramentali confeſſione, & ſecluſis arduæ Pœnitentiæ ſecundum prudentiam Confeſſoris impoſitis laboribus eſſe ab omni reatu culpæ & pœnæ abſolutum, exquiſitis argumentis utriuſque momenti neceſſitatem demonſtramus.

Extremam-Unctionem a Chriſto Domino inſtitutam & a S. Jacobo promulgatam, verum eſſe novæ legis Sacramentum propugnamus: Primo quidem conſtanti omnium ætatum traditione, tum Eccleſię Orientalis & Occidentalis conſenſione, inprimis uſu perpetuo nedum univerſalis, ſed & cujuslibet Eccleſiæ particularis; in quorum probationem libros Eccleſiaſticos Græcorum & Latinorum, manuſcripta, & D. Launoji Ritualia proferimus, ut Lutherani & Calviniſtæ intelligant, Eccleſiam Romanam non exhibere in hac pro ægrotis cæremonia, unctionem vacuam & mendacem, ſed vere ipſa unctione gratiæ & Spiritu ſancto refertam.

Pro Ordinis Sacramento adverſus Hæreticos obſtrepentes, defendendo adducimus libros Dionyſii de Eccleſiaſtica Hierarchia, Liturgias veteres & recentiores, Sacramentarium S. Gregorii Papæ Concilium III. & IV. Carthaginenſe & alia permulta, ex quibus omnibus Ordinationem ſacramentalem, primo Miniſtrorum, deinde vero Presbyterorum & Epiſcoporum probamus.

Non abſimilibus demum argumentis Matrimonium quod Latini Nuptias, Græci vero Coronidem, ſeu Coronam vocant, verum eſſe novę legis Sacramentum oſtenditur.

Tertia pars varias complectitur diſſertationes de materia & forma Sacramentorum, de eorum inſtitutione, neceſſitate, effectibus, Miniſtris, de tempore quo Chriſtus manducavit Paſcha & ipſi manducaverunt Judęi, de diſceptationibus circa iſtud momentum inter Victorem primum & Aſiaticos, de poteſtate Diaconorum, Presbyterorum & Epiſcoporum: de conſenſione Eccleſię Gręcę cum Latina pro omnibus quę ſpectant intemeratam Sacramentorum,

Digitized by Google

torum in materia & forma eſſentiam, ac tandem de Rituum neceſſitate ac convenientia.

In quarta parte fuſus eſt ſermo de diſpoſitionibus ad Sacramenta digne vel conficienda vel ſuſcipienda requiſitis, tum de Ritibus in particulari.

Pro coronide, difficultates ſeu conſcientiæ caſus, qui poſſunt contingere circa quodlibet Sacramentum, proponuntur, diſcutiuntur & ſolvuntur, ſicque in hoc accurato Sacramentorum omnium tractatu, habebit Fidelis quid credat, Miniſter quid doceat & recte faciat, Controverſiſta quid vel aſtruat, vel debellet; omnes quid in gaudio ad ſalutem æternam aſſequendam hauriant e fontibus Salvatoris.

Quia vero auctor Diarii Pariſienſis in criticis obſervationibus de Doctorum operibus menſe Januario anni 1723. quædam a veritate prorſus aliena circa primum Theologiæ noſtræ volumen, ubi de Attributis tum in generali, tum in particulari egimus, ſcripſit, id mei muneris eſſe puto ab inſulſis dicteriis Theologiam hanc, nedum a Galliarum Doctoribus, ſed & exteris nationibus Catholicis, immo & a ſummo Pontifice Clemente XI. felicis recordationis prælaudatam, uti ad Hæreticos debellandos utiliſſimam, vindicare.

Quatuor in primis in Diario ſupra memorato obſervantur. Primo quidem ejus auctor ægre admodum fert quod quæſtiones, de medio, in quo Deus ab æterno prænoſcit futura contingentia, & de prædeſtinationis motivo in utramque partem, tractentur. Secundo, quod ſententiis Scripturæ, Patrum traditioni magis affinibus Theologiæ laudatæ ſcriptor ſe inhærere non declaret, quaſi a ſententia divi Auguſtini non nihil velit diſcedere. Tertio, quod ſcientiam mediam tametſi ſcholæ Thomiſticæ oppoſitam doceat. Quarto, eumdem fruſtra gloriari ſe eſſe Divi Thomæ, ejuſque ſcholæ diſcipulum, quippequi præmotionem phyſicam a Theologis Thomiſticis inter omnia celebratam, abjicere videatur.

Primo: Leviora fateor adverſus me Diarium complecti, quæ abſque alternata reſponſione evaneſcunt, cum unicuique ex jure licitum ſit, quamlibet, ſalvo fidei dogmate, Catholicam propugnare ſententiam, ut liquido conſtat ex decreto Clementis VIII. Papæ. Cum vel ipſi etiam Regii Profeſſores Sorbonici, ſenten-

tentiam quandoque congruiſtarum, ad ſuum nutum doceant: ſed unum opiniones in utramque partem exhibere potiſſimum me movit, quod hoc non modicum cedat in utilitatem Doctiſſimorum Baccalaureorum, quibus ex officio incumbit ad exercitationem Licentiæ quaslibet in Theſibus in utramque partem impugnare ſententias, in qua quidem Palæſtra plurimum affulget quanta ſit in congreſſu diſputantis ingenii acies, & pro cunctis diſcutiendis animi univerſalitas. His omnibus accedit ſapientiſſimorum Doctorum quos ſuper hoc conſuluimus jucunda conſenſio; inter quos unus celeberrimus profeſſor Academiæ Duacenſis enixe nos monere dignatus eſt, quatenus, eadem methodo, ubi poſtulabit materia, quæſtiones eliquare pro cœpto more ſatageremus, ea tamen condiſione, ut omnes diverſarum Acedemiarum opiniones abſque livore fideli calamo tractarentur, ne una, ad alteram quæ magis arridet roborandam, infirma & quaſi contemptibilis abjiceretur: quod dubio-procul nec in primo volumine, nec in ceteris ſubſequentibus contigiſſe, vel Lector animadvertet, cum animus ſit, & viros eruditione percelebres, & eorum, ſalvo fidei dogmate, ſententias venerari, relinquendo unicuique licentiam ſeligendi eam, quam voluerit.

Secundo, gratis ſubjicit Diarii auctor graviſſimas Theologiæ quæſtiones juxta fidei regulas, & potiſſimum, tum Scripturæ, tum Traditionis auctoritate celebrandas eſſe: ſed quæſo, quis hanc fuſiori calamo, quam nos, adimplevit provinciam? Quot diſſertationes primi voluminis juris publici jam facti, tot rei aſſertæ argumenta. Revera quidem in diſſertatione de exiſtentia Dei, Epicurum, Hermogenem, Synenſes, Spinoſam, & ceteros hujus furfuris Atheos, tanto probationum pondere debellavimus, ut nullus quantumvis impius, ſi cuncta legat, & æqua lance diſcutiat, ſyſtema Moyſis de Deo Creatore impugnare non audebit. In Tractatu de Deo inviſibili & viſibili omnes poſitivæ Theologiæ partes ſic enucleatæ apparent, ut Millenariorum ſomnia cito evaneſcant: ad metam vero fidei, Ambroſii, Hilarii, Auguſtini, Bernardi, & Joannes XXII. opera abſque negotio dilucidata, perducuntur; tum exiſtentiam Purgatorii exquiſitis Eccleſiæ Latinæ & Græcæ monumentis ſtabilitam; dogma vero de viſione Dei Juſtorum animabus queis nihil ſupereſt purgandum, cito citius concedenda, Traditione a Chriſto

nato

nato ad noſtra uſque tempora ſuffultum videt Lector.

Tertio, quid de tertia parte memorem? Nonne varia de futuris contingentibus ſyſtemata elaborata, & fideli methodo primum concinnata, tum abſque diſſimulatione diſſ. 3. de ſcientia cond. a pag. 26. uſque ad 59. probata ſunt? Nonne concordia libertatis cum præſcientia divina ſecundum cujuslibet Scholæ Catholicæ opinionem, & principia ſuaviter ſimul & fortiter, ſicut explicata, ſic ad Heterodoxorum confuſionem, utinam & ad converſionem uſque, demonſtrata eſt? Ibidem diſſ. 4. a pagina 59. uſque ad 148. Nonne & libertatis eſſentiam ſub præſcientia Dei & gratia quantumvis efficaci juxta S. Auguſtinum Doctorum aquilam, clare oſtendimus? Sed quoniam nonnulli ſancti Doctoris loca in adulterinum trahunt ſenſum; idcirco librorum polemycorum a ſancto Præſule elucubratorum appendicem eo loci tradidimus; & pag. 202. in ſpeciali articulo, Auguſtinum gratiæ actualis materiam ad metam fidei tractantem & docentem induximus? in primis gratiarum vere ſufficientium, quibus homo & poteſt reſiſtere, & ſæpius etiam de facto reſiſtit, ſimul & efficaciſſimarum fuſam ſeriem ex diverſis ſancti Præſulis operibus excerpſimus, ne quis S. Doctorem gratiam efficacem cum excluſione ſufficientis in noſtro ſtatu admiſiſſe putaret? Tum Tract. de voluntate Dei, S. Auguſt. ſicut pro neceſſitate gratiæ, ſic & pro ejus efficacitate audiendum eſſe, ſect. 2. pag. 77. 78. &c. fidenter expoſuimus: atque vero ejus doctrinam de gratia Mediatoris a Patribus priorum ſæculorum mutuatam, ad nos uſque per Sanctos ſubſequentium ſæculorum Doctores tranſmiſſam diſſ. 3. de vol. Dei art. 2. ſect. 1. & 2. Demum ſuavem cum libertate concordiam ex ſancto Doctore, tract. de ſcientia Dei, diſſ. 4. puncto 8. & 9. efficaciſſimis rationibus probamus. Qui quidem articuli ſic inſcribuntur. *Punctum octavum: Auguſtinus cunctam gratiæ actualis materiam, ad metam fidei pari facilitate, ſoliditate, profunditate, immo & claritate, pertractat*. Rurſus, *Punctum nonum: S. Auguſtinus circa palmares de gratia actuali difficultates, fidelis ſui ipſius interpres eſt*.

Quarto, non nihil cæcutire Diarii auctorem quis non videbit? cum ait Theologiæ Patrum ſcholaſtico-poſitivæ architectum docere ſcientiam mediam, & inter diverſas annumeratas Theologorum opiniones nequidem ſubnotaſſe, quænam ſit Scripturæ ſacræ & traditioni

ditioni magis affinis: utrumque enim falſiſſimum ex textibus Lector ſtupens animadvertet. Equidem ſcripſi dari ſcientiam mediam, ſed in ſententia quorumdam Congruiſtarum. Sic enim habetur diſſ. 3. de ſcientia Dei, art. 3. pag. 526. col. 1. *Articulus tertius: Utrum Deus cognoſcat futura contingentia conditionata per ſcientiam mediam? Concluſio. Deus cognoſcit futura conditionata libera per ſcientiam mediam ſecundum Theologos Societatis Jeſu: & de facto datur juxta illorum ſententiam talis ſcientia.*

Alterum vero improperium a facti veritate longe etiam recedit; articulo quippe ſequenti meam Thomiſticam propono opinionem his verbis pag. 536. *Articulus quartus: Utrum Deus cognoſcat futura conditionata in decretis independenter a ſcientia media? concluſio. Deus cognoſcit futura conditionata in decretis independenter a ſcientia media. Hæc ſententia videtur magis conſona & Scripturæ & Patribus.* Tum iſtam noſtram omni argumentorum genere pro virili probare ſatagimus: poſtea vero a pag. 542. uſque ad 556. difficultates excerptæ, primo, ex Scriptura ſacra; ſecundo, ex ipſo Divo Thoma; tertio, ex ſanctis Patribus; quarto, ex variis rationibus; quinto, ex prætenſa læſione ſanctitatis, proponuntur & ſolvuntur: quæ cuncta dum referimus, contrariis Catholicorum opinionibus labem inurere, vel minimum quidem non intendimus. Jam viri cordati intelligant, abſque fundamento auctorem Diarii in nos inſurrexiſſe.

Quinto, nec felicior & veracior iſte eſt, quando, ſecluſo examine, pronuntiat Theologiæ auctorem a ſchola Angelica ſecedere. Hujus dicterii falſitas ſe prodit ex iis, quæ modo diximus; & hoc ipſum patet ex Præfatione, ubi cuncta, duce S. Thoma, nos dicturos & ſcripturos teſtamur; immo, non ſine magno animi jubilo in hoc gloriamur. De hac eadem ſcholæ Angelicæ profeſſione multus eſt ſermo diſſ. 4. tractatu de ſcientia Dei ſect. 7. pag. 122. col. 2. quam renovamus; ibi enim libertatem cum præſcientia Dei innixa decretis præmoventibus conſociantes, ſic ſcribimus: “ Item ſcholi Thomiſtica quam ex præcepto repetito Capitulorum generalum ſequimur, ſicut in defenſione fidei in variis Conciliis generalibus nulli fuit ſecunda, ita nec in concordanda libertate cum præſcientia fuit, & erit poſterior, exoſos ſiquidem ſemper habuit omnes Hæreticos &c. „

Quid

Quid plura commemorem ? Ex tribus potiſſimum opinionibus Angelicam ſcholam dignoſci probamus. Primo quidem ex pręſcientia Dei decretis pręmoventibus innixa, quam propugnat. Secundo, ex gratia per ſe efficaci quam defendit. Tertio demum, ex pręmotione phyſica, quam ad actus phyſicos & morales ordinis tum naturalis, tum ſupernaturalis uti neceſſariam docet. Quod primum aſſeramus, ex dictis liquet: De ſecundo momento non unum eſt argumentum, maxime in appendice operum Polemycorum S. Auguſt. ubi paſſim loca S. Pręſulis pro gratia per ſe efficaci ſubnotavimus. Iner omnium ſit iſte S. Aug. textus diſſ. 2. de conc. lib. cum decretis pręmov. ex c. 8. l. de corr. & gr. excerptus. *Adjutorium ....* Innocentię, *quod deſereret Adam cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit, ut homo habeat juſtitiam ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt; qua etiam fit ut velit; & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate Spiritus vincat*. Hęc autem ſubjicimus: “ Noſtri Thomiſtę, & alii permulti hac
„ utuntur S. Auguſtini auctoritate, ut gratiam eſſe per ſe efficacem
demonſtrent.„

Rurſus ibidem puncto 8. pag. 106. col. 1. habetur: “ Num gra-
„ tia ſit per ſe efficax vel per conſenſum voluntatis humanę gratia
„ aliqua jam pręventę ? Diſputant Theologi etiam de mente S.
„ Auguſtini circa illud momentum: Nos vero Thomiſtæ cum multis
„ aliis omni exceptione majoribus contendimus, eam eſſe S. Do-
„ ctoris opinionem, videlicet, gratiam Chriſti eſſe per ſe efficacem.

Jam ſi de pręmotione phyſica loquamur, non eſt relictus ambigendi locus, eam, nos pro noſtra opinione vindicare, ut legenti patebit diſſ. 3. de ſcientia conditionatorum decretis pręmoventibus innixa: eo quippe loci art. 4. argumentis validiſſimis ex SS. Auguſtino & Thoma depromptis phyſicam pręmotionem defendimus. Tum diſſ. 4. de voluntate Dei ſect. 7. adhuc ex profeſſo a pagina 122. uſque ad 127. idem propugnamus, & fuſiſſimo calamo objectiones adverſus illam pręmotionem pag. 139. & ſequentibus juxta omnium etiam rigidiorum Thomiſtarum mentem diluimus. Ecce titulus: *Reſponſio-*

nes

Digitized by Google

nes ſecundum rigidiorum Thomiſtarum opinionem ; ad ea quæ objiciuntur contra præmotionem phyſicam in momento ſeu negotio libertatis ſervandæ. Hanc eamdem celebrem de præmotione phyſica, ſed ſuavi, & libertati humanæ conſociata quæſtionem ex profeſſo diſcutimus , diſcuſſam vero omni auctoritate & ratione munitam tradimus in Tractatu de Deo Creatore & præmotore quem incunctanter ſuo ordine juris publici faciemus. Ex his omnibus liquet quantum a veritate aberraverit in iis omnibus quæ contra nos ſcripſit Diarii auctor , cui ex officio incumbit, tum ad exaltationem ſanctæ Matris Eccleſiæ, tum ad nominis Gallici gloriam non citra fundamentum noſtri florentiſſimi regni auctores perſtringere, ſed potius defendere, fovere & ad laborandum ſicut virum doctum & probum decet, ſtimulare.

Neque etiam lectori mirum videri debet, ſi S. Thomę firmiter inſiſtens veſtigiis, ejus tamen Summę in exarandis Theologię noſtrę ſcholaſtico poſitivę quęſtionibus, adamuſſim non ſequar ordinem: Norunt enim omnes non eumdem eſſe, vel apud eumdem ipſum Angelicum Doctorem in omnibus ſuis operibus; alius enim eſt in quęſtionibus diſputatis , alius in libris Sententiarum , maxime in quatuor contra Gentiles. Quandoquidem in primo de Attributis Dei , in ſecundo de creaturis , in tertio de fine ultimo, & iis quę finem ſpectant, in quarto vero, relictis creaturis, ad Deum trinum convertit orationem : Poſtea de Incarnatione, & Sacramentis agit; cum tamen in Summa, completis, quę Deum unum ſpectant, immediate poſt de Trinitate tractet, tum de Angelis & ceteris creaturis. Quidni igitur noſtros tractatus ſic dirigere fas erit . Primo quidem de Deo uno, Trino , Præmotore ; tum de Incarnato , ac tandem de gratia Mediatoris , de actibus humanis, de Eccleſia , &c. Maxime vero cum prius ſit Deum incarnari , quam gratiam nobis promereri , & Eccleſiam fundare .&c.

Digitized by Google

MONITA.

UT cuncta accurate tradita aſſulgeant, omnia tum Scripturæ, tum Conciliorum, & Patrum loca prius ad fontes probavimus, quam ſcripſimus. Ex veteribus editionibus optimæ notæ multa excerpſimus, pro ceteris vero quæ ex recentioribus hauſimus, indicatur editio. Unum præ ceteris obſervandum eſt, quandoque verſiones Patrum Græcorum inter ſe non nihil diſcrepare, ſed inde non inferendum, locum aliquem in hoc opere Theologico aſſutum eſſe, ſed ſi quæ eſt alia apud Lectorem verſio diverſa ab illa qua uſi ſumus, hoc nullum faceſſit negotium, cum verſiones inter ſe in rerum ſubſtantia conveniant. Annotandum etiam eſſe hic declaramus, nos quædam eorumdem Patrum loca hauſiſſe ex libris de Deo uno, de Deo Trino, & incarnato elucubratis a doctiſſimo Petavio; quæ eamdem ſemper cum ceteris aliis latinis verſionibus non habent lectionem. Ergone dubia ſunt loca? Abſit; cum enim celeberrimus ille Pater linguam Græcam perfecte calleret, textus Patrum Græcorum Latine accuratiori calamo reddidit, præ aliis translatoribus, qui quandoque magis attenderunt ad linguæ Latinæ regulas, quam ad eorumdem Patrum ſenſum. Idem dicendum de diverſis reſpective illorum Patrum verſionibus.

Obſervandum quoque eſt non eodem modo quoad ſyllabas a primorum ſæculorum Patribus teſtimonia Scripturæ ſacræ referri ſicut nunc citantur, cum enim Vulgata S. Hieronymi ſit fœtus, & ſolum a Concilio Tridentino authentica declarata, namque ante illam Itala erat in uſu, non mirum ſi loca a Cypriano v.g. Cyrillo, Alexandrino, Auguſtino, & aliis multis in eorum viciſſim operibus laudata, nonnumquam ſint, ſed materialiter tantum a Vulgata diverſa.

Demum, pro more Theologorum quandoque citamus etiam Patres & Auctores, in quorum operibus aliqui ſcatent nævi, ſed non ideo intendimus, ſicut eorum, & ſic aliorum quorumcumque in hoc curſu Theologico laudatorum erroribus inhærere. Immo ſicut decet verum Eccleſiæ filium, omnia ſcripta & ſcribenda judicio S. Sedis Romanæ Apoſtolicæ ea qua par eſt, erga eam reverentia & obedientia ultro ſubjicimus. Et ſi quid, tametſi incaute, contra fidem, aut probos mores irrepſerit, ipſo facto retractamus.

EDI-

EDITIONES SS. PATRUM
quibus uſus eſt Auctor.

Bibliotheca Patrum, *editionis* 1610. *Pariſiis*.
Supplementum Bibliothecæ Patrum, *edit.* 1639. *Pariſ.*
Sancti Dionyſii opera, *edit.* 1615. *Pariſ.*
Sancti Juſtini Philoſophi, & Martyris opera, *edit.* 1555. *Baſileæ*.
Sancti Irenæi, & Arnobii, & Serapionis conflictus, *edit.* 1639. *Pariſ.*
Clemens Alex. *edit.* 1629. *Pariſ.*
Tertullianus, *edit.* 1634. *Pariſ.*
Origenes in ædibus Joannis parvi,
Sanctus Gregorius Thaumat. *edit.* 1571. *Pariſ.*
Sanctus Cyprianus, *edit.* 1616. *Pariſ.*
Euſebius Cæſarienſis, *edit. Colonia Allobrogum*.
Sanctus Athanaſius, *edit.* 1581. *Pariſ.*
Sanctus Hilarius, *edit.* 1550. *Baſileæ*.
Optatus Milevitanus, *edit.* 1631. *Pariſ.*
Sanctus Cyrillus Jeroſol. *edit.* 1631. *Pariſ.*
Sanctus Ephrem, *edit.* 1603. *Colonniæ*
Sanctus Baſilius Magnus, *edit.* 1568. *Antuerpiæ*.
Sanctus Gregorii Nazianzenus, *edit.* 1630. *Pariſ.*
Sanctus Ambroſius, *edit.* 1549. *Pariſ.*
Sanctus Gregorius Nyſſenus, *edit* 1571. *Baſileæ*.
Sanctus Hieronymus Presbyter. *edit.* 1534. *Pariſ.*
Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *edit.* 1546. *Pariſ.*
Sanctus Auguſtinus, *edit.* 1548. *Pariſ.*
Sanctus Cyrillus Alex. *edit.* 1546. *Baſileæ*.
Aurelius Caſſiodorus, *edit.* 1589. *Pariſ.*
Theodoretus Cyrenenſis, *edit.* 1608. *Pariſ.*
Joannes Caſſianus, *edit.* 1642. *Pariſ.*
Iſidorus, *edit.* 1638. *Pariſ.*
Leonis Magni, Maximi, Petri Chryſologi opera, *edit.* 1623. *Pariſ.*
Beda, *edit.* 1612. *Coloniæ Agrippinæ*.
Photius, *edit.* 1612. *Antuerpiæ*.
Petrus Damianus, *edit.* 1623. *Lugduni*.
Oecumenius, *edit.* 1631. *Pariſ.*
Rupertus Abbas, *edit.* 1628. *Coloniæ*.
Sanctus Bernardus, *edit.* 1586. *Pariſ.*
Sanctus Hugo a ſancto Victore, *edit*, 1648. *Rot.*
Richardus a ſancto Victore, *edit.* 1650. *Rothom.*
Summa D. Thomæ, *edit.* 1604. *Colon. Agrip.*
Sancti Bonaventuræ opuſcula, *edit.* 1619. *Lugd.*
Sanctus Laurentius Juſtinianus, *edit.* 1569. *Lugd.*
Sanctus Bernardinus Senenſis, *edit.* 1635. *Pariſ.*
Joannes Damaſcenus, *edit.* 1577. *Pariſ.*
Epiphanius, *edit.* 1543. *Baſileenſis*.
Concilia Binii, *edit.* 1606. *Colon. Agripp.*
Labbæi, *edit.* 1671. *Pariſ.*

SERIES

SERIES

Diſſertationum, Sectionum, Punctorum, Paragraphorum, Concluſionum, & Argumentorum, quæ in hoc Sexto Tomo, de Sacramentis in Genere continentur.

PARTITIO *Operis.* pag. 1
De Hæreſibus. ibid.
Dogmata tenenda de Sacramentis, tum in genere, tum in particulari, ex Concilio Tridentino excerpta: 2
Ex ſeſſione ſeptima de Sacramentis in genere. ib.
De Baptiſmo in particulari. ibid.
De Confirmatione. 3
De ſacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento. ibid.
De Pœnitentia. *Ex ſeſſione decima quarta.* 4
De Sacramento Extremæ Unctionis, *Ex eadem ſeſſione.* ibid.
De Communione *Sub utraque ſpecie, Ex ſeſſione vigeſſima prima.* ibid.
De ſacrificio Miſſæ, *Ex ſeſſione vigeſima ſecunda.* 5
De Ordine, *Ex ſeſſione vigeſima tertia.* ibid.
De Sacramento Matrimonii, *Ex ſeſſione vigeſima quarta.* ibid.

PRIMA PARS.

Tractatus de Sacramentis in genere.

Diſſertatio unica. *De iis quæ univerſim ſpectant Sacramenta.* 7
Dogma de Sacramentis in genere octo momentis rite explicatur, & probatur. ibid.
Art. I. *Num dentur Sacramenta?* ibid.
Concluſio affirmativa. ibid.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Proponuntur ſpecialia argumenta adverſus Sacramenta veteris legis. 15

Synopſis probationum.

Admittenda ſunt Sacramenta a lapſu Adami uſque ad nos. 19
Synopſis difficultatum, & reſponſionum. 20.
Art. II. *De eſſentia & natura Sacramenti.* ib.
Concluſio. *Sacramentum novæ legis eſt ſignum ſacrum gratiæ inviſibilis ad noſtram juſtificationem inſtitutum.*
Probatur ratione Theologica, eaque multiplici. 21
Solvuntur objectiones generales Heterodoxorum. 24
Fit ſatis objectionibus Proteſtantium qui Sacramenta novæ legis habent ut mera fidei & promiſſionum ſigilla. 26
Synopſis probationum. 29
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Art. III. *Quænam ſint Sacramentorum novæ legis partes?* ibid.
Sectio I. *Utrum Sacramenta novæ legis eſſentialiter & intrinſece conſtent rebus & verbis determinatis?* ibid.
Concluſio affimativa.
Probatur ratione Theologica, eaque multiplici. 31
De rebus ſeu materia. ibid.
De verbis ſeu de forma. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 33
Synopſis probationum. 39
Synopſis difficultatum & reſponſionum. ibid.
Sectio II. *Utrum verba Sacramentorum ſint conſecratoria?* ibid.
Concluſio. I. *Non ſunt mere promiſſoria.* ibid.
Concluſio II. *verba, quibus conficiuntur Sacramenta non ſunt concionatoria.* 40
Concluſio III. *Verba illa ſunt conſecratoria.*
Probatur auctoritate & ratione.
Primo ex Scriptura ſacra. 41
Secundo rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum ex Scriptura ſacra prodeuntes. 42
Aperitur mens D. Auguſtini. 43
Synopſis probationum. 44
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Sectio III. *Utrum poſſit aliquid addi Sacramentis, aut ab eis aliquid detrahi.* ibid.
Concluſio. *Immutatio ſubſtantialis tum ma-*

teria, tum forma ſubvertit Sacramentum. 45
Fit ſais objectionibus. 46
Solvitur objectio deſumpta ex conditionibus Matrimonii mutatis. 48
Synopſis probationum. 50
Synopſis difficultatum & reſponſionum. ibid.
Sectio 4. Utrum ex Canonibus 4. Concili Carthaginenſis, ſequatur Eccleſiam immutaſſe eſſentiam materia & forma Sacramentorum. ibid.
Concluſio. Materia & forma cujuslibet Sacramenti valida ſunt, eo ipſo quo ſignificatur effectus ſacramenti, modo ritus ſit ab Eccleſia approbatus. 51
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objectiones. 52
Synopſis probationum. 56
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Art. IV. Num Sacramenta ſint ad ſalutem neceſſaria? ibid.
Concluſio affirmativa.
Probatur auctoritate & ratione. ibid.
Concluſio II. Baptiſmus & Pœnitentia ſunt neceſſaria neceſſitate medii, reliqua vero Sacramenta, neceſſitate pracepti. 58
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. 60
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Art. V. De effectibus ſacramentorum. ibid.
Sectio 1. De cauſalitate ſacramentorum ſecundum ſe ſpectata. ibid.
De effectu ſacramentorum quantum ad gratiam. ibid.
Concluſio I. Sacramenta nova legis producunt gratiam ſanctificantem. ibid.
Probatur auctoritate & ratione. 61
Concluſio II. 62
Sacramenta nova legis prater gratiam ſanctificantem, vel ejus augmentum producunt ſpecialem, qua dicitur gratia ſacramenti. ib.
De ſecundario ſacramentorum effectu ſcilicet charactere. ibid.
Concluſio I. Quedam ſacramenta imprimunt characterem. 64
Probatur auctoritate & ratione. ibid.
I. Ex Scriptura ſacra. ibid.
II. Ex Conciliis. ibid.
III. Ex traditione. 65
IV. Ex D. Thoma, ejuſque ratione. ibid.
Concluſio II. 66
Tria tantummodo ſacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem. ibid.
Fit ſatis objectionibus qua fiunt contra productionem gratia per ſacramenta. ibid.
Sacramenta producunt gratiam, & characterem. 67
Synopſis objectionum & reſponſionum contra primam concluſionem. 68
Synopſis probationum. 69
Sectio 2. ibid.
Num ſacramenta cum obice ſuſcepta producant gratiam, remoto obice. ibid.
Concluſio. ibid.
Sacramenta cum obice ſuſcepta producunt gratiam, remoto per pœnitentiam obice, immo qua imprimunt characterem, iſtum ſecundarium habent effectum; tametſi cum obice ſuſcipiantur. ibid.
Probatur rationibus Theologicis ſacramenta cum obice ſuſcepta, producere gratiam, remoto obice. ibid.
Diluuntur objectiones. 70
Synopſis probationum. 72
Sacramenta cum obice ſuſcepta ſuam viciſſim producunt gratiam, remoto obice. ibid.
Synopſis difficultatum & ſolutionum. ibid.
Sectio 3. 73
De modo quo ſacramenta producunt gratiam. ibid.
Caput I. ibid.
Prenotanda. ibid.
Inania Hareticorum placita circa cauſalitatem ſacramentorum. ibid.
Concluſio. 74
Sacramenta nova legis producunt gratiam ex opere operato. ibid.
Probatur multis argumentis. ibid.
Primum argumentum ex Scriptura ſacra eruitur. ibid.
Prophetia. ibid.
Figura. 75
Oracula novi Teſtamenti. ibid.
Argumentum ſecundum ex Conciliis depromitur. 76
Tertium argumentum ex traditione excerptum proponitur. ibid.
Quartum argumentum, ex multiplici ratione conflatur. 78
Solvuntur objectiones Heterodoxorum. 79
Synopſis probationum. 83
Synopſis difficultatum & reſponſionum. ibid.
Caput 2.
Num Sacramenta nova Legis producant Gratiam phyſice? ibid.
Concluſio.
Sacramenta nova Legis producunt Gratiam phyſice?
Fit ſatis objectionibus ex auctoritate D. Thoma prodeuntibus. 86.

Sol-

Solvuntur objectiones ex ratione deducta. 87
Synopſis probationum. 90
Sacramenta producunt gratiam phyſice. ibid.
Synopſis argumentorum in contrarium, & ſolutionum. ibid.
Caput III. 91
An opinio eorum qui propugnant Sacramenta non niſi moraliter producere gratiam defendi poſſit. ibid.
Concluſio. ibid.
Probabilis eſt opinio eorum qui propugnant ſacramenta novæ legis gratiam ſolum moraliter producere. ibib.
Reſpondetur objectionibus. 92
Synopſis probationum. 95
Opinio eorum qui propugnant Sacramenta ſolum moraliter producere gratiam, eſt probabilis. ibid.
Synopſis difficultatum, ſolutionum & reſponſionum. ibid.
Art. VI. 96
De cauſa inſtitutrice, & miniſteriali Sacramentorum. ibid.
Sectio I. ibid.
Num ſolus Chriſtus inſtituerit ſacramenta. ibid.
Concluſio affirmativa. ibid.
Probatur ratiocinio Theologico. ibid.
Modus multiplex quo Chriſtus eſt auctor Sacramentorum. 97
Solvuntur objectiones. 98
Synopſis probationum. 100
Solus Chriſtus eſt auctor Sacramentorum. ib.
Synopſis difficultatum, & ſolutionum. ibid.
Sectio II. ibid.
De Miniſtro Sacramentorum. ibid.
Caput I. ibid.
Num ſoli homines viatores ſint Sacramentorum Miniſtri. ibid.
Concluſio I. 101
Solus homo conſtitutus eſt a Chriſto Sacramentorum miniſter. ibid.
Probatur auctoritate, & ratione. ibid.
Quilibet Chriſtianus indiſcriminatim non habet poteſtatem miniſtrandi Sacramenta, ſi excipias Baptiſmum, ubi neceſſitas adeſt. ibid.
Probatur ex Scriptura & traditione. ibid.
Solvuntur objectiones. 103
Synopſis probationum.
Solus homo viator eſt Sacramentorum miniſter, non tamen quilibet indiſcriminatim. 106
Synopſis difficultatum, & reſponſionum. ibid.
Caput II.
Quænam requiratur intentio in Miniſtro ad conficienda Sacramenta? ibid.
Placita auctorum de abſolutione ſub conditione. 107
Punctum primum.
Utrum in confectione Sacramentorum intentio interior requiratur ad faciendum id quod facit Eccleſia. 109
Concluſio affirmativa. ibid.
Primo, probatur rationibus Theologicis. ibid.
Secundo, ex rationibus in jure fundatis. 110
Tertio, ex abſurdis ex alia opinione ſubſequentibus. 111
Solvuntur objectiones ex diverſis capitibus deprompta. 112
I. *Ex ſacra Scriptura.* ibid.
II. *Ex ſummis Pontificibus, & Conciliis* 113
III. *Ex ſanctis Patribus.* 115
Aperitur mens S. Chryſoſtomi. ibid.
Diſcutitur mens S. Auguſtini. 116
Quarto, ex factis. 119
Ultimo ex rationibus. 120
Synopſis probationum. 124
Intentio interior in confectione ſacramentorum requiritur. ibid.
Synopſis difficultatum, & ſolutionum. ibid.
Punctum ſecundum. ibid.
Num S. Thomas propugnaverit intentionem interiorem eſſe miniſtro neceſſariam? ibid.
Concluſio affirmativa. ibid.
Probatur multis rationibus auctoritate Divi Thomæ ſuffultis. ibid.
Solvuntur objectiones. 126
Synopſis probationum.
Sanctus Thomas propugnat intentionem interiorem. ibid.
Synopſis argumentorum in contrarium, & reſponſionum. ibid.
Punctum III. ibid.
Utrum requiratur intentio in ſuſcipiente, & qualis? ibid.
Concluſio. I. ibid.
Requiritur intentio interior vel in ipſo ſuſcipiente Sacramentum. ibid.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Concluſio. II. 131
Intentio interior requiritur in ſuſcipiente ſacramentum, explicita quidem pro Baptiſmo, Pœnitentia, Euchariſtia, Ordine, & Matrimonio, implicita ſaltem pro reliquis Sacramentis. ibid.
Probatur concluſio quoad ſingulas partes. ibid.

Solvuntur objectiones ex factis, & auctoritate deprompta. 132
Diſcutitur mens S. Auguſtini. 135
Diluuntur objecta ex variis rationibus excerpta. 137
Synopſis probationum. ibid.
Intentio interior requiritur in ſuſcipiente. ib.
Synopſis objectionum & ſolutionum. 138
Caput II. ibid.
Utrum probitas Miniſtri requiratur ad validitatem Sacramentorum. ibid.
Punctum primum. ibid.
Hiſtoria critica hæreſis Rebaptizantium. ibid.
Progreſſus. 141
Errores Donatiſtarum. 142
Mores Donatiſtarum. ibid.
Concilia Donatiſtarum. 143
Interitus, ſeu extinctio Hæreſeos Donatiſtarum. ibid.
Punctum I. 144
Num Stephanus Papa in Epiſcopos rebaptizantes actuali excommunicatione animadverterit. ibid.
Concluſio negativa. ibid.
Probatur multis momentis. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 146
Synopſis probationum. 149
Stephanus non abſtinuit a Cypriano, & Firmiliano. ibid.
Synopſis difficultatum & ſolutionum. ibid.
Punctum II. 150
Num Stephanus I. Papa Baptiſmum ab Hæreticis adulteratum receperit. ibid.
Concluſio negativa. ibid.
Sanctus Stephanus in contrarium errorem non prolapſus eſt. ibid.
Probatur multis momentis. ibid.
Diluuntur objecta. 151
Synopſis probationum. 154
Stephanus non recepit Baptiſmum in forma defloratum. ibid.
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.
Punctum III. ibid.
Num Concilium quod S. Auguſtinus contra Donatiſtas urget ſit Arelatenſe I. ibid.
Concluſio. 155
Concilium quod ſæpius urget S. Auguſtinus adverſus Donatiſtarum protervіam eſt Arelatenſe I. anno 314. celebratum. ibid.
Probatur rationibus omni exceptione majoribus. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 158
Synopſis probationum. 161
Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.
Punctum IV. ibid.
Utrum probabile ſit Concilium, quod opponit D. Aug. Donatiſtis, eſſe Nicænum I. generale. ibid.
Concluſio affirmativa.
Probatur variis rationibus: I. negativis, ibid.
II. Rationibus poſitivis. 163
Fit ſatis variis difficultatibus. 164
Synopſis probationum. 168
D. Auguſt. Concilium Nicænum I. contra Donatiſtas rebaptizantes videtur urgere. ibid.
Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.
Punctum V. ibid.
Num de facto probitas miniſtri requiratur ad Sacramenti confectionem. ibid.
Concluſio. I. ibid.
Fides, & probitas non requiruntur abſolute ad validitatem Sacramenti. ibid.
Multis probatur argumentis. ibid.
I. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
II. *Ex ſummis Pontificibus.* 169
III. *Ex Conciliis.* ibid.
IV. *Ex Traditione.* ibid.
V. *Ex rationibus Theologicis.* 170
Concluſio II. 172
Sanctitas requiritur in miniſtro ad conficienda licite Sacramenta, alias peccat mortaliter. ibid.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objectiones contra 1. concluſionem. 174
Proponuntur objectiones D. Cypriani, & Rebaptizantium, ſimiliter & B. Aug. reſponſiones. 173
Solvuntur objecta adverſus alteram concluſionem militantia. 181
Synopſis probationum. 184
Non requiritur ad validitatem Sacramenti abſolute loquendo, probitas miniſtri, peccat tamen qui peccato gravi detentus conficit Sacramenta. ibid.
Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.
Articulus ultimus. 185
De numero Sacramentorum. ibid.
Sectio I. ibid.
Utrum lotio pedum inter Sacramenta annumerari debeat? ibid.
Concluſio. ibid.
Lotio pedum non eſt Sacramentum. ibid.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 186
Synopſis probationum. 188
Lotio pedum inter Sacramenta non annumeratur. ibid.
Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.

Sectio II.

Sectio ſecunda.

Num S. Ambroſius lotionem pedum ut ſacramentum habuerit? ibid.

Concluſio *negativa*. ibid.

Probatur variis rationibus. ibid.

Reſpondetur difficultatibus. ibid.

Synopſis probationum. 193

S. Ambroſius lotionem pedum inter Sacramenta non annumeravit. ibid.

Synopſis objectionum, & reſponſionum. ibid.

Sectio tertia. ibid.

Utrum D. Bernardus lotionem pedum habuerit ut Sacramentum? ibid.

Concluſio. ibid.

Non habuit. ibid.

Probatur multis momentis. ibid.

Fit ſatis objectionibus. 194

Synopſis probationum. 196

Lotio pedum non annumeratur a D. Bernardo inter Sacramenta. ibid.

Synopſis difficultatum, & reſponſionum. ibid.

Sectio quarta. ibid.

Utrum in nova lege ſeptem Sacramenta admitti debeant? ibid.

Concluſio affirmativa. ibid.

Punctum primum. 197

Probatur numerus ſeptenarius Sacramentorum novæ legis ex Scriptura, ex Conciliis, ex Patribus, & ratione. ibid.

1. *Argumentum ex Scriptura ſacra depromitur.* ibid.

2. *Argumentum ex Conciliis petitur.* ibid.

3. *Argumentum ex traditione ſanctorum Patrum ſumitur.* 198

4. *Argumentum rationibus Theologicis innititur.* 200

Solvuntur Heterodoxorum objectiones. 201

Reſpondetur quibuſdam circa ordinem difficultatibus. 204

Synopſis probationum. 205

Sunt ſolum ſeptem n. l. Sacramenta. ibid.

Synopſis objectionum, & reſponſionum. 206

Punctum ſecundum. ibid.

Utrum Orientales ſeptem agnoſcant Sacramenta? ibid.

Summa Hiſtoriæ criticæ recentiorum Orientalium. 207

De Patriarchatibus. ibid.

Concluſio. 208

Orientales a Chriſto nato ad præſentem uſque diem ſeptem admiſere Sacramenta. ibid.

Probatur efficaci ratiocinio. ibid.

Teſtimonia ab Apoſtolis uſque ad Concilium Florentinum. Ibid.

Teſtimonia a Concilio Florentino uſque ad Cyrillum Lucarem. 209

Teſtimonia a morte Cyrilli ad noſtra uſque tempora. 210

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium. 211

Synopſis probationum. 217

Eccleſiæ Orientales ad hæc uſque tempora ſeptem Sacramenta agnovere. ibid.

Synopſis difficultatum, & reſponſionum. ibid.

Punctum tertium. 218

Utrum Eccleſiæ a Proteſtantibus detentæ ante ſuppoſititiam reformationem habuerint eamdem nobiſcum circa numerum Sacramentorum fidem? ibid.

Concluſio. 219

In regnis hæreſi, tum Lutherana, tum Calviniana labefactatis, ante Lutherum, & Calvinum, fides de ſeptenario numero Sacramentorum florebat. ibid.

A primo ſæculo ad 6. uſque, ſeptem Sacramenta fuerunt in Eccleſia agnita. ibid.

Idem numerus ſeptenarius a 6. ſæculo ad nos uſque perſeveravit. 223

Teſtimonium ex inimicis noſtris pro eodem momento. 224

Convelluntur objectiones quas Heterodoxi adverſus iſtam intemeratam fidem proponunt. 225

Synopſis probationum. 226

Septem, in Eccleſiis a Proteſtantibus nunc occupatis, ante ſuppoſititiam eorum reformationem, fuere Sacramenta. ibid.

Synopſis objectionum, & ſolutionum. ibid.

Decretum Eugenii Papæ IV. juxta edit. Binii, Col. Agrip. 1606. ibid.

SECUNDA PARS.

De *Sacramentorum eſſentia, & numero in particulari.* 231

DISSERTATIO PRIMA.

De Baptiſmi eſſentia, & neceſſitate. 232

Art. I. *Num Baptiſmate abluantur peccata?* ib.

Concluſio affirmativa. ibid.

Probatur rationibus Theologicis. ibid.

Diluuntur objectiones. 233

Synopſis probationum & objectionum. 234

Art. II. *Num Baptiſmus ſit abſolute ad ſalutem neceſſarius?* 235

Concluſio. ibid.

Baptiſmus eſt neceſſarius, neceſſitate medii ad ſalutem. ibid.

Probatur multis momentis. ibid.

Primo, ex Scriptura ſacra. ibid.

Digitized by Google

Secundo, ex Conciliis. ibid.
Tertio, ex ſanctis Patribus. 236
Quarto, ex Eccleſiis Orientalibus. ibid.
Quinto, ex ratione Theologica. 237
Fit ſatis objectionibus Heterodoxorum. 239
Diluuntur Anabaptiſtarum objecta. 241
Proponuntur & ſolvuntur objectiones Cajetani. 243
Argumenta ex Orientalibus deſumpta, cum reſponſionibus. 244
Synopſis probationum & objectionum cum reſolutionibus. 246

DISSERTATIO SECUNDA

De eſſentia Sacramenti Confirmationis. 247
Articulus unicus. *Num Confirmatio ſit Sacramentum?* ibid.
Concluſio affirmativa.
Probatur validiſſimis argumentis. ibid.

§. I.

Primum argumentum ex Scriptura ſacra depromitur. ibid.
Solvuntur objectiones Dallæi contra probationes e Scriptura ſacra depromptas. 249

§. II.

Secundum argumentum ex omni traditionis genere excerptum. 252
Primo ex traditione Eccleſiæ Romanæ. ibid.
Proponuntur difficultates. 254
Primo, ex Tertulliano. ibid.
Secundo, ex ſancto Cypriano. 256
Tertio, ex Optato Milevitano, & Paciano Barcinonenſi. 258
Quarto, ex ſancto Hieronymo. 260
Quinto, ex ſancto Auguſtino. 261
Traditio ex Eccleſia Græca, tum vetuſtiore, tum recentiore. 262
Vetuſtior. ibid.
Græcia recentior, & ceteræ communiones Orientales. 163
Diluuntur objecta Dallæi. 265
Eadem traditio firmatur decretis, & doctrina ſummorum Pontificum. 267
Accedunt pro eadem veritate Conciliorum definitiones. 268
Diluuntur objecta Dallæi. ibid.

§. III.

Tertium argumentum ex ratione Theologica, eaque multiplici. 270
Fit ſatis objectionibus Dallæi. 271
Synopſis probationum & objectionum cum reſponſionibus. 273

DISSERTATIO TERTIA.

De venerabili & auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. 274
Art. I. *Num corpus & ſanguis Chriſti ſint ſubſtantialiter in ſacra Euchariſtia?* ibid.
Sect. 1.
Hiſtoria critica eorum qui bellum indixere Chriſto realiter in Euchariſtia præſenti. ibid.
Ortus. ibid.
Progreſſus. 275
Interitus, ſeu proſcriptio. 276
Synopſis hiſtoriæ eorum qui Euchariſtiam debellarunt, & eorum qui illam defenderunt. 277
Sectio 2.
Num de facto præſentia realis corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia aſtrui poſſit? 278
Concluſio affirmativa. ibid.
Punctum primum.
Expenduntur figuræ veteris Teſtamenti præſentiam realem Chriſti futuram in ſacramento Altaris deſignantes. 278
Synopſis figurarum quæ Euchariſtiam antecesſerunt. 280
Punctum ſecundum.
Utrum iſtud Chriſti teſtimonium, Joannis VI. Panis quem ego dabo caro mea eſt, *de præſentia reali ſit intelligendum?* ibid.
Concluſio affirmativa.
Probatur auctoritate Scripturæ, Conciliorum, & ſanctorum Patrum. ibid.
Primo, ex ipſa Scriptura. ibid.
Secundo, ex Conciliis. 281
Tertio, ex ſanctis Patribus. ibid.
Fit ſatis objectionibus ex hoc capite deſumptis. 282
Fuſiori calamo indagatur mens beati Auguſtini circa illud caput. 285
Synopſis probationum & objectionum. 287
Punctum tertium.
Num verba inſtitutionis ad litteram, ut ſonant intelligenda ſint? 288
Concluſio.
Hæc verba hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: *demonſtrative probant Chriſtum eſſe realiter præſentem in ſacramento Euchariſtiæ.* ibid.
Probatur variis capitibus.

Pri-

Primo, ex Evangelio. ibid.
Secundo, ex Epiſtola 1. ad Cor. ibid.
Tertio, ex ſanctis Patribus. 289
Eliduntur Calviniſtarum ſpicula. ibid.
Synopſis probationum, & difficultatum. 293
Punctum quartum.
Explanatur mens SS. Patrum circa præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia. ibid.

§. I.

Num ſanctus Ignatius Martyr realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia defenderit?
Concluſio affirmativa.
Probatur rationibus validiſſimis ejus auctoritate ſuffultis. 294
Propelluntur Proteſtantium Cavilli. ibid.
Synopſis probationum & objectionum. 295

§. II.

Utrum ſanctus Juſtinus Martyr dogma catholicum de præſentia reali docuerit?
Concluſio afirmativa.
Probatur ex ipſomet Juſtino. 296.
Solvuntur objectiones Proteſtantium. ibid.
Synopſis probationum & difficultatum. 297

§. III.

Utrum ſanctus Irenæus præſentiæ reali aſtipuletur?
Concluſio affirmativa. 298
Diluuntur objectiones Heterodoxorum. ibid.
Synopſis probationum, & objectionum. 299.

§. IV.

Utrum Tertullianus faverit præſentiæ reali?
Concluſio affirmativa. ibid.
Fit ſatis objectionibus Heterodoxorum. ibid.
Synopſis probationum, & objectionum. 301

§. V.

An Origenes agnoverit præſentiam realem?
Concluſio affirmativa.
Probatur ex ejus verbis. ibid.
Reſolvuntur difficultates. ibid.
Synopſis probationum & argumentorum in contrarium. 303
Synopſis argumentorum in contrarium & reſponſionum. 304

§. VI.

Utrum S. Cyprianus faveat præſentiæ reali?
Concluſio affirmativa.
Probatur ex ipſius ſcriptis. ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum. 305
Synopſis probationum & objectionum. 307

§. VII.

An Euſebius Cæſarienſis catholice ſenſuerit de præſentia reali?
Concluſio affirmativa.
Probatur multis momentis. ibd.
Fit ſatis Proteſtantium objectionibus. 308
Synopſis probationum & objiectionum. 309

§. VIII.

Diſcutitur mens ſancti Hilarii Pictavienſis circa realem præſentiam.
Concluſio.
Sanctus Hilarius docuit præſentiam realem.
Probatur variis rationibus. ibid.
Diluuntur Heterodoxorum commenta. 310
Synopſis difficultatum & explicationum. 311. & 312

§. IX.

Expenditur mens utriuſque Cyrilli Jeroſolymitani, ſcilicet, & Alexandrini pro præſentia reali. ibid.
Jeroſolymitanus. ibid.
Cyrillus Alexandrinus. ibid.
Expenduntur teſtimonia Cyrilli Jeroſolymitani in contrarium allata ab Heterodoxis. 313.
Objecta adverſus S. Cyrilli Alexandrini auctoritatem proponuntur, & eliduntur. 314
Synopſis probationum, & difficultatum. 316

§. X.

Num ſanctus Chryſoſtomus præſentiam realem propugnaverit?
Concluſio affirmativa.
Probatur ex variis S. Doctoris textibus. 317.
Explicatur teſtimonia D. Chryſoſtomi in contrarium allata. ibid.
Synopſis probationum, & objectionum. 318

§. XI.

Num S. Hieronym. pro præſentia reali ſteterit?

Concluſio affirmativa.
Probatur rationibus ejus auctoritate ſuffultis. ibid.
Reſpondetur proteſtantium objectionibus 319
Synopſis probationum, & objectionum. 320

§. XII.

Exponitur mens D. Ambroſii de præſentia reali quam certe agnovit.
Concluſio.
Probatur ex ejus verbis. 321
Enodantur difficultates ex S. Doctore deſumptæ. ibid.
Synopſis probationum, & difficultatum. 321

§. XIII.

Utrum D. Auguſtinus patrocinetur Calvino figurate verba explicanti.
Concluſio.
S. Auguſtinus propugnator acerrimus fuit præſentiæ realis Chriſti in Eucbariſtia.
Probatur multiplici auctoritate S. Doctoris. 325
Proponuntur nonnulla Divi Auguſtini obſcura loca & explanantur. ibid.
Synopſis probationum, & objectionum. 329

§. XIV.

Vindicantur Theodoretus, & Gelaſius ab Hereſi Calviniſtarum circa præſentiam realem. 330
Concluſio.
Theodoretus catholice de præſentia reali ſcripſit.
Probatur multis momentis. ibid.
Diluuntur objecta Heterodoxorum ex Theodoreto deprompta. ibid.
Mens Gelaſii exponitur. 333
Synopſis probationum, & difficultatum. 334

§. XV.

De fide Iconomachorum circa Eucbariſtiam.
Concluſio.
Epiſcopi Iconoclaſtæ realem præſentiam non negarunt. 335
Solvuntur objectiones. 336
Synopſis probationum, & objectionum. 337

§. XVI.

Utrum Paſchaſius Ratbertus præſentiam realem defenderit. 338

Concluſio prima.
Paſchaſius Abbas præſentiam realem in ſuo de corpore, & ſanguine Domini libro propugnat. ibid.
Probatur ex textibus. ibid.
Concluſio ſecunda.
Paſcaſius nihil novi de præſentia reali in ſuo libro de corpore, & ſanguine Domini vulgavit.
Probatur variis rationibus. 340
Proteſtantium objecta contra ſecundam concluſionem ſolvuntur. 341
Synopſis probationum, & difficultatum. 343

§. XVII.

Utrum catholicam doctrinam circa Eucbariſtiam contineat liber Ratramni. ibid.
Concluſio prima.
Liber de quo controverſia eſt inter nos, & Calviniſtas non eſt liber Joannis Scoti, ſed Ratramni.
Probatur multis argumentis. 344
Concluſio ſecunda.
Liber Ratramni, nihil continet quod adverſetur præſentiæ reali. ibid.
Solvuntur objectiones Proteſtantium contra ſecundam concluſionem. 345
Synopſis probationum & objectionum. 348
Synopſis difficultatum, & explicationum. ibid.
Punctum quintum.
Num fides de præſentia reali ſuum a ſæculo nono ducat initium ut garriunt Proteſtantes? ibid.
Concluſio.
Fides de præſentia reali Domini in Eucbariſtia eſt Chriſtianiſmo coæva.
Probatur ex teſtimoniis Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, quæ, iſta per Apoſtolos ſemel accepta fide, in ea ad hæc uſque tempora perſeveravit. ibid.

§. I.

Eccleſiæ Occidentalis a primo ſæculo ad octavum uſque pro præſentia reali teſtimonia. ibid.

§. II.

Fides Eccleſiæ Occidentalis de præſentia reali nono ſæculo refertur.

§.III

§. III.

Eadem floruit fides in Eccleſia Occidentali ætate decima, nec tunc fuit, ut garriunt Hæreſeos miniſtri, extincta. 351

§. IV.

Fides de præſentia reali XI. ſæculo adverſus malignantes propugnata in Occidente. 352

Prima Pars.

Fides XI. ſæculi de præſentia reali. 353

Altera Pars.

Berengarius ſcriptis, & anathematibus propter ſuos circa præſentiam realem errores profligatus. 354

Ab XI. ſæculo ad noſtrum uſque, fides de præſentia reali floruit, & perſeveravit in Occidente. 355

Eccleſia Orientalis, ab ipſo vagiente Chriſtianiſmo, ad nos uſque, pro eadem veritate teſtes irrefragabiles. 356

§. I.

Teſtes Eccleſiæ Orientalis præſentiam realem a primo ſæculo uſque ad nonum conclamantes. ibid.

§. II.

Fides præſentiæ realis floruit nona ætate in Eccleſia Orientali. 358

§. III.

Decima ætate perſeveravit fides præſentiæ realis in Eccleſia Orientali. ibid.

§. IV.

Ab undecimo ſæculo ad duodecimum uſque fides de præſentia reali rutilavit in Eccleſiis Orientalibus. 359

§. V.

Eccleſia Orientalis a duodecimo ſæculo ad decimum tertium uſque agnovit præſentiam realem. 360

§. VI.

Eccleſia Orientalis ſæculis 14. & 15. non receſſit a fide præſentiæ realis, & tranſubſtantiationis. 361

§. VII.

Eccleſia Græca a 15. ſæculo ad noſtra uſque tempora conſtanter perſeveravit in fide præſentiæ realis. 365

§. VIII.

Conſenſus aliarum Eccleſiarum Orientalium cum Eccleſia Romana circa præſentiam realem. 365

Illam agnoſcunt Moſcovitæ. ibid.

§. IX.

Eadem eſt fides Melchitarum, & Syrorum.

§. X.

Ejuſdem ſunt ſententiæ Armeni.

§. XI.

Tenent præſentiam realem Neſtoriani. 367

§. XII.

Non diſſimilis eſt fides Jacobitarum. 368

§. XIII.

Fides Maronitarum. ibid.

§. XIV.

Fides Coptitarum, & Æthiopum de præſentia reali. ibid.

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium ab auctoritate Patrum petitis. 369

Solvitur objectio Proteſtantium, quam ex antiquitate prætenſa ſuæ ſectæ ducunt. 371

Hiſtoria critica Albigenſium, eorumque errores. ibid.

Ortus. ibid.

Progreſſus. 372

Errores Albigenſium. ibid.

Interitus, ſeu Proſcriptio. 373

Hiſto-

Hiſtoria critica Waldenſium. ibid.
Ortus. ibid.
Progreſſus. 375
Errores Waldenſium. ibid.
Interitus ſeu Proſcriptio. 374
Synopſis probationum, & objectionum. 375
Appendix eorum, quæ Eccleſia Græca contra Cyrillum Lucaren, Calviniſtam fecit. ibid.
Punctum ſextum.
Dogma de præſentia reali Chriſti in Euchariſtia firmatur multis rationibus. 378
Rationes Theologicæ. ibid.
Rationes convenientiæ. 379
Teſtimonia ex inimicis noſtris. 380
Celebre teſtimonium pro præſentia reali petitum ex confœderatione quam Calviniſtæ cum Lutheranis inierunt. 381
Hiſtoria critica confœderationis Calviniſtarum cum Lutheranis confeſſionis Auguſtanæ, facta in Synodo Carentonica prope Pariſios ann. 1631.
Relatio unionis factæ. ibid.
Forma decreti confœderationis. ibid.
Ex Calviniſtis, dogma præſentiæ realis neque ſeparationis cauſa eſt, neque aliquid veneni habet. 382
Aliud teſtimonium excerptum ex capitibus momentoſis de quibus, ſalva pace, Proteſtantes inter ſe diſſident. 383
Capita Lutheranorum a Calviniſtis abjecta. ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum. 384
Synopſis probationum, & difficultatum. 387
Articulus ſecundus.
De tranſubſtantiatione. 388
Sectio prima.
Utrum detur tranſubſtantiatio?
Concluſio affirmativa.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.

§. I.

Traditio Patrum pro Tranſubſtantiatione.

§. II.

Eadem traditio perſeverat in Eccleſiis Orientalibus. 309
Teſtimonia magna ex parte expoſtulata a Ludovico XIV. pro confirmatione fidei adverſus Miniſtrum Claudium referuntur. ibid.

§. III.

De motivis continuationis perpetuitatis fidei pro præſentia reali apud Orientales. 391

§. IV.

Teſtimonia Theologorum Græcorum, quibus probatur a fine diſputationis, Græcos non receſſiſſe a præſentia reali, & tranſubſtantiatione. 393

§. V.

Teſtimonia ex Liturgiis, & orationibus Orientalium deprompta. 394

§. VI.

Teſtimonia Orientalium pro præſentia reali ex adoratione Euchariſtiæ deprompta. 395

§. VII.

Teſtimonia ex ipſis Hæreticis pro eadem veritate. 397
Fit ſatis objectionibus Hæreticorum ex auctoritate Scripturæ & Patrum depromptis. ibid.
Explicatio vocis φυσις ſeu ουσια. 401
Patres Græci. ibid.
Patres Latini. 402
Fit ſatis objectionibus ex ratione prodeuntibus. ibid.
Synopſis probationum, & objectionum. 403 & 404
Sectio ſecunda.
Utrum S. Joannes Damaſcenus tranſubſtantiationem admiſerit? 404
Concluſio affirmativa.
Probatur ex ejus ſententiis. ibd.
Fit ſatis objectionibus. 405
Synopſis probationum, & difficultatum. 407
Sectio tertia.
Utrum Rupertus Tuitienſis Abbas tranſubſtantiationem abnuat? 408
Concluſio negativa.
Probatur ex ejus textibus. ibid.
Proponuntur difficultates, & explicantur. 409
Synopſis probationum, & difficultatum. 412

Arti-

Digitized by Google

Articulu. tertius.
Utrum Eucharistia ſit Sacramentum permanens ? ibid.
Sectio prima.
Utrum corpus, & ſanguis Christi non ſolum in uſu, ſed & ipſo tranſacto ſint in Eucharistia? ibid.
Concluſio affirmativa.
Contra Lutheranos. ibid.
Eadem permanentia in Eccleſiis Orientalibus perſeverare probatur. 416
Diluuntur objecta Lutheranorum. 418
Objectiones Hæreticorum contra Eucharistiæ adorationem diluuntur. 419
Objectiones Miniſtri Claudii adverſus rationem petitam en Eccleſiis Orientalibus. 420
Synopſis probationem, & objectionum. ibid.
Sectio ſecunda.
Utrum remaneant accidentia panis, & vini in Eucharistia ? 421
Concluſio affirmativa.
Probatur rationibus Theologicis. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 422
Synopſis probationum, & difficultatum. 424
Sectio tertia.
Num ſententia eorum qui accidentia ſolum relativa admittunt, propugnari debeat ? ibid.
Syſtema Carteſii de accidentibus Euchariſticis. 425
Syſtema Callii. ibid.
Syſtema Maignani. ibid.
Concluſio.
Sententia quæ accidentia non niſi relativa admittit, non eſt tenenda.
Probatur rationibus Theologicis. 426
Convellitur ſyſtema Carteſii. 427
Syſtema Callii ſubvertitur. 428
Syſtema Maignani rejicitur. ibid.
Fit ſatis objectionibus Carteſii. 429
Solvuntur objectiones Maignani. 431
Synopſis probationum & objectionum. 432
Articulus quartus.
Utrum Eucharistia ſit ſacrificium? 433
Concluſio.
Miſſa eſt proprie dictum novæ legis ſacrificium.
Probatur multis & irrefragabilibus argumentis. ibid.

§. I.

Primo, ex veteri Teſtamento. ibid.
Prima figura in ſacrificio Melchiſedech. 434
Traditio innuit iſtam figuram intelligendam eſſe de ſacrificio Altaris. ibid.
Alia figura in agno Paſchali. 435
Vetus Teſtamentum eſt etiam figura quâ idem comprobatur. ibid.
Prophetæ. 436

§. II.

Secundo, ex novo Teſtamento. 437

§. III.

Tertio, ex Traditione.
Patres Græci. ibid.
Patres Latini. 439
Eadem Traditio firmatur Conciliorum definitione. ibid.

§. IV.

Ex Liturgiis tum Orientalibus, tum Occidentalibus. 440
Liturgiæ Orientales. 441
Liturgiæ Occidentales. ibid.
Ex Manuſcripto vetuſtiſſimo ante D. Gregorii I. Papæ tempora, a Gelaſio Papa editus Ritualis liber, cui initium eſt, Denuntiata ſtatione, *quo ſimplex, ſolemniſque ſacrificii Dominici, quod miſſam dicunt, celebratio a SS. Pontifice fieri ſolita, Biblioth. Regiæ.* 442
Ex Miſſali Mozarabico manuſcripto in Abbatia ſanctæ Genovefæ aſſervato. 443
Miſſa in die Adventus. ibid.
Canon Miſſæ. ibid.
Oſtenditur veteres Liturgias Græcas, & Orientales cum Latinis convenire in ſubſtantia. 444
Liturgia S. Marci Evangeliſtæ. ibid.
Liturgia ſancti Baſilii ex Coptico latine reddita. 445
Liturgia ſancti Gregorii ex Coptico latine reddita. 446
Liturgia S. Cyrilli en Coptico latine reddita. ibid.
Jam ſequitur iſtud inſeparabile argumentum pro ſacrificio Miſſæ aſtruendo. 447

§. V.

Ex rationibus Theologicis, maxime D. Thomæ. ibid.
Fit ſatis objectionibus Proteſtantium. 448

Sol.

Digitized by Google

Solvuntur objectiones Heterodoxorum adverſus authenticitatem liturgiarum. 451
Coronidis. 453
Miſſa. ibid.
Profeſſio Fidei. ibid.
Synopſis probationum, & objectionum.

DISSERTATIO QUARTA.

De eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ. 455
Dogma de eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ. ibid.

Articulus primus.
Utrum Pœnitentia ſit nova legis Sacramentum. ibid.
Sectio prima.
Hiſtoria critica Montani, & Cataphrygum. ibid.
Progreſſus. 456
Errores Montani, & Cataphrygum. ibid.
Interitus ſeu preſcriptio. 457
Sectio ſecunda.
Hiſtoria critica hæreſis Novatianorum circa Pœnitentiæ Sacramentum. ibid.
Ortus. ibid.
Progreſſus. 458
Errores Novatiani. 459
Interitus, ſeu errorum confutatio. ibid.
Sectio tertia.
Utrum Pœnitentia ſit proprie dictum nova legis Sacramentum? 460
Concluſio affirmativa.

§. I.

Primum argumentum ex Scriptura ſacra depromptum. ibid.

§. II.

Alterum argumentum ex traditione Apoſtolica deſumptum. 461
Teſtimonia Patrum Græcorum. ibid.
Placita Patrum Latinorum. 462
Sententia Theologorum. 463

§. III.

Tertium argumentum ex definitionibus Conciliorum promanat. ibid.

§. IV.

Quartum argumentum petitur ex iſto principio. ibid.
Nullum eſt in hac vita peccatum irremiſſibile. ibid.

§. V.

Quintum argumentum, ex diſtinctione Pœnitentiæ Sacramentalis a Baptiſmo depromitur 464

§. VI.

Sextum argumentum fit, ex auctoritate Eccleſiæ a Chriſto Domino conceſſa ad remittenda peccata. 465

§. VII.

Septimum argumentum adverſus hæreticam pravitatem ſumitur ex foro Eccleſiæ. 470
Forum externum Eccleſiaſticum omni auctoritatum genere ſuffultum. ibid.
Forum internum Pœnitentiale eodem auctoritatum genere firmatum. 471

§. VIII.

Octavum argumentum ex Græcis recentioribus, & aliis Eccleſiis Orientalibus depromitur. 473
Nedum Græci, ſed & ceteri Chriſtiani Orientales agnoſcunt Pœnitentiam ut ſacramentum. 475

§. IX.

Nonum argumentum, ex variis rationibus conſtatur. 476
Solvuntur Heterodoxorum objectiones. ibid.
Primo, ex Scriptura ſacra deprompta. ibid.
Secundo, objecta ex SS. Patribus excerpta. 481
Tertio, difficultates ex ratione prodeuntes. 484
Diluitur argumentum adverſus diſtinctionem Sacramenti Pœnitentiæ a Baptiſmo. 488.
Synopſis probationum, & objectionum. 489 & 490

Articulus ſecundus.
Num peccatorum confeſſio facienda Sacerdoti, ſit ita Sacramento Pœnitentiæ eſſentialis, ut a Chriſto fuerit ſemper in uſu? ibid.
Concluſio affirmativa.
Probatur omni argumentorum genere. ibid.

Pri-

§. I.

Primum argumentum ex variis nominibus, quibus ab Antiquis celebrata eſt Confeſſio Sacramentalis, eruitur. 491

§. II.

Alterum argumentum ex figuris veteris Teſtamenti, quibus præluſa fuit Confeſſio ſacramentalis. ibid.
Teſtimonia Scripturæ ſacræ. 493
Teſtimonia Rabbinorum. ibid.

§. III.

Tertium argumentum fit ex novo Teſtamento, definitione Conciliorum, & Traditione Patrum utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet, & Occidentalis. 494
Teſtimonia Scripturæ novi Teſtamenti. ibid.
Definitiones Conciliorum pro confeſſione auriculari. 495
Traditio Sanctorum Patrum de confeſſione peccatorum ſecreta. ibid.

§. IV.

Quartum argumentum ex Eccleſiis Orientalibus. 502
Traditio Eccleſiæ Orientalis per ordinem digeſta pro confeſſione ſacramentali. ibid.
Græcorum recentiorum pro confeſſione ſacramentali placita. 505
Teſtimonia Chriſtianorum qui in Syria, Ægypto, & ceteris longinquis regionibus commorantur. 506

§. V.

Quintum argumentum, ex uſu perpetuo & Eccleſiæ diſciplina deſumptum. 509
Praxis hiſtorica confeſſionis ſacramentalis. ibid.
De confeſſione publica peccatorum. 512
De confeſſionibus ſcripto factis, & abſolutionibus abſentibus conceſſis. 513
Diſciplina pro reconciliandis ægrotis. 515
De abſolutione concedenda ægris, qui capti ſenſibus non poſſunt loqui. ibid.

§. VI.

Sextum argumentum, pro aſtruenda confeſſione ſacramentali, ex diſciplina Eccleſiæ pro reconciliatione lapſorum depromitur. 518

Primus diſciplinæ gradus.

Peccatoribus facta confeſſione, & ſatisfactione expleta, abſolutionis beneficium olim concedebatur. ibid.

Altera, prævia confeſſione, abſolutionis concedendæ gradus.

Imminente aut mortis, aut hæreſis periculo, nondum expleta pœnitentia laborioſa, venia concedebatur. 519

Tertius abſolutionis, lapſis confeſſis concedendæ gradus.

Flagrante, aut ſaltem imminente perſecutione, nondum expleta laborioſa pœnitentia, lapſi Deo, & Eccleſiæ reconciliabantur. ibid.

Quartus, poſt confeſſionem abſolutionis dandæ lapſis gradus.

Qui aliquid arduum pro Chriſto faciebant, ante ſatisfactionis adimpletionem obtinebant peccatorum abſolutionem. 520

Quintus, facta confeſſione, abſolutionis concedendæ gradus.

Lapſi, cum imminebat ſchiſmatis periculum, abſque mora abſolvebantur. ibid.

Sextus, poſt confeſſionem factam, abſolutionis concedendæ gradus.

Lapſi, omiſſa pœnitentia canonica, reconciliabantur, cum ex eorum ad Eccleſiam reditu magnum aliquod inde bonum in Eccleſiam redundabat, puta ſchiſmatis vel extinctio, vel ſaltem imminutio, vel etiam multorum ad meliorem frugem, & ad ſinum Eccleſiæ reditus. ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum ex Scriptura ſacra, & Patribus. 528

Confeſſio in uſu ab Eccleſia vigente. 523
Objectio ex facto Nectarii. ibid.
Diſcutitur mens S. Chryſoſtomi. 526
Objectiones ex ratione prodeuntes. 530
Objectiones ex praxi Eccleſiæ. ibid.
Synopſis probationum, & difficultatum. 531
Articulus tertius.
De Pœnitentia publica in particulari, ejuſque ſolemnitatibus. ibid.
De ſolemnitate pœnitentiæ publicæ. 533
Objectio. 535
Synopſis dictorum de pœnitentia publica, qua quidem aſtruitur Pœnitentiæ Sacramentum. 536
Synopſis objectionum. ibid.

DISSERTATIO QUINTA.

De eſſentia Extremæ Unctionis. 538
Articulus unicus.
Utrum Extrema Unctio ſit nova legis Sacramentum. ibid.
Concluſio.
Extrema Unctio eſt Sacramentum proprie dictum novæ legis. ibid.
Probatur variis & irrefragabilibus argumentis. ibid.

§. I.

Primum argumentum ex Scriptura ſacra eruitur. ibid.

§. II.

Alterum argumentum: eadem veritas Traditione firmatur. 539
Sancti Patres, & Sancti Doctores pro Sacramento Extremæ Unctionis aſtruendo Traditionis teſtes. ibid.

§. III.

Tertium argumentum. Ex definitionibus Conciliorum veritas aſtruitur. 543

§. IV.

Quartum argumentum, ex manuſcriptis antiquis optima notæ precedit. 544

§. V.

Quintum argumentum, ex Ritualibus Domini Launoji quondam Doctoris Pariſienſis quæ aſſervantur in Bibliotheca Conventus Minimorum Pariſienſium. 545

§. VI.

Sextum argumentum fit ex Eccleſiarum Orientalium auctoritate. 546
Græcorum placita de Extrema Unctione. ibid.
Placita cæterorum Orientalium. 538

§. VII.

Septimum argumentum ex variis convenientiæ rationibus deſumitur. 552
Proponuntur difficultates ex Scriptura ſacra prodeuntes. 553
Solvuntur objectiones auctoritate Patrum prodeuntes. 559
Proponuntur ſimul, & ſolvuntur difficultates Heterodoxorum, ex variis rationibus excerptæ. 562
Synopſis probationum & difficultatum. 565 & 566

DISSERTATIO SEXTA.

De natura Sacramenti Ordinis. 577
Articulus unicus.
Utrum Ordo ſit novæ legis Sacramentum proprie dictum. ibid.
Concluſio affirmativa.
Probatur omni argumentorum genere. ibid.

§. I.

Primo, ex Scriptura ſacra. ibid.

§. II.

Secundo, idem Traditione probatur. 568
Teſtimonia ſummorum Pontificum. ibid.
Teſtimonia Patrum Græcorum. 569
Teſtimonia Patrum Latinorum. ibid.

§. III.

Tertio, ex definitionibus Conciliorum veritas ſe prodit. 581
Subſcriptiones. ibid.
Ejuſdem Concilii definitiones. 572
Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra deſumptæ. ibid.
Objectiones ex auctoritate Patrum, & SS. Doctorum prodeuntes. 577

Idem

§ IV.

Idem Sacramenti Ordinis dogma auctoritate Eccleſiarum Orientalium confirmatur. 582
Primo, ex nominibus. ibid.
Secundo, ex Hierarchia. 583
De Cœleſti Hierarchia. 584
De Eccleſiaſtica Hierarchia. ibid
Gradus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.
De Epiſcopatu. 585
De Presbyteris. 586
De inferioribus Miniſtris. ibid.
Diluuntur objecta circa auctoritatem ex libro de Hierarchia Eccleſiaſtica D. Dionyſii deproinptam. ibid.
Myſterium Monaſticæ conſecrationis. 590.
Placita recentiorum Græcorum de Sacramento Ordinis. 962
Diluuntur objecta. 664

§ V.

Idem Ordinis dogma aſtruitur.
De Ordinationibus. 593
Ordinationes juxta Latinos. ibid.
Textus Concilii IV. Carthaginenſis. ibid.
De ſancto Lino primo poſt beatum Petrum ſummo Pontifice anno Chriſti 67. 594
De ſancto Clemente qui clavum Eccleſiæ tenuit anno 91. ibid.
De S. Sotero, qui floruit anno 171. ibid.
De S. Aniceto, qui univerſæ præfuit Eccleſiæ anno. 83. 595
De S. Cajo qui florebat anno 283. ibid.
Ordinationes Græcorum. ibid.
Myſterium conſecrationis ſacrorum Ordinum. ibid.
Placita recentiorum Græcorum.
De Ordinationibus. 596
De Ordinatione Lectoris. ibid.
De Ordinatione Subdiaconi. ibid.
De Ordinatione Diaconi. ibid.
De Ordinatione Presbyteri.
De Ordinatione Epiſcopi. ibid.
Idem momentum de ſacris Ordinationibus aſtruitur ex conſenſu Maronitarum, Neſtorianorum, Jacobitarum, & Æthiopum. 597
Diluitur momentoſa objectio ex vacuis Hæreticorum, & Schiſmaticorum ordinationibus. 598

§ VI.

Num Ordinatio facta ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Degradatis, & Excommunicatis valida ſit? 600
Concluſio.
Ordinationes factæ ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Degradatis, & Excommunicatis, ſive intra, ſive extra Eccleſiam fiant, probabiliter validæ ſunt. 601
Probatur multis momentis.
Primo, ex Conciliis. ibid.
Secundo, ex ſanctis Patribus. 602
Tertio, ex factis Ordinationibus ab exauctoratis tum intra, tum extra Eccleſiam, quas ipſa ab omni ævo ratas habuit Eccleſia. 603
Facta prioris generis, ibid.
Facta poſterioris generis. ibid.
Quarto, ex rationibus D. Thomæ. 604
Fit ſatis objectionibus. 605
De reordinationibus juſſu Urbani II. & Leonis IX. factis. 606
De reordinationibus a Lucio III. factis. ibid.
De Formoſi Papæ Ordinationibus, tum de reordinatione Ebbonis Rhemenſium Præſulis. 607
De nullitate Ordinationis Conſtantini Papæ jubente Stephano IV. 609
Factum Photii diſcutitur. 610
Solvitur argumentum ex canone 8. primi Concilii Niceni. 613

§ VII.

Ordinem eſſe novæ legis propriæ dictum Sacramentum variis oſtenditur rationibus. 615
Fit ſatis objectionibus. 616
Synopſis probationum, & objectionum. 617
& 618

DISSERTATIO SEPTIMA.

De eſſentia ſacramenti Matrimonii. 619
Articulus unicus.
Utrum Matrimonium ſit Sacramentum? ibid.
Concluſio affirmativa. ibid.

Pro-

§. I.

Proferuntur teſtimonia Scripturæ ſacræ? ibid.

§. II.

Expenduntur SS. Pontificium Decreta. 620

§. III.

Traditio Patrum pro Matrimonii Sacramento. 621

§. IV.

Statuta Conciliorum. 622

§. V.

Conſenſus Eccleſiarum Orientalium, & teſtimonia Græcorum recenſentur. 624

§. VI.

Concinunt aliæ Eccleſiæ Orientales. 625

§. VII.

Ex rationibus Theologicis idem affulget dogma. 625

§. VIII.

Modus quo in Eccleſia Latina Sacramentum Matrimonii celebratur. 628

Diluuntur objecta Heterodoxorum ex Scriptura ſacra deſumpta. ibid.

Objectiones ex SS. Patribus, Doctoribus, & Theologis deprompta ſolvuntur? 631

Proponuntur alia Heterodoxorum argumenta ex inconvenientibus. 635

Reſpondetur objectionibus quæ proponuntur adverſus traditionem Eccleſiarum Orientalium. 640

Synopſis probationum, & difficultatum. 641 & 642

SECUNDA

DE SACRAMENTIS,

TUM IN GENERE, TUM IN PARTICULARI.

PARTITIO OPERIS.

IN quatuor partes Sacramentorum Tractatum dividimus. Prima eſt de Sacramentis in genere; altera eſſentiam cujuslibet Sacramenti in ſpeciali complectitur; in tertia de materia & forma eſſentiam quoque ſpectantibus, item & de Miniſtro, de effectibus, de diſpoſitionibus & ritibus tractamus: quarta ſpectat eorumdem Sacramentorum praxim, ubi & de reſolutione caſuum, qui circa immenſam illam materiam proponuntur, agimus.

De Hæreſibus.

PRIMO non defuere, qui cuncta Sacramenta prorſus de medio tollerent; ita Archontici, ut refert ſanctus Epiphanius Hæreſi 40. quippe qui Baptiſmum & Euchariſtiam execrarentur, nec non, ut refert Theodoretus Libro 10. de Hæreticorum fabulis, omnia alia ſigna ſenſibilia & corporalia rejiciebant; ac ſolum in cognitione ejus quod eſt, veram redemptionem conſtituebant.

Secundo, nonnulli fuere qui tametſi Sacramenta agnoſcerent, illa tamen abſque efficacia eſſe & veluti inania quædam ſigna habebant: tales extitere Meſſaliani. Ita Epiphanius Hæreſi 80. Auguſtinus Hæreſi 57. Theodoretus Libro 4. de Hæreticorum fabulis.

Tertio, quidam aliqua tantummodo Sacramenta abjiciebant, inter quos alii Baptiſmum reſpuebant, ut Gajani apud Tertullianum Libro de Baptiſmo, & Manichæi apud Auguſtinum Hær. 46. alii Confirmationem, ut Novatiani, teſte Theodoreto Libro 3. de Hæret. fabulis; alii ſacram Euchariſtiam, ut ſcribit Petrus Cluniacenſis Libro contra Petrobuſianos; alii Pœnitentiam, ut iterum Novatiani apud Epiph. Hæreſi 59. alii Ordinem, ut Thaudemi, apud Sigebertum in Cronico ad annum Chriſti 1124. alii Extremam Unctionem, ut Albigenſes, teſte ſancto Antonino 4. parte, titulo 11. capite 7. paragrapho 5. Summæ Theologiæ; alii denique Matrimonium, ut Encratitæ; ita Aug. hær. 33.

Quarto, fuere qui ſolummodo circa ſubſtantiam Sacramentorum erraverunt, ea ſicut oportet vel non intelligentes, vel non adminiſtrantes; inter hujuſmodi furfuris homines annumerantur Marcoſii, qui propugnabant Baptiſmum non eſſe conſerendum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, ut ſcribit Theodoretus Lib. 5. de Hæret. fabulis: Marcionitæ iteratis vicibus baptizabant. Ita ſcribit Epiphanius Hæreſi 42. Lutherani impanationem admittunt in ſacra Euchariſtia. Zuingliani vero & Calviniſtæ non niſi figuram & typum corporis Chriſti in eodem agnoſcunt Sacramento, ut conſtat ex utriuſque ſectæ profeſſionibus. Quoſdam alios qui vel circa uſum & adminiſtrationem nævis laborant, commemorat Bellarmiuus L. 1. de Sacr. in Gen. cap. 1.

Dogmata tenenda de Sacramentis tum in genere, tum in particulari ex Concilio Tridentino excerpta.

ECCLESIA in Spiritu ſancto congregata varios fidei Canones quibus Hæreticorum proterviam compeſceret, condidit, fecit & oppoſuit eorum erroribus, maxime Concilium Tridentinum, quod eſt ceterorum veluti appendix.

Ex Seſſione ſeptima de Sacramentis in genere.

PRIMUM DOGMA: Sunt ſeptem novæ Legis Sacramenta a Chriſto inſtituta.

Secundum, Sacramenta novæ Legis a Sacramentis veteris legis diſcrepant non ſolum cæremoniis & ritibus, ſed & efficacia.

Tertium, Sacramenta non ita ſunt paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius.

Quartum, Sacramenta novæ Legis ſunt ad ſalutem neceſſaria, & hoc per diſtributionem accommodam, ita ut quædam ſint abſolute neceſſaria omnibus & ſingulis hominibus, ut Baptiſmus & Pœnitentia.

Quintum, Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam, non fuerunt inſtituta.

Sextum, Sacramenta novæ Legis continent gratiam quam ſignificant, & non ponentibus obicem, conferunt.

Septimum, Gratia per Sacramenta omnibus bene diſpoſitis, confertur.

Octavum, Sacramenta novæ Legis gratiam ex opere operato producunt, ita ut non ſola fides divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficiat.

Nonum, Tria Sacramenta, videlicet Beptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem, ſcilicet ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt.

Decimum, Omnes Chriſtiani non habent indiſcriminatim poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta.

Undecimum, Requiritur intentio in miniſtris ſaltem faciendi quod facit Eccleſia.

Duodecimum, Miniſter tametſi in peccato mortali exiſtat, modo tamen omnia eſſentialia quæ ad Sacramentum conferendum aut conficiendum pertinent, ſervaverit, vere conficit & confert Sacramentum.

Decimum tertium, Ritus in confectione Sacramentorum ab Eccleſia approbati non ſunt omittendi, nec ad nutum immutandi.

DE BAPTISMO IN PARTICULARI.

PRIMUM DOGMA: Baptiſmus Joannis non eamdem vim habuit cum Baptiſmo Chriſti.

Secundum, Aqua vera & naturalis eſt de neceſſitate Baptiſmi.

Tertium, In Eccleſia Romana quæ eſt omnium Eccleſiarum mater & magiſtra, reperitur vera de Sacramento Baptiſmi doctrina.

Quartum, Baptiſmus collatus ab Hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, valet, & eſt verum Sacramentum.

Quintum, Baptiſmus eſt ad ſalutem neceſſarius.

Sextum, Baptizatus poteſt amittere gratiam quam ſacro regenerationis lavacro ſuſcepit.

Septimum, Per Baptiſmum, baptizati non tantum fidei, ſed & univerſæ legis Chri-

Chriſti ſervandæ debitores evadunt initiati.

Octavum, Baptizati tenentur adimplere omnia ſanctæ Eccleſiæ præcepta, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt.

Nonum, Homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam non ita revocandi ſunt, ut vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo.

Decimum, Peccata omnia quæ poſt Baptiſmum committuntur ſola recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmi neque dimittuntur, neque venialia ſolum fiunt.

Undecimum, Baptiſma rite collatum non eſt reiterandum illi qui fidem Chriſti negavit, cum ad pœnitentiam convertitur.

Duodecimum, Baptiſmus conferri poteſt in qualibet ætate.

Decimum-tertium, Parvuli tametſi actum credendi non habeant, non rebaptizandi ſunt cum ad adultam perveniunt ætatem.

Decimum-quartum, Parvuli, qui annos diſcretionis attingunt, interrogati an rata habere velint promiſſa quæ patrini eorum nomine polliciti ſunt, ſi nolle reſpondeant, ſuo non relinquendi ſunt arbitrio, ita ut alia interim pœna ad Chriſtianam vitam non cogantur, ſed ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant.

DE CONFIRMATIONE.

PRIMUM DOGMA: Confirmatio non eſt otioſa cæremonia, ſed verum novæ Legis Sacramentum.

Secundum, Nulla fit Spiritui-ſancto injuria cum ſacro Confirmationis Chriſmati virtus aliqua tribuitur.

Tertium, Miniſter Confirmationis ordinarius, eſt ſolus Epiſcopus.

DE SACRO-SANCTO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Ex Seſſione Decima-tertia.

PRIMUM DOGMA: Sacra Euchariſtia vere, realiter, & ſubſtantialiter continet corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Secundum, In iſto Sacramento non remanet ſubſtantia panis & vini, ſed fit converſio totius ſubſtantiæ panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quæ quidem mirabilis converſio Tranſubſtantiatio recte vocatur.

Tertium, In hoc venerabili Sacramento ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totus Chriſtus continetur.

Quartum, Peracta conſecratione, remanent corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis.

Quintum, Fructus Euchariſtiæ non eſt ſolum peccatorum remiſſio, ſed multiplex alius ab ea profluit effectus.

Sextum, Chriſtus Jeſus cultu latriæ in ſanctiſſima Euchariſtia adorandus eſt, & ideo feſtiva peculiari celebritate venerandus, & in proceſſionibus ſolemniter circumgeſtandus, ac populo proponendus, ut colatur & adoretur.

Septimum, Sacra Euchariſtia in Sacrario rite reſervatur, & ad infirmos honorifice defertur.

Octavum, Chriſtus in Euchariſtia non tantum ſpiritualiter, ſed etiam Sacramentaliter ac realiter manducatur.

Nonum, Omnes & ſinguli fideles utriuſque ſexus cum ad annos diſcretionis pervenerint, tenentur ſingulis annis ſaltem, in Paſchate, ad communicandum.

Decimum, Licitum eſt Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare.

Undecimum, Sola fides non eſt præparatio ſufficiens ad ſumendum ſactæ Euchariſtiæ Sacramentum.

Digitized by Google

DE POENITENTIA.

Ex Seſſione Decima-quarta.

PRIMUM DOGMA: In Eccleſia Catholica datur verum Pœnitentiæ Sacramentum pro remiſſione peccatorum poſt Baptiſma commiſſorum.

Secundum, Iſtud Sacramentum eſt vere & realiter a Baptiſmate diſtinctum.

Tertium, Iſta Chriſti verba, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, intelligi debent de poteſtate remittendi peccata, quæ ineſt Eccleſiæ Catholicæ.

Quartum, Ad perfectam remiſſionem peccatorum tres requiruntur actus in pœnitente, videlicet Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

Quintum, Contritio non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem, ſi ſit dolor de amiſſione æternæ beatitudinis, de gravitate peccati cum propoſito melioris vitæ inſtituendæ.

Sextum, Confeſſio Sacramentalis ſoli Sacerdoti facienda; ea quæ ſecreto ſit non eſt inventum humanum, ſed eſt quid jure divino ſtabilitum.

Septimum, Confeſſio non requiritur tantum ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, ſed ad obtinendam remiſſionem peccatorum, quæ in Confeſſione aperiri debent.

Octavum, Tametſi homo ſingula confiteatur peccata etiam venialia, indiget tamen divina miſericordia ad veniam impetrandam.

Nonum, Confeſſio qualis præcipitur ab Eccleſia non eſt impoſſibilis, & quilibet fidelis ſemel ſaltem in anno illam debet facere.

Decimum, Abſolutio Sacramentalis eſt actus Judicialis, & non nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata; accedat etiam, neceſſe eſt, Sacerdotis abſolventis intentio ſerio faciendi quod facit Eccleſia.

Undecimum, Sacerdos tametſi peccati mortalis noxa vinciatur, habet tamen poteſtatem ligandi & ſolvendi.

Duodecimum, Soli Sacerdotes ſunt miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ.

Decimum-tertium, Epiſcopi habent jus reſervandi ſibi caſus, ita ut ſimplex Sacerdos non niſi obtenta licentia, ab eis abſolvere queat.

Decimum-quartum, Tota pœna non ſemper dimittitur, tametſi culpa remittatur.

Decimum-quintum, Pro pęna temporali abluenda, inſerviunt Chriſti merita, & opera pęnalia a Sacerdote injuncta; immo & alia quæ quiſque pro ſua pietate, ſuoque zelo ſibi imponere poteſt.

Decimum-ſextum, Satisfactiones quibus pęnitentes per Jeſum Chriſtum peccata redimunt, neque aliquid a ſatisfactione Chriſti detrahunt, aut eam obſcurant, neque a cultu Dei avocant, ſed iis piis operibus Deus honoratur.

Decimum-ſeptimum, Claves Eccleſiæ ſeſe extendunt non ſolum ad ſolvendum, verum etiam ad ligandum, maxime vero cum remiſſa culpa, pęna temporalis plerumque exſolvenda remaneat.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS,

Ex eadem Seſſione Decima-quarta.

PRIMUM DOGMA: Extrema-Unctio eſt vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum.

Secundum, Sacra infirmorum Unctio confert gratiam, remittit peccata, & alleviat infirmos.

Tertium, Extremæ-Unctionis ritus quem obſervat Eccleſia Romana non repugnat ſententiæ beati Jacobi Apoſtoli, quocirca a Chriſtianis non ſine peccato contemneretur.

Quartum, Soli Presbyteri ſunt iſtius Sacramenti miniſtri.

DE COMMUNIONE

Sub utraque ſpecie, & de ea non danda parvulis.

Ex Seſſione Vigeſima prima.

PRIMUM DOGMA: Omnes & ſinguli fideles non tenentur præcepto divino utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere.

Secundum, Juſtis de cauſis Eccleſia Catho-

tholica prohibuit Laicis & Clericis nondum Sacerdotibus Communionem ſub utraque ſpecie ſumere.

Tertium, Totus Chriſtus omnium gratiarum auctor ſub una panis ſpecie continetur.

Quartum, Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medii parvulis antequam ad annos diſcretionis pervenerint.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Ex Seſſione Vigeſima ſecunda.

PRIMUM DOGMA, Offertur Deo verum & proprie dictum ſacrificium.

Secundum, Chriſtus Dominus his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, inſtituit Apoſtolos Sacerdotes, ut ipſi aliique Sacerdotes offerant corpus & ſanguinem ſuum.

Tertium, Sacrificium Miſſæ non eſt nuda commemoratio ſacrificii in cruce peracti.

Quartum, Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium, & prodeſt non ſolum ſumenti, verum etiam vivis, & defunctis offertur pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus, dum ea qua par eſt intentione celebratur.

Quintum, Sacrificium Miſſæ nec aliquid de ſacrificio crucis detrahit, nec aliquam illi arrogat injuriam.

Sextum, Miſſæ poſſunt celebrari in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda.

Septimum, Canon Miſſæ non præcontinet errores, ut garriunt Hæretici.

Octavum, Cæremoniæ, veſtes & externa ſigna quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, non ſunt impietatis irritabula, ut iidem Proteſtantes debacchantur.

Nonum, Miſſæ in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat non ſunt illicitæ, adeoque non ſunt abrogandæ, ut blaſphemat Lutherus qui dæmonis afflatu illas reſcidit.

Decimum, Eccleſiæ Romanæ ritus, quo ſubmiſſa voce pars Canonis & verba conſecrationis proferuntur, & hoc non lingua vulgari, non eſt reprobandus.

Undecimum, Non eſt contra Chriſti inſtitutionem aquam immiſcere vino in Calice.

DE ORDINE.

Ex Seſſione Vigeſima tertia.

PRIMUM DOGMA, In novo Teſtamento eſt Sacerdotium viſibile & externum, ſeu poteſtas conſecrandi & offerendi verum corpus & ſanguinem Chriſti, peccata remittendi, & etiam retinendi.

Secundum, Præter Sacerdotium in Eccleſia Catholica, ſunt Ordines minores & majores, per quos velut per gradus quoſdam ad Sacerdotium aſcenditur.

Tertium, Ordinatio ſacra eſt verum novæ legis Sacramentum.

Quartum, Per ſacram Ordinationem ita datur Spiritus ſanctus, & imprimitur character, ut ordinatus fieri non poſſit Laicus.

Quintum, Sacra Unctio, qua Eccleſia in ſancta Ordinatione utitur, non eſt contemnenda, & pernitioſa, immo rite adhibetur, ſicut & aliæ cæremoniæ.

Sextum, Eſt in Eccleſia Catholica Hierarchia Dei ordinatione inſtituta, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris.

Septimum, Epiſcopi ſunt Presbyteris ſuperiores, & poteſtatem habent tum confirmandi, tum ordinandi, quæ dubioprocul illis non eſt cum Presbyteris communis.

Octavum, Epiſcopi qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, ſunt legitimi & veri Epiſcopi.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Ex Seſſione Vigeſima quarta.

PRIMUM DOGMA, Matrimonium quale celebratur apud Catholicos, eſt vere & proprie unum de ſeptem Sacramentis.

Secundum, Non licitum eſt Chriſtianis plures ſimul habere uxores.

Tertium, Eccleſia poteſt diſpenſare in nonnullis impedimentis ex conſanguinitate, vel affinitate promanantibus.

Quartum, Eccleſia potuit conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia.

Quintum, Propter hæreſim aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſen-

tiam a conjuge, non ideo ſolvitur Matrimonii vinculum.

Sextum, Matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum, dirimitur.

Septimum, Matrimonii vinculum non ſolvitur propter adulterium alterius conjugum.

Octavum, Eccleſia non errat cum juſtis de cauſis ad tempus injungit ſeparationem conjugum quoad thorum.

Nonum, Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, & Regulares qui caſtitatem ſolemniter voverunt, neque licite, neque valide poſſunt contrahere matrimonium.

Decimum, Status virginitatis vel cœlibatus anteponitur ſtatui conjugali.

Undecimum, Solemnitas nuptiarum certis celebranda temporibus non eſt ſuperſtitio.

Duodecimum, Cauſæ matrimoniales ad Judices Eccleſiaſticos ſpectant.

Hæc omnia dogmata fidem vel immediate vel ſaltem mediate ſpectant: immediate quidem cum aliquam propoſitionem revelatam continent; mediate vero cum aliquid ab Eccleſia, cui ineſt infallibilitas & omnis poteſtas circa ea quæ pertinent ad cultum divinum & noſtram ſalutem, ſtatuitur.

PRI-

Digitized by Google

PRIMA PARS TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Ordo rerum poſtulat communia prius, quam ea quæ cuilibet Sacramento propria ſunt, tractare & explicare; unde ſit

DISSERTATIO UNICA.

De iis quæ univerſim ſpectant Sacramenta.

ARCHONTICI, ut dictum eſt, omnia abnegabant Sacramenta, Fratricelli ſeu Beguini ea aſpernabantur, ut teſtatur Joannes Papa XXII. in Extravaganti *ſancta Romana*, de religioſis domibus. Pauliciani teſte Euthymio in 2. parte Panopliæ Titulo 21. Sacramenta omni ſpoliabant materia, & ſolum verbis quibuſdam, loco Sacramentorum utebantur, v. g. Baptiſmum eſſe dicebant illa verba (*ego ſum aqua viva*.) Sed contra quod dicit ſanctus Chryſoſtomus Homil. 83. in Matt. 5. " Si tu incorporeus eſſes, nude & ipſa " dona incorporea tradidiſſet tibi : quo- " niam vero corpori conjuncta eſt anima " tua, in ſenſibilibus intelligenda tibi tra- " duntur. "

Dogma de Sacramentis in Genere octo momentis rite explicatur & probatur.

PRIMO QUIDEM oſtendendo dari Sacramenta.

Secundo, Sacramenta certam habere eſſentiam & naturam.

Tertio, conſtare materia & forma.

Quarto, eſſe ad ſalutem neceſſaria.

Quinto, producere gratiam, & quædam imprimere characterem.

Sexto, ſolum Chriſtum eſſe Sacramentorum auctorem.

Septimo, ea determinatos habere miniſtros.

Octavo, eſſe numero ſeptem.

Quæritur igitur an dentur Sacramenta? Quid ſint? Quibus conſtent? Qui finis, quæque neceſſitas? Quinam effectus? Quis auctor? Quis miniſter? Qui numerus? Unde ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Num dentur Sacramenta?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Fuerunt Sacramenta a lapſu Adami ad noſtra uſque tempora.

PROBATUR RATIONIBUS THEOLOGICIS.

PRIMA: Quæ ex voluntate Dei dependent, nobis, *inquit S. Thomas*, manifeſtantur per Scripturas, addo per Concilia, per Eccleſiam & SS. Patres: atqui

ex his omnibus capitibus liquet & fuiſſe, & etiam nunc extare Sacramenta. Ergo, &c. Probatur minor multis momentis.

Primo quidem ex Scriptura ſacra, quæ paſſim meminit ſignorum ſenſibilium quibus Deus elargitur gratiam; ſic Roman. 4. 11. Circumciſio dicitur ſignaculum fidei; iſta autem homines fuiſſe a macula originali ablutos aſſerit Innocentius III. cap. *Majores*: item Joannis 6. 59. de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento habetur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Et ſic proportionaliter de ceteris Sacramentis. Ergo, &c.

Secundo ex Conciliis: Florentinum in Decreto pro inſtructione Armenorum ait, Sacramenta noſtra plurimum a Sacramentis veteris Legis diſcrepare, maxime ex eo quod gratiam in ſe præcontineant, eamque ex opere operato producant: e contra vero illa eamdem per paſſionem Chriſti dandam præfigurarent: quibus verbis Concilium agnoſcit Sacramenta tum pro Veteri, tum pro Lege nova. Concinit Tridentinum Seſſione 7. Canone 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta.... anathema ſit*.

Tertio ex utraque Eccleſia Occidentali ſcilicet & Orientali: Ex Occidentali quidem, ut ex Conciliis patet, ex Orientali vero, namque Græci aderant Florentino: quin immo nec ab hac fide diſcedunt recentiores Græci. Et probatur: Simeon Archiep. Theſſalonicenſis librum ſex profeſſo pro Sacramentis novæ legis propugnandis adverſus malignantes conſcripſit: Item & Jeremias Patriarcha Conſtantinopol. in ſua cenſura contra Auguſtanam Confeſſionem Lib. 1. cap. 7. Gregorius Protoſincellus in Apologia adverſus Marcum Eugenicum Epheſinum, ſuum addit calculum. Addunt multi alii apud Arcudium Lib. 1. de numero Sacramentorum cap. 2. Allatius doctiſſimus Græcus Lib. 3. de Conſenſione Eccleſiæ Græcæ cum Latina cap. 9. numero 6. de Græcis etiam recentioribus ſic loquitur: “ Septem Eccleſiæ Sacramenta agnoſcunt, „ eaque ab Epiſcopis & Sacerdotibus ſo„ lemni ritu accipiunt.

Quarto ex SS. Patribus, qui ſpeciales tractatus inſtituerunt, in quibus diſerte probant Sacramenta extitiſſe a lapſu Adami ad noſtra uſque tempora. Auguſtinus L. 5. contra Julianum cap. 11. meminit eorum quæ erant in Lege naturæ: Innocentius III. de iis quæ erant in uſu in lege Moſaica, ut dicetur infra. Ambroſius ſex conſcripſit libros de Sacramentis novæ legis. Ergo, &c.

Secunda ratio hæc eſt: Deus vult omnes homines ſalvos fieri: ſed hujus voluntatis effectus, *inquit*, ſanctus Thomas, variis in locis, eſt ordo in finem ſalutis, & promoventia in finem, omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quam gratuita. Qua ſententia indigitat Sacramenta, cum nomine Sacramenti nihil aliud intelligamus quam ſignum ſenſibile quo Deus confert gratiam. Ergo, &c. Hæc ulterior ratio eſt ejuſdem S. Thomæ, qui hic q. 61. art. 3. ſic loquitur: “ Sacramenta neceſſa„ ria ſunt ad humanam ſalutem, in quan„ tum ſunt quædam ſenſibilia ſigna inviſi„ bilium rerum, quibus homo ſanctifica„ tur. Nullus autem ſanctificari poteſt poſt „ peccatum niſi per Chriſtum, quem pro„ poſuit Deus propitiatorem per fidem in „ ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ „ ſuæ, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, „ qui ex fide eſt Jeſu Chriſti. Et ideo o„ portebat ante Chriſti adventum eſſe quæ„ dam ſigna viſibilia, quibus homo fidem „ ſuam proteſtaretur de futuro Salvatoris „ adventu. Et hujuſmodi ſigna dicuntur „ Sacramenta. „

Sanctus Doctor ibidem articulo 4. ex profeſſo probat exiſtentiam Sacramentorum novæ legis: “ Sicut antiqui Patres, *ait*, „ ſalvati ſunt per fidem Chriſti venturi, ita „ & nos ſalvamur per fidem Chriſti jam „ nati & paſſi. Sunt autem Sacramenta „ quædam ſigna proteſtantia fidem, qua „ homo juſtificatur ... & ideo oportet quæ„ dam alia Sacramenta eſſe in nova lege, „ quibus ſignificentur ea, quæ præceſſe„ runt in Chriſto præter Sacramenta ve„ teris legis, quibus prænunciabantur fu„ tura. „ Ergo &c.

Tertia: Ab effectu & experimento, rei alicujus agnoſcitur exiſtentia: atqui de facto conſtat a lapſu Adami ad nos uſque extitiſſe Sacramenta: Igitur, nullus niſi in Theologia & fide peregrinus, eorum negabit exiſtentiam. Probatur minor: Triplex diſtinguitur lex, naturæ ſcilicet, ſcripta, & Evangelica: Prior quidem a lapſu Adami ad Moyſen uſque floruit, & lex naturæ dicta eſt, non per excluſionem gratiæ, ſed Scripturæ; In ea autem nihil erat ſive pro cultu Dei, ſive etiam pro hominum ſanctificatione in individuo determi-

natum

natum, ſed interius movebantur homines ad aſſumenda quædam ſenſibilia quibus Deo ſuum præſtarent obſequium & cultum, ut ab ejus miſericordia modo peccatorum veniam, modo etiam gratiæ aut augmentum, aut ſaltem conſervationem obtinerent: ſic docet D. Thomas hic q. 60. art. 5. ad 3. his verbis: “ Sicut in ſtatu legis naturæ „ homines nulla lege exterius data, ſed „ ſolo interiori inſtinctu movebantur ad „ Deum colendum, ita etiam ex interiori „ inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus „ ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur. „ Altera vocata eſt lex ſcripta, eo quod Moyſes illam ſcriptis dederit. Denique Evangelica a verbo Chriſti ſeu Evangelio ſic appellata eſt: ſed Sacramenta in his omnibus ſtatibus aſſignantur: Et probatur quoad ſingulas partes.

In Lege naturæ fuerunt Sacramenta juxta illud Auguſtini Lib. 5. contra Julianum cap. 11. “ Nec ideo tamen credendum eſt „ & ante datam Circumciſionem famulos „ Dei, quandoquidem eis ineraat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis „ ſuis: quamvis quid illud eſſet aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit. Nam „ & Sacrificia eorum legimus, quibus utique ſanguis ille figurabatur qui ſolus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis „ jam tempore naſcentibus parvulis, offerebantur ſacrificia pro peccatis. „

Suffragatur Cyprianus, ſeu Auctor Tractatus de Operibus Cardinalibus Chriſti, inter opera ſancti Cypriani, qui capite de Circumciſione ait, “ Sane originale peccatum, quod „ a primis parentibus in totam generis hujus ſucceſſionem defluxit, omni tempore „ aliquibus remediis oportuit expiari. „

Concinit Hugo a ſancto Victore, qui Lib. 5. de Sacramentis parte 2. cap. 1. ait eum non recte ſentire qui contrarium propugnat.

Sanctus Thomas hic q. 70. art. 4. ad ſecundum, de hoc momento ſic loquitur. “ Probabile tamen eſt, quod parentes fideles „ pro parvulis natis, & maxime in periculo exiſtentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis „ adhiberent, quod erat quoddam ſignaculum fidei, ſicut adulti pro ſe ipſis preces & ſacrificia offerebant. „

Ratio multiplex tum pro parvulis, tum pro adultis adeſt; Deus enim vult omnes homines ſalvos fieri, cunctique fidem in Chriſtum, ejuſque gratiam quæ per Sacramenta veluti per tot canales defluit, profiteri tenentur; hinc teſte Auguſtino, qui fide conjunguntur Mediatori, & ad ejus pertinent Eccleſiam, debent habere Sacramenta; namque Chryſoſtomus ſupra laudatus ait, in nulla ſocietate poſſunt convenire homines niſi ſacrorum varietate velaminum. Igitur in lege naturæ fuerunt Sacramenta & pro parvulis & pro adultis: pro parvulis quidem preces, quas ſuper ipſos fundebant parentes ad impetrandum, fide Mediatoris peccati originalis abſterſionem, pro adultis vero & preces & ſacrificia, ut dicit ſanctus Thomas: quod poteſt illuſtrari exemplo S. Job qui, ut habetur c. 1. offerebat ſacrificia pro filiis, ut veniam a Deo, pro eorum peccatis obtineret, juxta illud Auguſtini ibidem interpretantis Jobi verba, “ Nam & ſacrificia eorum legimus quibus utique ſanguis ille figurabatur, qui ſolus tollit peccata mundi.

Sacramenta quoque extitere in Lege Moſaica, v. g. circumciſio pro peccati originalis remiſſione in maſculis, preces vero parentum, & fidei in Chriſtum Confeſſio pro feminis: tum ſacrificia pro adultis. Quod circumciſio fuerit Sacramentum habetur Rom. c. 4. his verbis: *Signaculum juſtitiæ fidei.* Sic propugnat Innocentius III. cap. *Majores.* Sic docent multi Patres & ſancti Doctores, in primis S. Thomas 1. 2. q. 102.

Scriptura ſacra in toto libro Levitici multa præſcribit ſacrificia pro remiſſione peccatorum actualium. Cap. 4. aſſignatur ſacrificium pro expiatione peccati ignorantiæ ſive totius populi, ſive Sacerdotis, ſive etiam principis: Cap. 5. pro peccato detractionis & calumniæ, ſicut & juramenti: cap. 6. pro furto. &c.

Divus Thomas hic q. 84. art. 7. ad 2. ſic probat aſſertionem. “ Pœnitentia in „ veteri lege aliquam determinationem „ habuit; quantum quidem ad dolorem, „ ut eſſet magis in corde, quam in exterioribus ſignis, ſecundum illud Joel 2. „ *ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta* „ *veſtra*: Quantum autem ad remedium „ doloris quærendum, ut aliquo modo Miniſtris Dei peccata ſua confiterentur, „ ad minus in generali. Unde Dominus „ Levitici 5. dicit: anima ſi peccaverit „ per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta menſuram æſtimationemque peccati, „ qui orabit pro eo, quod neſciens fecerit, & dimittetur ei. In hoc anim ipſo

„ quod

,, quod oblationem faciebat aliquis pro peccato ſuo, quodammodo ſuum peccatum Sacerdoti confitebatur; & ſecundum hoc dicitur Proverb. 28. qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, ,, miſericordiam conſequetur.

Rationes allatæ pro lege naturæ ponderant etiam pro lege Moſaica. D. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. hoc idem probat ex cæremoniis veteris legis, & ex iis iſtud efformatur argumentum. Nomine Sacramentorum intelligimus ſigna gratiæ quibus homo præparatur ad colendum Deum vel per modum Miniſtri, vel per modum ſuſcipientis, atqui hujuſmodi apparuere Sacramenta in lege veteri ad hunc effectum: Et probatur ex D. Thoma qui 1. 2. q. 102. art. 5. ait: " Dicendum, quod, ſicut ſupra dictum eſt, ,, Sacramenta proprie dicuntur illa, quæ ,, adhibebantur a Dei cultoribus ad quamdam conſecrationem, per quam ſcilicet deputabantur quodam modo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali ,, quidem modo pertinebat ad totum populum: ſed ſpeciali modo pertinebat ,, ad Sacerdotes & Levitas, qui erant ,, Miniſtri cultus divini: & ideo in ,, iſtis Sacramentis veteris legis, quædam ,, pertinebant communiter ad totum populum, quædam autem ſpecialiter ad ,, Miniſtros; & circa utroſque tria erant ,, neceſſaria. Quorum primum eſt inſtitutio in ſtatu colendi Deum: & ,, hæc quidem inſtitutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumciſionem, ſine qua nullus admittebatur ad ,, aliquid legalium: quantum vero ad Sacerdotes, per Sacerdotum conſecrationem. ,,

Pergit: " Secundo requirebatur uſus eorum quæ pertinent ad divinum cultum: ,, & ſic quantum ad populum erat uſus ,, Paſchalis convivii, ad quem nullus ,, incircumciſus admittebatur: ut patet ,, Exodi 12. & quantum ad Sacerdotes, ,, oblatio victimarum, & eſus panum propoſitionis, & aliorum quæ erant Sacerdotum uſibus deputata. ,,

Proſequitur: ,, Tertio requirebatur remotio eorum per quæ aliqui impediebantur a cultu divino, ſcilicet immunditiarum. Et ſic quantum ad populum ,, erant inſtitutæ quædam purificationes ,, a quibuſdam exterioribus immunditiis, ,, & etiam expiationes a peccatis. Quantum vero ad Sacerdotes & Levitas erat ,, inſtituta ablutio manuum, & pedum, ,, & raſio pilorum. Et hæc omnia habebant rationabiles cauſas: & litterales, ſecundum quod ordinabantur ad ,, cultum Dei pro tempore illo; & figurales ſecundum quod ordinabantur ,, ad figurandum Chriſtum. ,, Ergo &c.

Sacramenta etiam in nova lege affulgent: ſic definit Florentinum in Decreto pro inſtructione Armenorum, cui concinit Tridentinum ſeſſ. 7. Can. 1. his verbis: (*Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta ... anathema ſit*) Rurſus Can. 4. (*Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria .... anathema ſit.*)

Sic docet S. Auguſtinus Tom. 6. Libro 19. contra Fauſtum cap. 13. pag. 145. col. 1. ubi ſic loquitur: " Sacramenta ,, quæ obſervabantur & celebrabantur ex ,, lege ..... ablata ſunt .... quia ,, impleta .... & alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu ,, faciliora, numero pauciora. " Concinit D. Thomas hic q. 61. art. 4. " Oportet *ait*, quædam alia Sacramenta eſſe ,, in nova lege, quibus ſignificentur ea, ,, quæ præceſſerunt in Chriſto. ,, Hoc ipſum confirmant & probant omnes rationes jam laudatæ.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES primo: Nulla fuerunt pro homine in ſtatu innocentiæ Sacramenta: Igitur & nulla debent agnoſci poſt Adæ lapſum.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem. Ratio diſcriminis duplex affertur a S. Thoma hic q. 61. art. 2. quarum prima hæc eſt, quod Sacramenta ſint inſtituta veluti quædam medicinæ ſpirituales, quæ profecto inutiles ſunt bene habentibus. Sic loquitur ſanctus Doctor in argumento Sed contra. " Medicina non ,, eſt neceſſaria niſi ægroto, ſecundum ,, illud Matthæi cap. 9. Non eſt opus ſanis Medicus. Sed Sacramenta ſunt ,, quædam ſpirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo

non

,, non fuerunt neceſſaria ante peccatum.,,

Altera diſcrepantiæ ratio petitur ex rectitudine & perfectione ſtatus innocentiæ, in quo homo & gratia & ſcientia refertus conditus eſt: quocirca non indigebat Sacramentis aut ad ſanctificationem aut ad eruditionem. Sic propugnat ibidem ſanctus Doctor: " Dicendum quod in ſta- ,, tu innocentiæ ante peccatum Sacra- ,, menta neceſſaria non fuerunt: Cujus ,, ratio accipi poteſt ex rectitudine ſta- ,, tus illius, in quo ſuperiora inferioribus ,, dominabantur, & nullo modo depen- ,, debant ab eis. Sicut enim mens ſube- ,, rat Deo, ita menti ſuberant inferiores ,, animæ vires, & ipſi animæ corpus. ,, Contra autem hunc ordinem eſſet, ſi ,, anima perficeretur, vel quantum ad ,, ſcientiam, vel quantum ad gratiam, ,, per aliquid corporale, quod fit in Sa- ,, cramentis. Et ideo in ſtatu innocentiæ ,, homo Sacramentis non indigebat, non ,, ſolum in quantum Sacramenta ordinan- ,, tur ad remedium peccati, ſed etiam ,, in quantum ipſa ordinantur ad animæ perfectionem.,,

Inſtabis: Homo idem nunc eſt ſicut primi parentes fuere in ſtatu innocentiæ: Igitur ſi nulla extiterunt pro iſtis Sacramenta, ita nec pro illis admittenda ſunt.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Homo lapſus idem eſt quoad ſe, ſeu quoad ſubſtantiam cum Adamo innocente, concedo: quoad ſtatum, nego: Ultro concedimus peccatum non deſtruxiſſe totaliter naturam, ut paſſim docet S. Thomas, ſed animam plurimum vulneravit, ex quo quidem remanſit infirma, languida & ægra; hinc Sacramentis indiget. Primo quidem pro Sanctificatione, tum etiam pro eruditione, quatenus per ſigna ſacra, homo a nativitate cæcus, illuminatur. Solutio eſt D. Thomæ ibidem his verbis. " Ad ſecundum dicendum, quod ,, eadem eſt natura hominis ante pecca- ,, tum & poſt peccatum: non tamen eſt ,, idem naturæ ſtatus: nam poſt pecca- ,, tum anima etiam quantum ad ſuperio- ,, rem partem, indiget accipere aliquid ,, a corporalibus rebus ad ſui perfectio- ,, nem, quod in illo ſtatu homini neceſſe ,, non erat.,,

Replicabis: Homo in ſtatu innocentiæ accipiebat ſcientiam a rebus ſenſibilibus, ſiquidem in Paradiſo terreſtri extabat arbor ſcientiæ boni & mali: & tamen non erant Sacramenta. Igitur nec ſunt pro homine in ſtatu præſenti, tametſi indigeat rebus ſenſibilibus & ad ſanctificationem & ad eruditionem.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Homo in ſtatu innocentiæ accipiebat ſcientiam a rebus ſenſibilibus objective, concedo: effective, nego antecedens & paritatem. Aliquis duplici modo ſcientiam perfectam a rebus ſenſibilibus ſuſcipere poteſt; primo quidem objective, deinde vero effective: objective quatenus objecta movent potentias ut anima inde materiam habeat vel cogitandi, vel contemplandi veritatem, quia inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: effective quatenus ab ipſis corporalibus pendet ut habeat modo ſui, modo aliorum ſcientiam, veluti a cauſis formalibus, vel etiam effectivis. Homo innocens nonniſi priori modo ſcientiam rerum habuit, lapſus vero utroque modo habet a rebus ſacris ſenſibilibus, id eſt, nedum objective, ſed & effective, ut ſuſius dicetur infra.

Sic reſpondet D. Thomas hic q. 61. art. 2. his verbis: " Contra hunc autem ordi- ,, nem eſſet, ſi anima perficeretur, vel ,, quantum ad ſcientiam, vel quantum ad ,, gratiam per aliquid corporale:,, ſcilicet in ſtatu innocentiæ. Rurſus ibidem ad 1. " Homo in ſtatu innocentiæ gratia ,, indigebat: non tamen ut eam conſe- ,, queretur per aliqua ſenſibilia ſigna, ſed ſpi- ,, ritualiter & inviſibiliter.,, Ibidem vero Art. 3. aſſerit poſt lapſum Adami neceſſaria fuiſſe Sacramenta ad ſanctificationem per Chriſtum obtinendam, quæ eſſent animæ remedia, & ſic loquitur: " Sa- ,, cramenta neceſſaria ſunt ad humanam ,, ſalutem, in quantum ſunt quædam ſen- ,, ſibilia ſigna inviſibilium rerum, quibus ,, homo ſanctificatur. Nullus autem ſan- ,, ctificari poteſt poſt peccatum, niſi per ,, Chriſtum &c.,,

Urgebis: Sacrificia ſufficiunt, & de facto fuiſſent in ſtatu innocentiæ: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Sacrificia ſufficiunt ad recognitionem ſupremi dominii Dei, concedo: ad ſanctificationem, ſubdiſtinguo; vi alterius decreti, concedo:

cedo: vi præſentis, nego. Tametſi homo non peccaſſet, fuiſſent tamen ſacrificia; in omni quippe ſtatu & conditione homo debet recognoſcere ſeſe a Deo dependere, & illum agnoſcere Dominum tum vitæ, tum etiam mortis: in hoc ſenſu S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. ait: *Oblatio ſacrificii pertinet ad jus naturale:* Neque vero negare quiſquam poteſt Deum potuiſſe aliis mediis quam Sacramentis uti ad ſanctificandum hominem: ſed vi præſentis decreti non niſi per Sacramenta illum ſalvare vult.

Diluuntur objecta ſpecialia contra Sacramenta Legis naturæ & Moſaica.

OPPONES: Nullum extat præceptum de Sacramentis ſuſcipiendis in lege naturæ, immo altum eſt de illis in ſacra Scriptura ſilentium: Igitur non ſunt admittenda Sacramenta in lege naturæ.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Nullum eſt præceptum explicitum, tranſeat: implicitum, nego antecedens & conſequentiam. Dictum eſt in probationibus non eſſe credendum, famulos Dei nullo Sacramento opitulatos fuiſſe. De adultis non in uno loco fit de remedio mentio; namque Job ultimo capite v. 8. habetur quod Deus iratus contra amicos Job illis præſcripſerit remedium pro peccato diluendo, his verbis: *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis &c.*

Sanctus Thomas hic q. 84. art. 7. ad 1. ſic ait. " De jure naturali eſt, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit quantum ad hoc quod doleat ea feciſſe, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua ſigna doloris oſtendat: ſicut & Ninivitæ fecerunt, ut Jonæ tertio legitur: „ Quibus verbis oſtendit adultos quæſiviſſe etiam in lege naturæ, in ſignis ſenſibilibus remedium peccati.

Idem ſanctus Doctor 1. 2. q. 103. art. 1. aſſerit juſtos legis naturæ illa determinaſſe ſigna inſtinctu Dei. " Quia, *inquit*, etiam ante legem fuerunt quidam viri præcipui prophetico ſpiritu pollentes: credendum eſt, quod ex inſtinctu divino, quaſi ex quadam privata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & conveniens eſſet interiori cultui, & etiam congrueret ad ſignificandum Chriſti myſteria. „

Inſtabis: Ad ſolum Deum pertinet inſtituere Sacramenta: ſed in ſtatu naturæ nulla extat lex pro inſtitutione remedii ſive peccati originalis, ſive peccati actualis. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Ad ſolum Deum ſpectat inſtituere Sacramenta ſive per inſtinctum ſive per ſcripturam, aut viva voce, concedo: ſcripto abſolute, vel viva voce, nego. Deus eatenus inſtituit Sacramenta in lege naturæ per inſtinctum, quatenus movebantur homines a Spiritu ſancto ad aliquid ſenſibile aſſumendum, quo fidem in Chriſtum profiterentur, ut per eam juſtificarentur: in lege Moſaica data ſunt ſcripto: in lege denique Evangelica, viva Chriſti voce, & ſcripto.

Urgebis: De ratione Sacramenti eſt producere gratiam ex opere operato; alias non diſtingueretur a ſigno mere ſpeculativo, qualis erat ſerpens æneus in deſerto elevatus, ad quem reſpicientes Iſraelitæ movebantur ad fidem in Chriſtum, & ſanabantur: ſed nullus dixit ſigna ante Chriſtum natum produxiſſe gratiam ex opere operato, ut conſtat ex Concilio Florentino: igitur in lege naturæ non erant proprie dicta Sacramenta.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: De ratione Sacramenti novæ legis eſt gratiam producere ex opere operato, concedo: Sacramenti ante Chriſtum inſtituti, ſubdiſtinguo; ex opere operato paſſive, concedo: active nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Producere gratiam ex opere operato contingit dupliciter: videlicet active, & paſſive; active quidem quum ſignum in ſe præcontinet virtutem producendi gratiam, & illam de facto producit effective in genere cauſæ inſtrumentalis: paſſive vero, quum Deus ad præſentiam ſigni Sacramentalis ſolus producit gratiam, & ſignum habet ex ſua inſtitutione vim excitandi Chriſtum, quæ eſt conditio ſine qua Deus non produceret gratiam. Solum novæ legis Sacramentum priori modo producit gratiam ex opere operato, juxta illud Conc. Florentini in inſtructione Armenorum: " Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta .... Quæ multum a Sacramen-

„ mentis differunt antiquæ legis . Illa coim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant : hæc vero noſtra & continent gratiam , & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt . „ Poſteriori vero modo ante Chriſtum natum ſignum ſacrum cauſabat gratiam , ſcilicet ex opere operantis, & excitando fidem.

Ad Confirmationem: Nego inde ſequi Sacramentum legis naturæ, vel etiam Moſaicæ non diſtingui a ſigno mere ſpeculativo; & hoc maxime propter duo : primo quidem, quia erat ſignum permanens, & directe ad ſanctificationem ordinatum, nuſquam vero ſignum mere ſpeculativum, ut ſerpens æneus elevatus in deſerto, qui quidem erat primario ſolum ad ſanitatem corporum, videlicet ut Iſraelitæ ſanarentur a vulneribus per ſerpentes ignitos ſibi inflictis.

Secundo : Signum Sacramentale ex ſua inſtitutione habebat vim excitandi fidem, & Deus ad ejus præſentiam producebat gratiam: hinc fides ut conditio requiſita ſe habebat & objective , & etiam ſubjective : objective quidem eo quod ad Chriſtum venturum terminaretur ; ſubjective vero quatenus miniſter remedii pro peccato originali diluendo , hanc nomine pueri debebat profiteri fidem ; pęnitens vero adultus pro ſemetipſo juxta illud Job. ultimo cap. *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis*. Eatenus igitur ſignum ex opere operato paſſive producebat gratiam , quatenus ex ſua inſtitutione movebat ad fidem in Chriſtum : non tamen active & perfecte, ut novæ legis Sacramenta.

Repones : Ex hoc ſequitur Sacramenta ante Chriſtum natum ejuſdem fuiſſe efficaciæ cum Sacramentis novæ legis : immo & meliorem habuiſſe conditionem , quandoquidem facilins eſt in aliquem fidei actum prorumpere ad juſtificationem, quam aſſumere ſignum ex multis compoſitum , videlicet rebus & verbis, qualia ſunt legis Evangelicæ Sacramenta : ſed falſum conſequens : ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam , & dico latum eſſe diſcrimen , ipſo teſtante Florentino, inter Sacramenta novæ legis & alia ; cum illa non ſolum gratiam per Chriſtum dandam ſignificant, verum etiam vim illam producendi habeant ; & hoc ratione paſſionis Chriſti non amplius futuræ, ſed & præſentis & peractæ, in quo magna effulget efficacia , ut Catechiſmus Romanus de Sacramentis in genere ſubnotat . Hanc ſolutionem non obſcure indigitat ſanctus Thomas hic q. 61. art. 4. his verbis : “ Auguſtinus dicit contra Fauſtum 19. quod Sacramenta veteris legis ſunt ablata, quia impleta : & alia ſunt inſtituta, virtute majora, utilitate meliora , actu faciliora , numero pauciora. „ Quibus verbis ſecunda ſequela prorſus ſolvitur . Et vero cum Sacramenta noſtra ipſum exhibeant Chriſtum præſentem , & certis ac determinatis tum rebus, tum etiam verbis conſtent, dubioprocul & majorem præ ceteris perfectionem, & copioſiorem gratiam conſequendi facilitatem inducunt.

Perſiſtes : Sacramenta conſtare debent rebus & verbis determinatis : ſed nihil ex his apparet fuiſſe in ſignis legis naturæ. Ergo, &c.

Reſpondeo primo , Scripturam ſacram multum habere ſermonem in libro Geneſis de rebus ſenſibilibus, quibus & juſti , & Patriarchæ in lege naturæ ad colendum Deum , tnm etiam ad propriam ſanctificationem uſi ſunt : Et vero juſtus Abel obtulit Deo ſacrificium de primogenitis gregis ſui , cap. 4. Obtulit Noe, de animalibus mundis , cap. 8. Obtulit Abraham arietem cap. 22. Melchiſedech vero panem & vinum, cap. 14. &c.

Reſpondeo ſecundo , diſtinguendo majorem : Sacramentum novæ legis conſtat rebus & verbis determinatis , concedo : Sacramentum antiquæ legis , ſubdiſtinguo : conſtat rebus determinatis in lege Moſaica , concedo: in lege naturæ iterum ſubdiſtinguo ; rebus determinatis per inſtinctum Dei , concedo : poſitive per ſcripta aut viva voce, nego. Sicut natura ab imperfectis ad perfecta graditur , ſic & fuerunt in diverſis legibus diverſi Sacramentornm ſtatus & gradns . In lege quidem naturæ ſolummodo per ioſtinctum res Sacramentales determinabantur , nec erat quid pro iſto momento poſitivum : cujus rei hanc reddit rationem S. Thomas hic q. 70. art. 4. ad 2. “ Sicut ante inſtitutionem Circumciſionis, ſola fides Chriſti futuri juſtificabat tam pueros, quam adultos, ita etiam & Circumciſiooe da-

,, ta : ſed antea non requirebatur aliquod ſignum proteſtativum hujus fidei ; quia
,, nondum homines fideles ſeorſum ab in-
,, fidelibus cœperant adunari ad cultum
,, unius Dei : probabile tamen eſt, quod
,, parentes fideles pro parvulis natis, &
,, maxime in periculo exiſtentibus aliquas
,, preces Deo funderent, vel aliquam be-
,, nedictionem eis adhiberent, quod erat
,, quoddam ſignaculum fidei, ſicut adulti
,, pro ſe ipſis preces & ſacrificia offere-
,, bant. ,,

Dices : Hæc modo dicta non niſi ſacrificium ſpirant : ſed ſacrificium a Sacramento ſecernitur. Ergo. &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Et ſacrificia erant ſimul Sacramenta, concedo : & non erant, nego : conceſſa vero minore, diſtinguo conſequens : Sacrificia non erant Sacramenta ſub eodem reſpectu, concedo : ſub diverſo, nego. Idem ſignum eatenus erat Sacrificium, quatenus aſſumebatur ad colendum Deum, Sacramentum vero quatenus ad gratiam obtinendam ordinabatur. Hoc non implicare, liquido patet exemplo Euchariſtiæ, quæ eſt Sacrificium ſimul & Sacramentum, ut ſuo dicemus loco.

Inſtabis : Sola fides ad deletionem peccati originalis in lege naturæ ſufficiebat : Igitur abſque fundamento in ea admittitur Sacramentum contra peccatum originale. Probatur antecedens ex ſanctis Patribus & Doctoribus. Tertullianus Lib. de Baptiſmo cap. 13. pag. 262. ſic loquitur : " Fuerit ſalus retro per fidem nudam an-
,, te Domini paſſionem & reſurrectio-
,, nem. At ubi fides aucta eſt, credendi
,, in nativitatem, paſſionem, reſurrectio-
,, nemque ejus, addita eſt ampliatio Sa-
,, cramento, obligatio Baptiſmi, veſti-
,, mentum quodammodo fidei, quæ re-
,, tro erat nuda. ,,

Concinit S. Gregorius Lib. 4. moralium cap. 3. pag. 81. ubi ſic habet : " Quod
,, vero apud nos valet aqua Baptiſmatis,
,, hoc egit apud veteres vel pro parvulis
,, ſola fides, vel pro majoribus virtus
,, ſacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ
,, ſtirpe prodierant, myſterium circumci-
,, ſionis. ,,

Suffragatur D. Bernardus Epiſt. 77. pag. 100. his verbis : " In nationibus vero quot-
,, quot inventi fideles ſunt : adultos qui-
,, dem, fide & ſacrificiis credimus expia-
,, tos, parvulis autem etiam ſolam pro-
,, fuiſſe, immo & ſuffeciſſe parentum fi-
,, dem. ,,

Reſpondeo primo, Patres in his & ſimilibus locis agnoſcere Sacramenta in ſacrificiis pro remiſſione peccatorum actualium ab adultis commiſſorum. Igitur inconcuſſa manet fides de exiſtentia Sacramentorum in lege naturæ.

Reſpondeo ſecundo nego antecedens. Ad probationem diſtinguo : Sola fides per excluſionem ſacrificii ſufficiebat ad delendum peccatum originale parvulorum, concedo : ſola per excluſionem ſigni, ſeu proteſtationis publicæ fidei in Chriſtum, nego : hoc erat inter adultos & parvulos diſcrimen, quod iſti ſanctificarentur abſque ſacrificio oblato, eo quod parvuli quodammodo haberent rationem victimæ ; quocirca vi precum, quas fundebant publice ſuper eos parentes, juſtificabantur per fidem in Chriſtum, quam vel ipſi parentes, eorum nomine profitebantur ; ſicque ſenſibili ſigno ſeu fidei Confeſſione publica, peccati originalis abſtergebatur reatus. Non ita adulti ; cum enim propria voluntate peccarent in contemptum Dei, & ſacrificium offerre in recognitionem dominii Dei, & Sacramentum pro remiſſione peccati ſuſcipere tenebantur.

Quod autem Patres fidem omnino nudam non crediderint pro reatu peccati originalis abſtergendo, ſufficere, ex eo maxime patet, quod pro iiſdem exigant fidem publicam ; quippe qui remedio peccati originalis & Sacramento adunarentur Eccleſiæ quæ eſt viſibilis : dictum eſt autem ex Chryſoſtomo, homines non poſſe in una religione adunari niſi ſacris Sacramentorum velaminibus.

Inſtabis : Atqui ſancti Doctores loquuntur de fide nuda abſque exteriori ſigno manifeſtata : Ergo, &c. Probatur ſubſumptum ex D. Thoma, qui in Quartum diſtinct. 1. q. 2. art. 2. ſic interpretatur S. Gregorii verba : " Circa hæc duplex
,, opinio. Una dicentium quod numquam
,, ſufficiebat fides ſine exteriori ſigno,
,, in quo eſſet fidei profeſſio, ſed par-
,, vulis ſufficiebat fides aliqua, & alie-
,, na profeſſio, adultis propria. Sed quia
,, non videtur conſonare verbis Gregorii in
,, littera poſitis, ideo alii probabilius di-
,, cunt, quod cum ob remedium originalis
,, nulla ſigna vel Sacramenta forent ad-
,, huc

„ hue inſtituta, ſufficiebat profeſſio fidei „ directa ad ſalutem parvuli in ſolo motu „ interiori, ſine ullo exteriori. „ Ergo, &c.

Reſpondeo primo, Sanctum Gregorium per iſtas voces, *ſola fides*, *&c.* non excludere actum fidei exteriorem, propter rationes in probationibus non ſemel allatas; fides enim utrumque actum habet, videlicet & internum & externum: in iſto autem includitur proteſtatio fidei aliquo ſigno ſenſibili peracta. Ceterum, tametſi S. Gregorius in ea verſatus fuiſſet ſententia, ut vel ipſum fidei externum actum excluderet pro remedio parvulorum, ſatius eſſet aliis Doctoribus adhærere.

Reſpondeo ſecundo ad auctoritatem D. Thomæ, S. Doctorem a priori declinaſſe ſententia, & ſeſe retractaſſe variis in locis. Et vero q. 4. de malo art. 8. ad 12. ſic habet: " Fides ergo antiquorum cum „ aliqua proteſtatione fidei valebat par- „ vulis ad ſalutem. „ Rurſus hic quæſt. 70. artic. 4. ad 2. ait: " Probabile ta- „ men eſt quod parentes fideles pro parvu- „ lis natis, & maxime in periculo exi- „ ſtentibus, aliquas preces Deo funderent, „ vel aliquam benedictionem eis adhibe- „ rent, quod erat quoddam ſignaculum fi- „ dei, &c. „

Dices: Effectus non eſt prior cauſa; ſed paſſio Chriſti eſt cauſa Sacramentorum: Igitur ante paractam paſſionem nulla admittenda ſunt Sacramenta.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Effectus non eſt prior cauſa, ea ratione qua effectus eſt, concedo: ſub alio reſpectu, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Paſſio eſt quidem cauſa Sacramentorum tum legis naturæ, tum legis veteris & novæ; ſed finalis priorum, phyſica vero poſteriorum. Non implicat autem cauſam finalem eſſe actu & phyſice ipſo effectu poſteriorem; ſufficit enim, ut prior ſit in intentione. Igitur Sacramenta priora ante Chriſtum natum præceſſere paſſionem Chriſti quoad exiſtentiam, nuſquam vero quoad intentionem; motivum quippe Sacramentorum legis naturæ erat fides Chriſti, primo quidem apprehenſa, deinde vero ſignificata per fidem Mediatoris, tum explicata ad ſanctificationem hominum.

Solutio colligitur ex D. Thoma hic q. 61. art. 3. ad 1. his verbis, quibus reſpondet ad argumentum: " Paſſio Chriſti eſt cauſa „ finalis veterum Sacramentorum: quæ „ ſcilicet ad ipſam ſignificandam ſunt in- „ ſtituta. Cauſa autem finalis non præce- „ dit tempore, ſed ſolum in intentione „ agentis. Et ideo non eſt inconveniens „ aliqua Sacramenta ante Chriſti paſſionem „ fuiſſe. „

Proponuntur objectiones contra Sacramenta veteris Legis, & ſolvuntur.

OBJICIES: Si quod fuit in veteri lege Sacramentum, maxime Circumciſio: atqui de hoc momento non una eſt opinio, referente quippe D. Thoma hic q. 70. art. 4. quidam poſuerunt quod non conferretur gratia per circumciſionem; nec deſunt Patres qui aſſerant ſolummodo valuiſſe ad diſtinctionem populi Judaici ab infidelibus. Ergo, &c.

Reſpondeo primo, concedendo quidem quoſdam Patres propugnaſſe Circumciſionem ſolummodo ad diſtinctionem populi Judaici ab infidelibus fuiſſe datam; ſed probabilior eſt noſtra opinio, quippe quæ in Scriptura, & in decretis SS. Pontificum, & in ſententia celeberrimorum Doctorum fundata ſit: in Scriptura quidem, cum ad Rom. 4. circumciſio dicatur *ſignaculum juſtitiæ fidei*. Proprium autem veteris legis Sacramentorum, teſte D. Thoma hic q. 62. art. 3. erat, Chriſtum & ſignificare & præfigurare, quod vel ipſe Apoſtolus ſubiudigitat 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis*. In Decretis vero; Gregorius M. quippe laudatus ſic pronunciat L. 4. Moral. c. 3. " Quod „ vero apud nos valet aqua Baptiſmatis, „ hoc egit apud veteres vel pro parvulis „ ... myſterium circumciſionis. „ Denique in ſanctis Patribus: ſic enim loquitur S. Auguſtinus ſcribens ad Valerium contra Julianum, apud D. Thomam hic q. 70. art. 4. " Ex quo inſtituta eſt circum- „ ciſio in populo Dei, quæ erat ſignacu- „ lum juſtitiæ fidei, ad ſignificationem „ purgationis valebat parvulis originalis „ veteriſque peccati: ſicut & Baptiſmus „ ex illo cœpit valere tempore ad innova- „ tionem hominis, ex quo inſtitutus eſt. „ Hoc ipſum ex profeſſo docet in eodem articulo ſanctus Doctor.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo minorem: Circumciſio data eſt ad diſtinctionem po-

populi ſimul & ad ſanctificationem, concedo: ad diſtinctionem tantum, nego. Solutio eſt D. Thomæ ibidem in corpore articuli, ubi ſi pronunciat contra negantes: " Dicendum eſt quod in circum„ ciſione conferebatur gratia quantum ad „ omnes gratiæ effectus; aliter tamen, „ quam in Baptiſmo; nam in Baptiſmo „ confertur gratia ex virtute ipſius Bapti„ ſmi, quam habet, in quantum eſt inſtru„ mentum paſſionis Chriſti jam perfectæ. „ In circumciſione autem conferebatur gra„ tia, non ex virtute circumciſionis, ſed „ ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cu„ jus ſignum erat circumciſio. „ Eamdem tradit ſolutionem 1. 2. q. 102. art. 5. ad 1. eo quippe loci aſſerit circumciſionem principaliter fuiſſe inſtitutam ad delendum peccatum originale.

Urgebis: Ante datam circumciſionem, fides aliquibus manifeſtata ſignis, ad delendum peccatum originale ſufficiebat, ut ſupra dictum eſt: Igitur abſque fundamento circumciſio celebratur ut Sacramentum.

Reſpondeo negando conſequentiam propter duo: primo, quia in lege naturæ nondum populus Judaicus ab infideli ſegregabatur, quocirca circumciſio non erat neceſſaria abſolute ſicut poſtea fuit; cum enim vel poſt ipſum diluvium Idololatria graſſaretur in mundo, Deus populum fidelem ab ethnicis per circumciſionem ſecernere voluit, ne commixtus cum paganis carnalibus ſuam in immenſum ſicut priores homines contaminaret viam. Altera ratio ea eſt, quod circumciſio magis explicet fidem in Chriſtum venturum, quod quidem neceſſarium erat populo carnali. Prima ratio eſt D. Thomæ hic q. 70. art. 4. ad 2. his verbis: " Sicut ante in„ ſtitutionem circumciſionis, ſola fides „ Chriſti futuri juſtificabat tam pueros, „ quam adultos; ita etiam & circumci„ ſione data: ſed antea non requireba„ tur aliquod ſignum proteſtativum hu„ jus fidei: quia nondum homines fi„ deles, ſeorſum ab infidelibus cœperant „ adunari ad cultum unius Dei. „ Secunda, eſt ejuſdem D. Thomæ 1. 2. q. 102. art. 5.

Perſiſtes: Si circumciſio ad delendum peccatum originale valuiſſet, profecto hunc effectum operata fuiſſet in Abraham, qui illam primus ſuſcepit: atqui eo ipſo tempore quo circumciſus eſt Abraham jam erat ab omni reatu originali immunis. Ergo, &c. Confirmatur: circumciſio non aperiebat cœlos: Igitur nihil gratiæ conferebat ad peccati deletionem.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Circumciſio ad peccatum originale non valebat pro hominibus legis naturæ qui jam mundati fuerant, concedo: pro aliis, nego: ſimiliter & diſtinguo minorem. Abraham erat de lege naturæ, concedo: eam legem non ſpectabat circumciſio, nego: In eo quidem ſtatu fuit tantummodo in illo ad diſtinctionem, eo quod jam remedium peccati originalis ſuſceperat, ſed hoc ipſum ſe habuit per accidens; immo addo nullum eſſe inconveniens credere circumciſionem in Abrahamo valuiſſe ad augmentum gratiæ: nam D. Thomas ibidem q. 70. art. 4. ad 5. ait circumciſionem utilem fuiſſe ad delendum & peccatum originale, & etiam actuale in adultis qui illam accipiebant; quidni igitur profuiſſet ad gratiæ augmentum in juſtis?

Ad Confirmationem diſtinguo: Circumciſio non aperiebat cælos actu, concedo: diſpoſitive, nego: duplex inductum fuit impedimentum per peccatum Adami ad introitum in regnum cœlorum, videlicet culpa; nullus quippe inimicus, gloriæ Dei fit conſors, juxta illud Pſalm. 94. *Juravi in ira mea: ſi introibunt in requiem meam*. Deinde pœna, nimirum cœli obſeratio, in vindictam, ita ut non niſi per paſſionem Chriſti pro toto genere humano ſatisfacientis, aperiendum foret: circumciſio tollebat quidem primum impedimentum, alterum vero per Chriſti paſſionem auferendum deſignabat. Sic ſolvit argumentum S. Thomas ibidem ad 4. his verbis: " Dicendum, quod in „ circumciſione auferebatur originale pec„ catum ex parte perſonæ, remanebat „ tamen impedimentum intrandi in re„ gnum cœlorum ex parte totius natu„ ræ; quod fuit ſublatum per paſſionem „ Chriſti. „

Replicabis: Populus Judaicus incircumciſus manſit, ut legitur Joſue c. 5. ſpatio quadraginta annorum in deſerto: Igitur circumciſio non erat Sacramentum ad delendum peccatum originale; non enim probabile eſt infinitam prope hominum mul-

multitudinem eo loci procreatorum abſque remedio ſpirituali extitiſſe.

Reſpondet D. Thomas ad hanc difficultatem hic q. 70. art. 4. ad 3. " Dicendum, *inquit*, quod populus in deſerto
,, prætermittens mandatum circumciſionis, excuſabatur: tum quia neſciebant quando caſtra movenda erant: cum
,, quia, ut Damaſcenus dicit, non neceſſe erat eos aliquod ſignum diſtinctionis habere, cum ſeorſum ab aliis populis
,, habitabant; & tamen, ut Auguſtinus dicit, inobedientiam incurrebant qui ex contemptu prætermittebant: videtur
,, tamen, quod nulli incircumciſi mortui fuerint in deſerto: quia, ut in Pſalmo 104. dicitur, non erat in tribubus eorum infirmus; ſed illi ſoli videntur
,, mortui in deſerto, qui fuerunt in Ægypto circumciſi: Si tamen aliqui incircumciſi mortui ſunt, eadem ratio eſt
,, de his, ac de iis qui moriebantur ante circumciſionis inſtitutionem. Quod etiam intelligendum eſt de pueris, qui
,, moriebantur ante octavum diem temporе legis. ,,

Obſiſtes: Quod idololatriam ſapit, non debet haberi ut Sacramentum: ſed circumciſio idololatriam ſapit: Et probatur: cultores idolorum in cultu eorum, cultris ſe incidebant uſque ad effuſionem ſanguinis, ut habetur Lib. 3. Regum 18. quam quidem abominationem prohibet Deus populo Judaico Deuteronomii 14. his verbis: *Non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuo; quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Circumciſio idololatriam redolebat quoad materiale, concedo: formaliter, nego. Idololatria non ſita eſt in aliquo corporali, ſed in cultu ſuperſtitioſo qui puræ creaturæ redditur: porro circumciſio dabatur in proteſtationem fidei unius Dei, tum & ad deſignandam ſpiritualem cordium circumciſionem per Chriſtum faciendam. Sic reſpondet D. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 1. " Dicendum, *ait*, quod litteralis ratio circumciſionis principa-
,, lis quidem fuit ad proteſtationem fidei unius Dei.... figuralis vero ratio cir-
,, cumciſionis erat: quia figurabatur ablatio corruptionis fienda per Chriſtum. ,,

Perges: Sacramentum eſt per ſe primo inſtitutum ad ſanctificationem; atqui circumciſio non erat per ſe primo inſtituta ad ſanctificationem, ſed ad diſtinctionem. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Sacramentum novæ legis, concedo: veteris legis, nego: cum enim circumciſio eſſet figura gratiæ, illamque per Chriſtum dandam ſignificaret, primario importabat ſanctitatem legalem. Unde ſic diſtincta minore, nego conſequentiam.

Oppones ſecundo: Si quæ fuerunt in veteri lege præter circumciſionem Sacramenta, maxime eſus agni Paſchalis: deinde purificatio ab immunditiis, tertio loco Levitarum & Sacerdotum conſecratio: ſed hæc omnia non debent inter Sacramenta annumerari: Et probatur: Convivium quidem Paſchale non eſt annumerandum, cum velociter, & abſque reverentia fieret, adeoque contra honeſtatem & gravitatem cultui divino debitam, juxta illud Pſalmi 34. 18. *In populo gravi laudabo te*. Sed neque purificatio; quis enim dicet corporale, animam mundare: namque vel ipſe cinis vitulæ rufæ combuſtæ immundus erat, quippe qui immundum redderet ipſum ſacerdotem, illum tangentem, ut habetur Num. 19. Ab immundo autem quis mundabitur, ut legitur Eccleſiaſt. 34. Denique Ordinatio Levitarum humano fiebat modo, videlicet aſperſione ſanguinis victimæ: Aaron vero olei Unctione conſecratus eſt. Ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem diſtinguo: Et convivium eo fiebat modo, ſcilicet feſtinanter, in memoriam liberationis a captivitate Ægypti; viſis enim terribilibus ſignis a Moyſe factis, compellebant Ægyptii Iſraelitas citocitius egredi e ſuis finibus, concedo: & iſta feſtinatio ex levitate animi, & contemptu procedebat, nego: ſolutio eſt D. Thomæ ibid. 1. 2. q. 102. art. 5. ad 2. ubi ſic loquitur: " In illo autem
,, exitu eorum de Ægypto duo fueruut,
,, ſcilicet feſtinantia ad egrediendum:
,, impellebant enim eos Ægyptii, ut
,, exirent velociter, ut habetur Exodi
,, 13. imminebatque periculum ei, qui
,, non feſtinaret exire cum multitudine,
,, ne remanens occideretur ab Ægy-
,, ptiis.,,

Ad ſecundum ſimiliter diſtinguo: Corporale ſecundum ſe non poteſt animam puri-

purificare, concedo: corporale ſacrum & elevatum nego. Corporale quod aſſumebatur ad purificationem erat ex inſtitutione divina ſacrum, & per fidem in Chriſtum, hinc nedum maculas exteriores, ſed etiam interiores abſtergebat. Ita D. Thomas ibidem ad 4. Ad quintum vero ait cinerem vitulæ induxiſſe tantummodo immunditiam legalem & exteriorem, quæ alio purificationis ritu abſtergebatur: quocirca non eſt inconveniens quod per cinerem vitulæ homines per fidem in Chriſtum mundarentur interius; ſic docet ſanctus Doctor his verbis: " Duplex erat immunditia in lege; una quidem per aliquam corruptionem mentis vel corporis: & hæc etiam immunditia major erat: alia vero erat immunditia ex ſolo contactu rei immundæ; & hæc minor erat, & faciliori ritu expiabatur, &c."

Ad tertium utique diſtinguo: Et omnia quæ in conſecratione ſacerdotum aſſumebantur vi inſtitutionis & finis ſacra erant, concedo: hæc enim, fide comite, deſignabant Chriſti Sacerdotium: & erant mere humana, nego: ſolutio eſt ejuſdem S. Thomæ ibidem art. 5. ad 10. his verbis: " Ad hoc autem quod in reverentia haberentur, adhibebatur eis ſpecialis ornatus veſtium, & ſpecialis conſecratio. Et hæc eſt in communi cauſa ornatus veſtium. In ſpeciali autem ſciendum eſt, quod Pontifex habebat octo ornamenta. Primo enim habebat veſtem lineam. Secundo habebat tunicam hyacinthinam, in cujus extremitate verſus pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quædam, & mala punica facta ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto. Tertio habebat ſuperhumerale, quod tegebat humeros & anteriorem partem uſque ad cingulum: quod erat ex auro & hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & byſſo retorta: & ſuper humeros habebat duos onychinos, in quibus erant ſculpta nomina filiorum Iſrael. Quartum erat rationale, ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & conjungebatur ſuperhumerali. Et in hoc rationali erant duodecim lapides pretioſi diſtincti per quatuor ordines, in quibus etiam ſculpta erant nomina filiorum Iſrael, quaſi ad deſignandum, quod ferret onus totius populi per hoc, quod habebat nomina eorum in humeris; & quod jugiter debebat de eorum ſalute cogitare per hoc, quod portabat eos in pectore, quaſi in corde habens. In quo etiam rationali mandavit Dominus poni doctrinam & veritatem: quia quædam pertinentia ad veritatem juſtitiæ & doctrinæ ſcribebantur in illo rationali. Judæi tamen fabulantur, quod in rationali erat lapis, qui ſecundum diverſos colores mutabatur, ſecundum diverſa, quæ debebant accidere filiis Iſrael: & hoc vocant veritatem & doctrinam. Quintum erat Baltheus, id eſt cingulus quidam factus ex prædictis quatuor coloribus. Sextum erat Thiara, id eſt, Mitra quædam de Byſſo. Septimum autem erat lamina aurea, pendens in fronte ejus, in qua erat ſcriptum nomen Domini. Octavum autem erant femoralia linea, ut operirent carnem turpitudinis ſuæ quando accederent ad ſanctuarium, vel ad altare. Ex iſtis autem octo ornamentis minores Sacerdotes habebant quatuor, ſcilicet, tunicam lineam, femoralia, Baltheum, & Thiaram."

Inſtabis: Sacramenta veteris legis, teſte Apoſtolo, erant vacua & egena elementa: ſed vacuum & egenum elementum non habet Sacramenti proprie dicti rationem: Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Sacramenta veteris legis erant vacua, & egena elementa comparative ad noſtra, concedo: ſecundum ſe ſumpta, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Aliquid poteſt dici vacuum dupliciter, primo quidem, ita ut nihil ſit tam quoad ſe, quam relative ad aliud; deinde vero comparative ad id quod eſt magis perfectum. Priori modo Sacramenta veteris legis non erant quid vacuum, cum relative ad inſtitutionem divinam & ad Chriſtum quem præfigurabant, eſſent quid ſacrum; immo conducebant ad gratiam obtinendam, quatenus excitabant fidem in Chriſtum venturum: ſolum igitur poſteriori modo dicuntur a S. Paulo vacua elementa, quatenus, ſicut noſtra, non continebant gratiam quam ſignificabant: hinc ait Aug. Sacramenta noſtra ſunt virtute præ ceteris majora. Solutio eſt S. Th. 1. 2. q. 102. & 3. p. q. 70. art. 4. ad 2.

Per-

Perſiſtes: Ea ſolum ratione, ſacra veteris legis ſigna, dicuntur Sacramenta, quatenus noſtra præfigurabant: ſed nullum veteris legis Sacramentum Confirmationem, & Extremam-Unctionem præfiguravit: Ergo &c.

Reſpondeo I. diſtinguendo minorem: Nulla Sacramenta veteris legis Confirmationem & Extramam-Unctionem explicite ſignificabant, concedo: implicite nego: Etvero cum Confirmatio Spiritus ſancti plenitudinem, ſicut Extrema-Unctio introitum in cœlos importet, lex utpote imperfecta, neutrum explicite ſignificabat, bene tamen implicite; in Sacerdotio ſcilicet Aaron cujus unctio omnia quodam modo indigitabat Sacramenta, quatenus a Sacerdotio Chriſti per Sacerdotium Aaron præfigurato, profluxerunt.

Sanctus Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 3. illam ſic ſolvit difficultatem. "Dicendum, quod quædam Sacramenta novæ legis habuerunt in veteri lege Sacramenta figuralia ſibi correſpondentia: nam Circumciſioni reſpondet Baptiſmus qui eſt fidei Sacramentum: unde dicitur ad Coloſſenſes 2. Circumciſi eſtis in circumciſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo. Convivio vero Agni Paſchalis reſpondet in nova lege Sacramentum Euchariſtiæ. Omnibus autem purificationibus veteris legis reſpondet in nova lege Sacramentum Pœnitentiæ.... Sacramento autem Confirmationis quod eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, non poteſt reſpondere in veteri lege aliquod Sacramentum: quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod neminem ad perfectum adduxit lex. Similiter autem & Sacramento Extremæ-Unctionis, quod eſt quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nondum ſoluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem prout eſt Sacramentum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, quæ nondum erat facta: unde & in veteri lege dabatur libellus repudii, quod eſt contra Sacramenti rationem."

Dices adverſus exiſtentiam Sacramentorum novæ legis: Veniente veritate, ceſſare debet figura; ſed Sacramenta quæcumque in genere figuræ reponuntur, nam & ſigna ſacra novæ legis gratiam ſignificant. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Veniente veritate & apparente per gloriam, procul eſt omnis figura, concedo: adhuc illuceſcente per fidem, ſubdiſtinguo, figura vacua eliminatur, concedo: figura plena & virtute Chriſti referta, nego: Et ſic diſtincta minore nego conſequentiam. Noſtra Sacramenta ſunt quidem quodammodo figuræ, ſed plenę, quippe quæ & præcontineant gratiam quam ſignificant, & ipſam digne ſuſcipientibus conferant: cum igitur adhuc in fide ambulemus, ideo & in ænigmate juxta iſtud divi Pauli effatum 1. Cor. 13. *Nunc per ſpeculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem*. Igitur ex omni parte impræſentiarum non ceſſat figura.

D. Thomas hic q. 61. art. 4. ad 1. ſic reſpondet ad argumentum. "Dicendum, quod ſicut Dionyſius dicit in quinto capite Eccleſ. Hierarchiæ, ſtatus novæ legis medius eſt inter ſtatum veteris legis, cujus figuræ implentur in nova lege; & inter ſtatum gloriæ, in qua omnis nude & perfecte manifeſtabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt Sacramenta. Nunc autem quandiu per ſpeculum & in ænigmate cognoſcimus, ut dicitur, 1. ad Corint. 13. oportet nos per aliqua ſenſibilia ſigna, in ſpiritualia devenire: quod pertinet ad rationem Sacramentorum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Admittenda ſunt Sacramenta a lapſu Adami uſque ad nos.

Primo: Quia hoc ipſum variis in locis innuit ſacra Scriptura, quæ tum in Libro Geneſeos, tum in Libro Levitici & in omnibus fere novi Teſtamenti paginis, meminit ſignorum ſacrorum quæ gratiam a Deo Optimo Maximo dandam ſignificant.

Secundo: Deus vult omnes ſalvos fieri; hujuſce autem voluntatis effectus, inquit D. Thomas, ſunt promoventia in finem, qualia ſunt Sacramenta, quæ veluti ſpirituales medicinæ ad reſtaurandam animam peccato ſauciatam, conferuntur.

Tertio : S. Auguſtinus loquens de parvulis legis naturæ ait, non eſſe credendum famulos Dei aliquo Sacramentorum remedio non fuiſſe opitulatos parvulis. Legitur quoque Job. cap. ultimo Deum præcepiſſe amicis Job, ut offerrent holocauſtum pro venia de peccatis impetranda. Innocentius III. cap. *Majores* dicit Circumciſionem in lege ſcripta fuiſſe pro parvulis quod apud nos eſt aqua Baptiſmatis; & Lev. 5. 6. & 7. multa præcipiuntur ſacrificia veluti Sacramenta, pro diverſorum peccatorum expiatione. Denique ſacra Synodus Tridentina Can. 1. definit eſſe ſeptem Sacramenta novæ legis, ſicut & Florentinum in Decreto inſtr. Armentorum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

Primo : Tametſi non fuerint Sacramenta in ſtatu innocentiæ, non idem dicendum de ſtatu naturæ lapſæ, in quo quidem homo propter infirmitatem & languorem dependet a rebus ſenſibilibus quantum ad ſanctificationem & inſtructionem, ut docet D. Thomas 3. p. q. 61. art. 3.

Secundo : Sacramenta legis naturæ habent Deum auctorem, qui interius determinabat quid eſſet pro Sacramento aſſumendum, ſcripto vero, in lege veteri: ſed quia lex Evangelica omnibus perfectior eſt, ſola habet verba determinata, & ex hoc ſolum concluditur fuiſſe ceteris perfectiorem, non tamen alias leges caruiſſe Sacramentis. In lege quidem naturæ non nuda fides, ſed manifeſtata valebat pro ſanctificandis parvulis, ſicut & Circumciſio in lege ſcripta.

Tertio : Sacramenta veteris legis erant quidem vacua & egena elementa comparative ad noſtra, non tamen relative ad alia ſigna mere ſpeculativa, cum gratiam producerent quaſi ex opere operato, non quidem active, ut Sacramenta novæ legis, ſed paſſive, quatenus vi inſtitutionis vim excitandi ſuſcipientium fidem, habebant.

ARTICULUS SECUNDUS.

De eſſentia & natura Sacramenti.

POST quæſtionem an eſt, ſequitur quæſtio quid eſt; probata igitur exiſtentia Sacramentorum, ordo rerum poſtulat ut eorum inveſtigemus eſſentiam, & naturam, oſtendendo quod ſint ſigna ſacra.

Ad hujuſce controverſiæ intelligentiam, prænotandum eſt non unam eſſe nominis Sacramenti uſurpationem: Catechiſmus Romanus Parte ſecunda n. 2. de Sacramentis in genere ait, " Sacramenti nomen quod ad propoſitam rem attinet, „ aliter a prophanis, quam a ſacris ſcriptoribus acceptum eſſe. Nam alii au„ ctores Sacramenti nomine obligationem „ illam ſignificari voluerunt, cum jurati „ aliquo ſervitutis vinculo obſtringimur, „ ex quo jusjurandum, quo ſe milites fi„ delem operam Reipublicæ præſtaturos „ pollicentur, Sacramentum militare di„ ctum eſt. Atque hæc frequentiſſima hu„ jus vocabuli ſignificatio apud illos vi„ detur fuiſſe. Verum apud Latinos Pa„ tres, qui res divinas ſcriptis tradide„ runt, Sacramenti nomen aliquam rem „ ſacram, quæ in occulto latet, decla„ rat: quemadmodum Græci ad eamdem „ rem ſignificandam, myſterii vocabulo „ uſi ſunt. In eam vero ſententiam Sa„ cramenti vocem accipiendam eſſe in„ telligimus, cum ad Epheſios ſcribitur: „ *Ut notum faceret nobis Sacramentum vo*„ *luntatis ſuæ*. Deinde ad Timotheum: „ *Magnum eſt pietatis Sacramentum*. Præ„ terea in Libro Sapientiæ: *Neſcierunt* „ *Sacramenta Dei*. Quibus in locis, & „ aliis multis, licet animadvertere, Sa„ cramentum nihil aliud niſi rem ſa„ cram, abditam atque occultam, ſigni„ ficare. „

Obſervandum eſt quoque ex S. Auguſtino Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. ſignum illud eſſe, quod præter rem quam ſenſibus objicit, efficit etiam ut ex ſe alterius rei cognitionem habeamus, ſicut ex veſtigio quod terræ impreſſum conſpicitur, tranſiſſe aliquem, cujus veſtigium apparet, facile cognoſcimus. Porro ſignum multiplex eſt; aliud ſcilicet naturale, aliud vero arbitrarium. Primum ex ſe aliquid deſignat, ſic fumus ſignificat ignem

ignem : ſecundum ſolummodo ex hominum arbitrio vim ſignificandi ſortitur ; ſic hedera appenſa indigitat vinum vendibile. Rurſus ſignum aliud eſt rememorativum quod rem præteritam indigitat : ſic Agnus Paſchalis apud Judæos liberationem ab Angelo exterminatore præſigurabat : aliud demonſtrativum quod indicat rem præſentem, v. g. fumus indicat ignem actu exiſtentem ; aliud prognoſticum quod rem futuram ſignificat, puta vel ipſe Agnus paſchalis Chriſtum pro noſtra omnium ſalute immolandum, annuntiabat. Rurſus ſignum aliud eſt ſpeculativum, illudque vacuum, quod ſolummodo in mera rei ſignificatione ſitum eſt, ſic manna deſignabat ſacræ Euchariſtiæ dulcedinem, quatenus ille cibus, ipſa teſtante Scriptura, omne delectamentum in ſe præhaberet : aliud vero practicum, quod nedum ſignificat, verum etiam & facit quod ſignificat. Sic vocabulum *fiat* 1. Gen. opus Creatoris deſignabat ſimul & faciebat.

Catechiſmus Romanus multum habet de hujuſmodi ſignis ſermonem Part. 2. n. 8. quique affinis eſt iis quæ modo delineavimus : ſed hæc ex illo ſubjungere non injucundum erit. " Alia enim ſigna, *ait*, ,, ob eam tantum rem a Deo hominibus ,, commendata ſunt, ut aliquid ſignifica- ,, rent vel admonerent : cujuſmodi fue- ,, runt Legis purificationes, panis azymus, ,, & alia permulta, quæ ad Moſaici cul- ,, tus cæremonias pertinebant. Alia vero ,, Deus inſtituit, quæ non ſignificandi ,, modo, ſed efficiendi etiam vim habe- ,, rent. Atque in hoc poſteriorum ſigno- ,, rum genere Sacramenta novæ legis nu- ,, meranda eſſe liquido apparet.,,

Quibus prælibatis operæ pretium eſt animadvertere nos impræſentiarum ſolummodo loqui de Sacramentis novæ legis ; quandoquidem de aliis ſufficienter actitatum eſt, juxta illud Catechiſmi Romani Part. 2. nu. 4. " Atque hæc de Sacra- ,, menti nomine dicta ſint ; quod quidem ,, veteris etiam Legis Sacramentis convenit ; de quibus nihil opus eſt Paſtoribus ,, præcepta tradere, cum ea Evangelii le- ,, ge & gratia ſublata ſint. ,, unde ſit

C O N C L U S I O.

Sacramentum novæ Legis eſt ſignum ſacrum gratiæ inviſibilis ad noſtram ſanctificationem inſtitutum.

Probatur ratione Theologica, eaque multiplici.

Prima ſic proponitur : Quod Concilia Oecumenica nobis credendum proponunt, pure & ſimpliciter ſic credi, ſicque ſuſcipi debet : atqui Concilium Florentinum & Tridentinum Sacramenta novæ legis veluti ſigna gratiæ inviſibilis ad hominum ſanctificationem inſtituta celebrant. Ergo, &c. Probatur minor : Illud quidem in Decreto pro inſtructione Armenorum non alio modo de his loquitur, tum & Tridentinum in omnibus ferme Seſſionibus.

Catechiſmus Romanus, qui eſt Concilii Tridentini veluti os & lingua, quippe qui ex ordinatione Patrum Synodicorum compoſitus ſit, ſic loquitur Part. 2. n. 5. & 7. " Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſi- ,, bile ſignum, ad noſtram juſtificationem ,, inſtitutum.... Sacramentum ad hoc re- ,, rum genus, quæ ſignificandi cauſa in- ,, ſtitutæ ſunt, referri, perſpicuum eſt : ,, ſiquidem ſpecie quadam & ſimilitudi- ,, ne id nobis declarat, quod Deus in ani- ,, mis noſtris ſua virtute, quæ ſenſu per- ,, cipi non poteſt, efficit. Baptiſmus enim, ,, ut quod docetur, exemplo notius fiat, ,, cum, adhibitis certis, & ſolemnibus ,, verbis, aqua extrinſecus abluimur, hoc ,, ſignificat, Spiritus ſancti virtute omnem ,, peccati maculam, & turpitudinem in- ,, terius elui, & animas noſtras præclaro ,, illo cœleſtis juſtitiæ dono augeri atque ,, ornari : ſimulque ea corporis ablutio, ,, ut poſtea ſuo loco explicabitur, illud in ,, animo efficit, quod ſignificat. ,, Rurſus ibidem n. 8. de Sacramentis novæ legis " Signa enim ſunt divinitus tradita, ,, non ab hominibus inventa, quæ rei cu- ,, juſpiam ſacræ, quam declarant, effi- ,, cientiam in ſe continere certo credi- ,, mus. ,, Ergo &c.

Secunda : Ea ſunt ex natura ſua & eſſentialiter ſigna ſacra, quæ ſic ab omni ævo tum a Græcis, tum a Latinis Patribus & Doctoribus delineantur : atqui res ſic ſe ha-

bet pro Sacramentis novæ Legis: Ergo &c. Probatur minor eorum auctoritate: Dionyſius Lib. de Eccleſ. Hier. cap. 5. nu. 2. ſic loquitur de Sacramentis novæ legis " Eſt autem eadem etiam cœleſtis „ & legalis communione quadam mediæ „ conditionis ſuæ qua communicat, ex- „ tremis, cum illa nimirum in ſpiritua- „ libus contemplationibus, cum hac ve- „ ro ſenſibilium varietate ſignorum, per „ quæ etiam ad divinum numen adduci- „ tur. „

Tum Gregorius Nazian. Oratione de Baptiſmo: rationem cur Baptiſmate abluimur, reddens, quia eſt, inquit, medicamentum partim corporale, partim etiam ſpirituale: " Gemina re, *ait*, hoc eſt, „ animo & corpore nobis conſtantibus, „ quarum altera ſub aſpectum cadit, al- „ tera oculorum ſenſum fugit. Gemina „ quoque conſtat Baptiſmus, aqua ſcilicet, „ & ſpiritu, illa viſibili, & corporeo „ modo accepta, hoc vero incorporeo, & „ inviſibili concurrente. „

Suffragatur ſanctus Chryſoſtomus Hom. 83. Tom. 2. pag. 145. in Matthæum, his verbis. " Nihil enim inſenſibile tra- „ ditum nobis a Chriſto, ſed res quidem „ ſenſibiles, omnes autem intelligibiles, „ itidem & in Baptiſmate per rem nem- „ pe ſenſibilem aqua donum Baptiſmi effi- „ citur, intelligibilis vero effectus, eſt „ generatio & renovatio. Si enim incor- „ poreus eſſes, incorporea dona Deus nu- „ da tradidiſſet, ſed quoniam anima cor- „ pori conſerta eſt, in rebus ſenſibilibus, „ intelligibilia tibi præbet. „

Jeremias Patriarcha CP. cap. 1. ſuæ Cenſuræ apud Arcudium L. 1. cap. 1. pag. 3. de Sacramentis ſic loquitur. " Myſte- „ ria hæc dicuntur eo quod in ſub ſen- „ ſum cadentibus ſignis effectum habeant „ intelligibilem atque occultum. „ Subdit Arcudius Lib. 1. de Concordia Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali capite 1. " Per effectum arcanum intelligit Je- „ remias gratiam juſtificantem quam effi- „ ciunt, hoc eſt, producunt, & in ſe „ continent Sacramenta. „

Patres Latini clarius ſeſe explicant circa naturam & eſſentiam noſtrorum Sacramentorum. S. Auguſtinus Lib. 10. de Civitate Dei cap. 5. ſic loquitur: " Sacri- „ ficium ergo viſibile inviſibilis Sacrificii „ Sacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. „

Hugo a ſancto Victore Lib. 1. Tom. 3. part. 9. c. 2. pag. 559. ait. " Sacra- „ mentum eſt corporale vel materiale „ elementum foris ſenſibiliter propoſi- „ tum, ex ſimilitudine repræſentans, „ & ex inſtitutione ſignificans, & ex „ ſanctificatione continens aliquam invi- „ ſibilem & ſpiritualem gratiam. „

Succinit Magiſter Sent. Lib. 4. Diſt. 1. his verbis: " Sacramentum enim pro- „ prie dicitur quod ita ſignum eſt gratiæ „ Dei, & inviſibilis gratiæ forma, ut „ ipſius imaginem gerat, & cauſa exi- „ ſtat. „ Suffragatur S. Thomas hic q. 60. art. 1. & 2. ubi ait, Sacramentum eſſe ſignum viſibile inviſibilis gratiæ.

Tertia: Signum teſte S. Auguſtino ſupra laudato eſt id quod præter ſui ſpeciem quam ingerit ſenſibus, facit aliud in mentem venire: ſed hujuſmodi ſunt noſtra Sacramenta, quippe quæ ſignificant & gratiam & gratiæ cauſam, ſcilicet Paſſionem Chriſti; immo & ipſam gloriam ad quam terminantur: Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem ex Catechiſmo Romano, qui part. 2. num. 13. ait: " Sed præter hæc, quæ commemoravi- „ mus, varia ſignificandi genera, & ra- „ tiones, ſæpe etiam evenit, ut Sacra- „ mentum non unam tantum rem præ- „ ſentem, ſed plures demonſtret ac no- „ tet; id vero ſanctiſſimum Euchariſtiæ „ Sacramentum intuentibus facile eſt in- „ telligere, quo veri corporis, & ſan- „ guinis Domini præſentia, nec non „ gratia, quam non impure ſacra My- „ ſteria ſumentes percipiunt, deſigna- „ tur,

Divus Thomas hic q. 60. tribus primis articulis ex profeſſo probat Sacramentum eſſe ſignum rei ſacræ. In primo quidem eſſe ſignum, in ſecundo eſſe ſignum rei ſacræ, in tertio vero non unius tantum rei ſacræ, ſed multiplicis eſſe ſignum; in iſto ſic loquitur. " Sacramentum pro- „ prie dicitur quod ordinatur ad ſignifi- „ candam noſtram ſanctificationem. In „ qua tria poſſunt conſiderari, videlicet „ ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ quæ „ eſt Paſſio Chriſti, & forma noſtræ ſan- „ ctificationis, quæ conſiſtit in gratia „ & virtutibus: & ultimus finis ſancti- „ ficationis noſtræ, qui eſt vita æterna. „ Et hæc omnia per Sacramenta ſigni-

ficau-

„ ficantur : unde Sacramentum eſt & ſi-
„ gnum rememorativum ejus quod præ-
„ ceſſit, ſcilicet Paſſionis Chriſti, & de-
„ monſtrativum ejus quod in nobis effici-
„ tur per Chriſti Paſſionem, ſcilicet gra-
„ tiæ, & prognoſticum, id eſt, prænun-
„ ciativum futuræ gloriæ. „ Ergo &c.

Quarta: Illud eſt ſignum ſenſibile practicum inviſibilis gratiæ, quod omnes habet ad hoc requiſitas conditiones: atqui ſic ſe habet Sacramentum novæ Legis Ergo &c. Probatur minor ab enumeratione.

Prima quidem eſt, ut non ſolum ſignificet ſanctificationem, verum etiam ut illam producat, in quo quidem diſcrepat a Sacramentis veteris Legis, quippe quæ eam per fidem Chriſti dandam ſolum deſignarent. Nec mirum, erant enim noſtrorum Sacramentorum figuræ, & juxta Apoſtoli effatum vacua & egena elementa, hoc eſt Sacramenta imperfecta. De hoc momento hæc habentur in Cat. Rom. part. 2. n. 9. " Signa enim ſunt *noſtra Sacramen-*
„ *ta* divinitus tradita, non ab homini-
„ bus inventa, quæ rei cujuſpiam ſacræ,
„ quam declarant, efficientiam in ſe conti-
„ nere certo credimus. „ Quod autem ſint hujuſmodi ſigna, Scriptura multiplici in loco indicat, videlicet Rom. 6. Baptiſmus vocatur ſignum Sepulturæ & Reſurrectionis Chriſti. 1. Corinth. 11. Euchariſtia celebratur ut ſignum Paſſionis & Mortis Chriſti, & Epheſ. 5. Matrimonium dicitur ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ. Ergo &c.

Altera conditio ea eſt, ut Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, in quo diſtinguitur a ſignis inviſibilibus, uti a charactere qui eſt in anima Chriſtiana inviſibiliter impreſſus; namque Sacramentum intrinſece & eſſentialiter eſt actus religionis externus, quo creatura Eccleſiæ conjuncta etiam per fidei profeſſionem externam Chriſto conjungitur: hanc autem dotem noſtris convenire Sacramentis docent Patres, dum noſtra vocant Sacramenta veſtigia quædam & manuductiones ad ſpiritualia & inviſibilia. Ita Chryſoſtomus, Hom. 83. in Matthæum.

Tertia, ut ſint ſigna arbitraria, & quidem a Chriſto inſtituta; non enim deſunt ſigna naturalia in orbe terrarum, ſed gratiam neque continent, neque efficiunt; porro Sacramenta eſſe ſigna prioris generis docent univerſi Patres, maxime S. Auguſtinus Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 3.

Quarta ab eodem Auguſtino Epiſtola 23. ad Bonifacium aſſignatur, ut ſcilicet illa ſigna habeant aptitudinem & analogiam cum gratia quam producunt: ſic aqua apta ad corpus lavandum, optime deſignat animæ refrigerium: ſic unctio Sacerdotalis apprime ſignificat animæ conſecrationem: iſtius conditionis defectu, aqua congelata non eſt Baptiſmatis materia, quandoquidem non eſt apta ad lavandum & purificandum: Ecce S. Auguſt. verba: " Si Sacramenta quamdam ſimilitu-
„ dinem earum rerum, quarum Sacramenta
„ ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. „

Quinta illa eſt, ut ſignum non ſolum ſignificet ſanctitatem, verum etiam actu, niſi adhibeatur obex, illam conferat; qua conditione deficiente a ratione Sacramenti reſcinduntur 1. manna, quod pluebat Iſraelitis, namque ſpiritualem Euchariſtiæ dulcedinem ut futuram deſignabat: 2. columba, quæ ſuper Chriſtum viſa eſt in Baptiſmo; tametſi enim foret ſanctitatis & innocentiæ Chriſti argumentum, non tamen quæ tunc inciperet, vel creſceret, cum a conceptionis momento jam eſſet & gratia, & veritate plenus; noſtra autem Sacramenta ita ſunt ſigna, ut ſi applicentur, hominem juſtum abſque mora faciunt, ut ex Catechiſmo Romano liquet.

Sexta, ut gratia detur vi ipſius ſigni Sacramentalis, ita ut Sacramentum ſit cauſa inſtrumentalis effectiva illius; quocirca in numero Sacramentorum non computantur linguæ illæ igneæ quæ apparuerunt ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes; quamvis enim ardentiſſima eſſent charitatis teſtimonia, non tamen cauſæ, ſed illam a Spiritu ſancto infuſam ſupponebant. Verum neminem latet, allatam perfectionem noſtris non deeſſe Sacramentis, cum ex Florentino gratiam ex opere operato producant.

Denique requiritur ut Sacramentum ſit cæremonia religionis, eaque permanens, juxta illud 1. Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, aut calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Qua de cauſa, inquit Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 9.

B. 4 iſta.

Iſta Chriſti ad Magdalenam verba Lucæ 7. 48. *Remittuntur tibi peccata*, & ejuſdem inſufflatio in Apoſtolos iſtis adjuncta verbis Joan. 2. *Accipite Spiritum ſanctum*, non ſunt Sacramenta, " Nam, *ait*, „ iſta Chriſtus ſemel fecit, non autem „ inde cæremoniam in Eccleſia frequen- „ tandam inſtituit, & forte non adhi- „ buit illam inſufflationem, tamquam inſtru- „ mentum ad ſanctificationem, ſed ſolum „ expreſſit per nudum ſignum, quod vole- „ bat: forte etiam adhibuit eam, ut inſtru- „ mentum, ut alias lutum ad illuminan- „ dum cæcum, & manus impoſitionem „ ad curandos ægrotos. „ Jam vero tametſi quædam ex noſtris Sacramentis in actu tranſeant; vi tamen inſtitutionis ſunt ſacræ cæremoniæ in Eccleſia permanentes ad ſanctificationem hominum, ut docet Concilium Florentinum. Et poſt ipſum Tridentinum; declarant quippe ſeptem eſſe in Eccleſia Sacramenta quibus anima recreatur, fovetur, & cultui divino mancipiatur.

Quinta ratio ceteris adjungitur. Talis eſt Sacramentorum eſſentia, qualis genuina indicat definitio: atqui definitio ſupra allata genuina eſt: Et probatur, primo quidem, genus convenit univoce Sacramentis & veteris, & novæ Legis; illa quippe ſanctitatem legalem ex opere operato vi inſtitutionis producebant, iſta vero ſanctitatem internam. Deinde quod priora gratiam interiorem nonniſi ex opere operantis conferrent, noſtra vero ex opere operato eamdem cauſent, diverſas inde Sacramentorum ſpecies conſtituunt, ſicque definitio conſtat genere & differentia. Hoc ipſum non obſcure declarat Catechiſmus Rom. P. 2. n. 5. ubi definitionem allatam ſic explanat. " Quæ „ quidem definitio, *ait*, ut magis pateat, „ ſingulæ ejus partes Paſtoribus exponendæ „ erunt. Atque in primis docere oporte- „ bit, rerum omnium, quæ ſenſibus per- „ cipiuntur, duo eſſe genera. Aliæ enim „ ob id inventæ ſunt, ut aliquid ſignifi- „ cent: aliæ non alterius rei ſignifican- „ dæ, ſed ſua tantum cauſa effectæ ſunt: „ quo in numero omnes pene res, quæ „ natura conſtant haberi poſſunt. At ve- „ ro in priori genere vocabula rerum, „ ſcriptura, vexilla, imagines, tubæ, „ & alia hujuſmodi permulta ponenda „ ſunt .... Quæ cum ita ſe habeant, Sa- „ cramentum ad hoc rerum genus, quæ „ ſignificandi cauſa inſtitutæ ſunt, referri „ perſpicuum eſt. „ Et n. 9. de ſignis differens, ſubjungit: " Alia vero Deus „ inſtituit, quæ non ſignificandi modo, „ ſed efficiendi etiam vim haberent. At- „ que in hoc poſteriorum ſignorum genere „ Sacramenta novæ legis numeranda eſſe „ liquido apparet. „

Solvuntur objectiones generales Heterodoxorum.

OBJICIUNT: Quod eſt ſecretum non eſt ſenſibile: ſed Sacramentum, Tobiæ 12. dicitur ſecretum, ſic enim habetur: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Quod eſt ſecretum tantummodo, non eſt ſenſibile, concedo: quod eſt ſecretum ſimul & Sacramentum, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Solutio eſt D. Thomæ hic Quæſtione 60. art. 1. ad 2. his verbis. " Dicitur autem „ non ſolum Dei ſecretum, ſed etiam „ Regis, eſſe ſacrum & Sacramentum: „ quia ſecundum antiquos Sancta, vel Sa- „ croſancta dicebantur, quæcumque vio- „ lari non licebat: ſicut etiam muri ci- „ vitatis, & perſonæ in dignitatibus con- „ ſtitutæ. Et ideo illa ſecreta ſive divi- „ na, ſive humana, quæ non licet viola- „ ri, quibuslibet publicando, dicuntur Sa- „ cra, vel Sacramenta. „

Inſtant: Signum non ideo eſt Sacramentum quia Sacrum: Ergo, &c. Probatur antecedens: Omnes creaturæ ſunt ſigna ſacra, quippe quæ Deum indigitent, juxta illud Rom. 1. 20. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*. Ergo ne Sacramenta? abſit. Ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: Omnes creaturæ ſunt ſacræ lato modo, & relative ad ſuum principium, concedo: formaliter & in ſe, nego. Aliquid poteſt eſſe ſacrum duplici modo, videlicet relative, hoc eſt per ordinem ad ſuam cauſam, quæ eſt rerum omnium creatrix; deinde vero formaliter & in ſe, quatenus vim ſanctificandi præcontinet. Priori modo omnes creaturæ ſunt ſigna ſacra, poſteriori vero ſola Sacramenta. Ita D. Thomas ibidem art. 1. ad 1. " Creaturæ ſenſibiles

„ ſignificant aliquid ſacrum, ſcilicet ſapientiam & bonitatem divinam, in „ quantum ſunt in ſeipſis ſacræ, non autem in quantum nos per ea ſanctificamur. „ Et ideo non poſſunt dici Sacramenta, „ ſecundum quod nunc loquimur de Sacramentis. „

Urgent: In veteri Teſtamento cæremoniæ Legis erant ſacræ, neque tamen omnes erant Sacramenta: Igitur abſque fundamento ſigna ſacra novæ Legis, dicuntur Sacramenta. Confirmatur: vel etiam in novo Teſtamento multa ſunt ſigna ſacra, quæ tamen Sacramenti nomine non donantur, ut aſperſio aquæ benedictæ, conſecratio Altaris, Abbatis, & ſimilia. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Omnes cæremoniæ veteris Legis non erant Sacramenta, concedo: aliquæ nego. Cæremoniæ Legis erant in duplici differentia; quædam deſignabant Dei ſanctitatem; quædam vero ſanctitatem accipiendam & propriam: priores non erant Sacramenta, bene tamen poſteriores. Sic ſolvit argumentum ibidem D. Thomas ad 2. ubi ſic loquitur. “ Quædam ad vetus „ Teſtamentum pertinentia ſignificabant „ ſanctitatem Chriſti, ſecundum quod „ in ſe ſanctus eſt. Quædam vero ſignificabant ſanctitatem ejus, in quantum „ per ea nos ſanctificamur: ſicut immolatio Agni paſchalis, ſignificabat immolationem Chriſti qua ſanctificati ſumus. Et talia dicuntur proprie veteris Legis Sacramenta. „

Ad Confirmationem, diſtinguo: Et aſperſio aquæ luſtralis, aliaque ſimilia ſunt ſolum diſpoſitiones ad ſanctitatem, concedo: cauſæ ſanctitatis effective, nego: & ideo deficiunt a ratione Sacramenti. Solutio eſt D. Thomæ ibidem ad 3. his verbis. “ Dicendum, quod res denominatur a fine & complemento: diſpoſitio „ autem non eſt finis, neque perfectio. „ Et ideo quæ ſignificant diſpoſitionem „ ad ſanctitatem non dicuntur Sacramenta de quibus procedit objectio, ſed ſolum ea quæ ſignificant perfectionem ſanctitatis humanæ. „

Suffragatur Catechiſmus Rom. ibid n. 11. “ Quare, *inquit*, ut explicatius, quid „ Sacramentum ſit, declaretur, docendum erit, rem eſſe ſenſibus ſubjectam, quæ ex Dei inſtitutione, ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum „ efficiendæ vim habet: ex quo ſequitur, „ ut facile quivis poſſit intelligere, imagines Sanctorum, Cruces, & alia id „ generis, quamvis ſacrarum rerum ſigna „ ſint, non ideo tamen Sacramenta dicenda eſſe. „

Inſiſtunt: Sacramentum quandoque a Patribus dicitur elementum: ſed certe hoc non cohæret cum Sacramento, ut ſit gratiæ cauſa; maxime vero cum in Euchariſtia & in Matrimonio vix quicquam elementi reperies. Ergo, &c.

Reſpondeo, diſtinguendo majorem: Sacramentum a Sanctis PP. elementi nomine nonnumquam celebratur, prout elementum idem ſonat ac res ſenſibilis, concedo: prout rigoroſe ſumitur pro aqua, oleo & ſimilibus, nego: Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Sacramentum definitur ſignum ſenſibile inviſibilis gratiæ ad hominis ſanctitatem inſtitutum: quæ quidem definitio juxta ſupremos Logicæ apices prorſus convenit Sacramento novæ Legis: namque per ſignum, convenit cum omnibus ſignis ſacris etiam non ſacramentalibus, ut cum ſerpente elevato in deſerto, qui erat Chriſti in cruce pendentis typus: quod ſit ſignum inviſibilis gratiæ ad noſtram ſanctificationem inſtitutum, ſecernitur a ceteris ſignis ſacris; quæ quidem conditio Sacramentis omnibus tum veteris, tum novi Teſtamenti ineſt: quod autem Sacramentum novæ Legis virtutem habeat producendi gratiam, ab antiquis diſcrepat Sacramentis: denique quod ſit ſignum ſenſibile, differt a ſignis inviſibilibus; puta a charactere & ſimilibus: quod demum quandoque definiatur per vocem elementi, hoc ſumi debet ſecundum diſtributionem accommodam, in eo ſcilicet ſenſu, quod omnia Sacramenta ſint ſigna ſenſibilia, & ut plurimum ex elementis conſtent: neque enim diffitendum eſt etiam in Euchariſtia, & in Matrimonio eatenus reperiri, quatenus Euchariſtia habet pro materia panem & vinum, Matrimonium vero ipſa corpora, quæ quidem omnia elementis conſtare nemo, niſi ſit in Philoſophia hoſpes, negabit.

Pergunt: Matrimonium non eſt quid ſacrum, ſed quid mere naturale, nimirum conjunctio duarum perſonarum, ſci-

ſcilicet maſculi & feminæ : Igitur non habes eſſentiam Sacramenti in iſta definitione ; *Sacramentum eſt ſignum ſacrum*, &c. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Matrimonium non eſt quid ſacrum, materialiter ſumptum, ſed quid naturale, concedo : ut elevatum, nego. Matrimonium poteſt conſiderari dupliciter, nimirum ſecundum materiale, videlicet corpora, deinde vero ſecundum formale, id eſt ut perſonæ conjunguntur in Ecclesia, & conſociantur ex Chriſti ordinatione ad finem à Legislatore præſcriptum : Priori modo, Matrimonium eſt in officium naturæ hominibus conceſſum, poſteriori vero eſt ſignum inviſibilis gratiæ, ſcilicet conjunctionis Chriſti cum anima ejus ſponſa ; & in iſto ſenſu matrimonium ab Apoſtolo dicitur *Eph.* 5. 32. *Sacramentum .... magnum in Eccleſia*.

Reponunt : Matrimonium & vetera Sacramenta nonniſi ratione inſtitutionis & ſignificationis ſunt Sacramenta, ſed & inſtitutio, & ſignificatio ſunt entia rationis ; abſurdum eſt autem dicere cauſam gratiæ eſſe ens rationis. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Et inſtitutio ſimul & ſignificatio ſunt quid reale, tum ratione inſtitutoris, tum ratione fundamenti, tum etiam ratione ſui, concedo : ſunt mere entia rationis, ſubdiſtinguo ; hoc eſt, entia moralia & ſecundum quid rationis concedo ; formaliter nego : Tria ſunt annotanda in quolibet Sacramento, videlicet auctor, deinde ipſum Sacramentum ; tertio loco, inſtitutio & ſignificatio. Certum eſt Sacramentum novæ Legis eſſe quid reale relative ad ſuum inſtitutorem qui eſt Chriſtus ; ratione etiam ſui, cum conſtet materia & forma, immo & ratione inſtitutionis atque ſignificationis, ſaltem moraliter : tametſi enim Præſidis infulati dignitas dependeat a Regis inſtitutione, & ſignificet perſonam ceteris præcellentem, citra tamen dubium eſt, nemine cogitante, illam dignitatem ſubſiſtere : non abſimili modo Sacramenta, nemine cogitante, ſunt quid reale, quatenus fundantur in actione Chriſti qui illa inſtituit, ſicque in eis actio ratione ſuæ virtutis perdurat : abſit igitur illa annumerare inter entia rationis logicalia, quæ nullam, niſi in intellectu, habent exiſtentiam.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

Proteſtantium, qui exiſtimant vel ipſa novæ Legis Sacramenta eſſe mera fidei & promiſſionum Dei ſigilla.

Opponunt : Rom. 4. Circumciſio dicitur, *Signaculum juſtitiæ fidei*. Ergo &c.

Reſpondeo I. eo loci nullam fieri mentionem aut pacti, aut promiſſionis : incaſſum igitur ſuum firmant errorem hoc teſtimonio & Calvinus, & Lutherus.

Reſpondeo II. diſtinguendo antecedens : Circumciſio dicitur ſignaculum fidei ſimul & juſtitiæ quas producebat, concedo : fidei & juſtitiæ quas ſupponeret, nego : juſtitia in Circumciſione interiori poſita eſt ; hanc autem fuiſſe Circumciſione externa & datam, & denotatam nemo præter Heterodoxos negabit. Solutio eſt Origenis Comment. in hunc Apoſtoli locum, ſancti Chryſoſtomi, & Theophilacti.

Inſtant : Circumciſio data eſt Abrahamo jamjam juſto : igitur non erat ad ſanctitatem conferendam, inſtituta.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens : Et Circumciſio in Abrahamo juſtitiæ augmentum produxit, concedo : & nullam ei contulit gratiam, nego. Eſt de ratione Sacramenti conferre gratiam quandoque primam, quandoque etiam ſecundam : prior confertur per Baptiſmum, & Pœnitentiam, altera vero per cetera Sacramenta. Eodem prope modo ratiocinandum eſt de Sacramentis veteris Legis ; unde nihil ſequitur abſurdi quod Circumciſio in remedium peccati originalis principaliter inſtituta, primam non produxerit gratiam in Abrahamo, quippe qui jam eſſet juſtus, ſed ſufficit quod ei gratiæ augmentum contulerit : quis enim non novit in illa cæremonia tam ſacra, ſanctum & perfectum virum ſe ſe ardentius & in fide & in amore Chriſti exercuiſſe, quibus actibus, inquit Chryſoſtomus, Abraham ad ſummam pervenit perfectionem.

Urgent : Geneſeos. 17. Circumciſio dicitur pactum inter Deum & homines initum his verbis : *Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis . . . . . circumcidetur ex vobis omne maſculinum : & circumcidetis,*

vis carnem præputii veſtri, *ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*. Igitur Circumciſio erat merum promiſſionis Dei pactum & ſigillum, ſicut Iris ibidem cap. 9. dicitur ſignum fœderis inter Deum & Noe. Ergo &c. Confirmatur: in eodem Lib. 15. habetur: *Credidit Abraham Domino & reputatum eſt illi ad juſtitiam*: Igitur Circumciſio erat purum & fidei & amicitiæ Dei pignus.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Circumciſio erat ſignum ſacramentale, & non ſimpliciter vacuum, ſiquidem ex ſancto Thoma conferebat gratiam, concedo: & ſuponebat parvulos juſtificatos, nego. Sicut Sacramenta noſtra non ſolum ſignificant, ſed ſub ſigno corporali vim continent producendi gratiam, ita & Circumciſio vim habebat conferendi ex opere operato ſanctitatem legalem, internam vero ex opere operantis. Igitur non erat ſignum inane & mere commemorativum, ſicut Iris fuit pacti initi inter Deum & homines.

Ad confirmationem diſtinguo: Et verba in objectione laudata deſignant fidei Abrahæ meritum, concedo: & excludunt Sacramenta, quibus & fides manifeſtaretur, & gratia augeretur, nego.

Perſiſtunt: Quæ ſunt ſolummodo conſcientiæ bonæ teſtimonia, non niſi ut ſigilla promiſſionum & gratiæ jam collatæ habentur: ſed Sacramenta nihil ſunt præter hujuſmodi teſtimonia, juxta illud 1. Petri 3. 21. *Quod & vos nunc ſimilis forma ſalvos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Baptiſma novæ legis cauſaliter eſt interrogatio bona in Deum concedo: in ſe & formaliter, nego: Baptiſma poteſt conſiderari duplici modo; videlicet & quoad ſe, & quoad effectus: priori modo vim producendi gratiam, & lavandi interius animam in ſe continet, e contra vero Baptiſma Judæorum, quippe quod ex virtute ſua non niſi ſordes legales ablueret. Hoc ipſum indicat Apoſtolus, quocirca ejus verba nihil veritatis hoſtibus proficiunt. Baptiſmus poteſt etiam ſpectari quoad ſuum effectum, qui certe non unus eſt. Primarius eſt abluere animam, ſecundus, pax & conſcientiæ tranquillitas, quæ eſt juſtificationis apertum teſtimonium, S. Paulo dicente Rom. 8. quod Spiritus-ſanctus teſtimonium reddat conſcientiæ, nos inter filios Dei eſſe annumeratos. Solutio eſt S. Auguſtini Tractatu 80. in Joannem & S. Baſilii Lib. de Spiritu-ſancto c. 15.

Replicant: Senſus Scripturarum habetur per Patres; ſed Patres paſſim dicunt Sacramenta eſſe ſigilla & ſignacula, Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Sacramenta ex SS. Patribus ſunt ſignacula plena, concedo: vacua & mere promiſſoria, ut confingunt Heterodoxi, nego minorem, & conſequentiam. Sacramenta, ut obſervat Bellarminus hic Lib. 1. cap. 17. triplici modo a ſanctis Doctoribus ut ſignacula commendantur; primo quidem quia obſignant fideles, & ſunt notæ quibus ab infidelibus ſecernuntur; ita Baſilius in Exhortatione ad Baptiſmum; Hieronymus in cap. 4. ad Epheſios; nec non Auguſtinus contra Fauſtum Libro 19. cap. 11.

Secundo: Nonnumquam ab iiſdem ſigilla & promiſſionum Dei ſignacula vocantur, eo quod gratiam occultam contineant. Eumdem ſenſum exhibet S. Aug. L. de Catech. rud. cap. 26. hunc & Greg. Naz. Orat. de Bapt. qui reddens rationem cur Chriſtus renaſcendum eſſe dixerit ex aqua & Spiritu ſancto, ait, " Gemina re, hoc eſt animo & corpore nobis conſtantibus, quarum altera ſub aſpectum cadit, altera oculorum ſenſum fugit, gemina quoque conſtat Baptiſmus, aqua ſcilicet & ſpiritu, illa viſibili & corporeo modo accepta, hoc vero incorporeo & inviſibili concurrente. " Quibus verbis docet Sacramentum eſſe quidem aliquod ſenſibile quoad materiam & formam, ſed ſpirituale & occultum penes virtutem & efficaciam qua gratia producitur.

Tertio: Baptiſmus etiam a Patribus veluti fidei obſignatio eatenus celebratur, quatenus eſt fidei argumentum, nec niſi credentibus confertur. Iſtam prodit ſignificationem Tertullianus Lib. de Pœnitentia, ubi ait fidem Catechumenorum eſſe probandam antequam eis concedatur Baptiſmus. Concinit Baſilius Lib. 3. contra Eunomium. Denique Baptiſmus in tantum etiam ſigillum fidei dicitur, in quantum perficit hominem, & reddit Chri-

Chriſtianum omnibus numeris abſolutum, in quo quidem ſenſu Martyrium vocatur, charitatis ſignaculum apud Euſebium Lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 3.

Dices: Videtur quod Sacramentum non debeat eſſe aliquid ſenſibile, juxta illud Joann. 4. 24. *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Et illud Rom. 14. 17. *Non eſt enim Regnum Dei eſca & potus*. Quibus ſententiis omne ſenſibile a cultu Dei eliminatur. Confirmatur: Character Baptiſmatis eſt res, & Sacramentum ſimul; ſimiliter & corpus Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis exiſtens: idem dicendum de contritione quæ eſt Sacramenti Pœnitentiæ pars eſſentialis: ſed hæc omnia non ſunt quid ſenſibile. Ergo, &c.

Reſpondeo I. Sacramentum eſſe quid ſenſibile ut ex præmiſſis colligitur. Hoc ipſum ex profeſſo probat S. Thomas hic q. 60. art. 4. & quidem duplici argumento. Primo auctoritate divi Auguſtini, quam ſic in argumento *ſed contra* refert. „ Auguſtinus dicit ſuper Joannem, accedit „ verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Et loquitur ibi de elemento „ ſenſibili, quod eſt aqua. Ergo res ſenſibiles requiruntur ad Sacramenta. „ Secundo hac ratione: cum homo ſit ſenſibilis, manu ducitur per ſenſibilia ad rerum ſpiritualium & cognitionem, & amorem. Ait ibidem. " Eſt autem homini con„ naturale, ut per ſenſibilia perveniat in „ cognitionem intelligibilium. Signum „ autem eſt per quod aliquis devenit in „ cognitionem alterius. Unde cum res „ ſacræ, quæ per Sacramenta ſignifican„ tur, ſint quædam ſpiritualia & intelli„ gibilia bona, quibus homo ſanctifica„ tur; conſequens eſt, ut per aliquas res „ ſenſibiles ſignificatio Sacramenti im„ pleatur: Sicut etiam per ſimilitudinem „ ſenſibilium rerum in divina Scriptura „ res ſpirituales nobis deſcribuntur. Et „ inde eſt quod ad Sacramenta requiruntur „ res ſenſibiles; ut etiam Dionyſius pro„ bat in primo capite cœleſtis Hierar„ chiæ. „

Reſpondeo II. negando antecedens: Ad probationem diſtinguo: Oportet Deum in ſpiritu adorare formaliter, & fidei atque amoris motivo concedo: excludendo abſolute res materiales & ſenſibiles, ſubdiſtinguo; in eis ſiſtendo, concedo: eis utendo tamquam mediis & gradibus quibus mens aſcendit ad Deum, nego. Argumentum Heterodoxorum nimis probat. Et vero ſi res ſenſibiles a cultu Dei procul & penitus pellerentur, ſacrificia veteris legis & noſtrum tum cruentum, tum incruentum proſcriberentur. Igitur aliquis re ſenſibili duplici modo poteſt uti, videlicet in ea ſiſtendo, vel etiam ejus ope ad cognitionem & amorem inviſibilium ſeſe erigendo: priorem modum ab utraque Scripturæ ſententia in objectione laudata proſcriptum habemus, nuſquam vero poſteriorem. Solutio eſt D. Thomæ ibidem art. 4. ubi ſic loquitur. " Ad ſecundum dicendum, quod res ſen„ ſibiles, ut in ſua natura conſideran„ tur, non pertinent ad cultum vel ad „ Regnum Dei, ſed ſolum ſecundum „ quod ſunt ſigna ſpiritualium rerum, in „ quibus Regnum Dei conſiſtit. „ Rurſus ibidem ad 3. ait res ſenſibiles recte aſſumi ad ſignificanda ſpiritualia.

Ad Confirmationem diſtinguo: Et allata in objectione inter res Sacramenti annumerantur, quatenus conjunguntur cum ſigno ſenſibili, concedo: iſto ſecluſo, nego. Tametſi character, corpus Chriſti in Euchariſtia, & contritio interior, non ſint quid per ſe & in ſe ſenſibile, ſunt tamen per accidens & ratione ſigni Sacramentalis: quod quidem concordat cum S. Auguſtino qui Lib. 19. contra Fauſtum c. 11. ait. " In nullum autem nomen „ Religionis ſeu verum, ſeu falſum coa„ dunari homines poſſunt, niſi aliquo „ ſignaculorum, vel Sacramentorum viſi„ bilium conſortio colligantur. Ex quo patet Sacramentum eſſe eſſentialiter quid ſenſibile.

Sanctus Thomas in Quartum diſt. 1. q. unica art. 1. ad 3. ſic reſpondet ad difficultatem. " Quod objicitur contra defini„ tionem Auguſtini de corpore Chriſti, „ et characteris Baptiſmi, & inſepara„ bilitate Matrimonii, dicendum quod „ hæc non dicuntur Sacramenta, niſi in „ quantum ſunt conjuncta aliquibus viſi„ bilibus formis. " Rurſus hic quæſt. 84. art. 1. ad 3. " Dicendum quod etiam in „ pœnitentia eſt aliquid, quod eſt Sacra„ mentum tantum, ſcilicet actus exterius „ exercitus, tam per peccatorem pœni„ tentem, quam etiam per Sacerdotem abſol-

„ ſolventem : res autem & Sacramen-
„ tum, eſt pœnitentia interior peccato-
„ ris : res autem tantum & non Sacra-
„ mentum, eſt remiſſio peccati : quorum
„ primum totum ſimul ſumptum, eſt
„ cauſa ſecundi. Primum autem & ſecun-
„ dum, ſunt quodammodo cauſa tertii. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramentum novæ Legis eſt ſignum practicum inviſibilis gratiæ ad noſtram ſanctificationem inſtitutum.

PRIMO, ita definitur a Catechiſmo Romano part. 2. n. 5.

Secundo, ſic delineatur a ſanctis Patribus & Doctoribus, ut a Dionyſio de Eccleſ. Hierar. cap. 5. a S. Chryſoſtomo Homil. 83. in Matthæum, a D. Auguſtino Lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. a S. Thoma hic q. 60. art. 1. 2. 3. & 4.

Tertio, ratio ſuffragatur, quia definitio allata eſt optima, quippe quæ conſtet tum genere, tum differentia. Per hoc enim quod Sacramentum ſit ſignum, convenit cum omnibus ſignis ſacris, de quibus Scriptura ſacra mentionem facit; puta cum ſerpente æneo elevato in deſerto: per hoc quod ſit practicum, hoc eſt, ſanctitatis legalis aut interioris cauſativum, a prioribus diſcrepat ſignis : deinde vero ex eo quod novæ Legis Sacramentum gratiam interiorem per ſe primo & quidem ex opere operato cauſet, ſpecie differt a Sacramentis veteris Legis.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Tametſi Sacramentum quandoque dicatur ſecretum, attamen eſſentialiter eſt ſignum ſenſibile, & quidem longe præſtantius ceteris creaturis naturalibus, quandoquidem eſt ſignum gratiæ productivum, non quidem ſecundum ſe ſpectatum, ſed ut ex inſtitutione & virtute divina elevatum eſt.

Secundo : Circumciſio, & Sacramenta novæ Legis a ſanctis Patribus nonnumquam dicuntur ſigilla tum fidei, tum gratiæ, tum etiam promiſſionum Dei, ſed certe non inania & mere ſpeculativa ſeu commemorativa, ut fruſtra contendunt Proteſtantes, cum non ſupponant gratiam jam jam datam, ſed ad illam producendam ordinentur.

Tertio : Eſto quod character, corpus Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis contentum, & contritio dicantur res Sacramenti, non inde ſequitur Sacramentum non eſſe ſignum ſenſibile, cum allata rerum non ſubeant rationem, niſi quatenus conjunguntur ſigno ſenſibili, eoque Sacramentali.

ARTICULUS TERTIUS.

Quænam ſint Sacramentorum novæ Legis partes?

AD ISTAM controverſiam omnibus numeris abſolvendam tria potiſſimum diſcutienda ſunt. Primo quidem, an Sacramentum conſtet materia & forma? Secundo, num verba in Sacramentis adhibenda, ſint mere ſpeculativa & vacua? Tertio, utrum ſalva Sacramenti eſſentia, tum materia, tum forma, immutari poſſint? Unde ſit

SECTIO PRIMA.

Utrum Sacramenta novæ Legis eſſentialiter & intrinſece conſtent rebus, & verbis determinatis?

QUÆSTIONEM hic non movemus neque de Sacramentis legis naturæ, neque de Sacramentis veteris Legis : de prioribus quidem, cum non haberent determinatam materiam niſi per inſtinctum divinum, nec homines, pro eis conficiendis, aſſumerent res, niſi prout erat impetus Spiritus Dei, nec aliam haberent formam ſibi adjunctam præter aliquas preces fundendas. De poſterioribus utique, nam quamvis haberent ut plurimum materiam determinatam juxta ſacrificiorum expiationis determinationem, nulla tamen, ut communiter tenent Theologi, habebant pro forma, verba ſignificativa, ſi aliquas excipias orationes quas Sacerdos ſuper oblationes quandoque fundebat : quocirca totum negotium eſt penes Sacramenta novæ Legis, & de eis quæritur,

num

num conſtent eſſentialiter rebus tamquam materia; verbis vero tamquam formæ?

Ad intelligentiam obſervandum eſt, nomine rerum concipi illud omne ſenſibile quod eſt ad effectum Sacramentalem determinabile per verba; nomine vero verborum, id quod determinat materiam ad hunc vel illum effectum. Porro res ſeu materia quandoque eſt phyſica, quandoque etiam tantummodo moralis: ſimiliter & forma nonnumquam eſt litteralis & explicita, nonnumquam etiam dumtaxat virtualis, quæ omnia ſubſequenti illuſtrantur exemplo. Aqua v. g. in Baptiſmo eſt materia Baptiſmi, & quidem phyſica, quippe quæ ſit quid poſitivum a parte rei, quæque eſt determinabilis vel ad refrigerium corporale, vel etiam ad animæ lotionem per verba ſignificativa. Non abſimili modo actus pœnitentis ſunt res & materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed moralis, quandoquidem actus voluntatis in genere moris præcontinentur, & iſti actus ſunt determinabiles ad eſſe Sacramenti per formam, hoc eſt per ſacerdotis verba.

Eodem prope modo forma explicita, eaque poſitiva Sacramenti Baptiſmatis, iſta eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Forma vero virtualis Matrimonii eſt ſignum æquivalens verbis & idem ſignificans, ut ſi juvencula ſuum præbeat conſenſum non verbis, ſed nutibus.

Obſervandum eſt ſecundo, ſignificationem duplicem eſſe, alteram quæ convenit materiæ ex natura ſua, quæque aptitudinalis dicitur; ſic aqua indigitat refrigerium, quippe quæ naturaliter apta ſit ad lotionem & refrigerium; alteram quæ convenit formæ, & eſt ſignificatio actualis, puta iſta verba, *Ego te baptizo, &c.* ſignificant actualem animæ lotionem: tertiam eamque totalem, quæ exurgit ex conjunctione materiæ cum forma, & eſt effectus Sacramenti peracti expreſſio; ſic in exemplo Baptiſmi inhærendo, talis eſt hominis regeneratio; quæ quidem omnia ita ſunt eſſentialia, ut ſi aliqua pars adimatur, non eſt Sacramentum.

Prænotandum eſt etiam, Sacramentum eſſe compoſitum phyſicum ſimul & morale: phyſicum quidem, quatenus coaleſcit ex rebus & verbis: quocirca dicitur ens per accidens, habet enim pro partibus duo entia in ſe completa: morale vero prout ex partibus unum totum reſultat, ſcilicet ſignum Sacramentale, & ſignificatio gratiæ; porro ſub iſto reſpectu a Theologis eatenus vocatur ens per ſe, quatenus res habent locum materiæ, verba rationem formæ, & ex iis duobus, fit Sacramentum, ſicut ex anima & corpore conjunctis, unus reſultat homo.

Subnotare quoque juvat, non unam eſſe materiæ & formæ determinationem: altera enim eſt individualis, altera vero ſolum ſpecifica & quaſi generica. Individualis illa dicitur quæ habet ab auctore materiam talem ſicut & formam, ut videre eſt in Baptiſmo, pro quo Chriſtus Dominus & materiam, & formam in individuo aſſignavit: materiam quidem, his verbis: *Niſi quiſ renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Formam vero iſtis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Unum tamen non prætereundum eſt, videlicet ſignificationem totalem eamque Sacramentalem quæ ex unione materiæ cum forma reſultat, eſſe ſemper individualem, quandoquidem Chriſtus ipſe determinavit ut ſignum ſacramentale in Baptiſmo ſignificaret regenerationis gratiam: in Confirmatione, contra hoſtes præſidium & robur, &c. Juxta illud Florentini: " Per Baptiſmum enim ſpiritualiter naſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, &c." Denique Chriſtus Dominus determinavit etiam ut pro Sacramento conficiendo ſemper aſſumeretur aliquid ſenſibile, quod gratiam Sacramenti per aliquam ſimilitudinem deſignaret, reliquit vero Eccleſiæ poteſtatem, ut ipſam determinaret materiam & formam in individuo pro Sacramentis quæ nihil ex iis determinata haberent, ut in Confirmatione, Extrema-Unctione, Ordine & Matrimonio liquet: quibus præmiſſis, ſit

CON-

CONCLUSIO.

Sacramentum novæ Legis intrinſece & eſſentialiter conſtat ex rebus & verbis a Chriſto immediate, ſive mediate per Eccleſiam determinatis.

Probatur ratione Theologica, eaque multiplici.

PRIMA: Quod ipſa declarat Scriptura ſacra juxta Patrum interpretationem, hoc pro certo tenere debemus: atqui ex Scriptura & ſanctis Patribus liquet, Sacramenta novæ legis intrinſece & eſſentialiter conſtare rebus & verbis a Chriſto determinatis vel immediate, vel ſaltem mediate. Ergo, &c. Probatur minor quoad ſingulas partes.

De rebus ſeu Materia.

JOANNIS 3. Baptiſmo aſſignatur aqua his verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt &c.* Matthæi 26. pro Euchariſtia panis &c. *Accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, &c.* Joannis 20. 23. pro Pœnitentia actus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* Jacobi 5. oleum pro materia Extremæ-Unctionis: *Ungentes eum oleo*. Ceterorum Sacramentorum materiam aſſignavit Eccleſia: hoc ipſum docent paſſim ſancti Patres.

Inſtar omnium ſanctorum Doctorum ſit ſanctus Thomas, qui hic q. 60. art. 5. probat ex profeſſo res determinatas in Sacramentis requiri, cujus hæc eſt egregia ratio, quod Sacramenta conferant gratiam & ſanctificationem, & conſequenter ad Deum ſolum, qui eſt auctor gratiæ, ſpectet determinare media quibus homines ſanctificentur: " Dicendum, *inquit*, quod ,, in uſu Sacramentorum duo poſſunt conſiderari, ſcilicet cultus divinus, & ,, ſanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, ſecundum autum e ,, converſo pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod ,, eſt in poteſtate alterius, ſed ſolum id ,, quod eſt in ſua poteſtate. Quia ergo ſanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei ,, ſanctificantis, non pertinet ad hominem ,, ſuo judicio aſſumere res, quibus ſanctificetur: ſed hoc debet eſſe ex divina ,, inſtitutione determinatum; & ideo in ,, Sacramentis novæ Legis quibus homines ,, ſanctificantur, ſecundum illud primæ ad ,, Corint. 6. abluti eſtis, ſanctificati eſtis, ,, oportet uti rebus ex divina inſtitutione ,, determinatis. ,, Ergo, &c.

Jam vere quod Eccleſia poteſtatem habeat quorumdam Sacramentorum materiam determinandi in individuo, docet Concilium Tridentinum, docent & communiter Theologi.

De verbis ſeu Forma.

MEMINIT quoque Scriptura ſacra multiplicis Sacramentorum formæ ab ipſo ore Chriſti promanatæ. Matth. 28. legitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Pro Euchariſtia vero 1. Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agnes fregit & dixit: accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum*. Act. 8. Spiritus ſanctus datur ad robur per orationem & invocationem; ſimiliter & Jacobi 5. Extrema-Unctio confertur per olei ſancti Unctionem, adhibitis Presbyteri orationibus, ut fuſius dicetur ſuo loco.

Sancti Doctores non in uno loco de formis Sacramentorum tractant. Hieronymus in cap. 58. Iſaiæ, aſſerit Ordinationem Clericorum fieri per verba deprecatoria. Concinit Ambroſius in caput quartum 1. ad Timotheum. Alexander III. dicit Matrimonium contrahi partium conſenſu viva voce vel ſignis expreſſo. S. Auguſtinus Tractatu 80. in Joannem ſic loquitur: " Accedit verbum ad elementum, & fit ,, Sacramentum. ,,

Audiendus eſt de hoc momento S. Thomas hic q. 60. art. 6. ubi probat ex profeſſo verba requiri ad Sacramentorum confectionem, primo quidem auctoritate Apoſtoli Epheſ. 5. ſic loquentis: " Chriſtus ,, dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, ut illam ſanctificaret, mun- ,, dans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. ,, Tum triplici ratione. Primo quidem, *inquit*, Sacramentum poteſt conſiderari ex

par-

Digitized by Google

parte cauſæ ſanctificantis : ſecundo ex
parte hominis qui conſtat corpore &
mente : tertio ex parte ſignificationis ; &
ex illo triplici capite verba conveniunt Sa-
cramentis : videlicet ex parte cauſæ :
" Quæ eſt Verbum incarnatum quod in
,, Sacramentis operatur , cui Sacramen-
,, tum quodammodo conformatur , in hoc
,, quod rei ſenſibili verbum adhibetur . ,,
Ex parte animæ quæ habet mentem : un-
de Auguſtinus dicit ſuper illud Joannis 15.
Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, &c.
" Unde eſt iſta tanta virtus aquæ , ut
,, corpus tangat , & cor abluat , niſi
,, faciente verbo, non quia dicitur , ſed
,, quia creditur . ,, Demum addit D. Tho-
mas ex parte ipſius ſignificationis Sacra-
mentalis : " Dicit autem Auguſtinus
,, in 2. de doctrina Chriſtiana , quod ver-
,, ba inter homines obtinuerunt princi-
,, patum ſignificandi . ,, Et vero aqua ad
diverſos effectus poteſt ſumi : " Aqua enim ,
,, *inquit divus Thomas* , ſignificare poteſt
,, & ablutionem propter ſuam humidita-
,, tem , & refrigerium propter ſuam frigi-
,, ditatem : ſed cum dicitur *Ego te ba-*
,, *ptizo* , manifeſtatur quod aqua utimur
,, in Baptiſmo ad ſignificandam emunda-
,, tionem ſpiritualem . ,,

Idem ſanctus Doctor , art. 7. ibidem pro-
bat requiri in Sacramentis verba determi-
nata , quatenus habent rationem formæ , &
proprium ſit formæ conſtituere rei natu-
ram : " Dicendum , *inquit* , quod in Sacra-
,, mentis verba ſe habent per modum formæ ;
,, res autem ſenſibiles per modum materiæ ,
,, in omnibus autem compoſitis ex mate-
,, ria & forma , principium determinatio-
,, nis eſt ex parte formæ , quæ eſt quodam-
,, modo finis & terminus materiæ ; & ideo
,, principalius requiritur ad eſſe rei de-
,, terminata forma , quam determinata ma-
,, teria : materia enim determinata requi-
,, ritur , ut ſit proportionata determinatæ
,, formæ . Cum igitur in Sacramentis requi-
,, rantur determinatæ res ſenſibiles , quæ
,, ſe habent in Sacramentis ſicut mate-
,, ria , multo magis requiritur in eis de-
,, terminata forma verborum . ,, Rurſus
in 4. Diſt. 1. q. 1. art. 2. verba neceſſario re-
quiri in Sacramentis novæ Legis probat ex
aliis tribus capitibus . 1. Ex parte cauſæ ,
ſcilicet Chriſti , quem perfecte repræſenta-
re debent . 2. Ex parte ſigni , quod qui-
dem magis exprimere debet veritatem , quia
illam præſentem exhibet . 3. Ex parte
virtutis , quæ efficaciam habet ratione ſi-
gnificationis . Ergo , &c.

Secunda ratio ſic proponitur : Ad Eccle-
ſiam pertinet proponere credenda , maxi-
me in Sacramentis , quæ ſunt ſigna arbi-
traria , namque lex in tantum valet , in
quantum ſonat : ſed Eccleſia in Conciliis
adunata declarat Sacramenta ex rebus
& verbis determinatis componi : Ergo ,
&c. Probatur minor variis auctoritati-
bus.

Florentinum in Decreto Eugenii IV. lo-
quens de Sacramentis novæ Legis , ſic
pronunciat : " Hæc omnia Sacramenta tri-
,, bus perficiuntur , videlicet , rebus tam-
,, quam materia , verbis tamquam forma ,
,, & perſona miniſtri conferentis Sacra-
,, mentum cum intentione faciendi , quod
,, facit Eccleſia : quorum ſi aliquod deſit ,
,, non perficitur Sacramentum . ,,

Tridentinum Can. 1. Seſſ. 7. ait : *Si quis
dixerit , Sacramenta novæ legis non fuiſſe om-
nia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta
. . . anathema ſit* . Sed quod eſt ab aliquo in-
ſtitutum , eſt in ſe & in ſuis partibus de-
terminatum . Ergo , &c.

Catechiſmus Romanus Part. 2. mirum
in modum hæc omnia explicat num. 15.
his verbis : " Duo enim ſunt , ex qui-
,, bus quodlibet Sacramentum confici-
,, tur : quorum alterum materiæ ratio-
,, nem habet , atque elementum dicitur :
,, alterum formæ vim , & verbum com-
,, muni vocabulo appellatur : ſic enim a
,, Patribus accepimus ; qua in re notum
,, eſt , àtque apud omnes pervulgatum ,
,, illud ſancti Auguſtini teſtimonium :
,, *Accedit verbum ad elementum , & fit*
,, *Sacramentum* . Rei igitur ſenſibilis nomi-
,, ne tum materiam , ſive elementum in-
,, telligunt , ut in Sacramento Baptiſmi ,
,, aquam , Confirmationis Chriſma , & Ex-
,, tremæ-Unctionis oleum , quæ omnia
,, ſub aſpectum cadunt ; tum præterea
,, verba , quæ formæ rationem habent ,
,, atque ad aurium ſenſum pertinent . Apo-
,, ſtolus vero utrumque aperte indicavit ,
,, cum inquit , *Chriſtus dilexit Eccleſiam ,*
,, *& ſeipſum tradidit pro ea , ut illam*
,, *ſanctificaret , mundans eam lavacro aquæ*
,, *in verbo vitæ* . Quo in loco materia &
,, forma Sacramenti exprimitur . " Ad-
,, denda autem erant verba ad materiam ,
,, ut apertior , clariorque rei , quæ
ge-

Digitized by Google

„ gerebatur, ſignificatio fieret. Verba „ enim inter omnia ſigna maximam vim „ habere, perſpicuum eſt: ac, ſi ipſa deſint, plane obſcurum erit, quidnam „ materiam Sacramentorum deſignet, ac „ demonſtret. Nam, ut in Baptiſmo licet videre, cum aqua non minus refrigerandi, quam abluendi vim habeat... „ Aliquis fortaſſe conjectura aliqua dijudicavit: nemo autem ea de re quippiam certi affirmare audebit: at cum „ verba adhibentur, ſtatim intelligimus, abluendi vim, & ſignificationem „ habere. „

Tertia ratio hæc eſt: Illud ratum habetur & determinatum eſt, de quo utraque Eccleſia, Græca ſcilicet & Latina ſemper ad noſtra uſque tempora convenit: atqui utraque Eccleſia ad nos uſque ſemper convenit Sacramenta novæ Legis conſtare rebus tamquam materia, verbis vero tamquam forma. Et probatur: In unione facta in Florentino cum Græcis ſchiſmaticis, nulla fuit de hoc momento controverſia & diſſertatio, nec quicquam Græci refricarunt contra iſtam definitionem ex Decreto Eugenii IV. allatam: " Hæc omnia „ Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis „ tamquam forma „ Hoc ipſum legitur in omnibus Orientalium Ritualibus, ubi & certa materia, & certa forma pro Sacramentorum confectione præſcribuntur: ut refert Morinus Lib. de Pœnitentia & de Ordine. Ergo, &c.

Subſcribit iterum atque iterum D. Thomas, maxime in 4. Diſt. 1. q. 1. art. 3. ad 2. his verbis: " Dicendum quod facta non pertinent ad eſſentiam, ſicut „ res & verba. „ Et hic q. 90. art. 2. " Dicendum, *inquit*, quod duplex eſt, ut „ dicitur in quinto Metaph. ſcilicet pars „ eſſentiæ & pars quantitatis. Partes eſſentiæ ſunt naturaliter quidem forma „ & materia; logice autem eſt genus, „ & differentia. Hoc autem modo quodlibet Sacramentum diſtinguitur in materiam & formam ſicut partes eſſentiæ; „ unde & ſupra dictum eſt quod Sacramenta conſiſtunt in rebus & verbis: ſed „ quia quantitas ſe tenet ex parte materiæ, partes quantitatis ſunt partes materiæ: & hoc modo Sacramento Pœnitentiæ ſpecialiter aſſignantur partes, „ ut dictum eſt, quantum ad actus Pœnitentis. „ Ergo, &c.

His omnibus hæc ulterior ratio ceteris adjungitur. Quælibet entis perfecti natura debet habere partes quibus eſſentialiter componatur, & ad aliquam determinetur ſpeciem: ſed Sacramentum eſt ens morale perfectiſſimum a Chriſto Domino ad noſtram ſanctificationem inſtitutum: Igitur habet partes ſibi eſſentiales, eaſque ita determinatas, ut ſi aliqua deſit, teſte Florentino, nullum eſt Sacramentum. Ergo, &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Ideo res ad Sacramenti confectionem aſſumuntur, ut gratiam conferendam ſignificent: ſed nihil prohibet diverſis rebus ſenſibilibus idem ſignificari: & probatur. Chriſtus Dominus metaphorice ſignificatur, modo per lapidem angularem, modo per agnum, modo etiam per leonem: Igitur & a ſimili diverſæ res ad nutum aſſumi poſſunt, ſecluſa omni determinatione, ad Sacramentum; adeoque res determinatæ non requiruntur ad Sacramenti confectionem.

Reſpondeo primo, juxta regulam a B. Auguſtino datam, non quamlibet rem, ſed eam ſolum quæ aliquam habet ad deſignandum Sacramenti effectum aptitudinem, aſſumi debere pro confectione Sacramenti: cujus conditionis defectu, nullus poteſt baptizare cum aqua congelata.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo majorem: Res ſenſibiles aſſumuntur ad ſignificandam gratiam conferendam juxta Chriſti inſtitutionem & determinationem, concedo: indifferenter, & ad hominis placitum, nego. Cum Sacramentum ſit ſignum arbitrarium a ſolo Chriſto inſtitutum, penes ſolius Salvatoris voluntatem, res pro Sacramentis conficiendis aſſumendæ ſunt. Dominus autem Jeſus quorumdam Sacramentorum & materiam, & formam in individuo determinavit; quorumdam vero reliquit Eccleſiæ determinanda; ita tamen ut materia aſſumeretur quæ haberet aliquam cum effectu Sacramenti analogiam & ſimilitudinem: ſic Unctio in Confirmatione optime deſignat robur ad propellendos inimici ſævientis impetus, cum & quondam ungerentur Athletæ ad robur, ut certamen fortius ſuſtinerent; ita tamen quod verba determinent

nent materiam ad hunc numero effectum. Denique ipſa ſignificatio totalis ex materia & forma reſultans, a Chriſto pro omnibus Sacramentis eſt in individuo determinata. Baptiſmus enim ex Concilio Florentino generationem ſpiritualem ſignificat; Confirmatio, robur, &c.

Igitur tria præ oculis ſemper habenda ſunt, videlicet materia, forma, & ſignificatio ſacramentalis, eaque totalis ex his reſultans: materiam & formam, ſi non ſemper in individuo, in genere tamen fuiſſe determinatas, ſignificationem vero ſemper in individuo ab eodem fuiſſe deſignatam conſtat; ex quo manifeſte ſequitur compoſitum eatenus determinatum eſſe, quatenus ſignificatio Sacramentalis determinat & materiam & formam ad eſſe tale Sacramentum.

Ceterum ſolutio cum diſtinctione data, eſt D. Thomæ hic q. 60. art. 5. ad 1. his verbis: „ Dicendum, quod etſi idem „ poteſt per diverſa ſigna ſignificari: de„ terminare tamen quo ſigno ſit uten„ dum ad ſignificandum, pertinet ad ſi„ gnificantem: Deus autem eſt qui nobis „ ſignificat ſpiritualia per res ſenſibiles in „ Sacramentis, & per verba ſimilitudina„ ria in Scripturis. „

Ad Confirmationem diſtinguo: Chriſtus diverſimode in Scripturis metaphorice ſignificatur juxta Spiritus ſancti determinationem, concedo: ſecluſa illa determinatione, nego. Quocirca nihil inde ſequitur contra aſſertionem: Immo ex comparatione facta, res Sacramentorum debent eſſe a Deo determinatæ. Sic Solvit difficultatem S. Thomas ibidem ad 1. " Et „ ideo, *ait*, ſicut judicio Spiritus ſan„ cti determinatum eſt, quibus ſimilitu„ dinibus in certis Scripturæ locis, res „ ſpirituales ſignificentur: ita etiam debet „ eſſe divina inſtitutione determinatum, „ quæ res ad ſignificandum aſſumantur in „ hoc, vel in illo Sacramento. „

Urgebis Eodem prope modo ratiocinari debemus de medicina ſpirituali, ac de corporali: ſed in iſta res non ſunt determinatæ, cum diverſæ non ſemel aſſumantur ad reſtaurationem ſanitatis corporis. Ergo a Patri, &c.

Reſpondeo primo: Etiam pro ſanitate corporali recuperanda, non quodlibet indifferenter medicamentum, ſed determinatum a medico juxta ægritudinis qualitatem aſſumi; & iſtam medicinam certis & determinatis rebus, & non quibuſcumque fieri. Pari igitur & conſimili modo de medicamine ſpirituali ratiocinandum eſt. Et vero non quodlibet elementum ad baptizandum valet, ſed ſolum aqua, eaque naturalis. Item non quodlibet Sacramentum regenerat, ſed ſolius eſt Baptiſmatis animam a reatu originis purgare.

Reſpondeo ſecundo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod res naturales quaſdam habeant ſibi inditas virtutes, ex quo ſit modo unam, modo etiam alteram pro medicina corporali aſſumi poſſe; ſed non idem dicendum de ſigno arbitrario, quod pro medicamine ſpirituali non aſſumitur, nec valet niſi juxta inſtitutoris placitum ac determinationem. Solutio eſt D. Thomæ ibidem ad 2. " Dicen„ dum, *inquit*, quod res ſenſibiles habent „ naturaliter ſibi inditas virtutes confe„ rentes ad corporalem ſalutem: & ideo „ non refert, ſi duæ earum eamdem vir„ tutem habeant, qua quis utatur: ſed ad „ ſanctificationem non ordinatur ex ali„ qua virtute ſibi & naturaliter indita, „ ſed ſolum ex inſtitutione divina: & „ ideo oportuit divinitus determinari, „ quibus rebus ſenſibilibus ſit in Sacramen„ tis utendum. „

Repones: Omnia Sacramenta a lapſu Adami inſtituta, debent in genere convenire; ſed res quæ locum tenent generis, non erant in Sacramentis Legis naturæ determinatæ. Igitur nec tales dicendæ ſunt pro Sacramentis novæ Legis.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Res in Sacramentis Legis naturæ non erant determinatæ explicite, concedo: implicite nego minorem & conſequentiam. Jam vero cum ille ſtatus non eſſet ita perfectus, ſicut eſt Lex nova, non mirum ſi reſpectu illorum Sacramentorum res non eſſent ita determinatæ. Neminem tamen latet materiam aliquo modo fuiſſe deſignatam, cum iſtius ætatis homines pro Sacramentis conficiendis quædam ſenſibilia inſtinctu divino aſſumerent. Solutio eſt D. Thomæ ibidem ad 3. his verbis: " Di„ cendum, quod ſicut Auguſtinus dicit „ L. 9. contra Fauſtum diverſa Sacramen„ ta diverſis temporibus congruunt: ſic „ etiam diverſis verbis ſignificantur „ diverſa tempora, ſcilicet præſens, „ præteritum, & futurum: & ideo ſicut

„ in

„ in ſtatu Legis naturæ, homines nulla lege exterius data, ſed ſolo interiori inſtinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur. Poſtmodum vero neceſſe fuit etiam exterius legem dari: tum propter obſcurationem legis naturæ, ex peccatis hominum: tum etiam ad expreſſiorem ſignificationem gratiæ Chriſti, per quam humanum genus ſanctificatur: & ideo etiam neceſſe fuit res determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis. „

Inſtabis: Atqui etiam in nova Lege res non videntur determinatæ. Ergo, &c. Probatur ſubſumptum ex ipſamet Traditione. Primo quidem, Apoſtoli Confirmationem per ſolam manuum impoſitionem contulerunt, ut habetur Act. 9. & 19. Secundo, omnes ferme ordines ſpatio octingentorum circiter annorum, teſte Morino, & refertur L. 8. Conſt. Apoſt. c. 16. & 21. Item & ex Concilio quarto Carthaginenſi per eamdem manuum impoſitionem miniſtrabantur. Tertio, Diaconi nunc ordinantur per traditionem libri Evangeliorum, verum non ita factum eſt tempore Apoſtolorum. Quarto, Materia Sacramenti Euchariſtiæ in Eccleſia Latina eſt panis azimus, fermentatus autem in Græca. Quinto, in Sacramento Pœnitentiæ dolor, qui materiæ locum tenet, quandoque perfectus, quandoque etiam imperfectus eſt; iſte vero cum Sacramento ſufficit. Demum, ut multo plura omittam, non iidem ſunt ritus, nec eædem apud omnes Eccleſias in confectione Sacramentorum cæremoniæ; Immo ſecluſis cæremoniis in caſu neceſſitatis valide conficitur Baptiſmi Sacramentum. Sed ex his omnibus liquet res non eſſe determinatas, quandoquidem ſi fuiſſent a Chriſto deſignatæ, nulla proſus contigiſſet variatio. Ergo, &c.

Reſpondeo primo, hæc omnia ſolummodo probare quorumdam Sacramentorum materiam non fuiſſe a Chriſto Domino in individuo determinatam; ſed inde colligi non debet res Sacramentorum inanes eſſe & indifferentes, cum tales ſint, qua les Apoſtoli ab ipſo Chriſto edocti, tradiderunt.

Reſpondeo ſecundo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Sacramenta non ſunt determinata moraliter, & in eſſe Sacramenti, nego: in eſſe phyſico, ſubdiſtinguo; aliqua, concedo: omnia, nego. Dictum eſt ſignificationem ex unione materiæ cum forma reſultantem fuiſſe a Chriſto in individuo pro omnibus determinatam, quod ſufficit ut Sacramentum formaliter dicatur a Chriſto & determinatum, & inſtitutum.

Reſpondeo tertio breviter ad ſingula. Ad primum quidem, Confirmationem & Ordinem potuiſſe per impoſitionem manuum præberi, cum iſta deſignet Spiritus ſancti plenitudinem & fortitudinem quæ datur in utroque Sacramento. Ergo ne Confirmatio confundenda cum Ordine, abſit? Diverſa enim eſt in illis diverſis Sacramentis forma, & illius eſt dare ſpeciem, & materiam ad unum aut alterum effectum determinare.

Quod vero in Euchariſtiæ Sacramento panis ſit azimus vel fermentatus; in Pœnitentia, dolor perfectus vel imperfectus, nihil diverſitatis ſpecificæ inducit, quandoquidem uterque panis eſt vere panis; & uterque dolor ſupernaturalis, ut ſupponitur, ac verus eſt: perfectus quidem ex amore benevolentiæ, imperfectus vero ab amore initiali venit, quod teſte D. Thoma ſpei tribuitur.

De materia Diaconatus, quando ex profeſſo de Sacramento Ordinis agemus, de hac redibit ſermo. Unum nunc pro difficultatis enodatione dicam, videlicet Diaconos non tantum pro menſarum Communium, ſed & pro Sacrarum miniſterio inſtitutos fuiſſe, cum enim primævis Eccleſiæ temporibus Euchariſtia in Cœna uſuali ad imitationem Chriſti ſumeretur, tunc ipſam menſam ſacra Evangelii lectione condiebant, ad hoc ut fideles digne ſuſciperent corpus Domini. Quid plura adjiciam? Nonne S. Stephanus, ut habetur Act. 7. divinitatem Chriſti Scribis & Phariſæis annunciavit? His accedit Philippus Diaconus, qui baptizato Reginæ Caudacis Eunucho, ſtatim translatus eſt Azotum, eo prorſus ſine ut evangelizaret regnum Dei: Igitur non ſine fundamento Diaconi per libri Evangelii contactum in Eccleſia Latina nunc ordinantur.

De difficultate vero deſumpta ex cæremoniis quas mutationi fuiſſe obnoxias efficiunt Hæretici, eas non eſſe de ſub-

ſtantia Sacramentorum, & non niſi ad ſolemnitatem adhiberi liquet. Namque de illis ſic loquitur Catechiſmus Romanus p. 2. n. 18. " Iis accedunt cæremoniæ, quæ ,, tametſi prætermitti ſine peccato non poſ- ,, ſunt, niſi aliud facere ipſa neceſſitas co- ,, gat, tamen ſi quando omittantur, quo- ,, niam rei naturam non attingunt, ni- ,, hil de vera Sacramenti ratione immi- ,, nui credendum eſt. Ac merito quidem ,, a primis uſque Eccleſiæ temporibus il- ,, lud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramen- ,, ta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis ,, miniſtrarentur : primum enim ma- ,, xime decuit ſacris myſteriis eum reli- ,, gionis cultum tribuere, ut ſancta ſan- ,, ćte tractare videremur ; præterea quæ ,, Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ ,, magis declarant, ac veluti ante ocu- ,, los ponunt, & earum rerum ſanctita- ,, tem in animos fidelium altius impri- ,, munt: deinde vero mentes illorum qui ,, eas intuentur, & diligenter obſervant ,, ad ſublimium rerum cogitationem eri- ,, gunt, fidemque in eis & charitatem ex- ,, citant, quo major cura & diligentia ad- ,, hibenda erit, ut fideles vim cæremonia- ,, rum quibus ſingula Sacramenta conficiun- ,, tur cognitam & perſpectam habeant. ,,

Repones: Res de ſe ſignificant effectum ſacramentalem: ad illud igitur deſignandum verba inutilia ſunt.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Res de ſe ſignificant effectum ſacramentalem in actu primo, concedo: in actu ſecundo, nego. Jam vero tametſi res habeant aptitudinem aliquam ad effectum Sacramenti deſignandum, ſecluſa tamen verborum forma, actu illum non explicant: & hoc propter duo: primo quia non ſemel eadem materia plura ſignificat: ſic aqua modo refrigerium, modo atiam lotionem ſubindigitat; & per iſta tantum verba, *Ego te baptizo, &c.* determinatur ad ſignificandum animæ lavacrum: ſecundo nonnumquam etiam niſi ſubobſcure admodum materia denotat Sacramenti operationem, v. g. impoſitio manuum quæ primis ſæculis pro confectione Sacramentorum & Confirmationis & Ordinis, immo & pro reconciliatione eorum qui ab hæreſi redibant ad Eccleſiam, adhibebatur. Igitur verba neceſſaria ſunt, ut materia hunc potius effectum quam alterum ſignificet.

Solutio eſt D. Thomæ, qui hic q. 60. art. 6. ad 1. ſic reſpondet ad difficultatem: " Dicendum, quod res viſibiles Sacra- ,, mentorum dicuntur verba per quam- ,, dam ſimilitudinem, in quantum ſcilicet ,, participant quamdam vim ſignificandi, ,, quæ principaliter eſt in ipſis verbis, ut ,, dictum eſt: & ideo non eſt ſuperflua in- ,, geminatio verborum, cum in ſacra- ,, mentis, rebus viſibilibus verba addun- ,, tur, quia unum eorum determinatur ,, per aliud, ut dictum eſt. ,, Ibidem ſubjicit ad 2. res & verba utpote completa phyſice, facere compoſitum per accidens phyſicum; ſed non morale, quatenus res non habent niſi per verba ſignificare complete effectum Sacramentalem; quocirca: " Ex verbis & rebus, *inquit*, fit ,, quodammodo unum in Sacramentis, ſic- ,, ut ex forma & materia, in quantum ,, ſcilicet per verba perficitur ſignificatio ,, rerum. ,,

Inſtabis: Sacramenta novæ Legis ſucceſſerunt Sacramentis veteris Legis: ſed in iſtis non adhibebantur verba. Igitur nec in illis adhibenda ſunt.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Succeſſerunt ut veritas ſuccedit figuræ, & dies nocti, concedo; exhibent enim Chriſtum præſentem, & ideo verba exigunt, cum ſignificandi obtineant Principatum: ſucceſſerunt in conditione, nego. Sic reſpondet S. Thomas ibidem q. 60. art. 6. ad 3. ' Sacramenta autem veteris legis, ,, prænuntia erant Chriſti venturi: & ideo ,, non ita expreſſe ſignificabant Chriſtum, ,, ſicut Sacramenta novæ Legis, quæ ab ,, ipſo Chriſto effluunt, & quamdam ſi- ,, militudinem ipſius in ſe habent, ut di- ,, ctum eſt. Utebantur tamen in veteri ,, Lege aliquibus verbis, in his quæ ad ,, cultum Dei pertinent, tam Sacerdotes, ,, qui erant Sacramentorum illorum mi- ,, niſtri, ſecundum illud Num. 6. Sic be- ,, nedicetis filios Iſrael, & dicetis eis, ,, benedicat tibi Dominus, &c. quam et- ,, iam illis qui illis Sacramentis utebantur, ,, ſecundum illud Deuter. 26. Profiteor ,, coram Deo tuo, &c. ,,

Urgebis: Verba non ſunt eadem apud omnes: Igitur non requiruntur verba determinata. Confirmatur: Quandoque contingit eadem verba plura ſignificare. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Verba

ba non ſunt eadem apud omnes materialiter, concedo: formaliter, nego. Si verba ſumantur quoad ſyllabas, perſpicuum eſt juxta linguarum diverſitatem, etiam eſſe diverſa; ſed conſtat omnes gentes ſuo modo exprimere v. g. iſtam formam: *Ego te baptizo in nomine Patris*, *&c.* nec aliquid ex diverſitate idiomatum detrahitur formis Sacramentorum, cum verba valeant prout creduntur, & ſecundum miniſtri intentionem: immo tametſi eadem verba quandoque plura ſignificent, habent tamen determinationem vel ex particulis, vel ex Eccleſiæ ritibus. Et vero quum aliquis in Eccleſia Sacerdotalibus indutus ornamentis & veſtibus infundit aquam ſuper caput parvuli dicens: *Ego te baptizo*, *&c.* certum eſt aquam non ad lotionem mere externam, ſed & ad internam determinari. Ita D. Thomas ibidem art. 7. ad 1. his verbis: " Dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit ſuper Joannem, Verbum operarur in Sacramentis, non quia dicitur, id eſt, non ſecundum exteriorem ſonum vocis: ſed quia creditur, id eſt, ſecundum ſenſum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem ſenſus eſt idem apud omnes: licet non eædem voces ſint quantum ad ſonum: & ideo cujuſcumque linguæ verbis proferatur talis ſenſus, perficitur Sacramentum."

Perſiſtes: Atqui verba nullo modo poſſunt habere rationem formæ. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Quod eſt determinabile non poteſt rationem formæ induere: ſed vel ipſa verba ſunt determinabilia, cum ex ſe nihil præter effectum naturalem deſignent. Quod quidem duplici illuſtratur exemplo, primo Baptiſmatis in quo hæc verba, Ego te baptizo, ſeu lavo, & tingo, nihil niſi externam corporis lotionem deſignant. Tum Matrimonii, in quo conſenſus expreſſus con unctionem naturalem tantummodo deſignat, adeoque indifferens eſt ad conjunctionem vel ſpiritualem vel civilem explicandam. Ergo &c.

Confirmatur: Concil. Florentinum non dicit Sacramenta componi ex verbis, ſed perfici. Concinit D. Thomas, qui hic q. 84. art. 1. ad 2. vocat formam Sacramenti Pœnitentiæ complementum: ſed quod complet, jam ſupponit compoſitum eſſentialiter factum. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Verba ſunt determinabilia, & ſimul determinanria, concedo: mere indifferenria, nego. Verba in Sacramentis adhibita duplici modo ſpectari debent, videlicet in eſſe naturali, & in eſſe Sacramentali. Priori modo determinant materiam ad hunc vel iſtum effectum: Puta, iſta verba, *Ego te tingo*: determinant aquam de ſe indifferenrem ad refrigerium vel lotionem ſignificandam, ad ipſum lavacrum; & quidem apprime, cum teſte Auguſtino, verba obtineant ſignificandi principatum. Poſteriori modo compoſitum ex rebus & verbis conflatum determinatur per ſignificationem totalem ex intentione Miniſtri facientis quod facit Eccleſia, reſultantem ad eſſe Sacramenti, quocirca forma Baptiſmi non quamcumque lotionem, ſed ſpiritualem ſignificat.

Ex his patet ſolutio tum ad Confirmationem, tum ad utrumque exemplum: & quidem ad illud ex Baptiſmate depromptum propter rationem allatam. Ad illud vero ex Matrimonio excerptum, quia conſenſus coram Parocho in Eccleſia expreſſus ex vi inſtiturionis Chriſti conſenſus eſt non quilibet, ſed Sacramentalis; & ſic nihil inde ſequitur adverſus aſſertionem; quare Florentinum recte poſuit Sacramenta perfici & non componi ex rebus & verbis, eo quod ſubjunxerit requiri & perſonam Miniſtri, qui dubioprocul Sacramenti non ingreditur compoſitionem; hinc vocabulum *perfici* juxta diſtributionem accommodam uſurpari debet; ita ut ſenſus ſit, Sacramentum perfici rebus & verbis tamquam partibus componentibus Sacramentum; perſona vero Miniſtri, tamquam Miniſtro conficiente Sacramentum.

Ad D. Thomam, diſtinguo; Forma Sacramenti Pœnitentiæ eſt complementum eſſentiale, concedo; integrale tantum, nego. Omnis pars eſſentialis eſt complementum: ſic anima rationalis corpori conjuncta, ſpeciem humanam conſtituit; ſed non e contra, omne complementum eſt pars eſſentialis.

Replicabis: Atqui verba non habent in Sacramento rationem complementi eſſentialis: & probatur. Non ſunt de ſubſtantia Sacramenti, quippe quæ ſint accidentia, Sacramentum autem ſuppouit pro ſubſtantia. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Verba non ſunt de ſubſtantia phyſica, concedo; morali, nego. Sacramentum phyſice ſimul & moraliter ſpectare juvat; ſi phyſice ſumatur, dicit ſolum res ſeu elementa, quæ quidem ſunt ſubſtantiæ Phyſicæ; verum ſi moraliter conſideretur, coaleſcit ex rebus ſimul & verbis, ac ſignificatione Sacramentali ex utroque promanante, in quo ſenſu citra dubium verba ſunt de ſubſtantia; hoc eſt, de eſſentia Sacramenti. Neque diffitendum eſt Sacramentum, utpote ſignum arbitrarium, ſubſtantialiter, id eſt eſſentialiter ſupponere & pro rebus & pro verbis.

Inſurges: Multa Sacramenta ne quidem verba habent: Igitur in nullo ſenſu verba ſunt de Sacramenti eſſentia. Probatur antecedens multis momentis. Primo quidem, Euchariſtia non conſtat verbis, cum peracto Sacramento, amplius non remaneant, & tamen Euchariſtia in pixide aſſervata, licet non adſint verba, eſt verum Sacramentum, illudque permanens. II. Pœnitentia, & Matrimonium ſæpe nutibus fiunt; Pœnitentia quidem, quum ægrotus, lingua ligata, nonniſi ſignis & peccata, & dolorem de eis conceptum Confeſſario aperire poteſt; Matrimonium ſero, puta, quando nutibus ſolum virgo vuum exprimit conſenſum; quod quidem licitum eſſe docent communiter Theologi.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Quædam Sacramenta non conſtant verbis virtualibus, nego: formalibus ſubdiſtinguo; cum actio conſecrativa tranſacta eſt, concedo; quando fit Sacramentum, nego. Certe tempore quo Sacerdos conſecrat, citra dubium adſunt verba, & quidem formalia ab ipſo Chriſto inſtituta: & ſub iſto reſpectu verba habent rationem cauſæ efficientis; tranſacta vero conſecratione verba manent virtualiter in effectu conſecuto. Et hoc modo conſiderata, habent rationem formæ: verum eſt igitur dicere Sacramentum Euchariſtiæ conſtare rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma.

Ad exemplum ex Pœnitentia adductum, dico verba pœnitentis ſeſe confitentis, eſſe, ut vulgo dicitur, rem hujus Sacramenti. Quocirca ſufficiunt verba virtualia. Porro ſigna ab ægroto data æquivalent verbis: deinde vero Sacerdos pronuntiat formam, ejuſque verba rationem cauſæ efficientis ſimul & formalis habent: efficientis quidem prout ab ejus ore profluunt, formalis vero, quatenus in effectu virtualiter ſaltem remanere cenſentur; pronunciatis quippe verbis ſuper pœnitentem, verum eſt dicere, nunc eſt Pœnitentiæ Sacramentum.

Exemplum Matrimonii majorem faceſſit difficultatem, in ſententia eorum qui tenent præſentiam Parochi, ejuſque verba, *Ego vos conjungo*, eſſe de eſſentia iſtius Sacramenti; eodem modo tamen ſolvitur ac ea difficultas quæ petitur ex Pœnitentiæ Sacramento. In opinione vero aliorum propugnantium conſenſum expreſſum habere rationem formæ, quod & nobis probabilius apparet, diſtinguo: non adſunt in Matrimonio verba formalia, tranſeat; virtualia, nego: dico tranſeat, quia ex hominum uſu, conſenſus ſolet optime deſignari per nutus, qui profecto ſunt verba virtualia, ſicque ſufficere poſſunt in Sacramento quod in omnibus partibus involvit aliquid morale, maxime vero cum ille conſenſus exprimatur formaliter per verba Parochi dicentis, *Ego vos conjungo*; hoc eſt declaro, vos conſentire mutuæ conjunctioni.

Repones: Non ſemel contingit Matrimonium inter abſentes contrahi: ſed tunc temporis ne quidem virtualia adſunt verba: Et probatur: Quum Orator nomine Principis exhibet conſenſum, ipſe Rex neſcit horam, ut coram Deo quantum ex parte ſui eſt, contractum Sacramentalem ratum habeat. Immo fieri poteſt, ut mutata voluntate diſſentiat, quando Legatus ſuo nomine accipit ſponſam.

Reſpondeo negando minorem: Cum enim matrimonium ſit contractus, poteſt ſicut alii contractus per Procuratorem fieri, qui authentico inſtrumento accepto, Domini conſenſum præſentem exhibet: Igitur adſunt per eum verba virtualia. Ad probationem dico, Principem poſſe præſcire horam cæremoniæ, & pro more Chriſtianorum accedere ad Pœnitentiam, & Euchariſtiam ſumere, ut ſic diſpoſitus gratiam Sacramento Matrimonii annexam recipiat. Quod ſi a primo recedat propoſito, tunc adhibitis teſtibus, ſuam libello ante diem celebrationis Matrimonii voluntatem manifeſtet. Sin minus petat ab

Eccle-

Eccleſia diſpenſationem ut alteram ducat uxorem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramenta conſtant rebus & verbis determinatis.

Primo: Scriptura ſacra utrumque determinat pro Sacramento Baptiſmi, & Euchariſtiæ; & quidem explicite, implicite vero pro ceteris.

Secundo: Sic habetur ex Traditione: ſic ex D. Auguſtino dicente. "Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum." Sic in primis Florentinum Concilium, in quo Patres aiunt Sacramenta tribus perfici, rebus ſcilicet tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri.

Tertio: S. Thomas non unam pro iis momentis affert rationem hic q. 60. art. 4. 5. & 6. Res & verba, inquit, ad confectionem Sacramentorum neceſſaria ſunt. I. Quia ſic voluit Chriſtus. II. Medicina debet eſſe ſenſibilis pro hominibus, quippe qui ſeſe in ſenſibilibus exercere delectentur. Jam ſi de verbis loquamur, certum eſt, ea obtinuiſſe ſignificandi principatum, hinc vim habent determinandi ad aliquid efficiendum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM

ET RESPONSIONUM.

Primo: Licet quædam res ad multa poſſint aſſumi, attamen ubi ſigna ſunt arbitraria, nonniſi determinatione inſtitutoris vim habent in Sacramentis; hinc ab auctore Sacramentorum determinationem habere debent.

Secundo, idem dicendum de verbis quæ debent determinari ad effectum Sacramentalem deſignandum, per ipſam ſignificationem totalem, quæ exurgit ex conjunctione rerum cum verbis facta a legitimo Miniſtro cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; quæque licet quandoque litteraliter diſcrepent juxta idiomatum diverſitatem, conveniunt tamen in una re ſacramentali ſignificanda, immo & ſunt de ſubſtantia, hoc eſt de eſſentia Sacramenti.

Tertio: Sacramentum Euchariſtiæ in fieri habet verba formalia, in facto eſſe virtualia; Matrimonium vero ſemper ſaltem virtualia, quodquidem ſufficit pro contractu per conſenſum inito, cum in conſuetudine poſitum ſit apud homines, nutibus ſuum quandoque exprimere conſenſum.

SECTIO SECUNDA.

Utrum verba Sacramentorum ſint concionatoria, aut promiſſoria tantum, an vero conſecratoria?

Ad clariorem dicendorum tractationem, notandum in Sacramentis triplex verbum diſtingui poſſe, promiſſorium ſcilicet, quod exprimit divinæ gratiæ promiſſionem, concionatorium per quod tum ſuſcipiens Sacramentum, tum qui præſentes adſunt, de promiſſione gratiæ inſtruuntur; demum conſecratorium, & illud eſt quod conſecrat materiam Sacramenti, & virtute divina facit quod ſignificat.

Lutherani docent verbum ſacramentale eſſe dumtaxat promiſſorium; addunt præterea Calviniſtæ, poſt anteſignanum ſuum Calvinum L. 4. Inſtitutionum c. 14. & 15. ultra verbum promiſſionis requiri quoque verbum concionatorium ad inſtruendos fideles ordinatum, & ad fidem promiſſionum explanandam, eo prope modo quo ſermo divinus præconis verbis ſe habet ad ciendos pietatis affectus in audientium cordibus: Catholici vero tenent verba Sacramentorum eſſe conſecratoria. Quid in hac tenendum ſit controverſia? ſequentes docebunt concluſiones.

CONCLUSIO PRIMA.

Verba eſſentialiter requiſita ad novæ Legis Sacramenta, non ſunt mere promiſſoria.

Probatur primo ex Conc. Trident. quod ſeſſ. 7. Can. 6. anathemate ferit eos omnes, qui propugnaverint Sacramenta novæ Legis eſſe ſigna tantum externa gratiæ, vel juſtitiæ per fidem acceptæ: hoc oraculo manifeſte reprobatur dogma Lutheranum; ſi enim verba Sacramentorum noſtrorum eſſent promiſſoria dumtaxat, forent ſolum ſigna externa gratiæ; non

non enim eam producerent; falſum autem conſequens ex decreto Concilii Tridentini. Ergo &c.

Probatur ſecundo, ratione: nam verbum eſſentiale Sacramentis, debet reperiri in omnibus & ſingulis, ſed Baptiſmus & Euchariſtia ſunt Sacramenta novæ Legis etiam juxta Heterodoxos, & tamen verba illis eſſentialia, non ſunt tantum promiſſoria, ſed & conſecratoria, ſeu practica & expreſſiva rei quæ tunc peragitur, ut patet ex forma in eorum adminiſtratione adhiberi ſolita: Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Verba quibus Sacramenta Legis Evangelicæ perficiuntur, non ſunt Concionatoria.

Probatur primo ex Scriptura: Etenim ex ipſiſmet Calviniſtis, nihil uſurpari debet ad rerum confectionem ſacrarum, niſi quod Dei verbum præcipit; atqui ne minima eſt mentio concionis aſſentialiter peragendæ in adminiſtratione Sacramentorum; Scriptura enim pro Baptiſmo, ſolius aquæ meminit, & Spiritus ſancti, juxta illud Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Matthei 26. de Euchariſtia, *Sumpſit Jeſus panem, fregit & benedixit, dicens: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum .... hoc facite in meam commemorationem*.

Probatur ſecundo iſto efficaci argumento. uſus & poſſeſſio legitimi tituli pro aliqua veritate tenenda, locum tenent: ſed ex uſu perpetuo Eccleſiæ, Sacramenta conferuntur abſque concione; Baptiſmus quidem, cum parvuli concionem audiendi incapaces ſint: Confirmatio, quandoquidem Epiſcopus abſque concione ungit ad robur adultos: idem dicendum de ceteris Sacramentis. Conſecrantur quippe ſimpliciter Sacerdotes oleo cum præſcripta verborum forma. Fideles quandoque apoplexia correpti, inunguntur, & matrimonium celebratur per purum conſenſum de præſenti expreſſum: quin immo Eccleſia ſuſcipit Baptiſma Hæreticorum modo ſit in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti collatum; nec attendi ad eorum concionem, quæ ut plurimum erronea eſt. Sic docet S. Auguſtinus Lib. 3. de Baptiſmo Tom. 7. cap. 15. " Quamobrem ſi Evangelicis verbis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides ſub iiſdem verbis aliud opinantis quam catholica fides docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. ,,

Quid plura adjiciam? Multæ rationes probant luce meridiana clarius formam Sacramentorum eſſe practicam, & non concionatoriam.

Prima hæc eſt: Officium Baptizandi prorſus diverſum eſt ab officio concionandi; ſed ſi formæ Sacramentorum forent concionatoriæ, utrumque confunderetur miniſterium, quod eſſet contra Apoſtolum 1. Corint. 1. dicentem: " *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*. Et ibid. 14. ,, : *Mulieres in Eccleſiis taceant*; attamen licet non debeant concionari, poſſunt tamen Baptizare.

Secunda: Si forma Baptiſmi v. g. in concione ſita eſſet, varia eſſent Baptiſmata, cum non una ſit omnium concio; Hæretici enim prava docent & prædicant. Ergo, &c. Nec mirum, iſta verba, *Ego te baptizo*, & iſta, *Ego te abſolvo*, nullatenus ſapiunt concionem.

Tertia: Sacramenta novæ Legis a Sacramentis veteris Legis diſcrepant in efficacia: ſed ſi eorum formæ ſunt tantum concionatoriæ, nonniſi ex opere operantis, & per fidem concione motam & excitatam, gratiam producent, quod eſt contra Florentini definitionem. Rurſus, Proteſtantes aſſerunt Baptiſmum Joannis eumdem eſſe cum Baptiſmo Chriſti: atqui quando S. Joannes baptizavit Chriſtum, profecto non habuit concionem ut ejus excitaret aut fidem aut amorem in Deum; fidem quidem cum ea careret, quippe qui viſione beatifica frueretur a primo conceptionis momento: neque etiam amorem; erat enim plenus & gratia & veritate; immo in virtute & ſapientia non crevit niſi extrinſece, quatenus gradatim juxta temporum exigentiam & varietatem ad hominum inſtructionem, ſuam prodebat ſapientiam. Ergo &c.

Quarta: Quæ ſpectant Religionem, ſacris Canonibus determinata ſunt: ſed nuſquam aut in Decretis Ss. Pontificum, aut in Conciliorum definitionibus reperies

ries concionem ad Sacramenta conficienda ita abſolute neceſſariam eſſe, ut in ea ſita ſit omnis Sacramenti efficientia. Ergo, &c.

Quinta: Sacramenta certis rebus & verbis conſtant; ſin minus eſſent quid vagum: ſed concio multa capita ſimul indiſcriminatim complectitur, ut auditores modo ad virtutem compellantur, modo etiam ut a peccatis patrandis deterreantur. Ergo, &c.

CONCLUSIO TERTIA.

Verba requiſita in Sacramentis ſunt Conſecratoria.

Probatur auctoritate & ratione. Primo ex Scriptura ſacra.

Hoc ipſum innuit Apoſtolus 1. Cor. 11. ubi hæc leguntur de confectione Euchariſtiæ, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur*. Non fides haud dubie, aut corpus Chriſti myſticum, ſed corpus reale tradendum erat, idem autem eſt quod conſecratur: Igitur verba Euchariſtica ſunt conſecratoria. Rurſus Joan. cap. 6. Chriſtus ait, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*; & Marci cap. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit*: Et iterum ad Titum cap. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum*. Demum 1. Petri cap. 3. *vos ſalvos facit Baptiſma*. Jam vero quomodo fieri poſſet ut Euchariſtia vitam æternam tribueret, & aqua Baptiſmatis ſalutem, niſi verba Sacramentorum forent conſecratoria?

Magnifice confirmant hanc veritatem illa 1. Cor. c. 10. verba: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* benedictio autem calicis, non eſt niſi ejus conſecratio. Hinc D. Thomas Lect. 4. ſic habet, explicans verba Apoſtoli, *Calix, &c.* " Quem nos „ Sacerdotes conſecramus. „

Suffragatur Concilium Florentinum, dum ait in Decreto unionis, Sacramenta novæ Legis producere gratiam *ex opere operato*: hoc eſt, ex virtute propria. Succinit Catechiſmus Concilii Tridentini, Parte ſecunda de ſacramentis in genere, docens, Sacramenta noſtra præcontinere gratiam quam ſignificant, illamque in animabus producere.

Suum ſancti Patres huic veritati addunt calculum; in primis Auctor librorum de Sacramentis, qui vulgo tribuuntur D. Ambroſio; L. quippe 4. c. 4. hæc habentur: " Qui poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe „ Chriſti? conſecratione. Conſecratio „ igitur quibus verbis, & cujus ſermoni- „ bus eſt? Domini Jeſu. „ D. Auguſtinus L. 3. de Baptiſmo cap. 10. " Bapti- „ ſmus Chriſti, *ait*, verbis Evangelicis „ conſecratur, & per adulteros & in „ adulteris ſanctus eſt: „ Rurſus L. 6. „ cap. 25. ſic loquitur. " Deus adeſt ver- „ bis Evangelicis ſuis, ſine quibus Ba- „ ptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt, „ & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum. „ Rurſus de Euchariſtia L. 83. de diverſis in Suplemento p. 260. " Panis, *inquit*, ille „ quem videtis in altari, ſanctificatum per „ verbum Dei, corpus eſt Chriſti: calix „ ille, immo quod habet calix ſanctifica- „ tum per verbum Dei, Sanguis eſt Chriſti „ Domini. „

Secundo, rationibus Theologicis.

Prima: Eodem prope modo verbum ſe habet in Sacramentis ac in creatione mundi, cum ex SS. Patribus, redemptio ſit nova hominis productio & inſtauratio, dicente Propheta Pſ. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*: Sed verbum in creatione erat rerum effectivum: Igitur & in Sacramentis, cum iſtis mediantibus reſtauret Deus hominem.

Altera: Iidem Patres paſſim vocant effectus Sacramentorum miracula, & veluti tot prodigia eos habent: ſed in hoc potiſſimum Sacramenta novæ legis ſunt veluti miracula, ex eo quod elementa & verba humano modo prolata faciunt, quod ſignificant: alias nihil haberent ſupra ſigna quædam vacua, & ad aliquid ſignificandum tantummodo inſtituta, ut Iris v. g. quæ ex ordinatione Dei deſignat pacem hominibus conceſſam; nihil inquam plus haberent, quod tamen nemo vere Catholicus dixerit. Ergo verba Sacramentorum ſunt conſecratoria.

Tertia: Tametſi Catechiſmus præcedat adultorum Baptiſma, ſicut & exhortatio, Pœnitentiæ Sacramentum, ut ad meliorem frugem redeant peccatores, non in hoc tamen ſiſtit Miniſter, ſed ulterius pro-

progreditur, applicando materiam, & pronuntiando formam, nec Sacramentum confectum Intelligitur, donec illa compleantur. Igitur verba ſunt conſecratoria.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum ex Scriptura ſacra predeuntes adverſus tertiam Concluſionem.

Objiciunt: Matth. ultimo habetur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &c.* Igitur requiritur Concio ad Sacramenti validitatem.

Reſpondeo diſtinguendo: Chriſtus præcipit concionem ad baptizandos parvulos, nego: ad tingendum adultos, ſubdiſtinguo; tamquam diſpoſitionem concedo: tamquam eſſentialem Sacramenti partem, nego. Eam non prærequiri pro parvulis neminem latet, pro adultis vero inſtructionem de myſteriis adhibet Eccleſia; non ipſo tempore quo conficitur Sacramentum, ſed prævia utitur, ut myſteria quæ frequentant fideles, majori cum fide & ſanctitate percipiant, & ideo adulti baptizandi, toto inſtructionis ſpatio, a Catechiſmo, dicuntur Catechumeni. Ita Hieronymus Comment. in locum Matthæi laudatum: " Ordo, *inquit*, perpetuus „ juſſit Apoſtolis, ut primum docerent „ omnes gentes, deinde fidei intinge- „ rent Sacramento, & poſt fidem ac Baptiſma, quæ eſſent obſervanda, præci- „ perent. „

Inſtant: Epheſ. 5. Apoſtolus ait: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Sed verbum eſt Concio. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et per verbum vitæ intelligit Apoſtolus iſtam ſanctiſſimæ Trinitatis invocationem, *In nomine Patris, & Filii, & ſpiritus ſancti*, concedo: concionem, nego. Hæc interpretatio eſt S. Chryſoſtomi, Theophilacti, Theodoreti, Anſelmi & aliorum.

Replicant: S. Hieronymus Comment. in verba Apoſtoli, *Per verbum vitæ*, intelligit doctrinam, & de facto Chriſtus Marci ultimo ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Sed fides per concionem habetur, aut ſaltem excitatur. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et S. Hieronymus, omiſſo ſenſu litterali, adhæſit myſtico, concedo: Et excluſit litteralem, nego. Non enim in uno loco S. Doctor probat Sacramenta facere quod ſignificant, ſed eo loci nomine *Lavacri*, intelligit generaliter quamcumque purgationem, ſive quæ fit doctrina & inſtructione, ſive eam quæ vi Sacramenti producitur.

Ad probationem diſtinguo: Chriſtus exigit fidem in parvulis, nego: ideo enim baptizantur, ut fidem ſuſcipiant, quocirca Patres poſt Dionyſium, Baptiſma Sacramentum illuminationis nuncupant. Exigit in adultis, ſubdiſtinguo; per modum diſpoſitionis, concedo: tamquam partem eſſentialem Sacramenti, nego. Etvero tametſi Salvator noſter ſuavem habuerit coram Apoſtolis ſermonem antequam corpus & ſanguinem ſuum pretioſum eis porrigeret, ut habetur Joan. 13. his verbis: *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, &c.* liquido tamen conſtat, ſolum voluiſſe eos habere diſpoſitiones tum humilitatis, tum charitatis ad ſuſcipiendam cum fruge ſacram Euchariſtiam; qua data, fuſam rurſus ad eos orationem & longum ſermonem habuit, ut legitur ibid. c. 14. 15. & 16. Sed ibi altum eſt de Cena ſilentium. Igitur verba Sacramentorum non ſunt concionatoria; quod poteſt illuſtrari his verbis ex Sermone de Baptiſmo Chriſti apud Cyprianum depromptis: " Verborum ſolemnitas, & ſacri invocatio „ nominis, & ſigna inſtitutionibus Apo- „ ſtolicis, ſacerdotum miniſteriis attribu- „ ta, viſibile celebrant Sacramentum; „ rem vero ipſam Spiritus ſanctus format „ & efficit, & conſecrationibus viſibili- „ bus viſibiliter manum totius bonitatis „ apponit. „

Urgens: Ambroſius L. de initiandis, aſſerit vim aquæ Baptiſmatis a prædicatione crucis profluere. Igitur verba Apoſtoli, *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, non niſi de concione intelligenda ſunt.

Reſpondeo diſtinguendo: Virtus aquæ a prædicatione crucis, hoc eſt ab invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis promanat, concedo: a verbo concionatorio, nego. Hanc ſolutionem eſſe genuinam patet, ex eo quod Ambroſius loquatur de verbis quæ ad ipſam diriguntur aquam, & quæ profecto non eſt concionis capax: Igitur ſermonem habet de invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ fit eo ipſo momento quo aqua infunditur ſuper caput pueri his verbis:

bis : *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres Lib. 2. de Sacramentis cap. 5. ubi ſic loquitur: „ Venit ſacerdos, precem dicit ad fontem, invocans Patris nomen, præſentiam Filii, & Spiritus ſancti, utitur „ verbis cæleſtibus, cæleſtia verba quæ „ Chriſti ſunt, quod baptizemus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti : ſi ergo ad hominis ſermonem, ad „ invocationem Sacramenti aderat præſentia Trinitatis, paulo magis ibi adeſt „ ubi ſermo operatur æternus. „

Aperitur mens S. Auguſtini.

OBJICIUNT : S. Auguſtinus Tract. 80. in Joannem, verba Apoſtoli abſolute de doctrina intelligit. Ergo, &c. Probatur antecedens. S. Doctor eo loci ſic loquitur: " Unde eſt tanta virtus aquæ ut corpus „ tangat, & cor abluat. Niſi faciente „ verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. „ Ergo, &c.

Reſpondeo primo : In ipſis Aug. verbis energiam Sacramenti explicari; ait enim: *Niſi faciente verbo* : Verbum igitur facit quod aqua mundet, & Baptiſma virtute propria ſanctificet; hinc poſt iſta verba, *Non quia dicitur, ſed quia creditur*, ſubdit, " nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. „

Reſpondeo ſecundo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo : Aquæ virtus quæ creditur, ſanctificat, hoc eſt quum Sacramentum conficitur ſecundum Eccleſiæ intentionem, concedo : præciſe ratione fidei per concionem excitatæ, nego. Neque enim doctrina ſanctificare valet, neque ipſi parvuli baptizandi, concionis capaces ſunt; ſic explicat Auguſtinum S. Thumas hic q. 60. art. 7. ad 1. his verbis : " Verbum operatur in Sacramentis non quia dicitur, id eſt non ſecundum exteriorem ſonum vocis, ſed „ quia creditur, id eſt ſecundum ſenſum „ verborum quæ fide tenentur.

Inſurgunt : S. Auguſtinus poſt iſta verba, *Aliud virtus manens*, ait, *hoc eſt verbum fidei quod prædicamus*. Igitur juxta ipſius Auguſtini interpretationem, verbum in Baptiſmo operans eſt concionatorium.

Reſpondeo ſimiliter diſtinguendo : Eſt verbum fidei, hoc eſt fide tenemus invocationem SS. Trinitatis abluere animam, & hoc prædicamus atque docemus, concedo: eſt verbum fidei ſolum doctrinale, nego. Unum tantummodo intendit Aug. ſcilicet Verbum incarnatum operari in Sacramentis, & ſeſe in formis Sacramentorum exprimere, nuſquam vero aſſerit Baptiſmum non niſi per verba concionatoria operari, ſed potius docet per verba Evangelica, aquam virtute ſupernaturali ſibi cœlitus data, & non a concione emendicata, ſanctificare animas.

Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres Lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, ubi ſic loquitur : " Non eſt aqua profana „ & adultera ſuper quam nomen Dei invocatur, etiamſi a prophanis & adulteris invocetur, quia nec ipſa creatura, „ nec ipſum nomen adulterum eſt ; Baptiſmus vero Chriſti, verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros & in „ adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint „ impudici & immundi, quia ipſa ejus „ ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit. „

Perſiſtunt : Atqui B. Aug. ſolummodo intelligit fidem, concione commotam, operari in Sacramentis. Ergo, &c.

Probatur ſubſumptum : Ibidem poſt iſta verba *quod prædicamus*, ait, " Unde in „ Actis Apoſtolorum, Fide mundans corda „ eorum; & Petrus Apoſtolus, Sic nos „ Baptiſma ſalvos facit, non depoſitio „ ſordium carnis, ſed conſcientiæ bonæ „ interrogatio : hoc eſt, verbum fidei, „ quod prædicamus. „ Ergo, &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum : Ad probationem diſtinguo : Fides concione excitata mundat adultus diſpoſitive, concedo: formaliter & independenter a Sacramento, nego : namque ait : " Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum. „ Et Lib. 3. de Baptiſmo cap. 15. Quamobrem, *inquit*, Si Evangelicis „ verbis *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Marcion Baptiſmum „ conſecrabat, integrum erat Sacramentum. „ Quibus ſententiis manifeſte docet S. Aug. verba Sacramentorum eſſe conſecratoria.

Replicant : Qui cenſet homines mundari per ſermonem, dubioprocul exiſtimat verba Sacramentorum non eſſe conſecratoria : atqui ſic docet S. Doctor; in ultima enim concione cum dixiſſet, aquam per ver-

verbum mundare infantem, ſubjungit. " Hoc totum fit per verbum, de quo Deus " ait, Jam vos mundi eſtis propter ver- " bum quod locutus ſum vobis. " Sed verbum quod Chriſtus locutus fuerat Joannis 15. erat concionatorium. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et eo loci S. Auguſt. loquitur de verbo in genere, concedo: de verbo in particulari & ſacramentali, nego. S. Doctor explicans illa Chriſti verba, *Jam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis:* hanc ſibi proponit difficultatem ſolvendam, cur Dominus non dixerit, jam vos mundi eſtis per Baptiſmum quo loti eſtis, cum lavare, non niſi diſpoſitive fidei conveniat, & hanc dirimit, dicendo univerſim omnem mundationem a verbo proficiſci; per fidem quidem in ipſum verbum extra Sacramentum, perfectius vero in Sacramento & virtute Sacramenti.

Dices: Igitur S. Aug. obſcure & æquivoce loquitur, nec quicquam ex ejus ſententia concludi poteſt.

Reſpondeo negando ſequelam: Loquens enim ex profeſſo de Sacramentis, clare admodum ſeſe explicat, dicens: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Tum verba Dominica explanans ſecundum omnem ſenſum quem ſubire poſſunt, dicit univerſim, omnem cordis emundationem a verbo profluere.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Verba Sacramentorum ſunt Conſecratoria.

PRIMO: Scriptura ſacra non in uno loco id aſſerit; nulla quippe fit mentio concionis, quum homo baptizatur in nomine Patris, &c. Nulla in confectione Euchariſtiæ, quandoquidem Chriſtus dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, & abſque mora ita factum eſt, ut habetur 1. Cor. 11. his verbis: *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, &c.*

Secundo: Contraria opinio manifeſte opponitur definitioni Concilii Florentini dicentis, Sacramenta novæ Legis ſuum operari effectum ex opere operato; ſi enim tantummodo verba eſſent concionatoria, non niſi ex opere operantis haberent efficaciam.

Tertio: Parvuli rite baptizantur, nec tamen concionis ſunt capaces; immo teſte Apoſtolo 1. Corint. 1. officium concionandi prorſus diſtinguitur ab officio baptizandi.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur doctrinam quandoque & inſtructionem prærequiri ad Sacramenta, maxime pro adultis, ſed non niſi diſpoſitive; ſcilicet ut homines ſeipſos probent, antequam ſuſcipiant Sacramenta.

Secundo: Patres nonnumquam verbum, quod adhibetur pro Sacramentis conficiendis, etiam myſtice doctrinam appellant, ſed objective tantum, & prout aliquod myſterium complectitur, quod eſt fidei noſtræ objectum & materia, ſed non excludunt a forma Sacramentorum vim producendi gratiam.

Tertio: Nec grave faceſſit negotium S. Auguſt. ſententia, dum ait, verbum operari in Sacramentis quia creditur; quippe qui unum habeat ſcopum, ſcilicet probare verba Sacramentorum non operari ut ſonant, ſed ut fide tenentur, & quatenus ſecundum Eccleſiæ intentionem proferuntur. Quandoque etiam ait ſermonem mundare, ſed intellige, diſpoſitive.

SECTIO TERTIA.

Utrum licitum ſit aliquid vel addere Sacramentis, vel ab eis detrahere?

OBSERVANDUM eſt ſex modis poſſe variationem in Sacramentis contingere: Primo quidem per additionem alicujus vocabuli, ut ſi quis baptizaret in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatæ Virginis. Secundo, per detractionem: puta, ſi quis omitteret, conſecrando panem, vocem, *enim*. Tertio, per corruptionem alicujus vocis, aliquid vel detrahendo a ſyllabis, vel ipſis addendo: ut ſi quis baptizaret in nomine Patrias, & Filias. Quarto, per interpolationem alicujus vocabuli, ut ſi quis, nominato Patre, multa in ejus encomium proferret, & deinde abſolveret formam. Quinto, pronuntiando aliquam ſyllabam unius vocis,

aliquo

aliquo vero interjecto ſpatio, perficeret vocem, ut ſi quis diceret, *Hoc eſt cor..* & quieſceret, tum poſtea compleret vocem addendo, *pus*. Sexto, immutando formam, non quidem quoad ſenſum, ſed quoad ſyllabas, v. g. ſi quis ſic conſecraret, *Hoc eſt magnum, & magnificum, atque deificum corpus meum in ara crucis pro vobis oblatum*.

Obſervandum quoque eſt juxta Philoſophos, duplicem eſſe mutationem, alteram ſcilicet ſubſtantialem & eſſentialem, alteram vero accidentalem. Prior contingit, cum aut forma, aut materia ita mutantur, ut ſint prorſus diverſæ. Poſterior quum, ſalva tum materiæ, tum formæ integritate, aliquid additur vel detrahitur, intacta manente Sacramenti ſignificatione: ut ſi quis baptizaret in nomine Patris omnipotentis, & Filii Patri conſubſtantialis, & Spiritus Sancti qui ab utroque procedit.

Citra dubium eſt nemini licitum eſſe, vel addere formis & materiis Sacramentorum, vel ab ipſis aliquid detrahere; namque etiamſi mutatio levior foret, nullo tamen modo Miniſtrum a peccato excuſaret; ſed plurimi intereſt ſcire utrum quum forma mutatur formaliter, Sacramentum perficiatur.

C O N C L U S I O.

Immutatio circa ſubſtantiam, tum materiæ, tum formæ ſubvertit totam Sacramenti eſſentiam.

Probatur multis argumentis.

Primum: Quod ſancta & œcumenica Concilia definiere pro eſſentia Sacramentorum, nuſquam immutare licitum eſt; nam ipſo facto Sacramentum vacuum & irritum evaderet: atqui Concilia res & verba Sacramentorum determinata a Chriſto vel immediate vel mediante Eccleſia ſic ſervant, ut ſi ſit mutatio in ſubſtantia materiæ, vel formæ, Sacramenta nulla eſſe declarent. Ergo, &c.

Probatur minor: Concilium primum Nicænum ſic definivit. Namque can. 9. jubet Novatianos recipi cum ſola manuum impoſitione, eo quod haberent Baptiſmum verbis Evangelicis conſecratum; e contra vero can. 19. præcepit Cataphrygas, & Paulianiſtas ad Eccleſiam redeuntes, iterum baptizari, quia baptizati fuerant in nomine filii minoris, juxta Arianum ſyſtema. Igitur ex Nicæno mutatio gravis & ſubſtantialis in materia & forma, tollit Sacramenti eſſentiam.

Suffragatur Arelatenſe primum Can. 8. præcipiens ſiſcitari ab Hæreticis pœnitentibus num baptizati forent cum forma Arianorum, & in hac hypotheſi decernit eos iterum rebaptizari.

Florentinum in Decreto unionis iſtud negotium egregie abſolvit; enumeratis quippe ſeptem novæ Legis Sacramentis, eorumque effectibus, ſubdit: " Hæc omnia „ Sacramenta tribus perficiuntur: rebus „ tamquam materia, verbis tamquam for„ ma & perſona Miniſtri conferentis Sa„ cramentum cum intentione faciendi „ quod facit Eccleſia, quorum ſi ali„ quid deſit non perficitur Sacramen„ tum. „

Secundum argum. Quod ipſa Traditio docet, ita teneri debet: atqui ex Traditione conſtat omnem mutationem in ſubſtantia vel materiæ vel formæ Sacramentorum, irrita ea ipſa reddere. Igitur nuſquam licitum eſt immutare aliquid de ſubſtantia Sacramenti: Probatur minor variis ac celeberrimis auctoritatibus.

Ex primo Sæculo habemus Apoſtolos, qui non niſi determinata materia, determinataque forma, Sacramenta confecerunt, ut vel ipſi referunt Evangeliſtæ de Baptiſmo & ſacra Euchariſtia. S. Paulus, de conſecratione Sacerdotum per impoſitionem manuum perficienda, loquitur 1. Tim. 4. S. Jacobus c. 9. 5. meminit unctionis & orationis pro Sacramento Extremæ-Unctionis, animam agentibus conferendo: demum habetur Act. 8. Apoſtolos per manuum impoſitionem, adhibita oratione, dediſſe Spiritum-Sanctum ad robur, videlicet ut Fideles invicto animo fidem etiam, ſæviente mundo, profiterentur.

Ex ſecundo Sæculo ſic docet Irenæus Lib. 1. cap. 18. eo quippe loci quoſdam revincit Hæreticos eo quod formam Baptiſmi a Chriſto præſcriptam, graviter immutarent.

Ex tertio Sæculo venit in teſtimonium Tertullianus, qui Lib. de Bapt. *ait*, " Lex „ tingendi impoſita eſt & forma præ„ ſcripta:

„ ſcripta : ite, *inquit*, ad omnes gentes „ tingentes eos in nomine Patris & Filii, „ & Spiritus-Sancti. „ Idem docent Cyprianus Epiſt. ad Jubajanum, idem S. Athanaſius Sermone 3. contra Arianos, ubi propugnat non licere legem a Chriſto datam pro Baptiſmo infringere, eoſque verum non habere Baptiſma, eo quod non ſine ſtupendo Eccleſiæ ſcandalo baptizarent in nomine filii minoris.

Ex quarto Sæculo habemus S. Baſilium, qui Homil. in ſacrum Baptiſma, probat trium perſonarum divinitatem & conſubſtantialitatem, ea potiſſimum ratione, quod ex lege ſancita, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti pure & ſimpliciter baptizari debemus : quin immo Lib. de Spiritu ſancto cap. 12. aſſerit illum a gratia excidere, qui aut detrahit, aut addit ad verba præſcripta in Sacramento Baptiſmatis. Concinit Dydimus Lib. 2. de Spiritu-Sancto his verbis : " Qui unum „ de præceptis nominibus prætermittit, „ neque perfectionem Sacramenti attin- „ git, nec a peccatis hominem libe- „ rat. „

Ex quinto Sæculo S. Auguſtinus ſe ipſum prodit Lib. 6. contra Donatiſtas cap. 25. ubi ait : " Certa ſunt verba Evangelica, „ ſine quibus non poteſt conſecrari Ba- „ ptiſmus. „

Damaſcenus qui octavo florebat Sæculo ſuum addit calculum Libr. 4. de fide cap. 16. " Quæ forma, *inquit*, verborum in „ Baptiſmo adhibenda ſit, Dominus ex- „ poſuit, dicens, Baptizantes eos in no- „ mine Patris, & Filii & Spiritus San- „ cti. „

Tertium arg. Quotieſcumque pars aliqua eſſentialis defloratur, toties deſtruitur compoſitum : ſed mutatio ſubſtantialis, vel in materia, vel in forma, corrumpit partem eſſentialem. Igitur non licitum eſt, abſque Sacramenti diſpendio, aliquid detrahere ex materia vel forma, vel etiam aliquid addere, quod Sacramenti ſolvat ſignificationem.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies : Qui baptizat in nomine patria, & filia, & ſpiritua ſancta, aliquid de ſubſtantia Sacramenti detrahit : atqui tamen Zacharias ſummus Pontifex in Epiſtola ad Bonifacium, & habetur apud Gratianum can. *retulerunt.* de conſecratione diſt. 4. ratum habuit illud Baptiſma. Igitur aliquid poteſt detrahi ex ſubſtantia Sacramenti, ſalvo ipſo Sacramento.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Zacharias declaravit Baptiſma laudatum, validum, eo quod forma non niſi in litteris aliquibus detractis, ſalva integritate ſignificationis, deflorata fuiſſet, concedo : & integritas ſubſtantiæ prorſus ſublata fuerat, nego. Integritas Sacramenti non eſt mathematica, ſed moralis : porro ſecundum judicium viri prudentis, qui baptizaverat in nomine patria, non niſi propter imperitiam linguæ formam ſic expreſſerat ; hinc judicavit Papa illum habuiſſe intentionem faciendi quod facit Eccleſia ; immo & idem expreſſiſſe, quod iſta verba produnt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii &c.* Si tamen aliquis, ſic baptizando, intenderet introducere novum ritum ab Eccleſia nec receptum, nec approbatum, profecto nullum faceret Sacramentum, quandoquidem non cenſeretur intendere quod intendit facere Eccleſia.

Solutio eſt D. Thomæ hic q. 60. art. 7. ubi ſic ſolvit difficultatem. " Ad ter- „ tium dicendum, quod ille qui corru- „ pte profert verba ſacramentalia, ſi hoc „ ex induſtria facit, non videtur inten- „ dere facere quod facit Eccleſia, & ita „ non videtur perfici Sacramentum : ſi „ autem hoc faciat ex errore vel lapſu „ linguæ, ſi ſit tanta corruptio, quæ om- „ nino auferat ſenſum locutionis, non vi- „ detur perfici Sacramentum. Et hoc „ præcipue contingit, quando fit corru- „ ptio ex parte principii dictionis, puta „ ſi loco ejus, quod eſt in nomine Patris, „ dicat in nomine Matris : ſi vero non „ totaliter auferatur ſenſus locutionis per „ hujuſmodi corruptelam, nihilominus „ perficitur Sacramentum. Et hoc præ- „ cipue contingit quando fit corruptio ex „ parte finis, puta, ſi aliquis dicat in no- „ mine patrias & filias : quamvis enim „ hujuſmodi verba corrupte prolata, nihil „ ſignificent ex virtute impoſitionis : ac- „ cipiuntur tamen ut ſignificantia ex ac- „ commodatione uſus : & ideo licet mu- „ tetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen „ idem ſenſus. „

Inſtabis : Qui pronunciat hanc panis formam, *Hoc eſt cor*, & interjecto ſpa- tio,

tio, abſolvit, *pus meum*, dubioprocul corrumpit formam nedum in litteris, ſed & in ſyllabis, adeoque & in ſubſtantia formali : atqui tamen, juxta graviſſimorum Theologorum ſententiam, perficit Sacramentum. Sic cenſet Bellarminus hic Lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 21. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Si mora interjecta parva ſit, concedo : ſi diuturna, ut in hypotheſi quod peroraret Sacerdos antequam abſolveret vocabulum *Corpus*, nego. Tunc enim ſenſus verbi prorſus evacuaretur ſecundum judicium viri prudentis : nec refragatur Bellarminus.

Audiendus eſt de hoc momento S. Thomas, qui de hac re ſolvit difficultatis nodos. Ibidem art. 8. his verbis : " Dicendum, quod circa omnes iſtas mutationes quæ poſſunt in formis Sacramentorum contingere, duo videntur eſſe conſideranda. Unum quidem ex parte ejus, qui profert verba, cujus intentio requiritur ad Sacramentum, ut infra dicetur. Et ideo, ſi intendat per hujuſmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Eccleſia. "

Pergit : " Aliud autem eſt conſiderandum, ex parte ſignificationis verborum.... Manifeſtum eſt autem, quod ſi diminuatur aliquid eorum quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum : & ideo non perficitur Sacramentum. Unde Didymus dicit in Lib. 2. de Spiritu ſancto : Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat, ſcilicet Patris, & Filii & Spiritus ſancti, ſine perfectione baptizabit. Si autem ſubtrahatur aliquid, quod non ſit de ſubſtantia formæ, talis diminutio non tollit ſenſum verborum, neque Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt, *Hoc eſt enim corpus meum*, Ly *enim* ſublatum, non tollit debitum ſenſum verborum : & ideo non impedit perfectionem Sacramenti. "

Inſiſtes : Quandoque aliquid ſubſtantiale ſuperaddi poteſt formæ abſque Sacramenti deſtructione, ut ſi quis baptizaret in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatæ Virginis, Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo : Si quis vel omiſſo Spiritu ſancto adderet in nomine beatæ Virginis, aut tota forma poſita, adderet & in nomine beatæ Virginis, intendens quod Baptiſmus in nomine etiam Dei-paræ conſecraretur, non perficeret Sacramentum, concedo : ſin minus, ſubdiſtinguo; ſi poneret formam eſſentialem, & ſolum pietatis ac venerationis motivo adderet nomen beatæ Virginis, conficeret Sacramentum, concedo : ſecus nego. Non licitum eſt aliquid ſubſtantiale addere formæ Sacramenti, quæ eſt determinata a Chriſto vel immediate, qualis eſt forma Baptiſmi, vel mediante Eccleſia, ut forma Confirmationis & Ordinis : ſi tamen hoc fieret in venerationem beatæ Virginis, hoc quidem non tolleret Sacramenti eſſentiam, ſed aliquid contra ritum ab Eccleſia præſcriptum fieret.

Reſponſio eſt divi Thomæ hic q. 60. art. 8. his verbis : " Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod eſt corruptivum debiti ſenſus : puta, ſi aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, ſicut Ariani baptizabant. Et ideo talis additio tollit veritatem Sacramenti. Si vero ſit talis additio, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur Sacramenti veritas : nec refert utrum talis additio fiat in principio, medio, vel fine : ut ſi aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti, erit verum Baptiſma. Et ſimiliter ſi quis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beata Virgo te adjuvet, erit verum Baptiſma. "

Subdit vero hæc ſequentia : " Forte etiam ſi diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & beatæ Virginis Mariæ, non eſſet Baptiſmus ; quia dicitur 1. ad Corinth. 10. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis*; Sed hoc verum eſt ſi ſic intelligatur in nomine beatæ Virginis baptizari, ſicut in nomine Trinitatis quo Baptiſmus conſecratur; talis enim ſenſus eſſet contrarius

„ rius veræ fidei, & per conſequens tolleret veritatem Sacramenti; ſi vero ſic „ intelligatur quod additur, & in nomine beatæ Virginis, non quaſi nomen „ beatæ Virginis aliquid operetur in Baptiſmo, ſed ut ejus interceſſio proſit „ baptizato ad conſervandam gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio Sacramenti. „

Solvitur objectio deſumpta ex immutatione facta in Matrimonio.

Objicies : Matrimonium clandeſtinum ante Concilium Tridentinum validum erat, a tempore autem iſtius Concilii nullum eſt, ſaltem in Gallia, Hiſpania & aliis regionibus, ubi hæc ſacra Synodus etiam pro iſto momento recepta eſt : Igitur Eccleſia immutare poteſt Sacramentorum ſubſtantiam, & tamen vera peragere Sacramenta : ex quo liquet immutationem etiam ſubſtantialem ne minimum quidem detrimentum afferre Sacramentis.

Reſpondeo primo, ipſam Eccleſiam non poſſe inſtituere Sacramenta propter rationes non ſemel laudatas; ſed hoc ſolummodo ſpectare Chriſtum, qui omnium Sacramentorum ſpeciem formalem eatenus deſignavit, quatenus cujuſlibet Sacramenti denotavit & efficaciam & effectum : puta lavacrum animæ pro Baptiſmo, &c. Immo quorumdam etiam determinavit materiam, & formam, ceterorum vero reliquit Eccleſiæ determinandas; ita tamen ut res & verba apprime ſignificarent effectum ab ipſo determinatum a tali & tali Sacramento producendum: quocirca ut omnis ambiguitatis locus præſcindatur, duplex ſpecies Sacramenti in eodem Sacramento diſtinguenda eſt : videlicet altera materialis quæ ex conjunctione verborum cum rebus coaleſcit, quæ quidem ex vi innata, non niſi effectum naturalem importat, quod poteſt iſto illuſtrari exemplo : *Ego te lavo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* : quæ certe verba ex ſe lotionem ſolummodo extrinſecam deſignant. Altera vero ſpecies eaque formalis hæc cenſetur, quæ virtute inſtitutionis Chriſti in eodem Baptiſmate ſignificat interiorem animæ lotionem.

Quibus ſuppoſitis, luce clarius eſt Eccleſiam nihil mutationis attuliſſe, ſpeciei formali Sacramentorum, quæ dubio procul ab omni ævo ſuum ſpecialem & non alium habuerunt effectum, ſuamque ſignificationem. Fidenter dicam, nec potuiſſe immutare, ut docet hic S. Thomas q. 64. art. 2. ad 3. “ Dicendum, quod A- „ poſtoli & eorum ſucceſſores ſunt Vi- „ carii Dei quantum ad regimen Eccle- „ ſiæ conſtitutæ per fidem, & fidei Sa- „ cramenta; unde ſicut non licet eis con- „ ſtituere aliam Eccleſiam, ita non licet „ eis tradere aliam fidem, neque inſti- „ tuere alia Sacramenta, ſed per Sacra- „ menta quæ de latere Chriſti pendentia „ in cruce fluxerunt, dicitur eſſe fabri- „ cata Eccleſia Chriſti. „

Hoc fundamento ſemel poſito, jam adeſt omnium difficultatum ſolutio circa immutationes ab Eccleſia factas, vel etiam nonnullas nunc etiam toleratas. Toleratas dico, namque Græci non eodem ritu ſicut Latini baptizant; non eodem, abſolvunt pœnitentes, nec ordinant Eccleſiæ Miniſtros, &c. Quandoquidem dicunt, *baptiaztur ſervus Dei in nomine Patris*, *&c.* Non porrigunt Calicem cum Patena ordinando Presbyterum, ſed hanc pronuntiant formam imponendo manus, ut habetur apud Arcudium L. 6. cap. 2. *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt, ſupplet, promovet venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat ſuper eum gratia ſancti Spiritus*. Item forma abſolutionis apud eos eſt deprecatoria, ut idem Arcudius obſervat L. 4. de Pœn. cap. 3. Huiuſmodi autem immutationes eſſe tantummodo materiales, & circa ſpeciem materialem, nempe res & verba materialiter ſumpta ex tribus potiſſimum conſtat. Primo, quia nuſquam licitum eſt Eccleſiæ, immutare ſubſtantiam Sacramentorum. Secundo, quia in utraque Eccleſia manet eadem Sacramentalis ſignificatio, adeoque eadem ſpecies formalis, quæ per ſignificationem a Chriſto determinatam conſtituitur. Tertio, Romani Pontifices Leo IX. Cœleſtinus III. Innocentius III. Gregorius X. ipſum Concilium Lateranenſe 4. Lugdunenſe, & tandem Florentinum, prævio & maturo ritus Græcorum examine, non ſolum probavere illorum conficiendi Sacramenta mo-

morem, ſed & ſub pœna peccati injunxerunt, ut omnes tum Græci, tum Latini in ſua viciſſim Eccleſia, juxta ſuum ritum proprium conficerent Sacramenta; ita ut Græcus peccaret mortaliter, ſi v. g. celebraret in azimo. Ex his, immutationem circa Matrimonium factam, non niſi materialem eſſe eruimus; unde

Reſpondeo ſecundo in forma, ſic diſtinguendo: Matrimonium clandeſtinum ante Concilium Tridentinum validum erat, nunc vero irritum eſt, & hæc mutatio eſt ſolum accidentalis, concedo: & eſt ſubſtantialis, nego. Duo ſunt in Matrimonio conſideranda, ſcilicet contractus naturalis cum civili; deinde vero conjunctio perſonarum in conſpectu Eccleſiæ facta juxta Chriſti inſtitutionem: contractus ſive naturalis, ſive etiam civilis eſt materia Sacramenti, quæ a Chriſto elevata eſt ad ſuam cum Eccleſia unionem ſignificandam; iſta autem ratio formalis nuſquam immutata eſt, ſed tantummodo materia, ſeu contractus naturalis, & civilis, qui ſuſcipiunt conditiones; naturalis quidem, namque unio cum tali perſona potius quam cum altera eſt de jure Gentium, eadem unio celebrata vel publice, vel clandeſtine, talis eſt per leges civiles; a fortiori & per Eccleſiam, quæ ſicut reſpublica, poteſt apponere conditiones quæ cedant in bonum ſupernaturale & univerſale reipublicæ Chriſti.

Inſtabis: Atqui ſubſtantia Sacramenti Matrimonii immutata eſt. Ergo, &c. Probatur ſubſumptum multis momentis. Primo quidem: Evariſtus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Africæ aſſerit ſe accepiſſe ab Apoſtolis, eorumque in Epiſcopatu ſucceſſoribus, Matrimonia clandeſtina, omiſſis tum oblationibus publicis, tum benedictionibus Sacerdotum eſſe irrita, immo adulteria & fornicationes. Idem colligitur ex Concilio Colonienſi anno 1536. celebrato part. 7. cap. 45. ex Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. Ex Arelatenſi. 2. Ex Foro-Julienſi ſub Adriano I. Ex Londinenſi ſub Paſchali II. Idem aſſerit Theodorus Balſamon ad Canonem 38. & 40. Epiſtolæ S. Baſilii ad Amphilochium. Ergo, &c.

Reſpondeo primo, hæc & ſimilia unum tantummodo probare, videlicet Matrimonium clandeſtinum nuſquam licitum fuiſſe; ſed validitatem non inficiantur SS. Pontifices & Concilia niſi ad ſummum extrinſece. Hoc eſt, Matrimonium, omiſſis cæremoniis Eccleſiæ, initum, veluti nullum in foro externo habuerunt. Ceterum etiam ſemper illud exhorruiſſe non diffitemur, & hoc propter incommoda quæ inde ſequuntur; maxime cum incerti ſint prolis parentes, qui paſſione ducti, ad nutum poſſent filios debitis ſpoliare hæreditatibus. Igitur non niſi putative & propter metum, ut fornicationes matrimonia clandeſtina haberi debebant. Jam ad ſingula faciendum eſt ſatis.

Ad Evariſtum, obſervandum eſt eodem modo eum exigere ut Matrimonia biduanis aut triduanis orationibus præcedantur, ac cæremoniis Eccleſiaſtis adornentur; ſed norunt omnes ad validitatem Matrimonii, abſolute loquendo, non opus eſſe ut triduanis antecedatur orationibus: quid plura adjiciam? Synodus Tridentina aſſerit quidem Eccleſiam ſemper damnaſſe Matrimonia clandeſtina, nec tamen dicit per Evariſtum Papam irrita facta fuiſſe. His adde hinc auctoritatem eſſe dubiæ admodum fidei.

Ad Colonienſe Concilium, dico renovaſſe quidem decretum Evariſti pro Matrimonii clandeſtini prohibitione, ſed vacuum non putaſſe. In eodem ſenſu loquuntur Lateranenſis & Arelatenſis Synodi: Foro-Julienſe Concilium vult quidem clandeſtine contrahentes eſſe ſeparandos, ſed eo loci tractat de conſanguineis, quorum Matrimonia abſque diſpenſatione, nulla ſemper fuerunt. Demum Londinenſe vult Matrimonium clandeſtinum putative, & in foro exteriori irritum eſſe, ſed non in foro interiori: eodem modo intelligendus venit Theodorus Balſamon, quippe qui ad Canonem 40. laudatum verbis expreſſis & claris aſſerat Matrimonia clandeſtina apud Græcos fuiſſe valida.

Urgebis: Eccleſia appoſuit Matrimonio impedimenta, quæ formaliter illud dirimunt. Igitur poteſt & intrinſece ſubſtantiam Sacramentorum immutare.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Eccleſia appoſuit impedimenta formaliter dirimentia Matrimonium, per defectum conditionis requiſitæ, concedo: immutando formalem Sacramenti eſſentiam, nego. Matrimonium eſt eſſentialiter con-

tractus, & duarum perſonarum legitima unio: deinde vero de ratione contractus eſt, ut ſubeat conditiones ſuperioris, quibus ſublatis, jam non eſt contractus legitimus, ſed ipſo facto nullus eſt. Primum non immutavit Eccleſia, ſed tantummodo Secundum; quocirca non niſi ſpeciem materialem, ſeu materiam immutavit, quatenus declaravit Matrimonium clandeſtinum non eſſe materiam Sacramenti legitimam, defectu ſolemnitatis requiſitæ.

Replicabis: Quod eſt naturale non poteſt immutari: ſed matrimonium eſt contractus naturalis. Igitur ſi ab Eccleſia mutetur, ipſa variationem in ſubſtantiam invexit.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Quod eſt naturale poſitive nequit immutari, concedo: negative tantum, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Ex D. Thoma 1. 2. q. 94. art. 5. ad 3. eruitur hæc ſolutio. Aliquid enim dicitur de jure naturali dupliciter, videlicet poſitive & negative; poſitive quidem cum eſt juxta naturæ inclinationem, ſic amare bonum eſt naturale homini poſitive: negative vero cum aliquid ſit juxta gentium jura, quæ facienda quibuſdam limitibus & diſtinguunt & contrahunt, ut eſt partitio hæreditatum; poſteriori tantummodo matrimonium eſt contractus naturalis: nam licitum eſt cuique vel nubere, vel non nubere, hanc vel iſtam pro uxore aſſumere virginem: immo matrimonium, quatenus Sacramentum eſt ens morale, & ſignum arbitrarium: Igitur ſolummodo negative eſt quid naturale.

Perſiſtes: Conſenſus contrahentium modo eſt materia proxima, modo etiam forma: Igitur nihil determinatum habet illud Sacramentum, ſed totum eſt mutabile.

Reſpondeo diſtinguendo: Conſenſus eſt materia proxima ſimul & forma, ſub diverſo reſpectu, concedo: ſub eodem, nego. Conſenſus ut ſic, eſt materia Sacramenti, conſenſus vero expreſſum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, eſt forma, eaque immutabilis, & a Chriſto determinata.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Non licitum eſt aliquid immutare de ſubſtantia Sacramentorum.

PRIMO, ſic determinavit Florentinum in Decreto unionis: " Sacramenta tribus, " *ait*, perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri .... quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum. "

Secundo, ſic docent Patres, ſic D. Thomas: Patres quidem, dum Baptiſmum Arianorum in nomine filii minoris collatum rejiciunt: tum D. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. ubi ait ad ſolum Deum ſpectare inſtituere Sacramenta; nec vel ipſi Eccleſiæ licitum eſſe aliquid de eorum ſubſtantia immutare.

Tertio, hoc ipſum ratio indigitat; ſublata quippe aliqua parte eſſentiali, deſtruitur & ſpecies, & eſſentia Sacramenti.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO, quandoque contingere poteſt aliqua mutatio vel in rebus, vel in formis Sacramentorum; ſed ſalva eorum eſſentia, & eadem ſignificatione manente.

Secundo, non negamus impoſitionem manuum non ſemel pro diverſis Sacramentis adhibitam fuiſſe, ſed pro illis ſolum, quorum ipſa poterat effectum ſignificare, & hoc ſub diverſa forma illam determinant impoſitionem ad hunc, vel illum effectum.

Tertio, celebris eſt difficultas de matrimonio clandeſtino, quod Tridentina Synodus irritum declaravit, ſed hæc immutatio non niſi materialis eſt, quatenus Eccleſia contractum clandeſtinum inanem eſſe ſancivit, ſed manet ſemper quod contractus ſit vera matrimonii materia.

SECTIO QUARTA.

Utrum ex Canonibus Concilii quarti Carthaginenſis, ſequatur Eccleſiam immutaſſe eſſentiam materiæ & formæ Sacramentorum?

QUONIAM Canones iſtius Concilii pro ma-

materia ſacrorum Ordinum, ſaltem Epiſcopatus, can. 2. Presbyteratus, can. 3. & Diaconatus, can. 4. nihil aliud præter impoſitionem manuum commemorant, quæ utique pro Confirmatione locum alias habuit, graves inſtituunt Theologi controverſias de materia Sacramentorum, quæ certe non eſt una pro omnibus. Non minori zelo de formis diſputant, quæ ferme omnes apud Græcos ſunt deprecatoriæ: quinimmo tanto æſtu quidam de his momentis diſputant, ut aliqui ſcripſerint Græcos adulteraſſe, vel quoad ipſam eſſentiam, Sacramentorum aliquorum formas. Sed in hoc cæcutiunt, *inquit*, Renaudotius Tom. 4. perpetuitatis fidei, tribuentes non ſine fidei periculo Græcis, & Orientalibus circa Sacramenta errores, quibus de facto carent. Dixi non ſine fidei periculo, quia eorum commentis utuntur Proteſtantes, ut multa exſufflent novæ Legis Sacramenta: Quocirca operæ pretium eſt, omnibus æqua lance diſcuſſis, hic determinare, & exponere quid ſit in hoc momento tenendum, ut fides ſit in tuto adverſus malignantes.

Prænotandum eſt 1. Chriſtum Dominum determinaſſe in individuo materiam & formam Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ut jam dictum eſt; ceterorum vero ſolum in genere, & reliquiſſe Eccleſiæ poteſtatem ea determinandi in ſpeciali.

Obſervandum eſt II. materiam Confirmationis, & Ordinis in primis Eccleſiæ ſæculis in utraque Eccleſia, Orientali ſcilicet, & Occidentali, fuiſſe impoſitionem manuum abſque contactu libri Evangeliorum, ſaltem tempore Apoſtolorum, cum necdum editum eſſet ſanctum Evangelium, & in diverſis libris, ſeu Codicibus digeſtum, quod certe non niſi decurſu temporum fieri potuit. Jam vero ſi de forma loquamur, eam fuiſſe conſtat, quæ effectum Sacramenti exprimeret, & juxta S. Thomam hic 3. p. q. 60. art. 6. & 7. quæ determinaret materiam ad ſignificandum practice gratiam conferendam; regenerativam, v. g. pro Baptiſmo, roborativam pro Confirmatione, &c.

Iterum advertendum eſt, Eccleſiam non potuiſſe immutare materiam, & formam tum Baptiſmi, tum Euchariſtiæ, quippe quæ fuerint a Chriſto in individuo determinatæ, bene tamen ceterorum Sacramentorum materiam, ſed non eam formam, quæ debet annuntiare effectum talis, vel talis Sacramenti, ita tamen quod hoc intelligatur de mutatione eſſentiali. Etvero modo forma ſignificet gratiam Sacramentalem, ſive ſit abſoluta, ſive deprecatoria, hoc eſt, ſive exprimatur per modum aut imperii, aut orationis, & hoc ſit uſu Eccleſiæ conſecratum, quid prohibet, valere?

Theologi tamen circa hoc momentum in varias abeunt partes, & eſſentiam tum materiæ, tum formæ Sacramentorum variis, & ut plurimum inutilibus diſtinctionibus, & quæſtionibus ſic obnubilant, ut vix pateat in quo repoſitæ ſint. Hinc claritatis & elucidationis cauſa negotium unica concluſione perficere animus eſt, qua quidem dogma inconcuſſum manebit. Unde ſit

CONCLUSIO.

Materia & forma cujuslibet Sacramenti validæ ſunt eo ipſo, quo ſignificatur effectus Sacramenti, modo ritus ſit ab Eccleſia confirmatus.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ea eſt: Sacramentum eſt ſignum practicum ad noſtram ſanctificationem a Chriſto Domino inſtitutum, quod juxta Concilium Florentinum tribus conſtat, rebus ſcilicet tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri habente intentionem faciendi quod facit Eccleſia: atqui inter Sacramenta quædam habent omnia a Chriſto determinata; aliorum vero Eccleſia determinavit materiam congruentem, tum & formam in verbis quæ exprimunt gratiam Sacramentalem; namque quod verba per modum imperii proferantur, ut in Baptiſmo apud Eccleſiam Latinam, *Ego te baptizo*: vel deprecatorie, ut in Eccleſia Græca iſtis verbis, *Baptizetur ſervus Chriſti*; parum refert, cum effectus in utraque enuntietur. Igitur ritus Sacramentorum materia, & forma auctoritate Eccleſiæ adornatus, validus eſt & Sacramentalis, tametſi materia quandoque mutetur, ſicut & forma; eas enim eſſentialiter mutari nuſquam permiſit Eccleſia; quocirca ſi quæ reperiantur variationes, non niſi accidentales a Theologis reputantur.

D 2 *Altera*

Altera ſic procedit : Citra dubium eſt non unam fuiſſe in utraque Eccleſia Sacramenti Confirmationis , & Ordinis materia : eam enim fuiſſe in impoſitione manuum ab ipſa vagiente Eccleſia pro utroque Sacramento conſtat . De Confirmatione enim legitur Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos , & accipiebant Spiritum ſanctum* , De Ordinatione vero ait Apoſt. 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam . . . . quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii* . Ex quo liquet Eccleſiam habuiſſe poteſtatem immutandi materiam illorum Sacramentorum, cum in Eccleſia Latina nunc inſtrumenta adhibeantur : in Græca vero adhibeatur quidem unctio cum impoſitione manuum; unde apud Græcos ex flagrantia odoris illius Sacramenti materia nomine *Μύρον* celebratur : & in Ordine ſola adhibetur manuum impoſitio. Si de forma loquamur, eſt deprecatoria apud Græcos pro omnibus Sacramentis, ſi Euchariſtiam excipias , quam tamen orationibus fieri non ſine fundamento multi ſcribunt Græci , & hoc propter multas orationes in Eucologiis recenſitas , inter quas commiſcetur forma , ut legitur apud Arcudium in libris de concordia Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali ; quas tamen formas approbavere & Concilia , & Summi Pontifices . Concilia quidem , nempe Lugdunenſe ſecundum , ſed maxime Florentinum , in quo actitatum eſt de reconciliatione Græcorum & Orientalium : ſed nihil pro ritu Sacramentorum apud eos uſitato reprehenſum eſt . Immo plures Summi Pontifices ut Leo IX. Cæleſtinus III. Innocentius III. ſimulque Concilium Lateranenſe ſub Innocentio IV. Alexander IV. Gregorius X. Eugenius IV. & Clemens VIII. prævio maturo examine ritus Orientalium pro Sacramentis probavere . Igitur modo ritus ab Eccleſia Romana ſit aut ſuſceptus , aut toleratus , valet ad Sacramentorum confectionem , tametſi in utraque Eccleſia quædam accidentalis diſparitas contingat , ut docet doctiſſimus Morinus in libris de Pœnitentia , & ſacris Ordinibus , ubi refert Græcorum , Armenorum , Syrorum , Maronitarum , Jacobitarum , ceterorumque Orientalium ritus . Ex quibus claret quam hallucinati ſint nonnulli Theologi , qui Orientalis diſciplinæ , & rituum ignari, Eccleſiæ Sacramenta quædam Græcorum propter diverſitatem quamdam accidentalem materiæ & formæ , quæ non nihil a materia & forma Latinorum diſcrepant , ea uti vacua habere non dubitaverint .

Tertia , eaque validiſſima : Non eſt veriſimile Eccleſiam ita erraſſe in confectione Sacramentorum, ut paſſa ſit , & ad hæc uſque tempora patiatur nullam eſſe Confirmationem , nullam Pœnitentiam , nullam Euchariſtiam , nullam Extremam-Unctionem , nullumque Ordinem : ſed iſtud inconveniens ſequeretur , ſi aliqua ejus auctoritate immutatio fieri poſſet tum in materia , tum in forma Sacramentorum : & probatur . Primorum ſæculorum Patres, ut docet Bellarminus Lib. de Sacramento Ordinis c. 9. ſilent inſtrumentorum traditionem , & ſolam manuum impoſitionem commemorant . Sicut, & celebre Concilium Carthaginenſe 4. ubi aderat ipſe Auguſtinus , & cum eo 2co. Epiſcopi : ſilet Dionyſius L. de HierarchiaEccleſiaſtica, ſilet Clemens Romanus in Apoſtolicis Conſtitutionibus L. 8. c. 16. Demum Orientales omnes in Ordinationibus ſolam retinent impoſitionem manuum , neque tamen Concilia , & Pontifices laudati eas irritas eſſe declararunt . Jam vero idem dicendum de forma , quæ apud eos eſt deprecatoria , maxime pro Ordine : ſublata autem hujuſce Sacramenti validitate , evaneſcunt plura alia Sacramenta : ſi enim deficit Ordo , neque Confirmatio , neque Pœnitentia , nene Euchariſtia , Extrema-Unctio erunt ; quippe quæ ab illo abſolute dependeant , & tunc qualis error ? Ergo , &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES : Materia , & forma Sacramentorum debent eſſe determinatæ : ſed poſito concluſionis ſyſtemate , nihil erit abſolute determinatum . Ergo , &c.

Reſpondeo diſtiguendo majorem : Debent eſſe determinatæ eſſentialiter , concedo : materialiter , & quoad ipſius formæ terminos atque expreſſiones , ſubdiſtinguo ; immediate pro aliquibus Sacramentis , mediate vero , & per Eccleſiam , ſenſus Chriſti fidelem interpretem , concedo : immediate ſemper , & pro omnibus , nego : & ſic diſtincta minore , nego conſequentiam . Novæ legis Sacramentum duplici poteſt

poteſt ſpectari modo, videlicet eſſentialiter, & materialiter, ſeu practice, & juxta phyſicam conſtitutionem a parte rei ponendam ut nunc, & actu fiat. Priori modo conſideratum, hoc eſt metaphyſice, eatenus eſt determinatum a Chriſto, quatenus ſeptem inſtituit ritus, quorum prior ſignificaret practice gratiam regenerativam, alter roborativam, & ſic de ceteris, juxta illud Concilii Florentini effatum: *Septem ſunt Sacramenta ...... per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem .... roboramur in fide, &c.* Altero modo ſpectatum habet eſſentiam phyſicam, etiam in individuo determinatam; immediate quidem a Chriſto pro Baptiſmo, & Euchariſtia, mediate vero ab Eccleſia pro aliis: & ſic claret cuncta eſſe a Chriſto Domino inſtituta, & hoc propter tria. Primo: Ex eo quod ſolus Chriſtus ſit auctor gratiæ, adeoque & Sacramentorum. Secundo: Quædam immediate determinavit, & quoad eſſentiam metaphyſicam, & quoad phyſicam, cetera vero ſuam communicando poteſtatem Eccleſiæ, quæ in his agit ut ejus miniſtra, ſicque effectus Sacramenti non illi, ſed Chriſto ut cauſæ principali tribuitur. Tertio: Quia Eccleſia nihil immutare poteſt de eſſentia metaphyſica; quamcumque enim eligat aut materiam, aut formam, ex utraque coaleſcens compoſitum, debet ſemper in Baptiſmo, v. g. ſignificare gratiam regenerativam: quocirca ſi quis vellet baptizare cum aqua congelata, nullum efficeret Sacramentum, eo quod hujuſmodi aqua non habeat aptitudinem ad deſignandam lotionem interiorem, cum ut ſic, ne quidem poſſit inſervire ad lotionem extrinſecam, & naturalem. Porro ex ſancto Auguſtino res quæ aſſumuntur pro materia Sacramentorum, per ſuos innatos actus debent habere aliquam convenientiam ad ſignificandum quod fit interius; unde oleum apprime aſſumitur pro materia Confirmationis, eo quod ſua unctione Athletarum corroboraret artus ad ſuſtinendum certamen. Non abſimilibus rationibus miniſter non abſolveret pœnitentem, ſi in forma ab eo prolata nulla fieret peccati remittendi commemoratio. Videas igitur, velim, Eccleſiam ſervando cujuslibet Sacramenti ſignificationem, nihil niſi materiale, & accidentale immutare, aut immutaſſe tum in materia, tum in forma Sacramentorum.

Inſtabis: Non debet eſſe eadem pro omnibus Sacramentis materia: ſed ex Concilio Carthaginenſi conſtat impoſitionem manuum, loco materiæ adhibitam fuiſſe in multis Sacramentis. Igitur non alia ſunt Sacramenta, inquiunt Proteſtantes, præter Baptiſmum, & Euchariſtiam. Quid plura? Etiam nunc diſſentiunt Eccleſia Orientalis, & Occidentalis in materia aliorum Sacramentorum, cum illa retineat ſolam impoſitionem manuum pro materia Confirmationis & Ordinis; iſta vero addat inſtrumenta tangenda: immo obſervat Arcudius L. 4. de Pœnitentia cap. 13. pag. 350. Orientales ne minimum quidem verbum de materia, & forma proferre: " Græcos, *inquit*, paſſim, ne quidem ſcire quid ſibi velint hujuſmodi ,, termini materia, & forma, in tracta. ,, tu de Sacramentis, ,,

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Non debet eadem eſſe materia pro multis Sacramentis, quæ non habeat aptitudinem ad ſignificandum gratiam cuilibet Sacramento appropriatam, concedo: ſi habeat, ſubdiſtinguo: non debet eadem eſſe adæquata concedo, inadæquata, & per formam determinanda, pro illo vel iſto Sacramento, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Oſtenſum atque dictum eſt, materiam tum Baptiſmi, tum Euchariſtiæ, vel etiam entitative diverſam eſſe a materia, & forma ceterorum Sacramentorum, ea non ſolum ratione quod immediate a Chriſto ſint determinatæ, verum etiam quia effectus utriuſque Sacramenti, ita a ceterorum Sacramentorum effectibus diverſi ſunt, ut materia quoque, ac forma, & a rebus, & a verbis aliorum rituum, omnem habeant diſcrepantiam. Sed non ſic de aliis Sacramentis. Et vero, impoſitio manuum, non leviorem habet aptitudinem ad ſignificandum Spiritus ſancti deſcenſum, modo ſuper Confirmandos ad robur, modo ſupra Clericos ad conſecrationem. Ceterum, inquit, D. Thomas hic, verba obtinuerunt ſignificandi principatum, hinc materia adæquata, hoc eſt materia conjuncta cum forma, eſt formaliter diverſa in quolibet Sacramento, & ſic cauſa cadunt Proteſtantes.

Ad primam Confirmationem, diſtinguo:

Ecclеſia Orientalis, & Occidentalis diſſentiunt in formis ſecundum quid, & materialiter, concedo : formaliter, & ſubſtantialiter, nego. Forma Baptiſmi, & Euchariſtiæ eadem eſt apud utramque, nec eſt deprecatoria in ſe, ſed tantum ex antecedentibus, quatenus quædam præviæ orationes adhibentur præparatoriæ, tum ut regeneretur infans, tum ut fiat & corpus, & ſanguis Chriſti; hinc apud Arcudium Lib. 4. de Pœnit. cap. 3. pag. 39. multi Theologi propugnant formam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe partim deprecatoriam, partim abſulutam; alii apud eumdem mere abſolutam autumant : quidam omnes ſacramentorum formas aut deprecatorias eſſe, aut ſic poſſe dari, aiunt. Quæ quidem opiniones recte conciliantur, dicendo eas eſſe deprecatorias diſpoſitive, formaliter vero & in ſe abſolutas. Hoc ipſum propugnamus cum S. Thoma hic 3. p. Nec deſunt probationes vel pro ipſa Eccleſia Orientali, in qua forma Baptiſmi hæc eſt, *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris*, &c. apud Coptitas: *Ego te baptizo, &c.* Nuſquam vero *baptizetur*, ut multi hallucinantur, inquit, Renaudotius L. 4. perpet. fidei cap. 4. ſubditque illud ita eſſe clarum, ut ad lumem libri Eucologii pateat. Sic quoque obſervat Reverend. Pater Goar Dominicanus in diſciplina Orientalium peritiſſimus. Forma vero Euchariſtiæ Græcorum, ſic refertur ab Arcudio L. 3. cap. 26. pag. 215. *τῦτό ἐςι τό σῶμά μου. Hoc eſt Corpus meum. τῦτό ἐςι τό αἷμα μου Hic eſt ſanguis meus*; unde ſubjicit idem auctor in rubrica Baſiliana: " Sacerdos, *inquit*, in- ,, clinat caput, ac dextram ſuam tollit, ,, & cum veneratione ſanctum panem ,, benedicit, clara voce dicens, hoc eſt cor- ,, pus meum, &c. ,, Audis illam formam in ſe ſpectatam eſſe mere abſolutam. Jam vero quod forma Baptiſmi pronuncietur, vel per modum imperii ſic: *Ego te baptizo*, vel tantum enuntiative, iſto modo: *Baptizetur ſervus Chriſti*, parum refert, cum ſemper ſignificetur effectus Sacramenti : Idem dicendum de formis deprecatoriis pro Sacramento Confirmationis, Extremæ-Unctionis, & Ordinis : tametſi enim mere ſint deprecatoriæ, ſemper tamen annuntiatur gratia ſpecialis a quolibet Sacramento producenda, & ideo Eccleſia a ſancto Spiritu gubernata ratas ſemper habuit iſtorum Sacramentorum formas, quæ apud Orientales, ſunt non ſolum antecedenter, ſed formaliter, & in ſe deprecatoriæ. Idem quoque proportionaliter dicendum de materia, quæ non niſi accidentaliter diverſa eſt in Oriente, & Occidente.

Repones: Atqui forma in Eccleſiis Orientalibus eſſentialiter diverſa eſt a forma uſitata in Eccleſia Latina pro omnibus Sacramentis, ſi excipias Baptiſmum, & Euchariſtiam : Igitur ex diſſonantia ſequitur iſta ſolum duo eſſe Sacramenta : neque enim veriſimile eſt formam Sacramentorum, quæ Dominus Jeſus inſtituit, non eſſe Traditione, & utriuſque Eccleſiæ conſenſu ſuffultam. Probatur ſubſumptum : Formæ quæ ſenſum prorſus diverſum ſubeunt, eſſentialiter inter ſe diſcrepant: atqui res ſic ſe habet pro formis Sacramenrorum : Et probatur ex enarratione ſimplici formarum in Eccleſiis Orientalibus uſitatarum. Dionyſius De Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 9. vocat conſecrationem ſacerdotalem perfectionem, & explicans ritum conſecrationis Epiſcopi ait: " Sanctiſſimis invocationibus ,, ſeu precationibus perficitur, hoc eſt, ,, conſecratur. ,, Verum quod plurimum auget difficultatem, eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt apud Orientales familiaris: " Ita, *inquit*, *Cabaſſutius Diſſer-* ,, *tat. in* | *Concilium Carthaginenſe* 4. nec ,, ita pridem ſed nuper a Ruthenis accepta ,, formula, & poſt inſtaurato ultimo ,, ſchiſma, hæc eſt: *Habeo te condonatum* ,, *& abſolutum*. ,, Alia eſt apud Renaudotium L. 4. perpet. fidei cap. 4. quam Pater du Bernat a Presbyteris Coptitarum ſe didiciſſe aſſerit in ſua Diſſertatione numero 218. quæ ex Gallico idiomate Latine ſic redditur : " Poſtquam, *in-* ,, *quit*, pœnitens ſua depoſuit peccata, ,, Presbyter unam recitat orationem non ,, multum diſſimilem ei quam emittit in- ,, grediendo altare: tum dicit benedictio- ,, nem, quæ reſpondet illi, quam, data ,, abſolutione, enuntiamus. Pœnitens ite- ,, rum repetit ſe peccaſſe, & expoſtulat ,, abſolutionem. Confeſſor ei impertit his ,, terminis : *Abſolveris ab omnibus peccatis* ,, *tuis*. Non capio, *ſubdit diſſertationis* ,, *auctor*, quid in hoc reprehendendum. ,, ,, Ergo, &c.

Reſpondeo primo Hugonem Menardum Or-

Digitized by Google

Ordinis S. Benedicti in notis ad Sacramentale Gregorianum, & Morinum L. 8. de Pœnitentia cap. 8. Auctoritate Patrum ſuffultos, qui quoties de Sacramentali reconciliatione loquuntur, non aliis rebus eam tribuere ſolent, quam pœnitentium confeſſioni, & Sacerdotum precibus, approbare pro pęnitentia formam deprecatoriam. Etvero ſanctus Leo Epiſtola 80. alias 136. de hoc momento ita loquitur: " Sufficit illa confeſſio, quæ primum ,, Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, ,, qui pro delictis pœnitentium precator ,, accedit. ,, Deinde Epiſt. 139. cap. 10. ait, *Reconciliandos Deo per Eccleſiæ preces inſtanter acquiras*. Recenſet Morinus diverſa Orientalium Euchologia, & Ritualia a Conciliis laudatis approbata, ubi vel ante ſchiſma, Græci, Armeni, Syri, Maronitæ, & alii utuntur forma deprecatoria in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Si de Confirmatione loquamur, etiam in Eccleſia Latina preces præviæ ſaltem adhibentur; ſic enim habetur in ordine Romano perantiquo, inquit, Arcudius, Lib. 4. capite 3. pag. 331. " In officio " enim Sabbati ſancti deſcribens ritum ,, Confirmationis dicit, Epiſcopum per ,, modum orantis hæc verba pronuntiare, *Signa eos Domine ſigno crucis*; ac ,, deinde cum tangit pollice frontem dicere: *Ego te confirmo*. Ubi videmus ,, plane eumdem ſenſum verborum. Non ,, enim refert, quod ibi dicatur, *Signa* ,, *eum Domine*, ſcilicet per me, & modo Latini dicant: *Signo te*, nam ſemper ſignificamus Deum eſſe qui ſignat, ,, tamquam primarius auctor, & hominem ,, qui ſignat, tamquam miniſter. Quamobrem a ſimili idem judicium videtur ,, poſſe fieri de forma Sacramenti Pœnitentiæ: *Dimitto ei*, videlicet per me. "

Pergit loquendo de Sacramento Ordinis inſtituendo comparationem de Ordinatione Diaconi, & ait: " Similiter olim in ,, veteri Ordine Romano cum accederet Diaconus ad Epiſcopum, ut ordinaretur, & Epiſcopus manus imponeret, & oraret, omnibus erat manifeſtum, Epiſcopum per illam orationem ,, ipſum ordinare voluiſſe; nullius enim ,, alterius formæ tunc erat uſus. Ea oratio talis eſt: *Ego quidem Domine Deus quantum ad me attinet, hunc Diaconum ordino, ſed quia tu es, a quo efficacia omnis Sacramentorum procedit, ideo precor te Domine, ut replens eum Spiritu ſancto, ſicut replevisti ſanctum Stephanum*., Similis ſer- ,, me oratio extat in conſtitutionibus Apo- ,, ſtolicis apud Clementem L. 8. cap. 25.

Reſpondeo ſecundo negando minorem: Omnium quippe formarum ſenſus eſt idem eſſentialiter, quippe quæ omnes exprimant effectum Sacramentalem, ſicque ſpirant quid abſolutum, videlicet effectum determinatum pro quolibet Sacramento.

Ad Confirmationem forma Ruthenorum ſuffultam, dico eam poſſe defendi, eo quod effectum Sacramenti ſubnotet, maxime cum Gabriel Philadelphienſis eamdem propugnet in ſuo de Sacramentis opuſculo, iſta ductus ratione, quod judiciariam auctoritatem, multo magis quam ceteræ formæ deprecatoriæ, redoleat. Arcudius tamen L. 4. de Conc. Eccleſ. Orient. cum Lat. cap. 3. fatetur hanc abſolutionem apud Græcos eſſe neotericam, & a perpaucis uſitatam; immo nec in Euchologiis toties ab Eccleſia Romana confirmatis, reperiri.

Ad alteram Confirmationem depromptam a forma Coptitarum a Patre du Bernat in ſua diſſertatione conſcripta, non abſimili modo reſpondetur; ita ſcilicet diſtinguendo: Et illa ipſa claram præcontinet a peccatis abſolutionem his verbis expreſſam, *Abſolvaris ab omnibus peccatis tuis*, concedo: & non continet, nego. Hinc auctor diſſertationis ſubdit apud Renaud. L. 4. perp. c. 4. " Quid hic re- ,, prehendendum: nam ſi non abſimilis for- ,, ma imperativa admittitur pro Bapti- ,, ſmo, *Baptizetur ſervus Chriſti*, cur Ec- ,, cleſia non toleraret Coptitas eodem mo- ,, do dare abſolutionem. ,, Hanc ſententiam pro virili defendit Renaudotius in notitia diſciplinæ Orientalium nulli ſecundus. Iſte autem L. 4. perpet. fidei cap. 4. pag. 284. alteram formam Jacobitarum Syriæ non nihil diverſam a priori refert: " Ritus, *inquit*, Jacobitarum ,, Syriæ notat, quod Sacerdos imponens ,, manum ſuper pœnitentem multis prius ,, fuſis precibus, ait: *Tale peccatum a* ,, *tua anima, & a tuo corpore propellatur in* ,, *nomine Patris. Amen. Tibi etiam* ,, *condonetur, & remittatur, in nomine Fi-* ,, *lii. Amen. Sanctificeris & purificeris in*

„ *nomine Spiritus ſancti . Amen* . „ Subdit „ Renaud.„ Hæc ſorma eſt deprecatoria,& „ vix aliam reperies in ceteris Ritualibus „ Orientalibus, vel etiam in ipſis Græca„ nis, cum omnes ferme Theologi exiſti„ ment abſolutionem æque in pluribus „ præviis precibus conſiſtere , quam in „ iſtis poſtremis verbis, *abſolvaris* . „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Materia & forma cujuslibet Sacramenti validæ ſunt, eo ipſo quo ſignificatur effectus Sacramenti, modo ritus ſit ab Eccleſia receptus .

PRIMO : Ex inſtitutione Chriſti immediata vel mediata , Sacramentum eſt ſignum gratię practicum : Igitur omne ſignum ex materia & forma coaleſcens , gratiam quam ſignificat producit eo ipſo quo a Chriſto originem ducit, & ab Eccleſia uti tale ſuſcipitur .

Secundo : Sicut Eccleſia Latina ſic & Græca hujuſmodi ſigna uti gratiæ productiva habet .

Tertio: Eccleſia nec erravit in dogmate, nec errare potuit : atqui ritus Sacramentales tametſi pro diverſitate temporum & Eccleſiarum nonnihil inter ſe circa materiam & formam diſcrepantes, tamquam vera Sacramenta tenuit , eo quod ex his omnibus, ſignificatio gratiæ interioris rite coaleſceret . Ergo, &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Tametſi ex Concilio Carthaginenſi impoſitio manuum nou unius Sacramenti materia ſit, & nunc res aliter ſe habeant, quia tamen diverſa eſt pro ſingulis Sacramentis forma , & eadem maneat ſemper ſignificatio , dubio procul intacta manet Sacramentorum eſſentia .

Secundo : Nec inde ſequitur vel ipſam materiam ad minus totalem & adæquatam eamdem eſſe pro multis ſimul Sacramentis; namque materia totalis eſt ipſum compoſitum ſacramentale, ſeu materia per formam ad hunc vel talem effectum producendum determinata ; quæ certe ſub iſto reſpectu diverſa eſt in diverſis Sacramentis.

Tertio : Ne putes formas Sacramentorum tametſi, ut plurimum apud Orientales deprecatorias, diſcrepare vel in ipſa eſſentia a formis apud Latinos uſitatis ; conſtant enim verbis eumdem effectum ſignificantibus , ſicut formæ quibus Eccleſia Romana utitur.

ARTICULUS QUARTUS.

Num Sacramenta ſint ad ſalutem neceſſaria ?

SACRAMENTA novæ Legis habere pro fine hominum ſanctificationem ſupra demonſtratum eſt , ubi de Sacramenti quidditate, natura , & definitione egimus; conſtat autem eadem non eſſe abſolute neceſſaria ; cum enim ſint ſigna arbitraria , Deus aliis mediis quam per Sacramenta gratiam hominibus conferre poterat : ſuppoſito tamen voluntatis divinæ de Sacramentis inſtituendis decreto, quæritur num ſint ad ſalutem neceſſaria?

Ad quæſiti ſolutionem obſervare juvat, aliquid dici poſſe neceſſarium dupliciter : videlicet neceſſitate medii ,' & neceſſitate præcepti . Illud priori modo dicitur neceſſarium , ſine quo finis haberi non poteſt; ſic ſine pedibus homo incedere nequit: illud vero poſteriori modo neceſſarium aſſeritur, ſine quo finis abſolute loquendo comparari poſſet : ſic aliquis debet ex præcepto Eccleſiæ abſtinere a carnibus die Veneris , ut ſuam operetur ſalutem , in caſu tamen morbi & infirmitatis ad hoc præcetum non tenetur . Duo occurrunt impræſentiarum explicanda & diſcutienda ; alterum de neceſſitate Sacramentorum in genere , alterum de neceſſitate Sacramentorum in particulari , Unde ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Sacramenta novæ Legis ſunt ad ſalutem neceſſaria .

Probatur auctoritate & ratione .

PRIMO : Quod ipſa fides docet, tenere debemus : atqui fides docet Sacramenta novæ Legis eſſe ad ſalutem neceſſaria . Ergo, &c. Probatur minor. Primo ex Concilio

Triden.

Digitized by Google

Tridentino Seſſ. 7. can. 4. his verbis. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines a Deo gratiam juſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit.*

Secundo: Ubi adſunt convenientia motiva pro inſtitutione alicujus rei, citra dubium eam eſſe neceſſariam nemo diffitebitur. Atqui multiplex eſt & illud legitimum pro inſtituendis Sacramentis motivum. Ergo, &c. Probatur minor ex Catechiſmo Romano, qui part. 2. n.° 14. egregie & erudite admodum refert cauſas inſtitutionis Sacramentorum novæ Legis.

Prima eſt, ut homo per ſenſibilia ad cognitionem, & amorem ſpiritualium quaſi manu-ducatur: " Prima eſt, *inquit*, huma-
,, ni ingenii imbecillitas, ſiquidem natura
,, ita comparatum videmus ut ad earum re-
,, rum notitiam, quæ mente atque intel-
,, ligentia comprehenſæ ſunt, niſi per ea
,, quæ aliquo ſenſu percipiuntur, nemi-
,, ni adſpirare liceat: ut igitur quæ oc-
,, culta Dei virtute efficiuntur, facilius
,, intelligere poſſemus, idem ſummus
,, omnium rerum artifex ſapientiſſime
,, fecit, ut eam ipſam virtutem aliquibus
,, ſignis quæ ſub ſenſum cadunt pro ſua in
,, nos benignitate declararet. Nam ut præ-
,, clare a ſancto Chryſoſtomo dictum
,, eſt, *Si homo corporis concretione caruiſ-*
,, *ſet, nuda ipſa bona, neque ullis inte-*
,, *gumentis involuta ei oblata eſſent: quo-*
,, *niam vero anima corpori conjuncta eſt, om-*
,, *nino opus fuit ut rerum quæ ſentiuntur ad-*
,, *minicule, ad ea intelligenda uteretur.* ,,

Secunda: Quum aliquid percelebre amoris argumentum datur, hoc ſignis manifeſtatur: ſic Chriſtus ſuum in nos demonſtravit per Sacramenta amorem. Pergit Catechiſmus: " Altera vero cauſa eſt,
,, quod animus noſter haud facile com-
,, movetur ad ea quæ nobis promittun-
,, tur credenda; quare Deus a mundi exor-
,, dio quæ facere inſtituerat, verbis qui-
,, dem frequentiſſime indicare conſuevit:
,, interdum vero, cum opus aliquod inſti-
,, tueret, cujus magnitudo promiſſi fi-
,, dem abrogare poſſet, alia etiam ſigna,
,, quæ nonnumquam miraculi ſpeciem ha-
,, berent, verbis adjunxit ... Quemadmo-
,, dum igitur in veteri teſtamento Deus
,, fecerat, ut magni alicujus pro-
,, miſſi conſtantiam ſignis teſtificaretur; ita
,, etiam in nova lege Chriſtus ſalvator no-
,, ſter, cum nobis peccatorum veniam, cæle-
,, ſtem gratiam, Spiritus ſancti communica-
,, tionem pollicitus eſt, quædam ſigna ocu-
,, lis, & ſenſibus ſubjecta inſtituit, quibus
,, eum quaſi pignoribus obligatum habe-
,, remus, atque ita fidelem in promiſ-
,, ſis futurum, dubitare nunquam poſſe-
,, mus. ,,

Tertia ea fuit, ut remedium ferret Chriſtus, hoſtis unde læſerat: Igitur ſicut homo per affectum ad ſenſibilia ceciderat, ita & per ſenſibilia eumdem erigi erat neceſſarium: ſubdit Catechiſmus: " Ter-
,, tia cauſa fuit, ut illi tamquam reme-
,, dia, ut ſcribit S. Ambroſius, atque evan-
,, gelici Samaritani medicamenta ad ani-
,, marum ſanitatem vel recuperandam, vel
,, tuendam præſto eſſent; virtutem enim
,, quæ ex paſſione Chriſti manat, hoc eſt
,, gratiam, quam ille nobis in ara crucis
,, meruit per Sacramenta, quaſi per alveum
,, quemdam, in noſmetipſos derivari opor-
,, tet. ,,

Quarta: Ut fideles ab infidelibus ſecernerentur: Ibidem: " Quarta etiam cauſa
,, accedit, cur Sacramentorum inſtitutio
,, neceſſaria videri poſſit, ut notæ quæ-
,, dam & ſymbola eſſent, quibus fideles
,, internoſcerentur, cum præſertim nul-
,, lus hominum cœtus queat, ut etiam a
,, divo Auguſtino traditum eſt, ſive ve-
,, ræ, ſive falſæ religionis nomine, qua-
,, ſi in unum corpus coagmentari, niſi
,, aliquo viſibilium ſignorum fœdere con-
,, jungantur. Utrumque igitur præſtant
,, novæ legis Sacramenta, quæ & Chri-
,, ſtianæ fidei cultores ab infidelibus diſtin-
,, guunt, & ipſos fideles ſancto quodam vin-
,, culo inter ſe connectunt. ,,

Quinta: Ut fidei confeſſionem publice prodamus, ibidem: " Aliam etiam juſtiſ-
,, ſimam fuiſſe cauſam Sacramenta inſti-
,, tuendi, ex illis Apoſtoli verbis, *Cor-*
,, *de creditur ad juſtitiam, ore autem con-*
,, *feſſio fit ad ſalutem*, oſtendi poteſt. Sa-
,, cramentis enim fidem noſtram in homi-
,, num conſpectu profiteri & notam facere
,, videmur. ,,

Sexta demum, ut hominis ſuperbia confundatur, dum ad humilia & ſenſibilia, ut ſanetur, confugere debet, ibidem: " Quod
,, in Chriſtianæ pietatis ſtudio plu-
,, rimi faciendum eſt, humanæ mentis

,, ſu-

„ ſuperbiam edomant ac comprimunt, „ noſque ad humilitatem exercent, dum „ ſenſibilibus elementis ſubjicere nos co- „ gimur, ut Deo obtemperemus, a quo „ antea impie defeceramus, ut mundi ele- „ mentis ſerviremus. „

Tertio: S. Thomas hic q. 61. art. 1. triplici ratione ex profeſſo probat Sacramenta eſſe ad ſalutem neceſſaria. Primam repetit ex conditione humanæ naturæ, quæ per ſenſibilia ad inviſibilia ſe ſe erigit. Secundam ex Sapientia divina, quæ ſanat per id unde morbus inceperat. Tertiam ex ſtudio actionis humanæ, quæ præcipue circa corporalia verſatur: duas priores expoſuit Catechiſmus Romanus. De poſtrema, ſic loquitur ſanctus Doctor: “ Ne ergo eſſet homini durum, ſi tota- „ liter a corporalibus actibus abſtrahere- „ tur, propoſita ſunt ei corporalia exer- „ citia in Sacramentis, quibus ſalubriter „ exerceatur ad evitanda ſuperſtitioſa ex- „ ercitia, quæ conſiſtunt in cultu dæ- „ monum, vel qualitercumque noxia, „ quæ conſiſtunt in actibus peccatorum.„

CONCLUSIO SECUNDA.

Baptiſmus & Pœnitentia ſunt neceſſaria neceſſitate medii, reliqua vero Sacramenta neceſſitate præcepti.

PROBATUR prima pars. Illa ſunt neceſſaria neceſſitate medii, quibus ſecluſis, ſalus haberi non poteſt: atqui ſine Baptiſmo & Pœnitentia nemo ſalvus fieri valet, juxta iſtud Chriſti oraculum Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Rurſus Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis, &c.*

Probatur ſecunda pars: Illa Sacramenta cenſenda ſunt neceſſaria ſolummodo neceſſitate præcepti, quibus omiſſis, homo abſolute loquendo ſalvari poteſt: ſed res ita ſe habet pro reliquis Sacramentis: Et probatur ex uſu perpetuo. Illi moriuntur in pace Chriſti qui vere pœnitentes e vita migrant, quamvis non ſint aut Confirmati, aut ſacro Euchariſtiæ cibo ſaginati, ſicut contingit ægroto, qui facta Confeſſione, & recepta abſolutione, apoplexia corripitur, & moritur; ſicque qui deficiente tempore, vel etiam deficientibus miniſtris, extremam non recipiunt Unctionem: atqui iſti omnes in pace Chriſti moriuntur. Ergo, &c.

Non injucundum erit hic ſubnotare triplicem eſſe Sacramentorum ordinem: nimirum naturæ, perfectionis, & neceſſitatis, ut obſervat S. Thomas hic q. 66. art. 2. & 3. Ordo naturæ ille eſt, qui aſſignatur a Florentino in Decreto unionis: *Septem ſunt Sacramenta novæ legis, Baptiſmus, Confirmatio, &c.* Ordine perfectionis primum tenet locum Euchariſtia, quæ teſte S. Thoma hic art. 3. totius cultus divini conſummatio eſt, & ceterorum Sacramentorum finis. Tum ſequitur Sacramentum Ordinis, poſtea Baptiſmus; & poſt Baptiſmum ponitur Confirmatio. Ordine neceſſitatis primum Sacramentum eſt Baptiſma, deinde Pœnitentia, tertium Ordo ſacer, quartum Matrimonium. Licet enim Ordo & Matrimonium non ſint Sacramenta ſingulis ſimpliciter neceſſaria, ſunt tamen toti Eccleſiæ corpori: ſicut enim Ordo miniſtros, ſic & Matrimonium ſervos, & Dei filios, qui ad miniſtrorum dignitatem promoveri poſſint, præbet.

Solvuntur objectiones.

OBJCIES primo contra primam concluſionem. Ex Apoſtolo 1. Tim. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt:* Sed uſus Sacramentorum corporalem ſpectat exercitationem. Igitur Sacramenta non ſunt neceſſaria.

Reſpondeo diſtinguendo: Corporalis exercitatio ſecundum ſe conſiderata ad modicum valet, concedo: ut elevata, & ad æternam conducens vitam, nego. Uſus autem Sacramentorum eſt corporalis exercitatio juxta poſteriorem modum. Sic reſpondet D. Thomas hic quæſt. 61. art. 1. ad 1. his verbis: “ Corporalis exercita- „ tio, in quantum eſt corporalis non mul- „ tum utilis eſt: ſed exercitatio quæ per „ uſum Sacramentorum fit, non eſt pure „ corporalis, ſed quodammodo eſt ſpiri- „ tualis, ſcilicet per ſignificationem & „ cauſalitatem. „

Inſtabis: Secundæ Corinth. c. 12. Apoſtolo dicitur, *Sufficit tibi gratia mea.* Sed ſi Sacramenta ſint neceſſaria, jam non eſt verum dicere gratiam ad ſalutem ſufficere: Ergo, &c.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo diſtinguendo majorem , Sufficit gratia conferenda per Sacramenta, concedo : ſecluſis Sacramentis , nego. Similiter diſtinguo minorem : gratia ſecundum ſe ſpectata non ſufficit ad ſalutem, concedo ; ut conferenda per Sacramenta, nego. Suppoſita igitur neceſſitate Sacramentorum, ſicut gratia, ſic & Sacramenta utilia & neceſſaria ſunt, quippe quæ ſint ipſius gratiæ conſequendæ cauſæ effectrices ; ſic ſolvit D. Thomas ibidem ad 2. difficultatem : " Dicendum , ,, *ait*, quod gratia Dei eſt ſufficiens ,, cauſa humanæ ſalutis , ſed Deus dat ,, hominibus gratiam ſecundum modum eis ,, convenientem, & ideo neceſſaria ſunt ,, hominibus Sacramenta ad gratiam con- ,, ſequendam. ,,

Inſiſtes: Paſſio Chriſti ſufficit pro ſalute humana, juxta illud ad Rom. c. 5. *Si cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Sufficit Paſſio Chriſti applicata , concedo : non applicata nego. Porro Chriſti merita nobis ad ſalutem per Sacramenta applicantur. Et hoc propugnat ſanctus Thomas ibidem ad 3. " Dicendum , quod ,, Paſſio Chriſti eſt ſufficiens cauſa humanæ ſalutis , nec propter hoc ſequitur ,, quod Sacramenta non ſint neceſſaria ad ,, humanam ſalutem, quia operantur in virtute Paſſionis Chriſti, & Paſſio Chriſti ,, quodammodo applicatur hominibus per ,, Sacramenta , ſecundum illud Rom. ,, c. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chri- ,, ſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*.

Replicabis: In tantum Sacramenta ſunt neceſſaria, in quantum, vel ipſo teſtante D. Thoma, inſerviunt ad inſtructionem: Sed parvuli, v. g. qui baptizantur, non ſunt inſtructionis capaces. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Parvuli non ſunt inſtructionis capaces immediate, concedo: mediate, nego. Ea de cauſa adhibentur illis patrini, ut eos cum ad rationis auroram pervenerint, Religionis myſteria edoceant.

Perſiſtes: Neceſſitas Sacramentorum ex convenientia & majori facilitate ſalutis peti debet: ſed facilius eſt ſalvari per fidem & contritionem quam per Sacramenta. Et vero grave eſt homini alias peccatori, ſuam denudare conſcientiam, & duras pro ſatisfactione leges non ſemel ſubire. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem, & quidem propter multa, 1. quia admodum difficile eſt, ſecluſis Sacrametis, habere de peccatis contritionem, cum tamen dolor etiam imperfectus ſufficiat cum Sacramento. Præterea Sacramenta virtute propria & ex opere operato juſtificant, atque ſanctificant; cetera vero nonniſi ex opere operantis. Tertiam addo rationem: Sacramenta continent virtutem Paſſionis Chriſti, Euchariſtia ipſum gratiæ auctorem exhibet præſentem, ex quo conſolationum magna multitudo, & tanta in Sacramentis efficacia promanat, ut teſtibus Scriptoribus Eccleſiaſticis, vel ipſi dæmones a facie Chriſtianorum Spiritu ſancto tum in Confirmatione, tum in aliis Sacramentis refertorum fugerint. Hinc ſanctus Chryſoſtomus Homil. 61. de ſumptione ſacræ Euchariſtiæ loquens, ait, " Tamquam leones igitur ignem ſpirantes ,, ab illa menſa recedamus, facti diabolo ,, terribiles. ,,

Oppones ſecundo contra ſecundam concluſionem. Homo juſtificatur per contritionem extra Sacramentum: Igitur neque Baptiſmus pro adultis, neque Pœnitentia pro iiſdem ſunt neceſſaria neceſſitate medii. Etvero accedens ad Pœnitentiam, vel eſt perfecte contritus, vel ſolum imperfecte: ſi primum jam ante ſuſceptionem Sacramenti juſtificatus eſt; ſi ſecundum, nihil facit Sacramentum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Adultus perfecte contritus accedens vel ad Baptiſmum, vel ad Pœnitentiam jam juſtificatus eſt, modo votum Sacramenti habeat, concedo: ſecluſo voto, nego. Præceptum poſuit Chriſtus & non præteribit, videlicet ut nullus abſque Baptiſmi lavacro regeneraretur ſpiritualiter; abſque Pœnitentia vero non juſtificaretur impius: Igitur non niſi in voto Sacramenti contritus habet peccatorum remiſſionem, ita ut ſi non haberet voluntatem, prima occaſione data, peccata confitendi, & Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendi, non juſtificaretur. Quin immo in tantum dicitur perfecte contritus, in quantum voluntatem habet Chriſti legibus obtemperandi, & ſic manet Sacramenta Baptiſmi

&

Digitized by Google

& Pœnitentiæ eſſe neceſſaria neceſſitate medii: quam quidem veritatem S. Ambroſius diſerte explanat in oratione funebri Valentiniani. Eo loci Imperatorem commendat precibus populi, optimam habens de ejus ſalute repoſitam ſpem, eo quod, licet nondum baptizatus, attamen Catechumenus cum voto Baptiſmi in pace Chriſti obiiſſet. Ad confirmationem dico, contritionem imperfectam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, ut ſuo loco probabitur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramenta ſunt neceſſaria ad ſalutem.

PRIMO QUIDEM: Homo ſenſibilis manu-ducitur ad Deum per ſigna ſenſibilia, qualia ſunt Sacramenta.

Secundo: Conveniebat ſanare morbum amore ſenſibilium contractum per alia ſenſibilia, ſed ſacra, ut Chriſtus medelam ferret, hoſtis unde læſerat.

Tertio: Homines in nullum Religionis nomen, ajunt ſancti Doctores, ſimul convenire poſſunt, niſi ſignis ſenſibilibus, & ſacris adunentur. Iſtæ omnes rationes ex Catechiſmo Rom. p. 2. n. 14. deſumuntur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Verum quidem eſt corporalem exercitationem in ſe ſpectatam ad modicum pro ſalute valere, cum actus ſupernaturales in immenſum ſuperent vires naturæ: ſed non idem dicendum de corporali exercitatione ſacra & elevata.

Secundo: Non negamus & gratiam, & Paſſionem Chriſti ad ſalutem ſufficere; ſed illa per Sacramenta producitur, iſta vero per eadem ad ſalutem applicatur.

Tertio: Licet contritio perfecta juſtificet, non tamen abſque Sacramenti voto, ex quo ſequitur Baptiſmum, & Pœnitentiam eſſe Sacramenta neceſſitate medii ad ſalutem neceſſaria.

ARTICULUS QUINTUS.

De effectibus Sacramentorum.

QUADRUPLEX eſt Sacramentorum effectus, ſcilicet gratia ſanctificans, 2. ejuſdem augmentum, 3. gratia Sacramenti, quæ ſacramentalis vocatur: 4. character. De iſtis quatuor capitibus duo habemus diſcutienda: unum de effectibus, alterum de modo quo producuntur; nimirum an Sacramenta producant gratiam phyſice, vel ſolum moraliter? An ex opere operato & virtute propria? An Sacramentum cum obice ſuſceptum, eodem remoto, ſuum habeant effectum? Unde ſit

SECTIO PRIMA.

De cauſalitate Sacramentorum ſecundum ſe ſpectata.

SACRAMENTA producere gratiam omnes docent Theologi, & de hoc unanimiter conveniunt; quædam etiam producere characterem ultro fatentur: quia vero Heterodoxi maxime Proteſtantes aliter ſentiunt, operæ pretium eſt hoc ipſum in particulari & oſtendere & probare.

De effectu Sacramentorum quantum ad gratiam.

CONCLUSIO PRIMA.

Sacramenta novæ Legis producunt gratiam ſanctificantem.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO QUIDEM ex Scriptura ſacra; ſic de Baptiſmo habetur Matth. c. 26. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* „ Et Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Et ſic de ceteris Sacramentis; ſed ſalus non habetur abſque gratia ſanctificante. Igitur Sacramenta novæ legis producunt gratiam ſanctificantem.

Secundo, hoc ipſum docet, atque definit Concilium Florentinum, poſtea Tridentinum Seſſ. 6. c. 7. "Hujus *inquit*, juſtifi-
„ cationis cauſæ ſunt, finalis quidem, glo-
„ ria Dei & Chriſti, ac vita æterna; effi-
„ ciens

„ ciens vero miſericors Deus qui gratui-
„ to abluit & ſanctificat, ſignans & un-
„ gens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt
„ pignus hereditatis noſtræ; meritoria
„ autem dilectiſſimus unigenitus Filius ſuus
„ Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cum
„ eſſemus inimici propter nimiam chari-
„ tatem qua dilexit nos, ſua Paſſione in
„ ligno crucis nobis juſtificationem meruit,
„ & pro nobis Deo Patri ſatisfecit: in-
„ ſtrumentalis item Sacramentum Bapti-
„ ſmi quod eſt Sacramentum fidei, ſine
„ qua nulli umquam contigit juſtificatio
„ &c. „ Definit vero hanc veritatem
„ Seſſ. 7. Can. 6. his verbis. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint, acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.*

Catechiſmus Romanus hoc ipſum egregie explicat; ait enim P. 2. duplicem eſſe Sacramentorum effectum, ſcilicet gratiam, & characterem; de primo n. 27. ſic loquitur. “ Principem quidem locum
„ merito gratia illa obtinet, quam, uſi-
„ tato a ſacris Doctoribus nomine, juſti-
„ ficantem vocamus: ita enim Apoſtolus
„ apertiſſime nos docuit, cum, inquit,
„ *Chriſtum dilexiſſe Eccleſiam, & ſeipſum*
„ *tradidiſſe pro ea, ut illam ſanctificaret,*
„ *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.*
„ Quo autem pacto tanta res, & tam ad-
„ mirabilis ... per Sacramentum efficia-
„ tur, ut quemadmodum ſancti Auguſtini
„ ſententia celebratum eſt, aqua corpus
„ tangat, & cor abluat: id quidem hu-
„ mana ratione atque intelligentia com-
„ prehendi non poteſt. Conſtitutum enim
„ eſſe debet, nullam rem ſenſibilem ſua-
„ pte natura ea vi præditam eſſe, ut pe-
„ netrare ad animam queat. At fidei lu-
„ mine cognoſcimus omnipotentis Dei vir-
„ tutem in Sacramentis ineſſe, qua id
„ efficiant, quod ſua vi res ipſæ natura-
„ les præſtare non poſſunt. „ De altero effectu ſcilicet charactere ait Concilium Florentinum in Decreto unionis. “ Inter
„ hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus,
„ Confirmatio & Ordo, quæ characterem,
„ id eſt ſpiritale quoddam ſignum impri-
„ munt.

Probatur ſecundo, rationibus Theologicis.

PRIMA, ſic exponitur. Eodem modo ratiocinandum eſt proportionaliter de omnibus Sacramentis ac de Baptiſmo: Sed Baptiſmus producit gratiam. Ergo &c. S. Thomas hic q. 62. art. 1. ex profeſſo probat minorem auctoritate Scripturæ, & D. Auguſtini, in argumento *ſed contra*, ubi ſic loquitur. “ Auguſtinus dicit ſu-
„ per Joannem quod aqua Baptiſmatis cor-
„ pus tangit & cor abluit: Sed cor non
„ abluitur niſi per gratiam: ergo cauſat
„ gratiam, & pari ratione alia Sacra-
„ menta Eccleſiæ. „ Tum in corpore articuli ita proſequitur. “ Reſpondeo, di-
„ cendum, quod neceſſe eſt dicere Sacra-
„ menta novæ legis per aliquem modum
„ gratiam communicare; manifeſtum eſt
„ enim, quod per Sacramenta novæ legis
„ homo Chriſto incorporatur: ſicut de
„ Baptiſmo dicit Apoſtolus ad Galatas 3.
„ *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chri-*
„ *ſtum induiſtis;* non autem efficitur ho-
„ mo membrum Chriſti niſi per gratiam.„

Secunda, hæc eſt: Ideo dicimus cauſas fecundas fecunditatem habere, quia ex ſe virtutem innatam habent ad quoſdam effectus, juxta illud Chriſti Luc. 21. *Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt jam ex ſe fructum.* Virtus quippe data non eſt fruſtranea: Sed ex Catechiſmo Romano ineſt quædam divina virtus Sacramentis ad producendum effectum, naturæ vires longe ſuperantem, ſcilicet gratiam: ergo de facto gratia eſt effectus Sacramentorum.

Tertia: Quod mente non capitur, Deus ſignis & portentis comprobat, ne homines in dubium revocent ejus miſericordiæ effectus: ſed non ſemel miraculis demonſtratum eſt, ineſſe virtutem Sacramentis ad producendam gratiam: Igitur nemini licitum eſt de hoc dubitare. Catechiſmus Romanus p. 2. n. 27. variis momentis probat hanc veritatem, & ſic ſe enuntiat. “ Quocirca, ne ulla umquam hujus
„ effectus dubitatio in animis fidelium re-
„ ſideret, cum miniſtrari Sacramenta cœ-
„ ptum eſt, voluit clementiſſimus Deus,
„ quid illa interius efficerent, miraculorum
„ ſignificationibus declarare, ut eadem
„ perpetuo interius fieri conſtantiſſime cre-
dere-

„ deremus, quamvis longe a noſtris ſenſi- „ bus remota eſſent. Itaque, ut omitta- „ mus, Salvatori noſtro in Jordane ba- „ ptizato, cœlos apertos eſſe, & Spiri- „ tum ſanctum columbæ ſpecie apparuiſ- „ ſe, ut admoneremur, ejus gratiam, „ cum ſalutari fonte abluimur, in ani- „ mam noſtram infundi: ut hoc inquam „ omittamus, (magis enim ad Baptiſmi „ ſanctificationem, quam ad Sacramenti „ adminiſtrationem pertinet) nonne legi- „ mus quum Pentecoſtes die Apoſtoli Spi- „ ritum ſanctum acceperunt, quo deinde „ ad prædicandam fidei veritatem, adeun- „ daque pro Chriſti gloria pericula, ala- „ criores & fortiores fuerunt, tunc facto „ repente de cœlo ſonitu, tamquam ad- „ venientis Spiritus vehementis, apparuiſ- „ ſe illis diſpertitas linguas, quaſi ignis? „ ex quo intellectum eſt, Sacramento Con- „ firmationis eumdem nobis ſpiritum tri- „ bui, eaſque vires addi, quibus poſſimus „ carni, mundo, & Satanæ, perpetuis „ ſcilicet hoſtibus noſtris, fortiter repu- „ gnare, & reſiſtere. Atque hæc mira- „ cula quoties Apoſtoli Sacramenta iſta „ miniſtrarent, initio naſcentis Eccleſiæ „ aliquandiu viſa ſunt, donec firmata jam „ fide, & corroborata, fieri deſie- „ runt. „

Ex his ſequitur Baptiſmum & Pœnitentiam producere primam gratiam: cetera vero Sacramenta, ſecundam, ſeu gratiæ ſanctificantis augmentum. Revera quidem liquido conſtat ex dictis, Sacramenta producere gratiam: Baptiſmus & Pœnitentia illa carentibus eam conferunt, & in iſto ſenſu primam producunt, quocirca dicuntur Sacramenta mortuorum, namque Deo mortuos per peccatum mortale, exſuſcitant: alia nonniſi juſtis conceduntur: Igitur dant animæ juſti primum gratiæ augmentum: & ea de cauſa Sacramenta vivorum nuncupantur.

CONCLUSIO SECUNDA.

Sacramenta novæ Legis præter gratiam ſanctificantem, vel ejus augmentum producunt ſpecialem, quæ dicitur gratia Sacramenti.

Probatur auctoritate & ratione.

NOMINE gratiæ Sacramenti intelligimus jus quoddam ad auxilia actualia, ut homo vivat juxta ſtatum ſpiritualem in quo per Sacramentum inſtitutus eſt: ſic qui baptizatur, vitam chriſtianam debet ducere: qui confirmatur, nomen dat militiæ Chriſtianæ, ut fidem in Baptiſmo acceptam non ſolum teneat, ſed ex profeſſo coram Tyrannis propugnet: qui ſacra nutritur Euchariſtia ſic debet vivere, ait Ambroſius, ut quotidie illam mereatur accipere: qui ad Pœnitentiam accedit, & abſolutionis beneficium accipit, ligatur, inquit divus Thomas, ad faciendum ſatis juſtitiæ divinæ toto vitæ tempore, ut miſericordiam quæ illum abſolvit, exaltet: qui Extremam ſuſcipit unctionem tenetur ſeſe fortiter gerere ad ultimum uſque vitæ momentum adverſus rugientis inimici impetus: qui ſacris initiatur Ordinibus, dubioprocul pie, immo & ſanctiſſime vivere debet, juxta illud 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Denique qui matrimonii vinculo ſimul conjunguntur, ſummis opus habent auxiliis, ut onera matrimonii digne & ſalubriter ſuſtineant. Sed hæc omnia nullus poteſt adimplere ſine gratia actuali, eaque ſpeciali. Igitur cum Deus non deficiat in neceſſariis, dicendum eſt quodlibet Sacramentum ſpecialem gratiam producere, quam quidem noſtri Thomiſtæ vocant modo gratiam Sacramenti, modo etiam jus ad auxilia ſpecialia, quibus vita chriſtiana ſecundum exigentiam cujuslibet ſtatus inſtituitur. Jam probatur minor multis momentis.

Primo: Concilium Florentinum hanc gratiam ſpecialem delineat in Decreto unionis his verbis " Per Baptiſmum enim „ ſpiritualiter renaſcimur; per Confirma- „ tionem augemur in gratia & roboramur „ in fide: renati autem & roborati, nu- „ trimur divina Euchariſtiæ alimonia. „ Quod ſi per peccatum ægritudinem in- „ currimus animæ, per Pœnitentiam ſpi- „ ritualiter ſanamur; ſpiritualiter etiam „ & corporaliter prout animæ expedit, „ per Extremam-unctionem; per Ordinem „ vero Eccleſia gubernatur & multiplica- „ tur ſpiritualiter: per Matrimonium cor- „ poraliter augetur. „ Sed regeneratio, ſeu vita ſpiritualis, non ſine quotidianis

auxi-

auxiliis conſervatur: ſed robur non datur ſine ulterioribus auxiliis, ad fidem coram Tyrannis propugnandam perſecutionum tempore, & ſic de ceteris. Ergo, &c.

Secundo: Ubi ſunt ſpeciales effectus ſupernaturales pereuniter producendi, certe ſpeciales gratiæ prærequiruntur tum ad removenda prohibentia, tum ad difficultates ſuperandas, tum etiam ad actus eliciendos, qui in immenſum vires humanas excedunt: Atqui homo per Sacramenta in ſtatu colendi Deum conſtitutus, immo & propriæ ſanctificationi laborare adſtrictus, debet multa adimplere præcepta, multas propellere tentationes: Igitur per Sacramenta habet jus ad auxilia pro his omnibus neceſſaria.

Iſta ratio eſt divi Thomæ hic quæſt. 62. art. 2. ubi in argumento *ſed contra* ſic loquitur. „ Si gratia Sacramentalis non „ addit aliquid ſuper gratiam donorum „ & virtutum, fruſtra Sacramenta habentibus, & dona & virtutes conferentur: in operibus autem Dei nihil eſt „ fruſtra: Ergo videtur quod gratia Sacramentalis aliquid addat ſuper gratiam virtutum & donorum. „ Quibus verbis ſanctus doctor ſecernit gratiam Sacramenti & a gratia habituali, & a donis, & a virtutibus: ex quo ſequitur ſecundum ejus mentem quodlibet Sacramentum producere gratiam actualem ſpecialem ad actus in tempore opportuno eliciendos, qui congruunt ſtatui in quo homo poſitus eſt vi Sacramenti jam jam ſuſcepti.

Sanctus Thomas ibidem in corpore clare admodum ſe ſe explicat de hoc momento his verbis. " Ordinantur autem Sacra„ menta ad quoſdam ſpeciales effectus ne„ ceſſarios in vita Chriſtiana, ſicut Ba„ ptiſmus ordinatur ad quamdam ſpiri„ tualem regenerationem, qua homo mori„ tur vitiis, & fit membrum Chriſti, „ qui quidem effectus eſt aliquid ſpeciale „ præter actus potentiarum animæ, & „ eadem ratio eſt in aliis Sacramentis. „ Sicut igitur virtutes & dona addunt „ ſuper gratiam communiter dictam quam„ dam perfectionem determinate ordi„ natam ad proprios actus potentiarum; „ ita gratia Sacramentalis, addit ſuper „ gratiam communiter dictam & ſuper „ virtutes & dona, quoddam divinum „ auxilium ad conſequendum Sacramenti „ finem. Et per hunc modum gratia Sacra„ mentalis addit ſuper gratiam virtutum „ & donorum. „

Tertio: Filius jus habet ad bona paterna, maxime ad ea quæ & utilia, & neceſſaria ſunt, ut patri, ſicut promiſit, famuletur: ſed auxilia actualia, eaque ſpecialia neceſſaria ſunt ut Chriſtianus digne & pie vivat, ac debita Deo totius conſolationis Patri, obſequia reddat. Ergo, &c.

De ſecundario Sacramentorum effectu, ſcilicet Charactere.

CHARACTER in genere ſumptus, eſt ſignaculum quoddam Principis cui homo famulatur: ſic apud Romanos cingulum militiæ erat ſignaculum quo milites Romani inſigniebantur; pari & conſimili ratione, qui nomen dant militiæ Chriſti, charactere, quo ab infidelibus ſecernantur, ad honorem & diſtinctionem, donari debent. Porro iſte duplex eſt, extrinſecus unus, intrinſecus alter. Extrinſecus omnibus patet, talis erat circumciſio apud Judæos, qua filii Iſrael a Gentilibus diſtinguebantur: intrinſecus vero ille eſt quo homo conſtituitur ad quoſdam actus Religionis ex officio eliciendos, qui cedunt in Dei gloriam. De eo ſic diſcurrit D. Thomas hic q. 63. art. 3. " Homo autem fidelis ad duo deputatur. „ Primo quidem & principaliter ad frui„ tionem gloriæ, & ad hoc inſignitur ſi„ gnaculo gratiæ, ſecundum illud Ezech. „ 9. (Signa Thau ſuper frontes virorum „ gementium & dolentium.) Et Apo„ calyp. 7. Nolite nocere terræ & mari, „ neque arboribus quoaduſque ſignemus „ ſervos Dei noſtri in frontibus eorum. „ Secundo autem deputatur quiſque fidelis „ ad recipiendum vel tradendum aliis „ ea quæ pertinent ad cultum Dei, & ad „ hoc proprie deputatur character Sa„ cramentalis. Totus autem ritus Chriſtia„ næ religionis derivatur a Sacerdotio „ Chriſti, & ideo manifeſtum eſt quod „ character Sacramentalis, ſpecialiter „ eſt character Chriſti, cujus Sacerdotio „ configurantur fideles, ſecundum ſa„ cramentales characteres. „ Character Sacramentalis definitur ſignum quoddam inviſibile impreſſum animæ, quo homo Chri-

Digitized by Google

Chriſto configuratur, ab infidelibus ſecernitur, & idoneus efficitur vel ſuſcipiendi Sacramenta, vel ſuſceptorum eliciendi actus: ſic per characterem Baptiſmi capax redditur alia ſuſcipiendi Sacramenta: charactere vero Confirmationis inſignitur ut ut fortiter ſe gerat in debellandis Eccleſiæ hoſtibus. Demum per characterem Ordinis ſpecialiter deputatur ad conficienda Sacramenta.

Sanctus Thomas hic q. 63. art. 2. docet characterem eſſe potentiam paſſivam ſi reddat hominem idoneum ad ſuſcipienda Sacramenta; activam vero ſi illum ordinet ad actus religionis eliciendos. Ibidem art. 3. dicit characterem Sacramentalem eſſe Chriſti characterem; ea potiſſimum ductus ratione, quod character ſit participatio Sacerdotii Chriſti, quatenus homo illo inſignitur ad ea, quæ divinum ſpectant cultum, vel ſuſcipienda, vel peragenda. Art. 4. propugnat characterem reſidere in intellectu ſicut in ſubjecto, quia actus religionis pertinent ad fidei profeſſionem, profeſſio autem fidei eſt actus intellectus; tum, quia ad eum ſpectat ordinare actus religionis. Denique art. 5. aſſerit characterem eſſe notam inviſibilem; quod quidem ea probat ratione: Sicut, *inquit*, character militaris non repetitur, ita nec character Chriſtianæ militiæ, maxime vero quia eſt participatio Sacerdotii Chriſti, quod eſt æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Altera hæc ratio addi poteſt, character non eſt peccatis oppoſitus, eſt enim ad agendum, abſtrahendo quod hoc fiat bene vel male; quocirca ſicut bonus ſic & reprobus Miniſter conficit Sacramentum; hinc docent Theologi characterem remanere, tam in prædeſtinatis, quam in reprobis; in illis quidem ad gloriam, in iſtis vero ad opprobrium & contumeliam. Propugnant etiam characterem eſſe ſecundárium Sacramenti effectum, namque gratia primum tenet locum, eo quod Sacramentum per ſe primo ordinetur ad animæ ſanctificationem & glorificationem.

His prælibatis, duo quæruntur. Primo: Num de facto aliqua Sacramenta imprimant characterem? Secundo: Quænam illum conferant? Martinus Kemnitius contendit characterem eſſe Innocentii III. Papæ commentum; contra quem ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Quædam Sacramenta imprimunt Characterem.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

NOMINE Characteris intelligimus ſignaculum Spiritus ſancti, quo Fideles deputantur ad ea quæ ſpectant cultum divinum, & ab infidelibus diſtinguuntur: Atqui talis datur & confertur per quædam Sacramenta, juxta illud 2. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Hic tres effectus ponuntur regenerationis quæ fit in Baptiſmo. Primo, Unctio, quæ fit ſine dubio per gratiam gratum facientem; nam ſicut oleum ſanat & corroborat membra, ita gratia, animam. Secundo Signum ſeu obſignatio quædam, qua conſecramur Deo & deputamur ad ejus cultum, & per hanc intelligitur character, qui a Patribus vocatur ſignum & ſigillum. Tertio, Pignus ſpiritus, id eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ, quod ſequitur juſtificationem.

Secundo: Eph. 1. hæc habentur: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ;* illa autem verba accipiunt Patres Græci & Latini de ſigno Baptiſmi.

Tertio: Ad Epheſ. c. 4. hæc leguntur: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis*: ibi per diem redemptionis, nomen regenerationis intelligunt ſancti Patres.

Secundo, ex Conciliis.

FLORENTINUM in Decreto Unionis hoc ipſum de fide definivit. "Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, *inquit*, Baptiſmus, „ Confirmatio & Ordo quæ characterem, „ id eſt ſpirituale quoddam ſignum a ceteris diſtinctivum imprimunt in anima „ indelebile. Unde in eadem perſona non „ reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Tridentinum expreſſius & magis definitive loquitur Seſſ. 7. can. 9. his verbis. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, ſcilicet*

licet Baptiſmo, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſint; anathema ſit.

Tertio, ex Traditione.

DIONYSIUS Lib. Eccl. Hierarch. c. 2. apud S. Thomam hic q. 63. art. 2. cum dixiſſet quod Deus in quodam ſigno tradit ſui participationem accedenti ad Baptiſmum, ſubjungit, perficiens eum divinum, & communicatorem divinorum, ſcilicet characterem.

Epiphanius Lib. 1. Tomi primi contra Hæreſes. Hær. 8. ait: " Baptiſmus &
,, circumcidit nos a peccatis, & obſignat
,, nos in nomine Domini. ,,

Sanctus Baſilius Oratione 13. exhortatoria ad Baptiſmum, ſic Catechumenos adhortatur ut characterem baptiſmalem ſuſcipiant. " Teſſeram, *inquit*, Du-
,, ces ſub ſe militantibus dant, ut amici
,, facilius ſe invicem noſcentes exhorten-
,, tur, & ſi cum hoſtibus commiſceantur,
,, facilius diſcerni, ac ſeparari poſſint.
,, Quod ſi forte commilitonum ſeparatio
,, fiat, nemo te, quarum, noſtrarum, an
,, adverſarii, partium ſis, noverit, niſi
,, myſticis ſignis familiaritatem præ te fe-
,, ras; niſi ſignatum ſit ſuper te lumen
,, vultus Domini, niſi characterem in te
,, agnoſcat Angelus, quomodo pro te pu-
,, gnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quo-
,, modo, inquam, dices Dei ſum, ſigna
,, non oſtendens? An ignoras quemadmo-
,, dum ſignatas domos in Ægypto, exter-
,, minator præteriit; in non ſignatis ve-
,, ro primogenita peremit? Theſaurus
,, non obſignatus furibus facile patebit,
,, ovis item abſque nota, inſidiis protinus
,, eſt obnoxia. ,,

Ita pariter D. Auguſtinus Epiſt. 204. editionis antiquæ his verbis: " Vos om-
,, nes Chriſti eſtis, characterem Domi-
,, nicum portatis, quem accepiſtis in Sa-
,, cramento. " Idem docet Lib. 2. contra Parmenianum.

Catechiſmus Romanus hanc tradit veritatem p. 2. n. 30. his verbis: " Alter vero
,, Sacramentorum effectus, non quidem
,, omnibus communis, ſed trium tan-
,, tummodo proprius, Baptiſmi, Confir-
,, mationis, & Ordinis ſacri, eſt chara-
,, cter, quem animæ imprimunt. Nam
,, cum Apoſtolus ait, *Unxit nos Deus, qui*
,, *& ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in*
,, *cordibus noſtris*; voce illa, *ſignavit*,
,, non obſcure Characterem deſcripſit,
,, cujus proprium eſt aliquid ſignare &
,, notare. ,,

Quarto, ex Divo Thoma, ejuſque ratione.

QUI magno famulantur Principi, ejus inſigniri debent nota, ut omnes intelligant, hujuſcemodi milites non alteri quam ſuo ſervire Regi: Sed Chriſtus eſt Rex Regum, & quicumque ejus militiæ dant nomen, non ſine crimine alteri Domino famulari ſatagunt. Igitur ejus ſignaculo eos per aliqua Sacramenta obſignari oportet. Minorem probat ſanctus Thomas tota quæſt. 63. In primis vero art. 1. ubi ſic loquitur. " Dicendum, quod
,, ſicut ex prædictis patet, Sacramenta
,, novæ legis, ad duo ordinantur, vide-
,, licet ad remedium contra peccata, &
,, ad perficiendam animam in his quæ
,, pertinent ad cultum Dei, ſecundum
,, ritum Chriſtianæ vitæ. Quicumque au-
,, tem ad aliquid certum deputatur, con-
,, ſuevit ad illud conſignari: ſicut milites
,, qui aſcribebantur ad militiam antiqui-
,, tus, ſolebant quibuſdam characteribus
,, corporalibus inſigniri, eo quod deputa-
,, bantur ad aliquid corporale. Et ideo
,, cum homines per Sacramenta deputen-
,, tur ad aliquid ſpirituale pertinens ad
,, cultum Dei, conſequens eſt, quod per
,, ea fideles aliquo ſpirituali charactere
,, inſigniantur. ,,

Rurſus ibidem art. 3. Character proprie
,, eſt ſignaculum quoddam, quo aliquid
,, inſignitur, ut ordinatum in aliquem
,, finem: ſicut charactere inſignitur de-
,, narius ad uſum commutationum, &
,, & milites charactere inſigniuntur qua-
,, ſi ad militiam deputati. Homo autem
,, fidelis ad duo deputatur. Primo qui-
,, dem & principaliter, ad fruitionem
,, gloriæ. Et ad hoc inſignitur ſignaculo
,, gratiæ, ſecundum illud Ezech. 9. Signa
,, Thau ſuper frontes virorum gementium
,, & dolentium. Et Apocal. 7. Nolite
,, nocere terræ & mari, neque arbori-
,, bus, quoadusque ſignemus ſervos Dei
,, noſtri in frontibus eorum. Secundo
,, autem deputatur quiſque fidelis ad reci-
,, piendum vel tradendum aliis, ea quę perti-
,, nent

„ nent ad cultum Dei, & ad hoc pro„ prie deputatur character Sacramentalis.„

Hanc eamdem celebrat rationem Catechiſmus Romanus n. mox laudato his verbis. “ Eſt autem character veluti inſigne „ quoddam animæ impreſſum, quod dele„ ri numquam poteſt, eique perpetuo in„ hæret: de quo ita apud ſanctum Au„ guſtinum ſcriptum eſt: An minus forte „ Sacramenta Chriſtiana, quam corpora„ lis hæc nota, qua ſcilicet miles inſi„ gnitur, poterunt? Illa namque militi, „ ad militiam quam deſeruiſſet, rever„ tenti, non nova imprimitur, ſed anti„ qua cognoſcitur & approbatur. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Tria tantummodo Sacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem.

PROBATUR primo ex omnibus auctoritatibus mox laudatis. II. Ex divo Thoma qui hic art. 6. hanc expreſſe concluſionem docet, quæ in hac forma proponitur. Charactere inſigniuntur fideles, vel ut recipiant ea quæ divinum ſpectant cultum, vel ut pro eodem operentur: Sed ad hæc omnia triplex ſufficit character; Baptiſmi quidem, ut homo idoneus fiat ad alia Sacramenta ſuſcipienda: Confirmationis, ad fidem coram Tyrannis propugnandam; Ordinis vero, ad conficienda Sacramenta. Ergo, &c.

Probatur minor ex eodem ſancto Thoma. Per Pœnitentiam & Extremam-unctionem removentur ſolum prohibentia cultum Dei, ſcilicet peccata: per Matrimonium dantur filii Eccleſiæ: Euchariſtia vero eſt totius cultus divini & finis & conſummatio: unde inquit ſanctus Doctor “ Per hoc Sacramentum, non ordinatur „ homo ad aliquid aliud ulterius agen„ dum, vel recipiendum in Sacramentis.„ Ergo, &c.

Alteram rationem ibidem pro eodem momento affert: “ Sacramenta, *ait*, in „ quibus imprimitur character non reite„ rantur: quædam autem Sacramenta ite„ rantur, ſicut patet de Pœnitentia & „ Matrimonio. Ergo non omnia Sacra„ menta imprimunt characterem. „

Non prætereunda ſunt ea quæ idem ſanctus Doctor dicit in Quart. diſt. 7. q. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 2. C. “ In diſtin„ ctione filiorum Iſrael ab Ægyptiis, ſi„ gnificabatur character Baptiſmalis: in „ diſtinctione timidorum a fortibus in bel„ lis, character Confirmationis: in di„ ſtinctione Levitarum a fratribus ſuis, „ character Ordinis. „

Secundo: Hanc explanat veritatem Catechiſmus Romanus parte 2. n. 31. & ſic loquitur. “ Jam vero character hoc præ„ ſtat, tum ut apti ad aliquid ſacri ſuſ„ cipiendum vel peragendum efficiamur, „ tum ut aliqua nota alter ab altero in„ ternoſcatur. Ac Baptiſmi quidem cha„ ractere utrumque conſequimur, ut ad „ alia Sacramenta percipienda reddamur „ idonei, & eo præterea fidelis populus „ a gentibus, quæ fidem non colunt, di„ ſtinguatur. Idem autem in charactere „ Confirmationis & ſacri Ordinis licet „ cognoſcere, quorum altero veluti Chri„ ſti milites ad ejus nominis publicam „ confeſſionem & propugnationem, ac „ contra inſitum nobis hoſtem, & ſpiri„ tualia nequitiæ in cœleſtibus armamur „ atque inſtruimur, ſimulque ab iis, qui „ nuper baptizati tamquam modo geniti „ infantes ſunt, diſcernimur: alter ve„ ro tum poteſtatem Sacramenta confi„ ciendi & miniſtrandi conjunctam ha„ bet; tum eorum, qui ejuſmodi poteſta„ te præditi ſunt, a reliquo fidelium cœ„ tu diſtinctionem oſtendit. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS,

Quæ ſunt contra productionem gratiæ per Sacramenta.

OBJICIES contra primam concluſionem: Apoſtolus Epiſt. ad Heb. 11. ait, Sancti, *Per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Igitur Sacramenta non producunt gratiam; ſed potius fides. Similiter quoque Act. 8. de Apoſtolis, habetur: *Oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum.* Locum explicans S. Auguſtinus Lib. 15. de Trinit. c. 26. “ Orabant, *inquit*, ut veniret Spi„ ritus ſanctus in eos quibus manus im„ ponebant, non ipſi eum dabant. „ Sed ſi Sacramenta producerent gratiam, hic effectus orationi non tribueretur, immo & verum eſſet dicere miniſtros conficien-

ficientes Sacramenta, dare Spiritum ſanctum. Ergo, &c.

Respondeo diſtinguendo antecedens: Sancti per fidem tamquam per conditionem *ſine qua non*, adepti ſunt repromiſſiones, concedo: tamquam per cauſam formalem, vel etiam efficientem, nego. Fides eſt conditio prærequiſita ad ſalutem, juxta illud Apoſtoli ibidem: *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, &c.* Sicut autem nemo cordatus dixerit approximationem ſtupæ ad ignem prærequiſitam ad ignitionem eſſe cauſam aut formalem, aut efficientem inflammationis; pari & conſimili ratione nec dicendum eſt fidem eſſe juſtificationis & ſanctificationis cauſam, tametſi tamquam conditio ſine qua impius non juſtificaretur, neceſſaria ſit.

Ad alterum Scripturæ locum pro Confirmatione adductum, ſimiliter diſtinguo: Orabant Apoſtoli, & ſimul formam pronuntiabant ut Confirmationis ſacramentum fidelibus recens baptizatis conſerrent, concedo: & hoc ſecluſa forma conſecratoria fiebat, nego. Propter duo potiſſimum deſcenſus Spiritus ſancti ſuper fideles, Apoſtolorum orationi tribuitur; primo quidem, ex eo quod Spiritus ſanctus non ſine ſignis, his temporibus, ut plurimum deſcenderet ſuper baptizatos, quocirca illum Apoſtoli præviis ſupplicationibus advocabant, quatenus vel etiam ſenſibiliter & miraculoſe ad ædificationem Eccleſiæ naſcentis ſuper fideles illabi dignaretur. Secundo, quia forma Confirmationis ſæpius erat deprecatoria, ſicut & ſemper fuit apud Græcos, qua de cauſa Patres paſſim vocant formas Sacramentorum orationes, ea ducti ratione, quia formæ vel ex precibus componuntur, vel ſaltem aut prævias aut concomitantes, aut ſubſequentes habent. Hoc eſt, orationes, Sacramentorum confectionem quandoque præcedunt, nonnumquam comitantur, & vulgo ſubſequuntur.

Ad auctoritatem Auguſt. etiam utimur diſtinctione: Et hoc unum intendit ſanctus Doctor, miniſtros & Sacramenta non eſſe niſi cauſas inſtrumentales gratiæ, concedo: & Sacramentis denegat energiam producendi gratiam inſtrumentaliter, nego. Effectus tribuitur cauſæ principali, quod ut ſancti Doctores explicent, ſoli Deo ut plurimum tribuunt ſanctificationem, ſed non ideo excludunt cauſam inſtrumentalem. Sic uſus apud homines invaluit, ut artifex diceretur cauſa tabellæ, nuſquam vero aut manus, aut penicillus, quamvis tamen & manus & penicillus in genere cauſæ inſtrumentalis efficienter ad tabellam concurrant. Idem proportionaliter aſſerendum de Sacramentis. Hac ſolutione alii multi Patres explicantur, quum vel ſoli Spiritui ſancto tribuunt gratiæ efficientiam, vel quum aſſerunt Sacerdotes baptizando, ſolam aquam præbere, Deum vero gratiam infundere, ſicut propugnat Hieronymus in cap. 4. Iſaiæ, his verbis: " Ex hoc dixi„ mus quod homo ſolum aquam tri„ buat, Deus autem Spiritum ſan„ ctum. „

Solutio eſt divi Thomæ, qui Quæſt. 5. de veritate art. 8. ad 1. ſic loquitur: " Dictio excluſiva non excludit ab ope„ ratione inſtrumentum, ſed aliud prin„ cipale agens: ut ſi dicatur ſic, Faber „ cultellum facit, non excluditur opera„ tio martelli, ſed alterius Fabri. Ita „ etiam quod dicitur, quod Deus per ſe „ mundum gubernat, juxta illud Grego„ rii Lib. 34. Moralium cap. 2. mundum „ quippe per ſemetipſum regit, quem per „ ſeipſum fabricatus eſt, non excludit „ operationem inferiorum cauſarum, qui„ bus quaſi inſtrumentis Deus agit, ſed „ excluditur regimen alterius principali„ ter agentis. „

Inſtabis: S. Hieronymus & cum eo S. Auguſtinus aliter loquuntur de cauſalitate Sacramenti. Ergo, &c. Probatur antecedens: Primus Comment. in c. 16. Matth. comparat Sacerdotes novæ legis cum Sacerdotibus veteris legis &c. ſic loquitur: " Quomodo ibi leproſum Sacerdos mun„ dum vel immundum facit, ſic & hic „ alligat vel ſolvit (Epiſcopus vel Pres„ byter.) „ Atqui Sacerdotes legis Moſaicæ non remittebant peccata, ſed tantummodo remiſſa declarabant. Igitur nec ea remittunt Sacerdotes novæ legis per Sacramenta. Alter vero Lib. quæſt. veteris & novi Teſtamenti quæſt. 59. aſſerit peccata non per Sacramentum, ſed per fidem deleri: " Qui Baptiſmum, *inquit*, putat car„ nali ratione conſiſtere; hic non eſt ſpi„ ritualis, nec donum cæleſte poterit „ conſequi, qui ſe per aquam, non per

 „ ſi-

„ fidem commutari credit . „ Rurſus Lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. ait : " Quid ſunt quæque corporalia Sacramen„ ta niſi quædam verba viſibilia . „ Igitur Sacramenta non habent efficaciam producendi gratiam.

Reſpondeo negando antecedens : eo ſaltem ſenſu, quod ſancti Doctores efficaciam Sacramentorum novæ legis in hoc negent conſiſtere, quod gratiam producant. Ad auctoritatem Hieronymi diſtinguo : Sanctus Doctor eo loci comparat Sacramenta novæ legis cum Sacramentis legis Moſaicæ quantum ad aliquid, concedo : quantum ad omnia, nego. Sacramenta quæcumque, non ſunt cauſæ gratiæ principales, ſed tantum inſtrumentales, eo tamen cum diſcrimine, quod novæ legis Sacramenta illam producant virtute propria, Moſaicæ vero tantum ex opere operantis. Primum S. Hieronymus ſolummodo intendit ; ibi enim perſtringit miniſtros qui ex verbis illis Chriſti ad S. Petrum directis, Mat. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, &c.* non ſine temeritate exiſtimabant, ſe poſſe univerſim, & ad nutum ſicut reos ſic & innocentes damnare, quaſi forent gratiæ auctores, cum e contra ſint tantum cauſæ miniſteriales, quibus dubioprocul non aſſimilatur effectus. Solutio eſt Divi Hieronymi, qui ibidem ſic habet: " Iſtum locum Epiſcopi & „ Presbyteri non intelligentes, aliquid „ ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſuperci„ lio, ut vel damnent innocentes, vel „ ſolvere ſe noxios arbitrentur; cum apud „ Deum non ſententia Sacerdotum, ſed „ reorum vita quæratur... Quomodo er„ go ſibi leproſum Sacerdos mundum vel „ immundum facit, ſic & alligat vel „ ſolvit Epiſcopus & Presbyter : non „ eos qui inſontes ſunt vel noxii pro of„ ficio ſuo, cum peccatorum audierit va„ rietates, ſcit qui ligandus ſit, quive „ ſolvendus. „

Ad alteram auctoritatem ex S. Auguſtino depromptam, reſpondemus, opus ex quo teſtimonium excerptum eſt, non eſſe D. Auguſtini fœtum, ſed potius cujuſdam Hæretici, qui multa contra fidem ibi diſſeminat, v. g. quod mulier non ſit ad imaginem Dei facta. Sed dato, & non conceſſo auctoritatem eſſe genuinam, inde ſolum ſequitur fidem eſſe cauſam gratiæ dumtaxat diſpoſitivam, & vel ipſa Sacramenta non cauſare gratiam prout extrinſecus ſonant, ſed ut fide tenentur. Hoc eſt prout virtute divina, eaque occulta intrinſecus elevata ſunt : & ſic patet ſolutio ad aliam ejuſdem S. Doctoris auctoritatem.

Inſiſtes : Idem non poteſt eſſe ſignum gratiæ & cauſa : ſed Sacramentum eſt ſignum gratiæ. Igitur ad ſolum Deum ſpectat illam producere; juxta illud Pſal. 84. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*.

Reſpondeo diſtinguendo : Idem non poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ, ſimul & ſignum, concedo : cauſa inſtrumentalis, ſubdiſtinguo ; non poteſt eſſe ſub eodem reſpectu, concedo : ſub diverſo, nego. Cauſa principalis ſi ſit occulta, etiam occulte operatur; ſi ſenſibilis, ſe ipſam abſque ſigno prodit : Sed non implicat cauſam inſtrumentalem eſſe ſignum gratiæ ſecundum quod in re ſenſibili conſiſtit, cauſam vero per virtutem occultam quam accipit : tale eſt autem Sacramentum. Sic ſolvit argumentum S. Thomas hic quæſt. 62. art. 1. ad 1. his verbis " Dicendum, „ quod cauſa principalis, non proprie „ poteſt dici ſignum effectus licet occul„ ti, etiamſi ipſa ſit ſenſibilis & mani„ feſta : ſed cauſa inſtrumentalis, ſi ſit „ manifeſta, poteſt dici ſignum effectus „ occulti, eo quod non ſolum eſt cauſa, „ ſed etiam effectus quodammodo, in „ quantum movetur a principali agente.„ Ibidem S. Doctor ad 3. dicit Prophetam loqui de cauſa principali; ſed non implicare cauſam creatam eſſe cauſam inſtrumentalem gratiæ. " Dicendum, *inquit*, „ quod ratio illa procedit de eo, quod „ eſt cauſa gratiæ per modum principa„ lis agentis : hoc enim eſt proprium „ Dei. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramenta producunt Gratiam & Characterem.

PRIMO : Sacramenta producunt gratiam; ſic enim definivit Concilium Tridentinum Seſſ. 7. can. 6. 7. 8. Primam quidem, ut Baptiſmus & Penitentia; cum mortuis conferantur; e contra vero cetera, non niſi ſecundam, quippe quæ ſolis juſtis concedantur.

Se-

Secundo: Quodlibet Sacramentum producit gratiam propriam, quæ dicitur gratia Sacramenti, quandoquidem filius jus habet ad hæreditatem patris, & jus ad auxilia; maxime in his quæ Dei omnium patris ſpectant gloriam. Porro quoties homo aliquod ſuſcipit Sacramentum, toties novo amoris vinculo, ſeſe ad Dei famulatum adſtringit. Igitur ratione Sacramenti jus habet ad auxilia neceſſaria pro nova vita ſpirituali inſtituenda & peragenda.

Tertio: Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo eatenus inprimunt characterem, quatenus fidelis nomen ſuum dat militiæ Chriſtianæ, ut vel ſuſcipiat, vel etiam faciat, & operetur quæ Dei ſpectant cultum. Sic definivit Synodus Trid. Seſſione 7. can. 9. Sic explicat & probat Catechiſmus ejuſdem Concilii part. 2. n. 29. 30. & 31.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

Contra primam concluſionem.

PRIMO: Tametſi multus ſit ſermo in Scripturis de fide, quando tamen agitur de Sacramentis, dubioprocul ſenſus non eſt fidem eſſe totalem gratiæ cauſam, cum ad eam producendam non niſi diſpoſitive conducat.

Secundo: Incaſſum Heterodoxi pro ſua ſententia aſtruenda quaſdam Patrum auctoritates adducunt, ut Sacramentorum exſufflent cauſalitatem; hæ enim unum dumtaxat probant, videlicet Miniſtros, & ipſa Sacramenta eſſe ſolummodo gratiæ cauſas inſtrumentales, quibus non aſſimilatur effectus. Ceterum eſto quod res, v. g. aqua ſecundum ſe ſpectata, parum proficiat, at ſane non idem dicendum de aqua baptiſmatis virtute Chriſti elevata.

Tertio: Non implicat idem eſſe ſignum ſimul & cauſam gratiæ ſub diverſo reſpectu; maxime ſi ſermo ſit de cauſa inſtrumentali, quæ relative ad cauſam principalem etiam ſubit rationem effectus, ut docet ſanctus Thomas hic quæſt. 62. art. 1. ad 1.

SECTIO SECUNDA.

Num Sacramenta cum obice ſuſcepta, producant Gratiam remoto obice?

DUPLICIS generis diſtinguitur obex, qui poteſt contingere in confectione Sacramentorum: unus irritans Sacramentum, ut ſi quis baptizaret cum vino: alter impediens Sacramenti effectum, puta ſi quis ad penitentiam nullo modo contritus accederet. Non de priori obice loquimur; cum enim in hypotheſi nullum foret Sacramentum, citra dubium eſt, illud non reviviſcere; ſed de poſteriori, & quæritur num, recedente per abſolutionem Sacramentalem fictione, ita reviviſcat Sacramentum cum obice ſuſceptum, ut penitens nedum gratiam confeſſioni peccatorum & abſolutioni, verum etiam & eam Sacramenti ficte recepti reſpondentem, accipiat. Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO

Sacramenta cum obice ſuſcepta producunt Gratiam, remoto per pœnitentiam obice, immo quæ imprimunt characterem, hunc ſecundarium habent effectum, tametſi cum obice ſuſcipiantur.

DUÆ ſunt in hac concluſione partes, nimirum Sacramenta producere gratiam, remoto obice; ea vero quæ imprimunt characterem, etiam cum obice ſuſcepta citra ullam moram, hunc ſecundarium producere effectum. De iſta ſecunda parte non eſt relictus apud Theologos ambigendi locus, cum nec Baptiſmus, nec Confirmatio, nec Ordo reiterentur, licet ea Sacramenta aliquis cum obice ſuſceperit: quod argumentum eſt, Sacramenta cum obice ſuſcepta ſuo viciſſim charactere conſignaſſe ſuſcipientem. Tota igitur difficultas eſt & manet de priori parte.

Probatur rationibus Theologicis Sacramenta cum obice ſuſcepta producere Gratiam remote obice.

PRIMA, ſic exponitur. Ex Scripturis, Conciliis & Patribus ſupra laudatis cuncta Sacramenta producunt gratiam: Ex Flo-

Florentino ſolus Baptiſmus confert regenerativam, ſola Confirmatio, roborativam; ſola Pœnitentia, ſanativam; &c. Immo quædam non reiterantur; ſed ſi remoto per pœnitentiam obice non reviviſcerent, ad ſuam viciſſim gratiam producendam, jam plurima ſequerentur abſurda, v. g. quod in hypotheſi obicis, nondum regeneratus alia ſuſciperet Sacramenta; nondum gratia Ordinis donatus conficeret ſacrificium: nondum gratia conjugali initiatus abſque peccato tamen uxorem cognoſcere poſſet, quæ quidem omnia, ſicut intolerabilia, ſic & horrenda forent. Ergo, &c.

Secunda: Quotieſcumque impeditur aliquis effectus, ſublato impedimento, ipſe producitur: ut ſi quis ab alto pergrandem immitteret lapidem, qui media via occurrente fune ſuſpenſus maneret, abſciſſo fune, proprio pondere ad terram vergeret: Sed effectus Sacramenti, cum obice ſuſcepti, ſuſpenſus ſolummodo manet propter peccati impedimentum. Igitur iſto ablato, Sacramentum gratiam ſibi correſpondentem producit.

Sic docet S. Thomas ex profeſſo hic quæſt. 69. art. 10. auctoritate beati Auguſtini, & ratione. " Sed contra eſt, „ *inquit*, quod Auguſtinus dicit in libro „ de Baptiſmo, tunc valere incipit ad ſa„ lutem Baptiſmus, cum illa fictio, ve„ raci confeſſione receſſerit: quæ corde „ in malitia vel ſacrilegio perſeverante, „ peccatorum ablutionem non ſinebat fie„ ri. „ Ex his verbis claret abſolutionem remittere peccatum affectu, vel etiam ſilentio retentum, quo quis Baptiſmum, v. g. ficte ſuſceperat; tum iſto ſublato obice, Baptiſmatis Sacramentum reviviſcere, ſuumque ſortiri effectum, cum tunc gratia regenerativa producatur, S. Thomas hoc ipſum egregie explicat in corpore his verbis. " Dicendum, quod ſicut ſupra di„ ctum eſt, Baptiſmus eſt quædam rege„ neratio ſpiritualis. Cum autem aliquid „ generatur, ſimul cum forma recipit ef„ fectum formæ, niſi ſit aliquid impe„ diens, quo remoto, forma rei genera„ tæ perficit ſuum effectum: ſicut ſimul „ cum corpus grave generatur, movetur „ deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, „ quo remoto ſtatim incipit moveri deor„ ſum. Et ſimiliter quando aliquis bapti„ zatur, accipit characterem quaſi for„ mam & conſequitur proprium effectum, „ qui eſt gratia remittens omnia pecca„ ta. Impeditur autem quandoque per fi„ ctionem: unde oportet quod remota ea „ per pœnitentiam, Baptiſmus ſtatim con„ ſequatur ſuum effectum. „

Tertia hæc eſt: Opus mortificatum reviviſcit per pœnitentiam, ut ſuo dicetur loco, ſed Sacramenta in ſe ſunt bona opera, mortificata quidem mala ſuſcipientis diſpoſitione. Igitur, illa remota per pœnitentiam, reviviſcunt, & ſuam viciſſim producunt gratiam. Hæc ratio eſt S. Thomæ hic quæſt. 69. art. 10. ad 1. ubi ſic loquitur de Baptiſmo. " Sacramentum Baptiſmi eſt opus Dei & non hominis, & „ ideo non eſt mortuum in ficto qui ſine „ charitate baptizatur. „

Diluuntur Objectiones.

Objicies primo: S. Thomas in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. Quæſtiuncula 3. ad 3. hanc ſibi proponit objectionem. " Sicut „ aliquis ficte accedit ad Baptiſmum, ita „ etiam ad Euchariſtiam. Sed recedente „ fictione, Euchariſtiæ effectum non per„ cipit, qui prius fictus acceſſerat. Ergo „ etiam nec recedente fictione aliquis Ba„ ptiſmi effectum percipit. „ Tum ſic reſpondet. " In Euchariſtia non impri„ mitur character, cujus virtute poſſit „ aliquis virtutem Sacramenti percipere, „ fictione recedente. „ Igitur ſola Sacramenta quæ imprimunt characterem, reviviſcunt ad gratiam, adeoque non eſt verum dicere indiſcriminatim, Sacramenta, recedente fictione, ſuum ſortiri effectum.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Sacramenta quæ non imprimunt characterem, recedente fictione, non producunt gratiam phyſice, concedo: moraliter, nego. Cuncta Sacramenta digne ſuſcepta producunt gratiam phyſice, ut dicetur infra; ſi vero ficte ſuſcepta ſint, ea ſolum, ſublato obice, illam producunt phyſice, quæ remanſerunt in aliquo phyſico, videlicet in charactere, qui, teſte Divo Thoma mox laudato, eſt quaſi forma ad effectum diſpoſitiva: ſed non eſt ſenſus, alia ficte recepta, eamdem moraliter, remoto impedimento, non producere. Unum igitur ex Div. Thomæ textu ſequitur, videlicet Sacramenta charactere ſuſcipientem conſignantia, vel etiam phyſice gra-

gratiam, remoto obice, operari, cetera vero ſolum moraliter.

Inſtabis: Quod non eſt, nihil operatur, nihilque producit: ſed Sacramenta ficte ſuſcepta, non ſunt, immo tranſierunt; quando vero extitere, nihil prorſus propter fictionem produxerunt. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Quod non eſt neque in ſe, neque ratione virtutis relictæ, neque in acceptatione divina, nihil producit, concedo: ſi remaneat in ſua virtute, vel ſaltem in acceptatione divina, nego. Sacramenta quæ imprimunt characterem in ſua remanent virtute, ut reviviſcant ad effectum; cetera vero in acceptatione divina, quatenus continent Chriſti merita; ex quo fit, ut recedente fictione, vi innata moveant Deum, & quidem infallibiliter, propter Chriſti promiſſionem, ut per ipſa producat gratiam ſibi correſpondentem.

Urgebis: Sola Pœnitentia agit dum removetur obex: ſed illa nihil præter gratiam ſanativam producit. Igitur Sacramenta non reviviſcunt; non quidem ratione acceptationis divinæ, cum nihil meriti fuerit, propter fictionem in Sacramenti confectione: neque etiam in charactere, ſaltem ad gratiam producendam, maxime vero cum vel ipſe character ſit de ſe indifferens ad bonum vel malum; & ſicut in juſtis, ita & in peccatoribus perſeveret.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Sola Pœnitentia agit per ſe, concedo: excludendo alia Sacramenta quæ remanſerunt in acceptatione divina, quandoque etiam in charactere, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Pęnitentia duo operatur, primo quidem removet obicem, & gratiam ſanativam producit, reſtituta vero ſanitate, & ſublato obice Sacramenta alia reviviſcunt, & ſuam unumquodque producit gratiam. Hoc ipſum propugnat S. Thomas hic q. 69. art. 10. ad 2. his verbis. " Dicendum, quod fictio non removetur per Baptiſmum: ,, ſed per Pœnitentiam ſubſequentem; ,, qua remota, Baptiſmus aufert culpam ,, & reatum omnium peccatorum Baptiſmum præcedentium, & etiam ſimul ,, exiſtentium cum Baptiſmo, & etiam Auguſtinus dicit in libro de Baptiſmo; ,, Solvitur externus dies, & quidquid ſupereſt ſolvitur, etiam ipſa hora momentumque ante Baptiſmum, & in ,, Baptiſmo: deinceps autem continuo ,, reus eſſe incipit. Et ſic ad Baptiſmi ,, effectum conſequendum concurrit Baptiſmus & Pœnitentia, ſed Baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens: Pęnitentia ſicut cauſa per accidens, id eſt removens prohibens. ,,

Ad primam confirmationem diſtinguo: Nihil eſt meriti in ficto Sacramento ex parte ſuſcipientis, concedo: ex parte ipſius Sacramenti, nego. Reſponſio eſt D. Thomæ jam laudati dicentis, gratiam reviviſcere, non ex parte operantis, ſed ex parte Sacramenti, & ex opere operato, paſſione ſcilicet Chriſti peracta, cujus meritum remanet in Sacramento cum fictione ſuſcepto, quod quidem operatur in Sacramento Pęnitentiæ & ad ſanandum, & ad removendum obicem, ut reviviſcat Sacramentum cum fictione ſuſceptum.

Ad alteram confirmationem diſtinguo: Character eſt de ſe ad bonum & malum ſecundum ſe, nego; namque non eſt indifferens in conſignatis ad opera ſalutis vel ſuſcipienda, vel exercenda; eſt indifferens relative ad ſuſcipientes, ſubdiſtinguo: remote & quatenus per ſe primo non opponitur peccatis, concedo: abſolute, nego. Quod autem ſit virtus Sacramenti, patet ex eo quod, teſte Div. Thoma, ſit participatio Sacerdotii Chriſti ad ſalutem operandam.

Inſiſtes: Ergo Pęnitentia removens, prohibens, producit primam gratiam, producit ſimul & Baptiſmus v. g. Sed hoc eſt inconveniens: Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam: Pęnitentia producit primam gratiam ſanativam, Baptiſmus vero primam regenerativam, concedo: producit ſub eodem reſpectu, eademque formalitate, nego. Similiter diſtinguo minorem: eſt inconveniens primam gratiam ſub eodem reſpectu produci ſimul & a Pęnitentia, & a Baptiſmo, concedo: ſub diverſo, nego. Tametſi recedente fictione, eadem gratia ſanctificans producatur a Pęnitentia, & a Baptiſmo, non tamen ſub eadem formalitate: & cum gratia ſit virtualiter duplex, non implicat quod producatur, ut ſanativa per Pœnitentiam, tum ut regenerativa per Baptiſmum; Sicque Pęnitentia prius prioritate naturæ, ut cauſa quæ removet prohibens, operatur; Baptiſmus

vero etiam prius prioritate naturæ in genere cauſæ regenerativæ agit, ad quam effectus Pœnitentiæ fictionem removentis ſe habet ut cauſa diſpoſitiva ad regenerationem ſpiritualem.

Replicabis: Suppoſito quod adultus poſt fictam Baptiſmi ſuſceptionem peccet antequam accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, Baptiſmus reviviſcens iſta non poteſt abluere peccata: atqui nec ea valet delere Penitentia, cum peccans nondum ſit Eccleſiæ ſubditus: ſed & hoc inconveniens eſt. Ergo &c.

Reſpondeo, peccata in objectione allata remitti per Pęnitentiam; quamvis enim aliquis ficte ſuſcipiat Baptiſmum, fit tamen Eccleſiæ ſubditus, & ratione Sacramenti ſuſcepti, & ratione characteris in ipſo relicti, quo quidem militiæ Chriſtianæ adſcriptus eſt; quocirca Baptiſmus reviviſcens remittit peccatum originale, & actualia commiſſa ante Baptiſmum ficte ſuſceptum; ſed non alia, ita D. Thom. hic q. 69. art. 10. ad 3. his verbis: "Effectus Baptiſmi non eſt tollere peccata futura, ſed præſentia, vel præterita. Et ideo recedente fictione, peccata ſequentia remittuntur quidem, ſed per Pœnitentiam, non per Baptiſmum; unde non remittuntur quantum ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia Baptiſmum."

Inſtabis: Si Sacramenta reviviſcunt per Pęnitentiam, ſequitur hominem qui per totam vitam recepit Sacramenta cum fictione, & immediate ante mortem ſinceram agit Pœnitentiam, æquali donandum eſſe gloria cum illa, qua perfruetur qui Sacramenta digne ſemper ſuſcepit: abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam: Qui enim per totum vitæ curriculum Sacramenta ficte ſuſcepit, nullum habuit in eis recipiendis meritum, unde tametſi Sacramenta reviviſcant ad gratiam, non tamen ad meritum; e contra vero qui ſemper Sacramenta debitis cum diſpoſitionibus ſuſcepit, habet merita cuilibet Sacramentorum ſuſceptioni correſpondentia, adeoque & multo plures gloriæ gradus ipſius meritorum gradibus correſpondentes; & conſequenter ſplendidiorem præ alio coronam conſequetur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramenta cum obice ſuſcepta, ſuam viciſſim producunt Gratiam, remoto obice.

PRIMO: Ex Scriptura ſacra liquet Sacramenta producere gratiam. Igitur & hoc intelligi debet, remoto obice; alias adultus qui ficte ſuſcepit Baptiſmum, nuſquam haberet gratiam regenerativam, quod eſt inconveniens.

Secundo: Motus lapidis in medio fractus & irretitus, remoto prohibente, iterum fit & perſeverat: ſed idem dicendum eſt in moralibus. Ergo &c.

Tertio: Cuncti docent Theologi opera mortificata reviviſcere per Pœnitentiam: idem a fortiori dicendum de Sacramentis, quæ ſunt, inquit divus Thomas, non hominis, ſed Dei opera.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Cum S. Thomas inſtituit Baptiſmi ficte ſuſcepti comparationem cum Euchariſtia ficte etiam ſuſcepta, non intendit Euchariſtiam, remoto obice, ſuum abſolute non habere effectum, ſed illum dumtaxat moraliter producere contendit.

Secundo: Tametſi Sacramentum ficte ſuſceptum non adſit, cum aliquis ad Pœnitentiam digne accedit, remanet tamen in acceptatione divina ut reviviſcat, vel etiam in virtute phyſica, ſi imprimat characterem.

Ceterum, Pœnitentia removet prohibens & abſtergit peccata etiam commiſſa poſt Baptiſmum ficte ſuſceptum; Baptiſmus vero reviviſcens abluit Peccatum originale, & peccata actualia ante ejus ſuſceptionem commiſſa.

Tertio: Licet Sacramenta reviviſcant, non inde ſequitur eum qui per totam vitam ficte ſuſcepit Sacramenta, eſſe melioris conditionis, vel ſaltem ejuſdem, illo qui eadem digne ſuſcepit. Quandoquidem fictus nulla habuit in ſuſceptione Sacramentorum merita; nec alia quam ea quæ virtute Sacramenti quo reviviſcit, immediate ante mortem ſortitur: e contra vero alter largam habet copiam, pro qui-

bus

bus accipiet coronam juſtitiæ, quam reddet juſtus Judex.

SECTIO TERTIA.

De modo quo Sacramenta producunt Gratiam.

HÆC controverſia duo potiſſimum involvit capita, alterum ſe tenens ex vi propria Sacramentorum: alterum vero de natura iſtius virtutis: num ſcilicet ſit phyſica, vel tantummodo moralis. Pro quorum reſolutione ſit

CAPUT PRIMUM.

Prænotanda.

AD quæſtionis intelligentiam, ſciendum duplicem eſſe modum producendi gratiam, nempe ex opere operato, & ex opere operantis. Hæc loquendi formula, licet ab Hæreticis, qui plus de vanitate ac latinitate ſoliciti ſunt, quam de veritate, damnata ſit; tamen apud Doctores Catholicos a quadringentis annis, & ſpecialiter a Concilio Tridentino Seſſ. 7. Can. 8. uſurpata eſt.

Jam vero illud dicitur agere ex opere operato, quod ita producit ſuum effectum, ut & ſi præſupponat aliquando aliquam diſpoſitionem in ſubjecto, non tamen vi & efficacia illius diſpoſitionis producit illum, ſed ex efficacia illius operis ſubjecto applicati, ita ut prævia diſpoſitio tantum requiratur ad tollendum obicem, nec tamen ſit cauſa ipſius effectus.

Illud dicitur agere ex opere operantis, quando producit effectum, non ex vi & efficacia Sacramenti, ſed ex virtute alicujus operis meritorii, id eſt ex vi & energia fidei, ſpei, charitatis & devotionis, quæ tum in ipſo ſuſcipiente, tum in Miniſtro reperiuntur; v. g. quando quis extra Sacramentum elicit actum perfectæ charitatis, ex cujus efficacia obtinet ſuorum remiſſionem peccatorum; & conſequenter dicitur habere gratiam ex opere operantis, quia collatio talis gratiæ, fundatur in opere pœnitentis, & datur ſolo intuitu actus contritionis.

Inania Hæreticorum placita circa cauſalitatem Sacramentorum.

NON defuerunt qui efficaciam noſtrorum Sacramentorum impugnavere, quippe olim 5. Sæculo Meſſaliani docuerunt, Sacramentis non juſtificari homines, ſed ſolis precibus. Armeni quoque & novi quidam Cathari, ſi Guidmundo Carmelitæ credamus, negabant Sacramenta conferre gratiam: verum præcipue inſurrexerunt recentiores Hæretici, videlicet Lutherani & Calviniſtæ, qui initio hæreſeos plane & ingenue fatebantur, juxta ſua principia, Sacramenta non eſſe vere efficacia, ſed nuda ſigna, nec inſervire niſi ad excitandam, & alendam fidem, eam repræſentando per modum picturæ; unde aliter nolebant Sacramenta concurrere ad ſanctificationem, quam prædicatio, & in hoc ajebant tantum differre, quod hæc aures, Sacramenta vero oculos afficiant: ita Kemnitius, Lutherus L. de captivitate Babylonica, & Melancton, qui in locis communibus ſic loquitur: " ,, Error horrendus eſt Scholaſticorum quòd ,, Sacramenta juſtificent. ,, Ita pariter Calvinus L. 4. Inſt. c. 14. Zuinglius L. de vera & falſa Religione.

Sociniani putant, Sacramenta nihil aliud eſſe niſi cæremonias commemorativas rerum præteritarum.

Calviniſtæ & Lutherani, ut incautos deciperent, non ſine temeritate auſi ſunt dicere, ſe a Catholicis calumniose haberi in hoc puncto; hinc propugnarunt Sacramenta eſſe cauſas inſtrumentales juſtificationis. Baptiſmus, inquit Lutherus, producit regenerationem: Sacrementa, ait Calvinus, ſunt inſtrumenta conferendæ gratiæ. Idem & colligitur ex variis confeſſionibus, nempe Gallicana, Polonica, Anglicana, Scoticana.

Verum in his verbis latet venenum ab eruditis detectum: nam quod ſpectat primo ad Calviniſtas, ſenſus eorum eſt, Sacramenta ſpectata ex parte Dei, eſſe certa teſtimonia, quibus teſtatur eos qui ea ſuſcipiunt, eſſe ab æterno electos, & prædeſtinatos, & illos habere veram fidem, quæ juxta ipſorum placita, eſt dumtaxat electorum; eamque nullatenus amitti poſſe, ſi ſemel habeatur, aſſerunt: docentque Sacramenta juncta promiſſio-

nibus

Digitized by Google

nibus in Evangelio contentis, & directis ad omnes, eas determinare ad ſingulares quaſdam perſonas. Secundo iis promiſſionibus vim & firmitatem talem tribuunt, qualem ſigilla & juramenta addunt actibus publicis & diplomatibus, itaut tunc promiſſiones illæ, nobis magis certæ appareant, unde per Sacramenta teſtatur Deus, Petrum v. g. eſſe prædeſtinatum ex parte ſua, & ſe per Sacramenta, velut per juramentum adſtringit, ad applicandum Petro, id quod omnibus univerſaliter dixit.

Ex parte vero ſuſcipientium, volunt Sacramenta eſſe ſigna vacua & egena, ſi careant fide: per fidem illam intelligunt, aſſenſum ad illud Dei teſtimonium; unde debet credere ſuſcipiens certo ſe eſſe de numero prædeſtinatorum quum Sacramenta recipit; ſicque aſſerunt Sacramenta eſſe efficacia, quatenus concurrunt ad fidem noſtram de prædeſtinatione. Fidem illam volunt proficiſci a verbo Dei nudo, augeri vero & confirmari tantum per Sacramenta; tum ea quæ accipiunt prædeſtinati offerri omnibus, ſed accipi ab eis ſolis qui habent fidem: ita ſe explicat Calvinus L. 4. Inſtit. c. 14. & Theodorus Beza in Confeſſione fidei c. 4.

Lutherani contra Calviniſtas inſurgentes, propugnant illam doctrinam eſſe articulum fundamentalem, propter quem nolunt cum eis conjungi; verum non ſaniori modo loquuntur de efficacia Sacramentorum: cenſent enim illi I. Sacramenta ex parte Dei eſſe teſtimonia de ſpeciali aliqua voluntate Dei erga ſingulos ſuſcipientes. II. Fidem ſolam, qua quis credit ob teſtimonium Dei ſuſcipiendo Sacramenta, gratiam ſibi eſſe collatam, eſſe unicam juſtificationis diſpoſitionem. Huc uſque conſentiunt cum Calviniſtis; ſed in hoc differunt. I. Nolunt eſſe teſtimonium certum prædeſtinationis ſuſcipientis, ſed tantum remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ, in hypotheſi perſeverantiæ. II. Docent Sacramentum non ſolum confirmare fidem, ſed eam excitare per modum objecti, per quod Deus ſuas manifeſtat promiſſiones ad omnes pertinere. III. Spiritum ſanctum diſponere mentem ad concipiendam illam fidem. IV. Effectus Sacramentorum, non ſolos prædeſtinatos ſpectare. Addunt ultimo, quod ordinarie loquendo, fides non ſufficiat ad juſtitiam conferendam, niſi habeat adjuncta Sacramenta, quæ ſunt dumtaxat teſtimonia Dei, & hoc modo concludunt Sacramenta eſſe productiva gratiæ: Ita Lutherus Lib. de captivitate Babylonica, & Confeſſio Saxonica articulo de Baptiſmo; ſed quod hi omnes, toto cœlo aberrent, ſequens concluſio, omni argumentorum genere munita, oſtendit.

CONCLUSIO.

Sacramenta novæ Legis producunt gratiam ex opere operato.

PROBATUR MULTIS ARGUMENTIS.

Primum, ex Scriptura ſacra eruitur.

PRODUCERE gratiam ex opere operato, eſt illam producere vere & vi ſibi intrinſeca, eaque ab alio non emendicata: ſed Sacramenta novæ legis gratiam ita producunt: adeoque ſuam a fide non accipiunt efficaciam. Ergo &c. Probatur minor: Prophetæ ſic annuntiaverunt: figuræ ſic præluſerunt: oracula novi Teſtamenti ſic pronuntiant. Ergo &c.

Prophetæ.

ISAIAS cap. 1. ita loquitur in nomine & in perſona Dei: " *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? dicit Dominus .... lavamini, mundi eſtote*. Sed iſta verba de efficacia Baptiſmi interpretantur ſanctus Cyrillus Hiroſolymitanus in prima Catecheſi; Baſilius Orat. 13. de Baptiſmo: in primis Hieronymus comm. in locum laudatum, aitque. " Evangelii „ mihi placet religio, ut baptizemini in „ ſanguine meo per lavacrum regenera„ tionis, quod ſolum peccata dimittit. „ Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua „ & Spiritu ſancto, non intrabit in re„ gnum cælorum. Ipſe quoque Dominus „ aſcendens ad Patrem: Euntes, inquit, „ docete omnes gentes, baptizantes eos „ in nomine Patris, & Filii, & Spiri„ tus ſancti. „

Ezechielis 36. v. 25. hæc de efficacia etiam Baptiſmi habentur: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis*

bit cor novum; quam ſententiam Cyprianus Epiſtola ultima, Hieronymus & alii de virtute intrinſeca Baptiſmo intelligunt.

Succinit Michæas cap 7. his verbis: *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*; quem locum Rupertus in Comment. & Auguſtinus in Pſalmum 113. explicant de Baptiſmi energia.

Zacharias cap. 13. eumdem habet ſermonem: *In die illa*, inquit, *erit fons patens domui David & habitantibus Jeruſalem in ablutione peccatoris & menſtruatæ*: quibus adde illud Pſalmi 50. *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor: lavabis me & ſuper nivem dealbabor*; quæ quidem vaticinia, nemine excepto, ſancti Doctores de Baptiſmo intelligunt: Sed eadem eſt ratio pro reliquis Sacramentis: Igitur ſuam viciſſim producunt gratiam ex opere operato.

Figuræ.

NON una eſt in veteri Teſtamento figura Sacramentorum, maxime Baptiſmi & Euchariſtiæ. Gen. 1. habetur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: & juxta Hebræum, ut illas fecundas redderet. Quod quidem & Tertullianus Lib. de Baptiſmo, & Optatus Milevitanus Lib. 3. contra Parmenianum, explicant de fecunditate aquarum ad regenerationem ſpiritualem. Ibidem cap. 7. arca ferebatur ſuper aquas diluvii, ut Noe cum familia ſalvaretur; hoc ipſum ſanctus Petrus Epiſt. 1. cap. 3. de aquis baptiſmalibus quæ ſalvant animas, interpretatur. Pari & conſimili ratione tranſitus maris rubri ad ſalutem Iſraelitarum deſignat Baptiſma, quo ab Ægyptiis, ſcilicet dæmonum poteſtate eripimur, & a peccato originali abſtergimur. Sic docet S. Cyprianus Lib. 4. Epiſt. 7. ſic D. Auguſtinus Tract. 11. & 13. in Joannem. Piſcina probatica de qua mentio fit Joannis 5. cujus aquæ motæ ſanabant ægrotum, a quacumque detineretur infirmitate, non leviter gratiam baptiſmalem indigitat, ut contendunt ſancti Patres, & inter ceteros S. Ambroſius L. 1. de Spiritu ſancto cap. 7. Tertullianus Lib. de Bapt. Chryſoſtomus & alii. Mitto ceteras figuras, ſcilicet lotionem Naaman Syri in Jordane, qua a lepra mundatus eſt, & cæcum natum, quem Chriſtus ipſe illuminavit per aquam Siloe; quæ quidem omnes figuræ denotant gratiam Baptiſmo intrinſecam ad regenerationem ſpiritualem. Igitur non fidei, ut Heterodoxi convitiantur, ſed Baptiſmo gratia regenerativa tribuitur. Idem dicendum de ceteris Sacramentis pro productione augmenti gratiæ. Et vero ſi fidei tribueretur hujuſmodi effectus, eo quod de fide nonnumquam Scriptura loquatur, a fortiori Sacramentis tribuendus eſt: namque, tametſi Lucæ 7. dicatur: *Fides tua te ſalvum fecit*, Etiam 1. Petri 3. habetur, *Vos ſalvos facit Baptiſma*.

Oracula novi Teſtamenti.

LUCÆ 3. v. 17 legitur: *Ego baptizo vos in aqua*, ait Joannes Baptiſta, *Ille vos baptizabit in Spiritu ſancto*. Igitur non ex opere operantis Baptiſma Chriſti purificat animam, ſicut mundabat Baptiſma Joannis, ſed ex opere operato, alias nullum foret inter utrumque Baptiſmum, diſcrimen.

De Confirmatione ſcriptum eſt Actuum 8. v. 17. *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*: qualis efficacia!

De Pœnitentia, Joannis 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Si remittuntur, dubioprocul Sacramentum facit quod ſignificat.

De Extrema-Unctione Jacobi 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Ecce adhuc pro diluendis peccatis venialibus energia ſignificata per iſtam vocem, *remittentur*.

De Ordine, ſic loquitur Apoſt. 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quæ verba ſancti Doctores uno veluti ore interpretantur de gratia Ordinationis Timothei.

De Matrimonio Matth. 19. v. 6. Chriſtus ait, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: ſed conjunctio a Deo promanans, fit per gratiam. Ergo &c.

Denique, ipſa Euchariſtia quæ eſt omnium Sacramentorum finis, non ſolum gratiam, ſed & gratiæ auctorem præbet, jux-

Digitized by Google

juxta illud Jannis 6. v. 11. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Ex quibus patet gratiam ex vi Sacramenti produci in anima, alias ſi fides in hoc ſola operaretur, inutilia prorſus eſſent Sacramenta, cum fides per concionem ſufficienter excitari poſſit.

Argumentum ſecundum ex Conciliis depromitur.

Ad Eccleſiam in Spiritu ſancto adunatam pertinet & determinare, & proponere credenda, nec ullus hoc negabit niſi ſeipſum probaverit vel in Theologia, vel etiam in fide peregrinum: Atqui Eccleſia in Conciliis adunata multoties definivit Sacramenta gratiam ex opere operato conferre. Ergo &c.

Probatur minor: Nicænum primum Decreto de ſancto Baptiſmate hæc loquitur de Sacramento regenerationis. " Deſcen-
,, dit quidem is qui baptizatur peccatis ob-
,, noxius & ſervitutis corruptione deten-
,, tus, aſcendit autem ab ea ſervitute &
,, peccatis liber filius Dei, & hæres &
,, cohæres Chriſti. ,,

Tum Conſtantinopolitanum primum, in cujus Symbolo credimus.... *unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*.

Milevitanum Can. 2. ait: " Parvuli qui
,, nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc
,, committere potuerunt, ideo in remiſ-
,, ſionem peccatorum veraciter baptizan-
,, tur, ut in eis regeneratione munde-
,, tur, quod regeneratione traxerunt.,,

Non prætereundum eſt Arauſicanum II. Can. 25. *Hoc etiam*, ait, *ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati Chriſto adjuvante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*.

His omnibus accedit Concilium Florentinum, quod cum abſolveretur, Patriarchæ Armenorum advenere, qui digniſſime ſuſcepti, ſub brevi compendio, Orthodoxæ fidei veritatum, ſacro approbante Concilio, Decretum] tradidit Eugenius Papa, in quo hæc leguntur. " Quinto,
,, Eccleſiaſticorum Sacramentorum veri-
,, tatem, ſub hac redigimus formula.
,, Septem ſunt Sacramenta novæ legis,
,, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Eu-
,, chariſtia, Pęnitentia, Extrema-Unctio,
,, Ordo, & Matrimonium, quæ multum
,, a Sacramentis differunt antiquæ legis:
,, illa enim non cauſabant gratiam, ſed
,, eam ſolum per Paſſionem Chriſti dandam
,, eſſe figurabant: hæc vero noſtra & con-
,, tinent gratiam, & ipſam digne ſuſci-
,, pientibus conferunt. ,, Igitur non virtute fidei, & ex opere operantis ſulum, ut ſomniant Heterodoxi, ſed ex opere operato illam conferunt: alias Sacramenta novæ legis a veteribus non differrent, quod eſt manifeſte contra Concilii definitionem.

Tridentinum expreſſius ſeſe explicat, omnemque dirimit controverſiam Seſſ. 7. can. 6. ubi ſic perſtringit Proteſtantes. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ, & notæ quadam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus; anathema ſit*. Tum can. 8. ſic pronuntiat. *Si quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit*.

Tertium argumentum ex Traditione excerptum proponitur.

Traditio eſt perennis alicujus veritatis tranſmiſſio, & juxta S. Auguſtini regulam, dum ejus non adinvenitur initium, dubio procul ab ipſo Chriſto per Apoſtolos veluti a primigenio fonte promanat veritas: Sed ex Traditione habemus efficaciam Sacramentorum novæ legis eſſe ipſis intrinſecam. Igitur non ſoli fidei tanta virtus tribuenda eſt. Probatur minor breviter percurrendo Sæcula.

Ex ſecundo Sæculo agmen ducet Juſtinus Martyr in oratione pro defenſione Chriſtianorum ad Imperatorem Antoninum directa, editione Baſileenſi pag. 172. hæc habet. " Deinde eo adducuntur a no-
,, bis, ubi aqua eſt, atque eo regenera-
,, tionis modo, quo ipſi regenerati ſumus,
,, regenerantur, nam in nomine rerum
,, cunctarum parentis & Domini Dei &
,, Servatoris noſtri Jeſu Chriſti & Spiri-
,, tus ſancti in aqua tum lavantur.,,

Ex tertio Sæculo Clemens Alexandrinus L. 1. Pedagogi c. 6. ſic loquitur. " Mul-

" Multis modis vocatur hoc opus, gratia,
„ illuminatio, perſectum, & lavacrum.
„ Lavacrum quidem per quod peccata abſ-
„ tergimus, gratia autem qua remittun-
„ tur pęnæ quæ peccatis debentur; il-
„ luminatio autem per quam ſanctam il-
„ lam & ſalutarem lucem intuemur, hoc
„ eſt per quam id quod eſt divinum per-
„ ſpicimus; perfectum autem dicimus, cui
„ nihil deeſt. „

Succinit Origenes Hom. 14. in caput 2.
" Lucæ. Parvuli, *inquit*, baptizaotur in
„ remiſſionem peccatorum. „

Tertullianus eodem prope modo loquitur de efficacia Baptiſmi in libro de Baptiſmo, maxime vero in Lib. de Reſurrectione carnis, c. 8. pag. 569. ubi hæc mira eſſatur de efficacia tum Baptiſmi, tum Confirmationis, tum etiam Euchariſtiæ.
" Caro abluitur, ut anima emaculetur,
„ caro uogitur, ut anima conſecretur;
„ caro ſignatur, ut & aoima muniatur,
„ caro maous impoſitione adumbratur, ut
„ & aoima ſpiritu illuminetur; caro
„ corpore Chriſti & ſanguine veſcitur, ut
„ & anima de Deo ſaginetur. „

Non deficit ſanctus Cyprianus, qui Epiſtola ad Donatum de gratia Dei, eleganti calamo celebrat Baptiſnii efficaciam his verbis. " Poſtquam undæ genitalis au-
„ xilio ſuperioris ævi, labe deterſa, in
„ expiatum pectus ſerenum ac purum deſu-
„ per ſe lumen inſudit, poſtquam cœli-
„ tus ſpiritu hauſto in novum me homioem
„ nativitas Secunda reparavit, &c. „

Lactantius qui eodem floruit ſeculo ſuum addit calculum Lib. 7. De divino præmio cap. 5. his verbis: " Cum homo cœleſti
„ lavacro purificatus exponit inſantiam
„ ... incremento divini vigoris accepto,
„ fit homo perfectus ac pleous. „

Ex quarto Sæculo primus enumerandus eſt ſanctus Sylveſter Papa, qui, ut refert Nicephorus Lib. 7. cap. 33. baptizando Conſtantinum Magnum ſic effatus eſt. "
„ Hæc aqua divina virtute per invoca-
„ tionem vivificæ Trinitatis concepta,
„ ſicuti extra corpus hominis abluit, ita
„ etiam animam intra a ſorde & inquina-
„ tione omni mundificans, ſpleodidiorem
„ radiis ſolaribus efficit. „

Ambroſius L. 2. de Pœoitentia Tom. 2. c. 2. ait. " Per lavacrum renovamur,
„ per quod renaſcimur, ſicut ipſe Pau-
„ lus dicit, conſepulti euim ſumus &c.
„ .... Et alibi renovabitur, ſicut aquilæ
„ juventus tua, quod etiam aquila, cum
„ fuerit mortua ex ſuis reliquiis renaſce-
„ tur, ſicut per Baptiſmatis Sacramen-
„ tum, cum fuerimus peccato mortui,
„ renaſcimur Deo ac reformamur. „
Idem docent Hieronymus Epiſt. 83. antiquæ editionis, ſcilicet ad Oceanum, & Optatus Milevitanus L. 5. contra Parmeuianum.

Ex quinto Sæculo S. Baſilius L. de Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. 5. ſic habet de Baptiſmo. " Quapropter, qui
„ oobis vitam diſpenſat Dominus, Ba-
„ ptiſmatis pactum nobis ſtatuit mortis ac
„ vitæ typum habens; mortis quidem ima-
„ ginem impleote aqua, ſpiritu vero vitæ
„ arrham præbeote ... qua mortis exhi-
„ bet imaginem, corpus velut in ſepul-
„ cro recipiens, ſpiritus vero vim vi-
„ vificam immittit, a morte peccati re-
„ novans animas noſtras in novam vi-
„ tam. „ Similia docet D. Cyrillus Hieroſ. Catecheſi 3. pag. 16. " Aqua ſim-
„ plex, *inquit*, per ſancti Spiritus, Chri-
„ ſti & Patris invocationem, accepta vir-
„ tute ſanctitatem conſequitur. Cum eoim
„ duplex ſit homo ex anima & corpore
„ compoſitus, duplex quoque purificatio,
„ iocorporea quidem incorporeo, corpo-
„ rea vero corpori. Et aqua ſane mundat
„ corpus, ſpiritus autem ſignat animam;
„ & p. 17. præcepit Petrus ut in nomine
„ Jeſu Chriſti baptizarentur, ut anima
„ per fidem regeoerata, & corpus per
„ aquam ſuſciperent gratiam. „

Gregorius Nyſſenus Lib. de Baptiſmo Tom. 1. pag. 257. " Baptiſma, *inquit*,
„ peccatorum expiatio eſt, remiſſio delicto-
„ rum, renovatioois & regenerationis cau-
„ ſa. „ Theodoretus in caput 10. Epiſtolæ ad Hebræos, eodem modo ſe explicat.

Celeberrimus eſt locus ſancti Chryſoſtomi, qui Tom. 2. Homilia 25. in Evangelium Joannis pag. 28. ſic loquitur. " Quod
„ eſt matrix embrioni, hoc & fideli
„ aqua. Siquidem in aqua fingitur & ſor-
„ matur, nam primum dictum eſt, Pro-
„ ducant aquæ reptile animæ viventis; ex
„ quo autem Jordanis alveum ingreſſus
„ eſt Chriſtus, non amplius reptilia ani-
„ marum viventium, ſed animas ratio-
„ nales & ſpirituales aqua producit. „

Non abſimili modo diſſerit S. Cyrillus

Alex.

Alex. Tom. 1. Lib. 2. in Joan. cap. 42. " Quemadmodum, *inquit*, viribus ignis ,, intenſius aqua calefacta, non aliter ,, quam ignis urit, ſic Spiritus ſancti ,, operatione ad divinam aquæ refor- ,, mantur virtutem, qua baptizati corpus ,, abſtergunt. ,, Ex his & ſimilibus textibus iſtud ſequitur ratiocinium. Eodem prope modo ineſt aquæ Baptiſmatis virtus ad regenerandum hominem, qualis in matrice ad formandum puerum, aquis maris ad producendum reptile, igni ad inflammandum & comburendum lignum, agnoſcitur: ſed matrix concurrit intrinſece ad formationem pueri: aquæ ex ſe producunt reptilia, ignis immediate & per ſe urit. Igitur ex ſanctis Patribus, & Baptiſmus & alia Sacramenta ex ſe producunt gratiam.

Sanctus Auguſtinus iterum atque iterum laudatus clare ſe ſe explicat circa iſtud momentum, maxime Epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum, Tom. 2. pag. 34. ubi explanans illa Joannis cap. 3. verba *Niſi quis renatus fuerit* &c. ait, " Non enim ,, ſcriptum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex ,, parentum voluntate, aut ex offerentium ,, vel miniſtrantium fide; ſed niſi quis ,, renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto: aqua igitur exhibens forinſecus ,, Sacramentum gratiæ, & ſpiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſolvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem ,, in uno Chriſto, ex uno Adam generatum. ,,

Ex ſexto Sæculo S. Leo Sermone 4. de natali Domini pag. 46. ſic pronuntiat. " Omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis, inſtar eſt uteri virginalis eodem ,, ſpiritu replente fontem, qui replevit & ,, Virginem: ut peccatum, quod ibi evacuavit ſacra Conceptio, hic myſtica tollat ablutio. ,,

Sanctus Gregorius Magnus Lib. 9. Epiſt. 39. ad Theotiſtam Patricium Tom. 4. ita loquitur. " Qui ergo dicit peccata in Baptiſmate funditus non dimitti, dicat in ,, mari rubro Ægyptios non veraciter ,, mortuos. ,,

Pro coronide ſit divus Bernardus, qui florebat decimo tertio Sæculo; ſic autem habet Sermone primo in cœna Domini pag. 188. " Quo illud Sacramentum (ſcilicet Domini Corporis) operatur in ,, nobis, ut videlicet & ſenſum minuat ,, in minimis, & in gravioribus peccatis ,, tollat omnino conſenſum; ſi quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, ,, luxuriæ, aut ceterorum hujuſmodi, ,, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur ,, in eo. ,, Ex his verbis ſequitur Sacramenta propria virtute gratiam cauſare, cum hunc effectum pure & ſimpliciter abſque reſtrictione ſpecialiter Sacramentis Patres tribuant.

Mitto ſanctos alios Doctores, videlicet S. Thomam & S. Bonaventuram, mitto & totius Europæ Catholicas Univerſitates, quæ uno veluti calamo ſcribunt & docent novæ legis Sacramenta gratiam ex opere operato producere; quocirca non ſine inſana temeritate hoc ipſum Heterodoxi negant, quaſi vero ipſa univerſalis Eccleſia cæcutiret, & illi ſoli ſapientiæ theſauris fruerentur, & a Deo veræ lucis radios percepiſſent. Verum illa comminatio Iſaiæ in ipſis adimpletur cap. 15. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat.*

Quartum argumentum ex multiplici ratione conſtatur.

PRIMA ſic procedit: Sacramenta novæ Legis non ſunt vacua & egena elementa, ut ipſe inquit Apoſtolus Gal. 4. 9. ubi illud ſtatuit diſcrimen inter Sacramenta veteris legis & novæ, quod illa eſſent *Infirma & egena elementa*; hinc ait Heb. 7. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*: e contra vero lex Chriſti per ſua Sacramenta ipſam gratiam exhibeat & conferat, juxta illud Joannis c. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*: Sed ſi Sacramenta novæ legis nonniſi ex opere operantis cauſarent gratiam, plus virtutis & efficaciæ non haberent quam Sacramenta veteris legis; immo quam ipſi actus & fidei & religionis, adeoque prorſus eſſent vacua, quatenus nulla virtute pollerent ad gratiam producendam, quod falſum eſt. Ergo &c.

Altera: Sacramenta novæ legis continent tum merita, tum virtutem Paſſionis Chri-

Chriſti, quæ eſt opus operatum. Igitur ex opere operato producunt gratiam. Hanc utramque rationem Catechiſmus Romanus auctoritate ſacræ Scripturæ tum, SS. Ambroſii & Auguſtini ſuffultus parte 2. n. 29. explanat. " Illud etiam, *ait*, plane „ conſtat, excellentiorem & præſtantio„ rem vim Sacramentis novæ legis ineſ„ ſe, quam olim veteris legis Sacramen„ ta habuerunt; quæ cum infirma eſſent, „ egenaque elementa, inquinatos ſanctifica„ bant ad emundationem carnis, non ani„ mæ: quare ut ſigna tantum earum re„ rum, quæ myſteriis noſtris efficienda eſ„ ſent, inſtituta ſunt. At vero Sacramenta „ novæ legis ex Chriſti latere manantia, „ qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum „ obtulit immaculatum Deo, emundant „ conſcientiam noſtram ab operibus mor„ tuis ad ſerviendum Deo viventi, atque „ ita eam gratiam, quam ſignificant, Chri„ ſti ſanguinis virtute operantur. Quo„ circa ſi ea cum antiquis Sacramentis con„ feramus, præterquamquod plus efficaciæ „ habent, & utilitate uberiora, & ſan„ ctitate auguſtiora eſſe inveniuntur. „

Tertia: Effectus a Sacramentis profluentes non poſſunt fidei veluti cauſæ aut formali, aut efficienti tribui, itaut eo ſolum inſtituta ſint ſint, ut excitent fidem. Igitur gratiæ productio tribuitur Sacramentis tamquam cauſis inſtrumentalibus & efficientibus. Probatur antecedens: Sacramenta conferuntur, ut Baptiſmus, parvulis & ſurdis; Extrema-Unctio ægrotis & ſenſuum uſu quandoque carentibus, immo miniſtrantur Linguæ Latinæ imperitis, idiotis & rudibus, & conſequenter eorum fidem per verba non valent excitare. Igitur Sacramenta operantur ex opere operato, nec ſunt mera ſigna fidem excitantia. His adde, quod & ii qui vident aliis conferri Sacramenta, & tamen ea non ſuſcipiunt, æque fructum Sacramenti, ac ipſi ſuſcipientes perciperent, quandoquidem illa ſigna ſicut ſuſcipientium, ſic & præſentium excitarent fidem: Sed hoc nemo hucuſque dixit. Ergo, &c.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

OBJICIES: Virtus producendi gratiam tribuitur fidei, juxta illud Roman. 1. v. 16. *Virtus Dei in ſalutem omni credenti*. Igitur incaſſum hoc ipſum tribuitur Sacramentis; ut enim commune fert adagium: " Fruſtra fit per plura, quod fieri „ poteſt per pauciora. „

Reſpondeo primo retorquendo argumentum: Si fidei ſoli tribuitur gratiæ productio, eo quod Scriptura noonumquam mentionem faciat fidei, ubi de gratia conferenda agitur, pari & conſimili ratione, effectus iſte ſolis tribuendus eſt Sacramentis, quia ipſa Scriptura magnifice de illis loquitur, quando gratiæ cauſas commemorat. Quocirca ad componendos vel ipſius Scripturæ ſenſus, dicendum eſt ut ſupra, gratiæ productionem tribui fidei tamquam diſpoſitioni, Sacramentis vero tamquam cauſis efficientibus, quippe quæ virtutem Dei præcontineant, iſta autem a divinitate per humanitatem Chriſti, & ab humanitate per Sacramenta in nos derivetur; ſicque ex opere operato eam producunt, quod ſane de fide dici non poteſt; licet enim applicet merita Chriſti, non tamen ea continet, ſed eatenus prodeſt, quatenus excitat & movet Chriſtum ad gratiam elargiendam. Quod autem non niſi diſpoſitive actus fidei concurrant ad gratiæ productionem, non una, ſed multiplex comprobat ratio; nam & parvuli actus fidei elicere nequeunt, nec qui apoplexia corripiuntur: illi tamen ſacro lavacro regenerantur, iſti vero abſolutione ſignis expoſtulata, & deinde conceſſa juſtificantur. Igitur fides actualis non eſt indivulſa gratiæ cauſa productiva.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Virtus omni credenti in ſalutem eſt, tamquam per diſpoſitionem, concedo: tamquam per cauſam efficientem, ſubdiſtinguo; ſi credens ſuſcipiat Sacramenta, concedo: ſin minus, nego: eo loci Apoſtolus loquitur in genere de Evangelio; tum de myſteriis, tum etiam de fide, aliiſque mediis ad ſalutem conducentibus quæ in illo continentur. Hinc per diſtributionem accommodam cuncta intelligenda ſunt, itaut fides ex opere operantis, Sacramenta vero ex opere operato gratiam producant.

Inſtabis: S. Auguſtinus fidelis Scripturæ interpres contendit Sacramenta gratiam non producere. Igitur gratis dicitur illa ex opere operato iſtam conferre. Probatur antecedens variis S. Doctoris textibus: Primo Lib. 15. de Trin. cap. 26. ait. Ne-

“ Neque enim aliquis diſcipulorum ejus
,, dedit Spiritum ſanctum ; orabant quip-
,, pe ut veniret in eos, non ipſi eum da-
,, bant . ,, Rurſus L. 9. contra Fauſtum
cap. 16. “ Quid ſunt , *ait* , Corporalia
,, Sacramenta , niſi quædam verba viſi-
,, bilia . ,, Et adhuc L. 21. de civ. cap.
25. debellat opinionem eorum qui ſacro
lavacro tinctos , & corpore Domini ſa-
ginatos a damnatione eripi volebant , ea
ducti ratione , quod Sacramenta gratiam
ex opere operato producerent . “ Sed jam ,
,, *inquit* , reſpondeamus etiam illis , qui
,, non ſolum diabolo & angelis ejus , ſic-
,, ut nec iſti , ſed ne ipſis quidem omni-
,, bus hominibus liberationem ab æterno
,, igne promittunt ; verum eis tantum ,
,, qui Chriſti baptiſmate abluti , & cor-
,, poris ejus , & ſanguinis participes facti
,, ſunt . . . Hi ſunt autem qui hanc libe-
,, rationem nec omnibus habentibus Sacra-
,; mentum Baptiſmatis & Corporis Chri-
,, ſti , ſed ſolis Catholicis, quamvis male
,, viventibus, pollicentur : quia non ſolo ,
,, inquiunt, Sacramento, ſed reipſa man-
,, ducaverunt Corpus Chriſti , in ipſo ſci-
,, licet ejus corpore conſtituti : de quo cor-
,, pore ait Apoſtolus : *Unus panis* , *unum*
,, *corpus multi ſumus* &c. ,, Duo propugna-
bant iſti , quos hic perſtringit S. Augu-
ſtinus : primo quidem Sacramenta gratiam
ex opere operato producere . Secundo , il-
los omnes ſalvari , qui baptizati corpo-
ri Eccleſiæ & per fidem , & ſacræ Eu-
chariſtiæ ſumptionem adunabantur , quos
propter hoc ſalvari autumabant , tametſi
male viverent : porro S. Doctor eoſdem
indiſcriminatim per omnia refellit , nec
ſubnotat Sacramenta gratiam ex opere ope-
rato producere . Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens : Certum
eſt enim S. Auguſtinum variis in locis aſtrue-
re Sacramenta gratiam ex opere operato
producere , maxime Tract. 80. in Joan.
his verbis , quæ de Baptiſmi efficacia pro-
fert : “ Quænam eſt tanta virtus aquæ ut
,, corpus tangat , & cor abluat . ,, Ad
primam probationem diſtinguo : Et eo loci
S. Doctor unum dumtaxat probare inten-
dit , videlicet Sacerdotes non eſſe gra-
tiæ per Sacramenta producendæ cauſas prin-
cipales , concedo : cauſas ne quidem inſtru-
mentales , nego . Ibi diſtinguit Chriſtum a
ceteris miniſtris , quod ſit Deus , quia ſicut
Pater , ſic & ipſe dat Spiritum ſanctum .
“ Quomodo ergo Deus non eſt , *ait* , qui
,, dat Spiritum ſanctum , immo quantus
Deus , qui dat Deum . ,, Jam vero quod
idem Auguſtinus ſenſerit Apoſtolos ut cau-
ſas miniſteriales dediſſe per impoſitionem
manuum Spiritum ſanctum , ejus verba ſe-
quentia manifeſte declarant . “ Neque
,, Scriptura ſuperius dixerat : videns Si-
,, mon quod Apoſtoli darent Spiritum
ſanctum ; ſed dixerat , Videns quod per
impoſitionem manuum Apoſtolorum dare-
tur Spiritus ſanctus , &c.

Ad alteram probationem pro objectione
ex ejuſdem ſancti Doctoris textu excer-
ptam , diſtinguo : Et S. Auguſtinus ibi lo-
quitur de effectu inadæquato Sacramen-
ti , concedo : de effectu adæquato , ne-
go . Duo ſunt in Sacramento conſideran-
da , nempe ſignificatio verborum ; dein-
de vero ipſorum verborum efficacia : eo
loci loquitur S. Doctor ſolummodo de ſi-
gnificatione , quæ competit extrinſece
verbis ; ſed non excludit efficaciam , quæ
iiſdem convenit ratione virtutis ab alto
cœlitus elapſæ . Quod hæc ſit mens ejus ,
verba ſequentia declarant . “ Hæc om-
“ nia , *inquit* , fiunt & tranſeunt , ſo-
,, nant & tranſeunt , virtus tamen quæ
,, per iſta operatur jugiter manet , &
,, donum ſpirituale , quod per iſta inſi-
,, nuatur , æternum eſt . ,,

Ad tertiam probationem adhuc diſtin-
guo : Et ſanctus Auguſtinus ibi reprehen-
dit eos qui propugnabant Sacramenta con-
ferre gratiam inamiſſibilem , concedo :
ex eo quod defenderent Sacramenta con-
ferre gratiam ex opere operato , nego .
Primum docere eſt Lutherano modo lo-
qui ; ſic enim habet vel ipſe Lutherus
Lib. de captivitate Babylonica capite de
Baptiſmo : “ Vides quam dives ſit homo
,, Chriſtianus , ſeu baptizatus , qui etiam
,, volens non poteſt perdere ſalutem ſuam
,, quantiſcumque peccatis , niſi nolit cre-
,, dere . ,,

Sanctus Auguſtinus eſt ſui ipſius inter-
pres ibid. L. 21. de civ. cap. 25. pag.
1470. Ibi enim auctoritate Scripturæ pro-
bat gratiam in Baptiſmo & Euchariſtia
amitti poſſe , nec ſufficere aliquem quon-
dam fuiſſe generatum , ac divina Eu-
chariſtia ſaginatum , niſi in gratia vi Sa-
cramentorum ſuſcepta perſeveret . “ Pri-
,, mum , quia debent attendere , quam ſit
,, intolerabile , atque a ſana doctrina ni-
mis

,, mis devium, ut multi ac pene omnes,
,, qui hæreſes impias condiderunt exeuntes de Catholica Eccleſia, & facti ſunt
,, Hæreſiarchæ, meliores habeant cauſas
,, quam hi qui numquam fuerunt Catholici, cum in eorum laqueos incidiſſent: ſi illos Hæreſiarchas hoc facit
,, liberari a ſupplicio ſempiterno, quod
,, in Catholica Eccleſia baptizati ſunt,
,, & Sacramentum corporis Chriſti in
,, vero Chriſti corpore primitus acceperunt: cum pejor utique ſit deſertor fidei, & deſertore oppugnator ejus effectus, quam ille qui non deſeruit quam
,, numquam tenuit. Deinde quia & his
,, occurrit Apoſtolus eadem verba proferens, & enumeratis illis carnis operibus eadem veritate prædicens: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Unde nec illi in perditis & damnabilibus moribus debent eſſe ſecuri,
,, qui uſque in finem quidem velut in
,, communione Eccleſiæ Catholicæ perſeverant, intuentes quod dictum eſt:
,, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. ,,

Replicabis: Divus Bernardus cauſalitatem Sacramentorum non niſi metaphoricam, & fidei excitativam habet. Igitur in eo ſenſu & Sriptura, & ſancti Patres explicari debent. Probatur antecedens; in Serm. 1. de Cœna Domini ſic loquitur: " Sicut inveſtitur Canonicus per librum,
,, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum, ſic diviſiones gratiarum diverſæ ſunt traditæ Sacramentis. ,, Sed annullus, ſed liber & baculus mera ſunt ſigna gratiæ, eaque vacua. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et eo loci ſanctus Bernardus ſolummodo conſiderat Sacramenta in ratione ſigni, concedo: in ratione Sacramenti, ut ſunt divinæ gratiæ inſtrumentales cauſæ, nego. Ipſe ſanctus Doctor eſt ſuæ mentis interpres: cum enim eodem modo de Sacramentis loquatur, ac de libro, de baculo & annulo, quæ non niſi dignitatis alicujus inveſtituram deſignant & ſignificant, planum eſt eum ibi Sacramenta conſiderare velut ſigna ſacra; ſed cum de Sacramentis ſtricte ſumptis loquitur, veram gratiæ efficientiam eis tribuit; & quidem in eodem ſermone, his verbis. "
,, Gratias agat corpori, & ſanguini Domini, quoniam virtus Spiritus ſancti
,, operatur in eo. "

His adde ſanctum Thomam ſic interpretari D. Bernardum, & rejicere opinionem eorum qui Sacramentis nihil niſi virtutem metaphoricam & fidei excitativam tribuunt; ſic enim loquitur de Sacramentis hic quæſt. 62. art. 1. " Quidam tamen dicunt quod non ſunt cauſa gratiæ
,, aliquid operando, ſed quia Deus Sacramentis adhibitis, in anima gratiam
,, operatur, & ponunt exemplum de illo qui aſſerens denarium plumbeum accipit centum libras ex Regis ordinatione: non quod denarius ille aliquid
,, operetur ad habendum prædictæ pecuniæ quantitatem, ſed hoc operatur ſola voluntas regis. Unde & Bernardus
,, dicit in quodam ſermone de cœna Domini: Sicut inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus
,, per annulum: ſic diviſiones gratiarum
,, diverſæ ſunt traditæ Sacramentis; ſed
,, ſi quis recte conſideret, iſte modus non
,, tranſcendit rationem ſigni. Nam denarius plumbeus non eſt niſi quoddam ſignum regiæ ordinationis, de hoc quod
,, pecunia recipiatur ab iſto. Similiter liber eſt quoddam ſignum quo deſignatur
,, traditio canonicatus. Secundum hoc
,, igitur Sacramenta novæ legis nihil plus
,, eſſent quam ſigna gratiæ: cum tamen
,, ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur quod Sacramenta novæ legis non
,, ſolum ſignificant, ſed cauſant gratiam. ,,

Inſtabis: Si Sacramenta producunt gratiam ex opere operato, jam fides & ceteri virtutum actus, aliæque diſpoſitiones prorſus inutiles erunt pro digna Sacramentorum ſuſceptione; ſed hoc nedum Scripturæ, ſed & Patribus adverſatur. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam; hoc unum quippe inde ſequitur, videlicet actus virtutum ſe tenere ex parte cauſæ materialis, & ſe habere ut diſpoſitiones, Sacramenta vero eſſe cauſas efficientes inſtrumentales gratiæ.

Perſiſtes: Conceſſa hujuſmodi efficacia Sacramentis, duplex inde abſurdum ſequitur, primo quidem ipſum Deum dependere a Sacramentis ut gratiam in anima producat; deinde vero homines teneri colere elementa, quod ſane idololatriam non nihil ſapit. Sed hæc non ſunt admittenda, Ergo &c.

Reſpondeo negando utramque ſequelam: primam quidem, nam Sacramenta ſunt cauſæ gratiæ mere inſtrumentales; norunt autem omnes inſtrumentum pendere a cauſa principali per quam movetur, ſed non e contra. Solus igitur Deus ita eſt cauſa principalis gratiæ, ut abſque Sacramentis eam producere queat. Quocirca latum eſt diſcrimen inter Deum & creaturas in agendo; ille non aſſumit inſtrumenta niſi ad magnificentiam, cauſæ vero ſecundæ tametſi principales utuntur inſtrumentis ob indigentiam, eo quod ſe ſolis & immediate ut plurimum ſuos non poſſint effectus producere. Alteram conſequentiam utique negamus: ſiquidem non colimus creaturas abſolute, ſed relative ad Deum omnium bonorum auctorem, qui certe cultus optimus eſt, ut definivit Concilium ſecundum Nicænum.

Reponunt: Impoſſibile eſt corporale tangere animam, quæ eſt mere ſpiritualis; hinc Patres paſſim docent oculum corporeum etiam de via extraordinaria non poſſe videre intuitive Deum. Igitur commentum eſt aſſerere Sacramentum producere gratiam ex opere operato, & virtute propria.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Corporale ſecundum ſe ſumptum non poteſt agere in animam, & in res ſpirituales, concedo: ut elevatum, ſubdiſtinguo; tamquam cauſa principalis, concedo: veluti inſtrumentalis, nego. Duplicem diſtinguunt Philoſophi cauſam, alteram principalem, inſtrumentalem alteram; prior agit propria virtute; hinc illi aſſimilatur & tribuitur effectus, ſic filius ſimilis eſt Patri: poſterior agit ſolum ut mota, & per virtutem agentis principalis: talia ſunt Sacramenta, unde & virtutem, & ipſum effectum ſoli Chriſto Deo tamquam cauſæ principali tribuimus.

Ad confirmationem negamus paritatem, namque oculus in hypotheſi quod Deum intuitive videret, eſſet viſionis cauſa principalis, quatenus viſio eſt actus vitalis procedens a potentia vitali; quocirca impoſſibile eſt oculum corporeum elevari ad videndum Deum intuitive, ut dictum, & fuſe probatum eſt in Tractatu de Deo uno.

Inſurges: Creatura non poteſt aſſumi etiam ut inſtrumentum creationis: ſed juſtificatio quæ tribuitur Sacramentis, eſt creatio, juxta illud Pſalmi 50. *Cor mundum crea in me Deus*. Immo juxta Patrum placita, eſt opus ipſa creatione difficilius. Igitur ne quidem inſtrumentaliter Sacramenta virtute intrinſeca gratiam poſſunt producere.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Juſtificatio eſt creatio late, concedo: ſtricte, nego. Creatio eſt productio alicujus rei ex nihilo tum ſui, tum ſubjecti: porro gratia quæ eſt cauſa formalis juſtificationis educitur de potentia obedientiali animæ, & eatenus ſolum dicitur creatio, quatenus fit e nihilo meritorum peccatoris, & pure miſericorditer.

Ad Confirmationem diſtinguo: Juſtificatio impii eſt opus ipſa mundi creatione difficilius moraliter, concedo: phyſice, nego. Eatenus juſtificatio nonnumquam quid vel ipſa creatione difficilius operandum dicitur, quatenus peccator Deo vocanti reſiſtit: ſed ſi phyſice ſpectetur non ſic, cum gratia ſanctificans educitur ex potentia obedientiali animæ, adeoque ſupponat ſubjectum. Verum in creatione res fit ex nihilo ſui & ſubjecti. Igitur juſtificatio phyſice ſpectata, nec eſt creatio, nec ipſa creatione opus magis arduum.

Inſiſtes: Quidem Theologi omni exceptione majores propugnant Sacramenta producere gratiam ſolum moraliter. Igitur non ex opere operato; ſin minus eam quoque phyſice cauſarent, quod tamen abnuunt.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Quidam Theologi tenent Sacramenta non niſi moraliter ſed active producere gratiam, concedo: moraliter ſolum paſſive, nego. Aliquid poteſt producere gratiam moraliter triplici modo. Primo quidem fidem excitando & mere objective. Secundo vi inſtitutionis eamdem fidem ita excitando, ut opus fidei motivo factum, habeat propter promiſſionem, cum gratia conferenda connexionem, Tertio demum, movendo Deum ad gratiam in anima producendam vi Chriſti meritorum, ex quo tam infallibilis inter gratiam dandam & opus operatum connexio adeſt, ut gratia vi & inſtitutionis, & promiſſionis, & meritorum ex juſtitia producatur. Juxta priorem modum ſerpens æneus & alia ſigna ſacra poterant advocare gratiam:

etiam: juxta ſecundum, Sacramenta veteris legis, ex opere operantis & paſſive; juxta tertium, noſtra, vi propria & intrinſeca ex opere operato, virtute ſcilicet paſſionis Chriſti peractæ quam continent, illam producunt, moraliter quidem ut contendunt omnes Congruiſtæ, ſed etiam phyſice, ut noſtra ſchola Angelica docet, & autumat.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramenta novæ Legis producunt Gratiam ex opere operato.

PRIMO: Non unum hoc indicat Scripturæ teſtimonium, maxime cum de Baptiſmo dicitur: Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Qui certe effectus fidei non tribuitur, cum pueri baptizandi illa careant.

Secundo: Hoc & Concilia de fide definierunt: Florentinum quidem, dum iſtud inter Sacramenta veteris, & novæ legis ſtatuit diſcrimen, quod illa ex opere operantis ſolum, iſta vero ex opere operato gratiam producerent.

Tertio: Hoc denique validiſſimis probant argumentis ſancti Patres, cum aſſerunt eamdem eſſe in aqua virtutem ad lavandam animam, quæ ineſt vel aquis maris ad reptilia producenda, vel in igne ad comburendum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Omnes auctoritates in contrarium ab Heterodoxis adductæ, unum tantum probant, videlicet Sacramenta noſtra non eſſe cauſas gratiæ principales, nuſquam vero inficiantur eſſe inſtrumentales. Igitur quando Hieronymus ait, Sacerdotes declarare ſolum peccata eſſe remiſſa, dubio procul loquitur de declaratione & externa, & interna in foro interiori per abſolutionem, quia vero miniſter agit tantum ut cauſa inſtrumentalis, non ideo gloriari debet, ut eo loci ſanctus Doctor contra miniſtros ſuperbos concludit.

Secundo: Res corporalis elevata non poteſt quidem attingere rem ſpiritualem ut cauſa principalis, ſed hoc non implicat, ſi ſit ſolum cauſa inſtrumentalis, quæ agit ut mota, cuique non aſſimilatur effectus.

Tertio: Theologi propugnantes Sacramenta producere gratiam tantum moraliter, intelligunt hoc fieri active, & ex opere operato, quocirca non confundunt Sacramenta novæ legis cum Sacramentis veteris legis; immo & longe diſcedunt ab Heterodoxis, quippe qui Sacramenta noſtra non habeant ut ſigna vacua, & mera fidei ſignacula, ſed ut ſigna plena meritorum paſſionis Chriſti, quæ eſt opus operatum.

CAPUT SECUNDUM.

Num Sacramenta novæ Legis producant Gratiam phyſice.

CONGRUISTÆ propugnant Sacramenta novæ legis producere quidem gratiam ex opere operato, quatenus præcontinent virtutem paſſionis Chriſti, quæ quidem movet active Deum ut ad præſentiam Sacramenti producat gratiam; ſed hoc non niſi moraliter fieri autumant: contra quos ſit

CONCLUSIO.

Sacramenta novæ Legis producunt Gratiam phyſice.

HÆC concluſio manifeſte ſequitur ex auctoritatibus tum Scripturæ ſacræ, tum Conciliorum, tum etiam Patrum in præcedenti articulo laudatis: Scripturæ quidem, quæ dicit hominem renaſci ex aqua & Spiritu ſancto; quæ particula *ex*, phyſicam denotat cauſalitatem, ſicut cum Chriſtus dicitur natus ex Maria Virgine, Ly *ex* ſignificat beatam Virginem eſſe vere Deiparam: deinde Conciliorum; illud enim ſtatuunt diſcrimen inter Sacramenta veteris legis & novæ, quod iſta producant gratiam ex opere operato, hoc eſt virtute quam in ſe continent: porro virtus moralis non dicitur contineri, cum potius pendeat ex mera inſtitutione & ordinatione Legiſlatoris, & formaliter importet quid rationis: ex quo certe patet alteram opinionem, veluti confundere Sacramenta novæ legis, cum Sacra-

mentis legis Moſaicæ. Etvero producere gratiam ex opere operato, eſt virtute intrinſeca phyſice illam cauſare, quod Congruiſtæ non ſatis explicant. Denique SS. Patres comparant fecunditatem aquæ baptiſmalis, ejuſque virtutem cum fecunditate aquarum & maris, & fluminum, quæ citra dubium habent virtutem phyſicam producendi piſces; quæ quidem comparatio claudicat, ſi Sacramentis ineſt ſolum virtus moralis ad gratiam producendam.

Probatur jam concluſio auctoritate divi Thomæ ejuſque rationibus.

PRIMA ſic ſe habet: Illa Sacramenta producunt gratiam phyſice, quæ illam pluſquam moraliter cauſant: ſed Sacramenta novæ legis pluſquam moraliter ad gratiæ productionem concurrunt. Igitur illam producunt phyſice, cum non detur medium. Sic docet ex profeſſo divus Thomas hic tota quæſtione 62. maxime vero art. 1. ubi recenſita aliorum Theologorum opinione, illam rejicit, eo quod ſit & adverſa auctoritatibus Patrum, & modus producendi gratiam ab eis aſſignatus non tranſcendat rationem ſigni. Tum Sacramenta pluſquam moraliter producere gratiam concludit his verbis: " Et ,, ideo aliter dicendum, quod duplex ,, eſt cauſa agens, principalis & inſtru- ,, mentalis. Principalis quidem operatur ,, per virtutem ſuæ formæ, cui aſſimi- ,, latur effectus: ſicut ignis ſuo calore ,, calefacit. Et hoc modo nihil poteſt ,, cauſare gratiam niſi Deus: quia gratia ,, nihil eſt aliud quam quædam participa- ,, ta ſimilitudo divinæ naturæ, ſecundum ,, illud 2. Petri 1. magna nobis & præ- ,, tioſa promiſſa donavit, ut divinæ ſimus ,, conſortes naturæ. Cauſa vero inſtru- ,, mentalis non agit per virtutem ſuæ for- ,, mæ, ſed ſolùm per motum, quo mo- ,, vetur a principali agente: unde effectus ,, non aſſimilatur inſtrumento, ſed princi- ,, pali agenti: ſicut lectus non aſſimilatur ,, ſecuri, ſed arti quæ eſt in mente artifi- ,, cis. Et hoc modo Sacramenta novæ ,, legis gratiam cauſant: adhibentur enim ,, ex divina ordinatione hominibus ad gra- ,, tiam in eis cauſandam. Unde Augu- ,, ſtinus dicit lib. 19. contra Fauſtum: Hæc ,, omnia, ſcilicet Sacramentalia, fiunt & ,, tranſeunt: virtus tamen, ſcilicet Dei, ,, quæ per iſta operatur, jugiter manet. ,, Hoc autem proprie dicitur inſtrumen- ,, tum, per quod aliquis operatur. Unde ,, & Tit. 3. dicitur ſalvos nos fecit per ,, lavacrum regenerationis. ,,

Secunda: Sacramenta quæ cauſant gratiam non ſolum in genere ſigni, verum etiam & in genere cauſæ, pluſquam moraliter ad illam producendam ſeſe habent, alias non tranſirent ſigni limites, cum vel ipſum ſignum, excitando fidem, illam cauſet moraliter: ſed ex divo Thoma Sacramenta novæ legis producunt gratiam nedum ut ſigna, ſed & ut cauſæ reales: Igitur & phyſice. Minor eſt ſancti Doctoris hic quæſt. 62. art. 1. ubi propellit placita eorum qui dicunt Sacramenta novæ legis, non niſi moraliter gratiam producere; ea potiſſimum innixus ratione, quod non recedant a ratione ſigni. Tum art. 3. ita loquitur: " Dicendum, ,, quod multipliciter aliquid dicitur eſſe ,, in alio: inter quos duplici modo gra- ,, tia eſt in Sacramentis. Uno modo ſic- ,, ut in ſigno, nam Sacramentum eſt ſi- ,, gnum gratiæ. Alio modo ſicut in cau- ,, ſa, nam ſicut dictum eſt, Sacramen- ,, tum novæ legis, eſt inſtrumentalis gra- ,, tiæ cauſa. Unde gratia eſt in Sacramen- ,, to novæ legis, non quidem ſecundum ,, ſimilitudinem ſpeciei, ſicut effectus eſt ,, in cauſa univoca: neque etiam ſecun- ,, dum aliquam formam propriam & per- ,, manentem, proportionatam ad talem ,, effectum, ſicut ſunt effectus in cauſis ,, non univocis, puta res generatæ in ,, ſole, ſed ſecundum quamdam inſtru- ,, mentalem virtutem, quæ eſt fluens & ,, incompleta in eſſe naturæ. ,,

Tertia: Inſtrumentum in eodem genere cauſæ reponitur cum cauſa principali, quatenùs agit ſolum ut ab ipſa motum: ſed Chriſtus ut Deus, eſt cauſa principalis gratiæ, & quidem vere phyſica: Igitur & Sacramentum, cum illud non agat niſi ut a Chriſto motum & elevatum. Hæc ratio demonſtrativa, eſt ejuſdem ſancti Doctoris ibidem art. 4. " Ponendo, *ait*, ,, quod Sacramentum eſt inſtrumentalis ,, cauſa gratiæ, neceſſe eſt ſimul pone- ,, re, quod in Sacramento ſit quædam ,, virtus inſtrumentalis ad inducendum ,, Sacramentalem effectum: & hæc qui- ,, dem virtus proportionatur inſtrumen- to:

Digitized by Google

„ to: unde comparatur ad virtutem abſo„ lutam & perfectam alicujus rei, ſicut „ comparatur inſtrumentum ad agens prin„ cipale. Inſtrumentum enim, ut dictum „ eſt, non operatur, niſi in quantum eſt „ motum a principali agente quod per „ ſe operatur. Et ideo virtus principa„ lis agentis habet permanens & com„ pletum eſſe in natura: virtus autem „ inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex „ uno in aliud, & incompletum: ſicut „ & motus eſt actus imperfectus ab agen„ te in patiens. „

Quarta ſic exponitur: Paſſio Chriſti eſt cauſa gratiæ non ſolum moralis & meritoria, verum etiam phyſica atque efficiens, nam phyſice Chriſtus paſſus eſt, *ut* . . . . . *mundaret*, inquit Apoſtolus, Tit. 2. *ſibi populum acceptabilem*: atqui paſſio Chriſti operatur per Sacramenta, ſecundum omnem ſuum conatum, ſuamque virtutem, quam ipſa præcontinent Sacramenta. Igitur ſicut paſſio Chriſti operatur moraliter ſimul & phyſice gratiam, ſic & proportionaliter Sacramenta illam cauſare debent. Hoc ipſum docet ſanctus Thomas ibidem ex profeſſo art. 5. quod quidem probat auctoritate Apoſtoli in argumento *ſed contra* his verbis: " Super illud Roman. 5. In ſimili„ tudinem prævaricationis Adæ &c. Di„ cit gloſſa Ex latere Chriſti dormien„ tis in cruce fluxerunt Sacramenta, per „ quæ ſalvata eſt Eccleſia. Sic ergo Sa„ cramenta videntur habere virtutem ex „ paſſione Chriſti ". Tum ſic ipſe pronuntiat: " Dicendum, quod, ſicut di„ ctum eſt, Sacramentum operatur ad „ gratiam cauſandam per modum inſtru„ menti. Eſt autem duplex inſtrumen„ tum: unum quidem ſeparatum, ut ba„ culus: aliud autem conjunctum, ut ma„ nus. Per inſtrumentum autem conjun„ ctum movetur inſtrumentum ſeparatum, „ ſicut baculus per manum. Principalis „ autem cauſa efficiens gratiæ, eſt ipſe „ Deus, ad quem comparatur humani„ tas Chriſti, ſicut inſtrumentum con„ junctum: Sacramentum autem ſicut in„ ſtrumentum ſeparatum. Et ideo opor„ tet, quod virtus ſalutifera a divinita„ te Chriſti per ejus humanitatem in ipſa „ Sacramenta derivetur. „ Sed virtus divina & ſalutifera eſt phyſica: ſed humanitas Chriſti ut inſtrumentum hypoſtatice divinitati conjunctum operatur phyſice. Igitur & Sacramenta quæ ipſa movet humanitas ſancta.

Quinta: Ideo Sacramenta veteris legis cauſabant gratiam ſolummodo moraliter, quia habebant virtutem a paſſione Chriſti dumtaxat futura, & per fidem apprehenſa, adeoque tantummodo moraliter: ſed Sacramenta novæ legis cauſant gratiam ex opere operato, videlicet ex paſſione Chriſti operata, quam realiter præſentem habent in eius virtute: Igitur non ſolum moraliter, ſed phyſice gratiam producunt. Iſta ratio eſt etiam divi Thomæ, ibidem art. 6. " Sic ergo, *inquit*, „ manifeſtum eſt, quod a paſſione Chri„ ſti quæ eſt cauſa humanæ juſtificatio„ nis convenienter derivatur virtus juſti„ ficativa ad Sacramenta novæ legis: „ non autem ad Sacramenta veteris legis, „ & tamen per fidem paſſionis Chriſti „ juſtificabantur antiqui Patres, ſicut & „ nos. Sacramenta autem veteris legis „ erant quædam illius fidei proteſtationes, „ in quantum ſignificabant paſſionem Chri„ ſti & effectus ejus. Sic ergo patet quod „ Sacramenta veteris legis non habebant „ in ſe aliquam virtutem qua operaren„ tur ad conferendam gratiam juſtifican„ tem, ſed ſolum ſignificabant fidem per „ quam juſtificabantur. „

Sexta: Eodem prope modo ratiocinandum eſt de omnibus Sacramentis, ac de Pœnitentia: Sed in iſto Sacramento ſacerdos vere, realiter & phyſice pœnitentem abſolvit a peccatis, ſin minus, ſolum, ut veteris legis Sacerdotes, declararet peccata eſſe remiſſa, quod eſt contra Concilii Tridentini definitionem Seſſ. 14. cap. 6. & can. 3. Quinimmo, ſi ſolum moraliter peccata remitterentur, hoc, ne dicam, per meram non imputationem quaſi fieret, quod utique ab eodem Concilio proſcriptum eſt. Ergo &c.

Septima: Eadem eſt ratio pro omni cauſa inſtrumentali: Sed humanitas ſancta ipſa eſt inſtrumentum quo Chriſtus utitur ad conferendam gratiam, & illam phyſice producendam, quippe quæ ſit divinitati phyſice, & hypoſtatice conjuncta; actiones autem ſunt ſuppoſitorum, illa vero a verbo mota, movet & Sacramentum, quo viciſſim utitur ad gratiam operandam: Verum qua virtute quæſo? niſi ea qua a divinitate ipſa movetur; eadem quippe vis

eſt, quæ a Verbo in humanitatem profluens, ab humanitate in Sacramenta derivatur, ait S. Thomas. Igitur Sacramenta phyſice produeunt gratiam; præſertim vero cum virtute phyſica a divinitate per humanitatem tradita eam ex opere operato producant.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS,

Ex auctoritate divi Thomæ producentibus.

OBJICIES: Sacramenta non niſi per modum interceſſionis & orationis producunt gratiam: Igitur ſolummodo moraliter. Probatur antecedens ex S. Thoma, qui in 3. diſt. 16. q. 1. art. 3. ſic loquitur: " Neque aliqua virtus corporalis, ,, nec ſpiritualis aut animæ, aut Angeli, ,, nec etiam animæ Chriſti potuit ad immutationem legis naturæ impoſitæ divinitus, niſi per modum orationis aut interceſſionis. ,, Sed ſi ſolummodo per modum orationis & interceſſionis effectus ſupernaturales anima Chriſti producat, citra dubium phyſice non operatur in Sacramentis, a fortiori nec ipſa Sacramenta phyſice ſe habent in productione gratiæ.

Reſpondeo, perperam hæc D. Thomæ verba a quibuſdam Theologis objici adverſus cauſalitatem phyſicam Sacramentorum: immo & miror quomodo quidam e noſtris Thomiſtis, videlicet Cajetanus, & Joannes a ſancto Thoma, ut ſeſe ab hac prætenſa difficultate extricarent, re maturius non ponderata, dixerint S. Doctorem ſe in Summa retractaſſe. Neque enim verba in textu eodem modo jacent quo ipſi referunt, ut legenti patebit. Porro eo loci S. Thomas non inquirit, utrum Sacramenta gratiam cauſent phyſice, nec ne? aut utrum ad actiones miraculoſas habeat ſolum potentiam animæ Chriſti per modum interceſſionis, vel orationis? ſed utrum *neceſſitas moriendi, vel patiendi ſubſit in Chriſto voluntati humanæ*. Cui quidem quæſtioni reſpondet in corpore articuli his verbis: " Dicendum, quod ,, ejus ſolius eſt immutare legem, & ,, curſum naturæ impoſitum, qui naturam inſtituit & ordinavit, quod ſolus ,, Deus fecit, & primo neque aliqua virtus corporalis, nec ſpiritualis, aut animæ, aut Angeli, nec etiam animæ ,, Chriſti, potuit ad immutationem legis naturæ impoſitæ divinitus, niſi ,, per modum orationis aut interceſſionis.,,

Ibi, ut claret, non dicit S. Doctor, ſicut objecit Scholæ Angelicæ Vaſquez: " ,, Ad actiones miraculoſas nulla creatura, nec etiam anima Chriſti habet potentiam niſi per modum orationis & ,, interceſſionis. ,, Verum dato & non conceſſo, S. Thomam eo loci agere vel de ipſa Chriſti potentia ad actiones miraculoſas, ne minimum inde adverſus concluſionem noſtram profecto ſequeretur, cum S. Doctor ſit ſui ipſius interpres, ut ex nuda textus expoſitione liquet: ſubdit enim immediate poſt verba in objectione laudata: " Et ideo hoc fuit ſignum Deitatis Chriſti, quod imperando ſigna ,, perficiebat, & non orando, ſicut alii ,, ſancti. Et ideo cum ſecundum legem, ,, & curſum naturæ mors Chriſti corpus ,, conſequeretur, ut dictum eſt; dicendum, quod neceſſitas moriendi in Chriſto non ſubdebatur voluntati ejus humanæ, ſed ſolum divinæ. ,, S. Thomas veram virtutem, eamque phyſicam ibi Chriſto tribuit, videlicet dicendo: " Quod imperando & non orando ſigna ,, faciebat. ,, Sed qui imperat, phyſice agit: Igitur in hoc loco nedum noſtræ adverſatur ſententiæ, ſed potius illam aſtruit:

Inſiſtes: S. Doctor 1. p. q. 45. art. 5. ſic loquitur: " Cauſa inſtrumentalis non ,, participat actionem cauſæ ſuperioris, ,, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitive operatur ad effectum ,, principalis agentis. ,, Sed Sacramentum ſecundum ſe ſumptum nullam habet virtutem diſpoſitivam ad gratiæ productionem, quandoquidem eſt quid mere naturale. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Sacramentum nullam habet virtutem extrinſecam, nego: nullam intrinſecam, ſubdiſtinguo; ex ſe, concedo: ex virtute Chriſti quam præcontinet, nego. Sacramentum poteſt conſiderari dupliciter; 1. ſecundum ſe, deinde ut elevatum: priori modo habet aptitudinem extrinſecam ad effectum a Chriſto intentum ſignificandum, ſic Chriſma in Confirmatione deſignat robur: ut elevatum vero habet virtutem intrinſecam. Sic idem Chri-

ſma

ſima determinatur per virtutem divinam ad producendum robur, contra eos qui fidem impugnant. Prima diſpoſitio eſt extrinſeca, & ex parte elementi ſe tenet, altera intrinſeca, & ſpectat operantem, ſcilicet Chriſtum, qui reddit elementum capax producendi gratiam.

Inſurges: Idem S. Thomas 3. p. q. 62. art. 4. ad 1. comparat virtutem qua Sacramenta producunt gratiam voci, quæ excitat intellectum hominis ad aliquid contemplandum: " Sicut, *inquit*, & in i-,, pſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiri-,, tualis ad excitandum intellectum homi-,, nis in quantum procedit a conceptio-,, ne mentis. Et hoc modo vis ſpiritualis ,, eſt in Sacramentis, in quantum ordinan-,, tur a Deo ad effectum ſpiritualem. ,, Sed virtus vocis quaſi nihil, aut ad ſummum aliquid mere morale eſt. Igitur Sacarmenta dumtaxat moraliter producunt gratiam. Quod etiam ſubindigitare videtur Angelicus Doctor, quippe qui quandoque illam comparet virtutem coloribus in aere præexiſtentibus: porro illi colores nihil ſunt præter reflexionem radii ſolaris, ut videre eſt in iride. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et comparatio eſt inadæquata, concedo: & adæquata eſt, nego. Hoc unum intendit ſanctus Thomas in utraque comparatione, videlicet virtutem qua Sacramenta ad producendam gratiam elevantur, eſſe incompletam; ſed non ideo negat eſſe phyſicam, cum art. 4. mox laudato ex profeſſo doceat Sacramenta præcontinere virtutem, & quidem phyſicam gratiæ productivam. Nam & ibi oppoſitam explodit opinionem auctoritate D. Auguſtini: " Sed con-,, tra eſt, *inquit*, quod Auguſtinus dicit ,, ſuper Joannem, unde tanta vis aquæ, ,, ut corpus tangat & cor abluat? & Be-,, da dicit quod Dominus tactu ſuæ mun-,, diſſimæ carnis vim regenerativam con-,, tulit aquis. ,, Porro contactus phyſicus carnis vivificæ, phyſice ſanctificavit aquas, quæ quidem operatio melius exprimi non poteſt quam per contactum.

Repones: Sanctus Doctor hic q. 62. art. 5. in corpore ſic habet: " Chriſtus liberavit ,, nos a peccatis noſtris præcipue per ſuam ,, paſſionem. ,, Et in reſponſione ad 2. " Virtus Sacramentorum, quæ ordinatur ,, ad tollenda peccata, præcipue eſt in ,, fide PaſſionisChriſti. ,, Sed Paſſio Chriſti non niſi moraliter operatur, cum tantummodo ſit moraliter præſens. Igitur Sacramenta cauſant gratiam ſolum moraliter.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et Paſſio Chriſti eſt moraliter ſimul & phyſice præſens in Sacramentis, concedo: moraliter tantum, nego. Phyſice quidem præſens eſt, quatenus humanitas ſancta eſt inſtrumentum etiam nunc phyſice divinitati conjunctum, immo & realiter præſens in cicatricibus, quæ in ipſa remanent ad Chriſti gloriam; moraliter vero, quatenus meritum Paſſionis Domini Jeſu, qui teſte Apoſtolo Heb. 5. ſemper, *Exauditus eſt pro ſua reverentia*, movet Deum ut nobis conferat gratiam: Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres ibid. his verbis: " Opportet quod virtus ſalutifera ,, a divinitate Chriſti per ejus humani-,, tatem in ipſa Sacramenta derivetur. ,, Virtutem autem divinam eſſe phyſicam nemo cordatus negabit. Tum ſuboit: " Manifeſtum eſt autem ex his quæ ſupra ,, dicta ſunt, quod Chriſtus liberavit nos ,, a peccatis noſtris, præcipue per ſuam ,, paſſionem non ſolum efficienter & ,, meritorie, ſed etiam ſatisfactorie; ſi-,, militer etiam per ſuam paſſionem initia-,, vit ritum Chriſtianæ religionis offe-,, rens ſeipſum oblationem & Hoſtiam ,, Deo, ut dicitur Epheſ. 5. unde mani-,, feſtum eſt quod Sacramenta Eccleſiæ ,, ſpecialiter habent virtutem ex Paſſione ,, Chriſti, cujus virtus quodam modo no-,, bis copulatur per ſuſceptionem Sacramen-,, torum. ,,

SOLVUNTUR OBJECTIONES,

Ex ratione deducta.

OBJICIES: Cauſa phyſica debet eſſe phyſice præſens: Sed Sacramentum non eſt phyſice præſens, nec phyſice tangit paſſum. Ergo &c.

Reſpondeo nego minorem; namque Deus principaliter agens, eſt ubique, quocirca optime dicitur Joan. 1. de Chriſto: *Hic eſt qui baptizat*, quatenus ſuam infundit virtutem elementis ut inſtrumentaliter etiam ſanctificent: Sacramen-

tum quoque eſt præſens, quandoquidem aqua v. g. infunditur ſuper caput pueri, & verba pronunciantur. Solutio eſt divi Thomæ, qui q. 62. art. 4. ad 3. ſic loquitur: " Dicendum, quod ſicut virtus inſtru„ mentalis acquiritur inſtrumento ex hoc „ ipſo quod movetur ab agente princi„ pali: ita & Sacramentum conſequi„ tur ſpiritualem virtutem ex benedictione „ Chriſti & applicatione miniſtri ad „ uſum Sacramenti; unde Auguſtinus di„ cit in quodam ſermone de Epiphania, „ nec mirum quod aquam, hoc eſt ſub„ ſtantiam corporalem ad purificandam ani„ mam dicimus pervenire: pervenit plane „ & penetrat conſcientiæ univerſa lati„ bula. Quamvis enim ipſa ſit ſubtilis & „ tenuis, benedictione tamen Chriſti ſa„ cta ſubtilior, occultans vitæ cauſas, ad „ ſecreta mentis ſubtili rore pertranſit. „ Ibidem ad 2. ait virtutem Sacramenti elevativam reduci ad genus & ſpeciem cauſæ principalis.

Inſtabis: Atqui Sacramenta non habent virtutem phyſicam ad gratiam producendam. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Inde multa ſequerentur abſurda: Primo quidem, quod iſta virtus educeretur e ſubjecto naturali & elementari: Sed hoc implicat; namque quod educitur, præcontinetur virtualiter in ſubjecto ante eductionem, fieri autem non poteſt virtutem ſupernaturalem præcontineri in ſubjecto mere naturali. Secundo, Virtus in hac hypotheſi eſſet ipſo miniſtro nobilior. Ergo &c.

Reſpondeo nego ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo: Iſta virtus educeretur e potentia obedientiali ſubjecti, concedo: e potentia mere naturali, nego. Duplex ſecernenda eſt potentia v. g. in aqua: una ſcilicet pure naturalis, altera vero obedientialis: prior convenit aquæ ratione virtutis innatæ, qua formam ejuſdem ſecum ordinis ſuſcipere poteſt, quæque ex ea educi valet ſecundum conatum agentis naturalis: poſterior convenit enti naturali per ordinem ad Deum qui eſt cauſa ſupernaturalis, quique poteſt ſua actione, ac dominio paſſum ſibi ſubjicere ad quodlibet faciendum; quocirca effectus menſuratur per ordinem ad actionem Dei, qui poteſt facere quæcumque voluerit. Igitur poteſt virtutem ſupernaturalem e potentia obedientiali elementi ad gratiam producendam extrahere.

Ad alteram probationem, nego inde ſequi inſtrumentum eſſe cauſa principali nobilius. Tum, quia homo agit in nomine Chriſti, & eſt ipſius inſtrumentum, tum etiam quia elementum non producit gratiam virtute propria, ſed virtute Dei; ſic ſolvit argumentum S. Thomas hic q. 62. art. 1. ad 2. his verbis: " Sacramenta cor„ poralia per propriam operationem quam „ exercent circa corpus quod tangunt, ef„ ficiunt operationem inſtrumentalem „ ex virtute divina circa animam: ſicut „ aqua Baptiſmi abluendo corpus ſe„ cundum propriam virtutem abluit ani„ mam, in quantum eſt inſtrumentum „ virtutis divinæ: nam ex anima & cor„ pore unum fit, & hoc eſt quod Augu„ ſtinus dicit, quod corpus tangit, & cor „ abluit. „

Inſiſtes: Si illa virtus educeretur e potentia obedientiali aquæ, maxime quia ab ea dependeret in eſſe & conſervari: atqui hæc ratio nulla eſt: Et probatur. Si produceretur de novo ſubjectum e ſpeciebus Euchariſticis, ipſæ ab ipſo dependerent in eſſe & conſervari, & tamen ab eo non educerentur. Igitur a ſimili neque virtus ſupernaturalis educitur ab elemento.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem, nego paritatem. Ratio diſcriminis ea eſt, quod ſpecies connotant primum ſubjectum e quo primitus eductæ ſunt, quocirca non dependerent ab altero; virtus vero Sacramentalis incompleta educitur e potentia obedientiali elementi ad producendam gratiam, ex quo ſequitur eam dependere ab illo in eſſe & conſervari, ſicut cetera accidentia dependent a ſubjecto proprio.

Inſiſtes: Illa virtus phyſica utpote ſpiritualis, non poteſt recipi in ſubjecto corporeo. Ergo &c. Probatur antecedens. Non eſt proportio inter rem ſpiritualem & corpoream. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Virtus ſpiritualis permanens & completa non poteſt recipi in ſubjecto corporeo, concedo: incompleta & tranſiens, ſubdiſtinguo; non poteſt recipi in ſubjecto corporeo ut corporeum eſt, concedo: ut ens

ens eſt, nego. Virtus completa & permanens menſuratur ſubjecto, juxta illud axioma: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; e contra vero incompleta, modo non permanenter, ſed ſolum tranſeunter in illo ſubjectetur; tunc enim menſuratur magis penes terminum quam ſubjectum. Talis eſt virtus elevativa elementi pro Sacramento conficiendo. Cito enim tranſit ad hominem ut in eo producat gratiam; ex quo fit eam non menſurari ſecundum ens corporeum per quod tranſit, ſed potius ſecundum actionem Dei qui illam in elemento producit, ut ſanctificet hominem.

Solutio eſt S. Thomæ hic q. 62. art. 4. ubi ſic reſpondet ad difficultatem: " Ad „ primum ergo dicendum, quod virtus „ ſpiritualis, non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis „ & completæ, ſicut ratio probat: nihil tamen prohibet in corpore eſſe virtutem virtualem inſtrumentaliter, in „ quantum ſcilicet corpus poteſt moveri „ ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum, „ ſicut & in ipſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantum procedit in „ conceptione mentis. Et hoc modo, vis „ ſpiritualis eſt in Sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum ſpiritualem. „

Perſiſtes: Corporeum non poteſt recipi in re ſpirituali: Igitur & juxta legem contrariorum ſpirituale non poteſt recipi in corporali.

Reſpondeo primo, dictum eſſe virtutem ſpiritualem proprie loquendo, non habere pro ſubjecto rem corpoream, ſed per illam veluti per canalem tranſire ad animam, ut in ea producat gratiam; quocirca non niſi ſecundum quid in ea ſubjectatur, ad quod ſufficit proportio analoga, videlicet ut corporeum in ratione entis, & propter potentiam obedientialem qua ſubjicitur agenti ſupernaturali, conveniat in ratione entis cum virtute deſuper miſſa ad ſanctificationem animæ operandam. Ita D. Thomas hic q. 62. art. 3. ad 1. " Dicendum, *ait*, quod gratia non dicitur eſſe in Sacramento ſicut in ſubjecto; neque ſicut in vaſe prout vas eſt „ locus quidam, ſed prout vas dicitur „ inſtrumentum alicujus operis faciendi: „ ſecundum quod dicitur Ezehielis 9. „ unuſquiſque vas interfectionis habet in „ manu ſua. „

Reſpondeo ſecundo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod ſpirituale perficiat corporale, ſed non e contra; poteſt igitur tranſeundo illud tangere; maxime ſi ſit virtus tantummodo incompleta, quæ eſt magis ad terminum, quam ad ſubjectum.

Reſpondeo tertio diſtinguendo: Spirituale perfectum & permanens ne quidem vitaliter poteſt ſubjectari in corporeo, concedo; quandoquidem virtus permanens menſuratur cum ſubjecto, quæ quidem commenſuratio inter ſpirituale & corporeum non invenitur: ſpirituale incompletum, & tranſiens, nego. Solutio eſt S. Thomæ ibidem art. 3. ad 3. ubi ſic habet: " Dicendum, quod ſpirituale exiſtens perfecte in aliquo continet ipſum, „ & non continetur ab eo: ſed gratia „ eſt in Sacramento ſecundum eſſe fluens „ & incompletum, & ideo non inconveniente Sacramentum dicitur continere gratiam. „

Replicabis: Una & eadem virtus non eſt pro diverſis: ſed in Sacramentis multa ſunt, ſcilicet & res, & verba; tamen non niſi una virtus cuilibet Sacramento tribui poteſt. Igitur propter illud inconveniens iſta virtus elevativa videtur eſſe commentum.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Una & eadem virtus non eſt in diverſis ad invicem non ſubordinatis, concedo: ſi ſint ſubordinata, nego. Porro res ſimul cum verbis unum faciunt compoſitum ſacramentale; hinc non eſt inconveniens eamdem virtutem eſſe pro omnibus. Sic docet divus Thomas hic q. 62. art. 4. ad 4. ubi ſic reſpondet ad difficultatem: " Dicendum, quod ſicut eadem vis principalis agentis inſtrumentaliter invenitur „ in omnibus inſtrumentis ordinatis ad „ effectum, prout ſunt quodam ordine „ unum: ita etiam eadem vis Sacramentalis invenitur in verbis, & rebus, „ prout ex verbis & rebus perficitur unum Sacramentum. „

Perſiſtes: Non poteſt concipi iſtam virtutem phyſicam agere in animam: Ergo non eſt admittenda. Probatur antecedens. Primo: Gratia eſt accidens, adeoque non poteſt tranſire de ſubjecto in ſubjectum.

jectum. Secundo: Cum Sacramentum completum inelligitur, jam amplius non eſt illa virtus ſupernaturalis, & tamen niſi adſit, operari in anima non valet. Quocirca inde ſequeretur illam operari quando jam non eſt amplius Sacramentum, quod quidem a nemine admittitur.

Reſpondeo negando antecedens. Ad primam probationem, diſtinguo: Accidens nou tranſit de ſubjecto in ſubjectum pure & ſimpliciter, concedo: ſecundum quid & per impreſſionem in paſſo relictam, nego. Accidens, v. g. calor ignis poteſt conſiderari duplici modo, nempe ſecundum ſe, deinde vero ſecundum impreſſionem quam facit in ligno: priori modo non tranſit de igne in aliud: namque accidens individuatur a ſubjecto, & calor qui producitur in ligno alius eſt ab ipſo ignis calore: poſteriori tamen modo calor ignis quodammodo tranſit ad lignum, quatenus ex impreſſione facta reddit ipſum lignum calidum, immo & ad ignitionem uſque conducit. Non abſimili modo virtus tranſiens per Sacramenta, eatenus tranſit ad animam, quatenus ex impreſſione Sacramenti illam ſanctificat.

Sic reſpondet D. Thomas hic artic. 3. ad 2. " Dicendum, *inquit*, quod quamvis accidens non tranſeat de ſubjecto in ſubjectum, tranſit tamen a cauſa per inſtrumentum aliqualiter in ſubjectum; non ut eodem modo ſit in eis: ſed in unoquoque ſecundum propriam rationem."

Ad alteram probationem dico, Sacramentum ſuum producere effectum in termino extrinſeco, quando ſcilicet verum eſt dicere, fuit Sacramentum, nunc vero non eſt, (intellige ſecundum ſe) ſed eſt ratione virtutis relictæ, ſicut impreſſio manus in pila a motu & conatu brachii relicta, ſemper pulſat pilam ubi eſt impetus dirigentis & pulſantis, tametſi actu non amplius manus pulſet pilam: Idem proportionaliter dicendum de impreſſione Sacramenti, maxime vero cum entia ſucceſſiva quæ habent unam partem poſt alteram, & nuſquam omnes ſimul, ſuos non producant effectus niſi in termino extrinſeco, in quo verum eſt dicere, nunc non eſt motus, qui immediate antea erat.

Dices: Ergo Sacramenta non ſunt cauſæ gratiæ efficientes, ſed tantum diſpoſitivæ.

Reſpondeo negando ſequelam. Ratio S. Thomæ ea eſt, quod inſtrumentum pertineat ad genus cauſæ principalis, eo quod non agat niſi ut ab ea motum: ex quo ſequitur Sacramenta eo ſenſu dici cauſas gratiæ inſtrumentales efficientes, quo agunt ut mota a Deo, qui eſt cauſa efficiens & principalis gratiæ.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramenta producunt Gratiam phyſice.

PRIMO: Hoc ipſum non levius indicat Scriptura ſacra, cum ait, Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Quandoquidem particula, *ex*, juxta tritam interpretationem, certe ſonat phyſicam cauſalitatem: quod etiam innuit Catechiſmus Romanus, dum ait Sacramenta novæ legis præcontinere gratiam quam ſignificant.

Secundo: Hoc etiam innuunt multi Patres, qui eamdem tribuunt aquæ Baptiſmali fecunditatem ad regenerandam animam, quam vel ipſe Creator contulit aquis tum Oceani, tum fluminum ad producendos piſces.

Tertio: Suffragatur ratio D. Thomæ, eaque validiſſima. Nam, inquit, inſtrumentum agit ut motum a cauſa principali; neminem autem latet Deum eſſe cauſam phyſicam gratiæ. Igitur & idem dicendum de Sacramentis novæ legis.

SYNOPSIS ARGUMENTORUM

In contrarium, & ſolutionum.

PRIMO: Licet corporeum ſecundum ſe ſpectatum non poſſit attingere rem ſpiritualem, qualis eſt anima, bene tamen ut elevatum; & hoc in termino extrinſeco per impreſſionem relictam in anima, quæ illam cum Deo ut fini ultimo conjungit, eo prope modo quo impreſſio manus facta in pila, eam ipſam ducit ad terminum.

Secundo: Non implicat virtutem incompletam ſupernaturalem recipi tranſeunter in ſubjecto corporeo, tum quia inter utrumque adeſt proportio analoga ratione potentiæ obedientialis elementi; tum quia virtus illa non commenſuratur cum corporeo, ſed potius cum termino quem reſpicit, eo quod ſit tranſiens.

Ter-

Tertio : Non negamus Paſſionem Chriſti, ex qua promanat virtus ſanctificativa, tranſactam eſſe, ſed contendimus, remanere in ſua virtute phyſica, maxime vero cum I. ſancta humanitas ſit inſtrumentum conjunctum cum divinitate, quæ eſt cauſa phyſica. II. & virtus ſalutifera, *inquit*, D. Thomas, a divinitate per humanitatem in Sacramenta derivetur; ex quo reſultat Sacramenta cauſare phyſice gratiam.

CAPUT TERTIUM.

An opinio eorum, qui propugnant Sacramenta non niſi moraliter producere gratiam, defendi poſſit?

TAMETSI noſtra ſit ſententia & quidem probabilior, Sacramenta nedum moraliter, ſed & phyſice producere gratiam, cui, etiam extra ſcholam D. Thomæ ſuffragantur Yſambertus, Suarez & alii non pauci; quia tamen non ignoti nominis Theologi propugnant, non niſi moraliter gratiam illa cauſare, ſicut ad ſolatium, ſic & ad Theologiæ candidatorum utilitatem, eorum placita juvat hic proferre. Unde fit

CONCLUSIO.

Probabilis eſt opinio eorum qui propugnant Sacramenta novæ Legis Gratiam ſolum moraliter producere.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA hæc eſt: Sacramenta ſunt ſigna arbitraria & ex inſtitutione pendentia: Sed ſignum gratiæ arbitrarium, eam ſolum moraliter producit. Et probatur: Quod a voluntate ſola & acceptatione Dei ortum habet, intra limites cauſæ moralis concluditur: ea ratione dignitas Præſidis Inſulati eſt quid morale, quia a voluntate regis dependens eſt, nec aliud importat poteſtas majores cauſas ſupreme judicandi præter voluntatem inſtitutoris: Sed Sacramentorum efficacia ex mero Chriſti arbitrio, ejuſque voluntate profluit. Igitur cauſæ moralis terminos nec excedunt, nec prætergrediuntur Sacramenta.

Altera : Talis eſt effectus, qualis eſt cauſa: Sed cauſa Sacramentorum eſt moralis reduplicative ut eorum cauſa eſt. Et probatur: Hujuſmodi cauſa formalis eſt Chriſtus quatenus redemptor & mediator: Sed tametſi cauſa gratiæ phyſica ſit ut plurimum, attamen ut operatur in Sacramentis eſt Mediator & Redemptor: porro Redemptor operatur ratione & paſſionis jam jam peractæ, & meritorum quæ manent in acceptatione divina: neminem autem latet hæc omnia non niſi quid morale ſpirare. Ergo &c.

Tertia: Chriſtus ut Deus, eſt cauſa principalis phyſica gratiæ, principalis vero moralis ut Redemptor: Sed Sacramenta quocumque modo ſpectentur relative ad Chriſtum, non niſi cauſalitatem moralem induunt & ſortiuntur. Igitur ſunt ſolum cauſæ morales gratiæ. Probatur minor, in qua non nihil difficultatis affulget. Primo quidem, ſi relative ad Chriſtum ut Deum ſpectentur Sacramenta, ex vi accepta movent eum ut ad eorum præſentiam producat gratiam, & hoc propter promiſſionem ab illo factam, gratiam conferendi, ut primum hujuſmodi ſigna fierent. Si vero ad eumdem Chriſtum ut redemptorem conſiderentur, dubio procul ſe habent ad eum, ſicut pecunia ſe habet ad emptorem, qui ex pretio exhibito movetur ad merces hic & nunc dandas; cum enim vel ipſa novæ legis Sacramenta contineant realiter paſſionis merita, movent Chriſtum ut ad præſentiam tantorum ſignorum producat gratiam, & quidem ut cauſa principalis. Quia vero ſignum realiter præcontinet pretium; eamdem ut cauſæ inſtrumentales motæ ab ipſo Chriſto, & illi ſubordinatæ producunt. Ergo &c.

Quarta : Sacramenta in ſuo conceptu formali nihil præter quid morale complectuntur. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: duo ſunt in quolibet Sacramento, videlicet compoſitum phyſicum ex elementis & verbis coaleſcens: deinde vero merita Paſſionis Chriſti, quæ quidem in eis juxta Concilii Tridentini definitionem præcontinentur. Sed Sacramentum ut eſt quid phyſicum, non valet producere gratiam. Et probatur: Primo, Quia ſic ſumptum eſt quid naturale, gratia vero ordinis ſupernaturalis. Secundo, Nulla eſt inter corporale & rem ſpiritualem proportio. Tertio, Nec illud corporeum poteſt virtute ſupernaturali ad producendam gratiam elevari, quandoquidem virtus illa, utpote ſpiritualis, nequit ſubjectari in

re

re corporea eaque extenſa in ordine ad locum, juxta illud tritum axioma : *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur* : Relinquitur igitur Sacramentum redeplicative ut ens morale gratiam producere, adeoque mere moraliter.

Quinta: Pſal. 83. hebetur : *Gratiam & gloriam dabit Dominus ;* ſed hæc ſententia innuit ſolum Deum eſſe gratiæ cauſam phyſicam. Et probatur : Cauſa phyſica illa cenſetur, quæ ſuum ex vi innata, & ut loquuntur Philoſophi, ex viſceribus rei producit effectum ; in hoc enim cauſa phyſica a morali ſecernitur : ſed nemo dixerit gratiam ex viſceribus elementi quocumque modo profluere. Igitur Sacramenta ſunt ſolum gratiæ conferendæ cauſæ morales.

Sexta : Graviſſimi Theologi iſtam defendunt opinionem, nec Eccleſia ipſis uſquam contradixit. Igitur hæc ſententia probabilis eſt.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

OPPONES primo : Quoties Scriptura ſacra mentionem facit de Sacramentis, toties innuit, ea gratiam producere phyſice. Igitur Sacramenta cauſalitatis moralis pertranſeunt limites. Probatur antecedens : Habetur de Baptiſmo Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei* : Sed iſta particula, *ex*, denotat cauſalitatem phyſicam. Igitur Sacramenta producunt gratiam phyſice. Confirmatur : Sacerdos ſacram conficiens Euchariſtiam, vi verborum phyſice producit corpus Chriſti, illudque ponit vere ſub ſpeciebus. Item phyſice & realiter abſolvit peccatorem Pœnitentem ; ſin minus, declararet ſolum peccata eſſe remiſſa, quod eſt manifeſte contra Concilii Tridentini definitionem, qua Seſſ. 6. cap. 6. docet Sacerdotem realiter & vere abſolvere pœnitentes.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo minorem : Particula *ex* denotat cauſalitatem phyſicam in Deo, concedo : in Sacramentis, nego. Particula laudata ſubindigitat effectum ex viſceribus cauſæ promanare, adeoque Deum ſolum eſſe cauſam gratiæ phyſicam catenus arguit, quatenus ex ſola Dei natura gratia ut ex primigenio & naturali fonte profluit, juxta illud Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Hoc eſt, juxta ſapientiſſimorum interpretationem, ſolus Deus eſt cauſa prima phyſica & naturalis tum gratiæ, tum gloriæ. Neque tamen particula otioſa eſt reſpectu Baptiſmi ; ſignificat enim illud Sacramentum vi & efficacia virtutis meritorum Chriſti quam præcontinet, gratiam producere. Et in eo ſenſu recte quis dicitur renaſci ex aqua, & Spiritu ſancto.

Ad primam probationem diſtinguo : Et exemplum de confectione Euchariſtiæ unum dumtaxat probat, videlicet Sacerdotem vere & realiter conſecrare, concedo : Sacramentum Euchariſtiæ, ut ſacrum ſignum phyſice producere gratiam, nego. Duo impræſentiarum diſtinguenda ſunt, & nuſquam confundenda ; nimirum conficere Sacramentum, & ipſum Sacramentum gratiam phyſice producere. Si de priori capite mentio fit, citra dubium eſt Sacerdotem vere, realiter, & phyſice baptizare, conſecrare panem, abſolvere pœnitentes a peccatis : ſed ſi de modo quo Sacramentum a Sacerdote confectum, producit gratiam, non neceſſe eſt ut hoc fiat phyſice : modo enim moraliter momentum iſtud perficiatur, certe ſalvatur cauſalitas Sacramentorum juxta Scripturæ oracula, Patrum ſententias, & Conciliorum definitiones ; cum poteſtas quæ ineſt Præſidi inſulato v. g. tametſi ſolum quid morale, attamen effectus reales & phyſicos habeat ; quidni ſimiliter & Sacramenta quamvis ſint ſigna tantummodo moralia, reales utique producerent ?

Inſtabis : Atqui particula, *ex*, denotat Baptiſmum gratiam phyſice producere. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Patres & SS. Doctores in priori articulo laudati comparant vim, quæ ineſt Baptiſmo ad regenerandum hominem, virtuti aquis fluminum ad producendum piſces inditæ : ſed nemo cordatus dixerit, iſtam virtutem eſſe tantummodo moralem : Igitur & a ſimili nec eam qua Sacramentum Baptiſmatis ſacram regenerationem operatur.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo : Et comparatio laudata non eſt adæquata, concedo : & eſt omnimoda, nego. Omnis comparatio non eſt adæquata, alias foret ipſa res

quæ

quæ comparationem ſubit. Recte igitur poſſunt explicari Patres, ſi dicatur eos ſolum velle Baptiſmum gratiam virtute intrinſeca, & ex opere operato gratiam producere, ſicut de facto aquæ ex ſe producunt piſces: ſed ſigna moralia, qualia ſunt Sacramenta, ſe habere ſolum moraliter ad gratiam producendam propugnare nihil vetat, maxime cum ibi agatur de effectu morali qui certe non exigit cauſam proximam niſi moralem; namque ſoli cauſæ principali phyſicæ, ſcilicet Deo, aſſimilatur. Ceterum nuſquam reperies in ſanctis Patribus Sacramenta gratiam producere phyſice: Igitur per cauſalitatem moralem abſque negotio eorum auctoritates poſſunt explicari.

Replicabis: S. Thomas Theologorum princeps hic tota quæſtione 62. abſolute rejicit opinionem eorum qui efficaciam Sacramentorum intra cauſalitatis moralis terminos contrahi poſſe autumant. Ergo &c.

Reſpondeo primo, S. Thomam in ea eſſe ſententia quod Sacramenta gratiam phyſice producant, quam ſententiam eo quo par eſt erga tantum Magiſtrum obſequio totis viribus amplector. Secundo alteram opinionem probabilitate non carere propter rationes, tum in probationibus, tum in reſponſionibus ſupra ad priores objectiones datas affirmo.

Inſiſtes: Sacramenta producunt gratiam ex opere operato, ut de fide definitum eſt in Conciliis Florentino & Tridentino: ſed ſi ſint ſolum gratiæ cauſæ morales, dubio procul non ex opere operato, illam producunt. Et probatur: Quia ſi illam eatenus dumtaxat cauſant quatenus Deum ad illam producendam movent, ex vi propria eam non producunt. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Sacramenta Deum ad gratiam producendam invitant exhibendo pretium quo Chriſtus illam emit, & cui ex juſtitia debetur ut cauſæ principali morali, concedo: illum movendo ſolum objective, nego. Sacramenta continent pretium gratiæ, virtutem ſcilicet paſſionis Chriſti, unde non ſteriliter, non mere ſpeculative & objective Deum ad producendam gratiam commovent, ſed exhibendo quod juſtum eſt: hinc & propter pretium præſens, & propter promiſſionem Chriſti de largitione gratiæ factam vere & ex opere operato, hoc eſt virtute paſſionis Chriſti peractæ moraliter producunt gratiam.

Repones: Atqui ut Sacramenta producant ex opere operato gratiam, non ſatis eſt, ut illam operentur ſolum excitando Deum ut ad præſentiam ſuam de facto illam producat. Ergo &c. Probatur ſubſumptum ex eo quod inde ſequerentur multa abſurda nuſquam admittenda. Primo quidem Sacramenta novæ legis nihil excellentiæ haberent ſuper Sacramenta antiquæ legis, cum & iſta ex opere operato, nimirum ex cæremonia ſacra facta vim haberent excitandi Deum ad gratiam producendam, qui & de facto propter promiſſionem ad præſentiam illorum ſignorum gratiam conferebat, ſicque Sacramenta veteris legis apud SS. Patres veluti cauſæ morales gratiæ celebrantur. Sed eſt contra fidei definitionem dicere Sacramenta novæ legis, a veteris legis ſignis non differre. Ergo &c. Secundo. Sacramenta a Chriſto inſtituta intra genus ſigni non clauduntur, ſed ſunt etiam in genere cauſæ, ut ex Catechiſmo Romano non ſemel ventilato liquet. Atqui ſi ſolum movendi Deum, ut gratiam producat, efficaciam habeant, jam ſigni rationem non tranſcendunt; cum & ſerpens æneus in deſerto elevatus excitaret Iſraelitarum fidem, qua mediante & ab incredulitatis ac inobedientiæ peccato, & a vulneribus per ſerpentes ignitos inflictis ſanabantur: Sed abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego inde ſequi Sacramenta novæ legis, in hypotheſi quod gratiam ſolum moraliter producerent, in efficacia antiquæ legis ſigna ſacramentalia non ſuperare, quandoquidem iſta vi inſtitutionis tantummodo & ex opere operantis excitando fidem in Chriſtum venturum, gratiam cauſabant; noſtra vero ex opere operato, exhibendo ſcilicet pretium acerbitate Paſſionis datum; hinc non mere excitando ſolum, ſed & ſolvendo, ſeu repræſentando merita quibus gratia empta eſt, illam conferunt, juxta illud 1. Cor. 6. *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

Ex iis poſitis manifeſte ſequitur ad alteram probationem reſponſio; cum cetera

a Sa-

a Sacramentis legis Moſaicæ ſigna diſtincta nonniſi ſpeculative & objective fidem Iſraelitarum excitaret; & ut plurimum non ad gratiam producendam, niſi ad ſummum ſecundario ordinaretur. Iris v. g. pacem inter Deum & homines ſolum deſignabat: Serpens æneus ad ſanitatem corporum reſtaurandam in deſerto elevatus fuerat, quatenus qui cum fide Chriſtum in iſto ſigno annuntiatum cogitabat, a quacumque detineretur infirmitate, ſanabatur: Columba ſuper Chriſtum deſcendens non gratiam conferendam, ſed a Verbo incarnato cum plenitudine collatam, arguebat.

Replicabis: Tametſi gratia propter merita Chriſti repræſentata conferatur, ſi tamen phyſice non producitur a ſigno ſacramentali, non niſi diſpoſitive a Sacramentis profluit, adeoque non ex opere operato: ſed hoc non poteſt, ſalvo dogmate, admitti. Ergo &c. Probatur major in qua eſt difficultas: Sacramenta in hypotheſi erunt ſolum diſpoſitiones ad gratiam, quatenus prærequirerentur, ut moveant Deum per Chriſti merita ad illam producendam; ſiquidem non ipſa, ſed Deus ſolus & ut cauſa phyſica, Chriſtus vero ut cauſa moralis illam juxta iſtius opinionis Theologorum placita, cauſant. Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem. Ad probationem nego, inde ſequi Sacramenta novæ legis eſſe ſolum diſpoſitiones ad gratiam, in hypotheſi quod illam ſolum moraliter producant: & hoc propter multa. Primo quidem, ex eo quod exhibeant merita quibus Chriſtus Dominus emit nobis gratias, quas certe per Sacramenta & producit, & nobis applicat. Quis enim uſquam dixerit eum, qui, pretio numerato, redimit captivum, & filium prodigum patri ita reconciliat, ut jus pro illo filio ad bona paterna poſſidenda reſtauret, non eſſe veram liberationis a ſervitute, & captivi in libertatem reſtituti cauſam? Hæc autem munia ſubeunt Sacramenta, quando peccator his mediantibus & ſolvit juſtitiæ debitum, & Deo ita reconciliatur, ut ejus ſit filius ac hæres. Immo Sacramenta non ſemel independenter a prærequiſitis diſpoſitionibus aliquos vi propria producunt effectus. Puta, Baptiſmus ficte ſuſceptus imprimit characterem, ſimiliter & Confirmatio imprimit, ſicut & Ordo. Immo ſi quis in charitate habituali conſtitutus accedat ad Confirmationem, tametſi actum amoris aut fidei tunc non eliciat, eſto quod non recipiat augmentum gratiæ defectu diſpoſitionis actualis, ſuſcipit tamen jus ad auxilia neceſſaria pro fide tempore perſecutionis defendenda, quod argumentum eſt Sacramenta producere gratiam ex opere operato, cum jus ad auxilia pro tempore opportuno habenda, gratiæ ſacramentalis nomine celebretur. Nec deſunt qui aſſirment vel ipſum gratiæ augmentum aliquod conferri poſſe ei qui vita gratiæ habitualis vivens accedit cum debita reverentia & attente ad Sacramentum aut Confirmationis, aut Euchariſtiæ, aut Ordinis; cum charitas videatur ſufficere, modo non adſit peccati actualis obex: & hoc, quia Sacramenta vi propria & ex opere operato ſuos producunt effectus. Ceterum nonne charitas habitualis eſt optima ad gratiæ augmentum in Sacramento ſuſcipiendum diſpoſitio? Nonne devotio & ad ceremoniam attentio reverentialis, nonne ipſe ritus ſacer ſtimulat cor & ſæpius inflammat? hæc & ſimilia non ſine aliquo initiali amore actuali fiunt, ſicque de frigido inflammatum faciunt, ut gratia augeatur.

Perſiſtes: Atqui ſi efficienter & non ſolum diſpoſitive novæ legis Sacramenta producant gratiam, hoc ipſum phyſice faciunt: Ergo &c. Probatur ſubſumptum multis momentis: Primo, idem ſit judicium de omnibus Sacramentis ac de Pœnitentia: ſed Sacramentum Pœnitentiæ phyſice abſtergit peccata per gratiam quam producit: Ergo &c. Secundo: Inſtrumentum agit ut motum a cauſa principali, & quidem phyſice, ſi cauſa prima ſit phyſica, quippe quod illi ſubordinetur: certum eſt autem Deum eſſe cauſam phyſicam gratiæ, & ad illam producendam Sacramentis veluti inſtrumentis uti. Tertio, quoties cauſa phyſica utitur inſtrumentis ad invicem ſubordinatis ut ſuos prodat effectus, toties inſtrumentum ſeparatum movet phyſice, ſi inſtrumentum ſibi conjunctum ita moveat. Quod quidem iſto poteſt illuſtrari exemplo. Anima rationalis v. g. eſt cauſa principalis, eaque phyſica ſcripturæ exaratæ: manus eſt inſtrumentum conjunctum, & ab ea phyſice movetur: hinc & calamus a manu phyſice quoque movetur, quia ea-

dem

dem virtute a cauſa principali promanante, omnes inferiores cauſæ agunt: ſed eodem prope modo res ita ſe habet pro cauſalitate gratiæ per Sacramenta. Et probatur: Gratia cauſam habet principalem & phyſicam, & moralem: habet & cauſam inſtrumentalem conjunctam ſimul & ſeparatam. Principalis phyſica eſt Deus: principalis moralis eſt Chriſtus ut Redemptor: inſtrumentalis conjuncta, ſancta Humanitas hypoſtatice Verbo divino conjuncta: demum inſtrumentalis ſeparata, ipſum Sacramentum. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem, diſtinguo: Pœnitentiæ Sacramentum phyſice & realiter abſtergit peccatum, ratione cauſæ principalis phyſicæ, concedo: ratione ſui, nego. Non implicat eumdem effectum habere multas cauſas ſibi ſubordinatas, quarum quælibet ſuam habet efficaciam: ſic in ordine naturali actus amoris v. g. procedit & a concurſu ſimultaneo, & a concurſu prævio tum morali, tum phyſico. Porro id quod eſt in actu phyſicum, promanat a prima cauſa præmovente, & a potentia vitali; id vero quod eſt in eodem morale, profluit a præmotione morali & a voluntate agente libere propter finem, ſub quo reſpectu eſt cauſa moralis. Pari & conſimili ratione gratia ut eſt ens phyſicum, habet pro cauſa principali phyſica Deum, & pro cauſa inſtrumentali Humanitatem phyſice & hypoſtatice Verbo conjunctam: pro cauſa morali vero principali Chriſtum mediatorem, qui illam pretio magno emit: & pro cauſa inſtrumentali morali ſeparata Sacramentum, quod eatenus movet Deum ut illam phyſice producat ad ſui præſentiam, quatenus præcontinet in ſe ipſo Chriſti merita quibus infallibiliter annexa eſt.

Ad alteram probationem ſimiliter diſtinguo: Inſtrumentum agit ut motum phyſice quando cauſa principalis eſt Phyſica, ſi ſit inſtrumentum phyſice conjunctum cauſæ primæ, concedo: ſi ſit inſtrumentum ſeparatum, ſubdiſtinguo: in ordine naturali, concedo: in ordine ſupernaturali & morali, nego. Cauſa inſtrumentalis gratiæ duplex diſtinguenda eſt: una phyſice conjuncta Chriſto ut Deo, & eſt ſancta Humanitas, cum autem actiones ſint ſuppoſitorum, dubioprocul ſe habet phyſice in productione gratiæ. Altera eſt ſeparata, & duplex etiam ſecernitur, videlicet alia pro ordine naturali, ut calamus quo utitur homo ad ſcribendum, & alia moralis pro ordine ſupernaturali. Certum eſt inſtrumentum ſeparatum ſolummodo phyſicum moveri phyſice, ſi cauſa principalis ſit ordinis naturalis, cum non alio modo illi ſubordinetur niſi ad aliquid phyſicum operandum, puta ſerra in manu artificis ad ſcindendum ligna: at vero in ordine ſupernaturali inſtrumentum ſeparatum non niſi moraliter movetur & movet: Et hoc potiſſimum contingit cum eſt inſtrumentum morale & arbitrarium, quale eſt Sacramentum. Sufficit igitur ut moveatur moraliter a Chriſto Redemptore qui illud movet, in quantum ſua in eo concludit merita, quibus Deus movetur ut propter ſolutum pretium gratiam ipſe producat & conferat.

Ad tertiam probationem patet ſolutio: non enim contingit inſtrumentum moveri phyſice a cauſa principali, niſi ſit vel ejuſdem cum illa ordinis, vel ipſi phyſice habitualiter conjungatur, ut manus quæ eſt inſtrumentum vitaliter animæ conjunctum, & Humanitas ſancta quæ ſubſiſtit ſubſiſtentia divina.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Opinio eorum qui propugnant Sacramenta ſolum moraliter producere Gratiam, eſt probabilis.

PRIMO: quia Sacramenta ſunt ſigna arbitraria & moralia omnem ex inſtitutione & meritis Chriſti habentia efficaciam.

Secundo: Talis eſt effectus, qualis cauſa: ſed cauſa, cujus virtute Sacramenta gratiam producunt, ſunt merita Chriſti, quæ ſunt quid morale. Ergo &c.

Tertio: Si Sacramenta phyſice gratiam producerent, hic effectus poſſet pure & ſimpliciter abſque addito illis tribui: ſed hoc eſt contra ſcripturam ſacram dicentem Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM
ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verum eſt Scripturam per vocem

cem *ex*, magnam annuntiare efficaciam ineſſe Sacramentis, ſed ſufficit ad hoc quod Deus phyſice ad eorum præſentiam producat gratiam; illa vero realiter, & vere, ſed moraliter; cauſa quippe moralis reales habet effectus: ſic actus amoris eſt formaliter quid reale, morale tamen & a cauſa morali profluens.

Secundo: Non inde ſequitur Sacramenta novæ legis virtute & efficacia non ſuperare ea quæ lex vetus habuit, cum gratiam active & ex opere operato producant, hoc eſt virtute Paſſionis & meritorum Chriſti quæ præcontinent, adeoque & exhibendo pretium quo Chriſtus illam nobis promeruit.

Tertio: Ultro fatendum eſt inſtrumentum moveri a cauſa principali, ſed juxta ejus naturæ exigentiam: videlicet moraliter, ſi ſit tantummodo cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ: Porro neminem latet Sacramentum eſſe ſignum morale arbitrarium & morale.

ARTICULUS SESTUS.

De Cauſa inſtitutrice & miniſteriali Sacramentorum.

DUO veniunt impræſentiarum conſideranda ſimul & enucleanda: alterum quidem de Inſtitutore; alterum vero de Miniſtro Sacramentorum. Unde ſit

SECTIO PRIMA.

Num ſolus Chriſtus inſtituerit Sacramenta?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA,

Probatur hoc ratiocinio Theologico.

ILLE ſolus eſt auctor Sacramentorum, quem ſolum nobis exhibet Scriptura; determinant Concilia, prædicant Patres & ſancti Doctores; indigitat vel ipſa ratio: Atqui res ſic ſe habet. Ergo &c. Probatur minor quoad ſingulas partes.

Primo ex ipſa Scriptura, Joannis 1. v. 33. *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Quibus verbis ipſe Pater cœleſtis nos docet ſolum Chriſtum eſſe Sacramentorum auctorem; hoc ipſum annuntiat Apoſtolus 1. Cor. 4. his verbis: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Igitur homines ſunt Sacramentorum tantum Miniſtri, ſolus vero Chriſtus auctor. *Confirmatur*: Ille eſt auctor Sacramentorum qui ea de facto inſtituit: Atqui ex eadem Scriptura liquet Chriſtum inſtituiſſe Sacramenta. Et probatur: Inſtituit primo Baptiſmum, quando ipſe baptizatus eſt in Jordane, tum cum Matth. 28. dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti*. Secundo, Confirmationem, quum manus ſuper pueros impoſuit, ut habetur ibidem 19. Tertio, Pœnitentiam Joan. 22. his verbis ad Apoſtolos: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. &c. Euchariſtiam, his ſermonibus Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum... Hic eſt enim ſanguis meus*. Quinto, Extremam-Unctionem Marc. 6. eo quippe loci Apoſtolis dat poteſtatem & dæmones ejiciendi, & ægrotos unctione olei ſanandi. *Quæcumque*, ait ad illos, *introieritis in domum, illic manete.... Et exeuntes prædicabant*, ſcilicet vi miſſionis ſuſceptæ, *ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Ibi hujuſce Sacramenti effectus deſignatur, videlicet peccatorum multiplex abſterſio, dæmonum ejectio, tum reſtaurata corporis ſanitas, in hypotheſi quod hoc cedat in ſalutem ægroti. Hæc omnia explicite declarantur Jacob. 5. *Infirmatur quis in vobis?* ait ſanctus Jacobus, *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: Etſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Sexto, Ordinem, Luc. 22. quum dixit: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem*. Sic cenſent SS. Doctores. Septimo, Matrimonium, Matth. 19. *Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit, propter hoc, dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Ea

autem

autem ratione Chriſtus conjunctionem utriuſque ſexus tribuit Sacramento, quia iſta unio fit per gratiam: quod Apoſtolus explicat Eph. 5. ipſa enim Chriſti verba referens: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Et erunt duo in carne una.* Subdit: *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Altera ejuſdem minoris probatio ex Conciliis depromitur. Florentinum in Decreto pro inſtructione Armenorum eamdem aſtruit veritatem. Tridentinum vero Seſſione 7. canone 1. his verbis. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta: Anathema ſit.* Ergo &c.

Tertio. Sancti Patres eidem ſuffragantur veritati, maxime S. Ambroſius qui Libro 4. de Sacramentis cap. 4. ſic loquitur. " Auctor Sacramentorum quis eſt ,, niſi ſolus Jeſus. ,, S. Thomas ex profeſſo tota quæſtione 64. noſtram docet concluſionem, & paſſim alii ſancti Patres. Ergo &c.

Quarto, multas pro eodem momento S. Thomas hic affert rationes. Art. 1. dicit Deum ſolum ut cauſam principalem operari interius ad effectum Sacramenti, juxta illud Romanorum 8. *Deus eſt qui juſtificat*. Tum in corpore articuli. " Dicendum, *ait*, quod operari aliquem ,, effectum contingit dupliciter, uno mo- ,, do per modum principalis agentis: alio ,, modo per modum inſtrumenti. Primo ,, igitur modo ſolus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti. Tum, ,, quia ſolus Deus illabitur animæ, in ,, qua Sacramenti effectus exiſtit, non ,, autem poteſt aliquid immediate operari, ubi non eſt. Tum, quia gratia ,, quæ eſt interior Sacramenti effectus, ,, eſt a ſolo Deo. ,, Sed ad cauſam principalem cui aſſimilatur effectus, ſpectat inſtituere Sacramenta. Ergo &c.

Ulterior hæc ratio affertur ab eodem ſancto Doctore hic q. 64. articulo 2. quæ in iſta proponitur forma. Ad illum ſolum pertinet inſtituere Sacramenta, qui ſolus poteſt dare virtutem Sacramentis ad producendam gratiam: ſed ſolus Deus hanc exhibet virtutem: " Agens autem, ,, *inquit*, reſpectu Sacramenti eſt duplex, ,, ſcilicet inſtituens Sacramentum, & ,, utens Sacramento inſtituto, applicando ,, ſcilicet ipſum ad inducendum effectum. ,, Virtus autem Sacramenti non poteſt eſſe ab eo qui utitur Sacramento; quia ,, non operatur niſi per modum miniſterii. ,, Ergo &c.

Modus multiplex quo Chriſtus eſt auctor Sacramentorum.

IBIDEM ſanctus Doctor articulo 3. docet Chriſtum non uno ſolum modo eſſe Sacramentorum auctorem; primo eſſe ut Deum, & quidem tamquam cauſam principalem phyſicam: ut hominem vero tamquam inſtrumentum divinitati conjunctum, in quo Paſſio operatur meritorie, & hoc ratione poteſtatis excellentiæ, qua quemdam habet ſuper Sacramenta principatum; ſic autem de hac poteſtate loquitur: " Inſtrumentum conjunctum ,, divinitati in perſona habet quamdam ,, principalitatem & cauſalitatem reſpectu inſtrumentorum extrinſecorum, qui ,, ſunt miniſtri Eccleſiæ; ut ex ſupra dictis patet. Et ideo ſicut Chriſtus in ,, quantum Deus habet poteſtatem auctoritatis in Sacramentis, etiam in quantum homo habet poteſtatem miniſterii ,, principalis, ſive poteſtatem excellentiæ: quæ quidem conſiſtit in quatuor. ,, Primo quidem in hoc, quod meritum ,, & virtus Paſſionis ejus operatur in Sacramentis.... Secundo, ad poteſtatem ,, excellentiæ, quam Chriſtus habet in Sacramentis, pertinet quod in ejus nomine Sacramenta ſanctificantur. Et quia ,, ex ejus inſtitutione Sacramenta virtutem obtinent, inde eſt quod Tertio ad ,, excellentiam poteſtatis Chriſti pertinet, ,, quod ipſe qui dedit virtutem Sacramentis, potuit inſtituere Sacramenta. Et ,, quia cauſa non dependet ab effectu, ſed ,, potius e converſo, Quarto ad excellentiam poteſtatis Chriſti pertinet, quod ,, ipſe potuit effectum Sacramentorum ſine exteriori Sacramento conferre. ,,

Denique Angelicus Doctor ibidem articulo 4. ait Chriſtum potuiſſe communicare hominibus ſuæ excellantiæ poteſtatem. " Dicendum, quod, ſicut dictum eſt, ,, Chriſtus in Sacramentis habuit duplicem poteſtatem: unam auctoritatis, ,, quæ competit ei ſecundum quod Deus, ,, &

„ & talis poteſtas nulli creaturæ potuit
„ communicari, ſicut nec divina eſſentia.
„ Aliam poteſtatem habuit excellentiæ,
„ quæ competit ei ſecundum quod homo:
„ & talem poteſtatem potuit miniſtris
„ communicare, dando ſcilicet eis tan-
„ tam gratiæ plenitudinem, ut eorum
„ meritum operaretur ad Sacramentorum
„ effectus, ut ad invocationem hominum
„ ipſorum ſanctificarentur Sacramenta, &
„ ut ipſi poſſent Sacramenta inſtituere,
„ & ſine ritu Sacramentorum, effectum
„ Sacramentorum conferre ſolo imperio.
„ Poteſt enim inſtrumentum conjunctum,
„ quanto fuerit fortius, tanto magis vir-
„ tutem ſuam inſtrumento ſeparato tri-
„ buere, ſicut manus baculo. „

Subdit ibidem ad 4. ſanctus Doctor, Chriſtum de facto ſuam ad prædictum effectum, hominibus non communicaſſe poteſtatem, ne vel ipſi ſpem in creatura reponerent.
“ Dicendum, *ait*, quod Chriſtus non ex
„ invidia prætermiſit poteſtatem excel-
„ lentiæ, Eccleſiæ Miniſtris communica-
„ re, ſed propter fidelium utilitatem, ne
„ in homine ſpem ponerent, & ne eſſent
„ diverſa Sacramenta. Ex quibus diviſio
„ in Eccleſia oriretur: ſicut apud illos
„ qui dicebant, Ego ſum Pauli, ego au-
„ tem Apollo, ego vero Cephæ, ut di-
„ citur 1. ad Cor. 1. „

Ex his liquet, non unam, ſed multiplicem eſſe Sacramentorum cauſam. Chriſtus eſt primo cauſa principalis phyſica ut Deus; ad ſolum quippe Deum pertinet dare gratiam. Secundo, ut Mediator & Redemptor eſt cauſa principalis moralis, quatenus ad apices juris noſtra ſolvit debita, & infiniti valoris pretio exhibito, omnium gratiarum ſupellectilem nobis promeruit. Tertio, ut homo eſt eorumdem Sacramentorum cauſa inſtrumentalis & ſane phyſica, quandoquidem Humanitas ſancta Verbo hypoſtatice unita & conjuncta eſt: & ex his omnibus capitibus Chriſtus eſt Sacramentorum auctor; homo vero nonniſi miniſter, ſeu cauſa miniſterialis, juxta illud 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.*

Non abs re erit ſubnotare tria circa tempus inſtitutionis Sacramentorum, videlicet ipſam inſtitutionem, deinde promulgationem, tertio loco obligationem. Quædam ante Paſſionem Chriſti inſtituta ſunt ad documentum, hoc eſt ad fidem in ſanctiſſimam Trinitatem promovendam, & ad amorem noſtrum erga Chriſtum excitandum, ſicut Baptiſmus & Euchariſtia: quædam immediate poſt Paſſionem promulgata ſunt ad exercitium, ſicut Pœnitentia: omnia vero poſt Pentecoſten annuntiata ſunt; & tunc cœpit ea recipiendi obligatio, quandoquidem legalia tunc temporis nedum extincta & ablata, ſed mortifera erant, juxta illud Apoſtoli Gal. 5. 2. ad quoſdam qui ea volebant retinere: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Multa quæ etiam Sacramentorum ſubſtantiam ſpectant, ab ipſis hominibus inſtituta ſunt, ſcilicet res & verba. Et vero in ſacra Scriptura nulla ſit mentio, v. g. de oleo quo Sacerdotes inunguntur: nulla de chriſmate quo fideles confirmantur: immo nec de verbis quæ locum formæ tenent. Igitur Sacramenta ſunt partim ex inſtitutione hominum, & non ex ſolo Deo.

Reſpondeo diſtinguendo: Et illa omnia determinata fuere in genere a Chriſto Domino, qui reliquit Eccleſiæ poteſtatem ea ipſa in individuo determinandi, concedo: & nullo modo fuerunt a Chriſto determinata, nego antecedens, & conſequentiam: ſic reſpondet S. Thomas ad hanc difficultatem hic q. 64. art. 2. ad 1. his verbis: “ Dicendum, quod illa quæ agun-
„ tur in Sacramentis per homines inſti-
„ tuta, non ſunt de neceſſitate Sacra-
„ menti; ſed ad quamdam ſolemnitatem,
„ quæ adhibetur Sacramentis, ad exci-
„ tandam devotionem & reverentiam in
„ his qui Sacramenta ſuſcipiunt. Ea ve-
„ ro quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti,
„ ab ipſo Chriſto inſtituta ſunt, qui eſt
„ Deus & homo. Et licet non ſint om-
„ nia tradita in Scripturis, habet tamen
„ ea Eccleſia ex familiari Apoſtolorum
„ traditione: ſicut Apoſtolus dicit 1. ad
„ Corinthios 11. *Cetera cum venero diſpo-*
„ *nam.* „

Inſtabis: Chriſtus inſtituit Sacramenta: Igitur & homines, quales erant Apoſtoli, etiam potuerunt inſtituere Sacramenta: Probatur conſequentia: Omnem ſuam Chriſtus contulit Apoſtolis poteſtatem, jux.

Digitized by Google

juxta illud S. Pauli 2. Corint. 2. *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti*. Id eſt ac ſi ipſe Chriſtus donaſſet. Ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam propter rationes in probationibus laudatas. Ad probationem diſtinguo: Chriſtus omnem ſuam dedit Apoſtolis poteſtatem, quantum ad regimen Eccleſiæ, & ad conficienda Sacramenta ſicut Miniſtris, concedo: ut ea ipſa inſtituerent, nego. Solutio eſt S. Thomæ ibidem ad 3. ubi ſic loquitur. " Dicendum, quod Apoſtoli & „ eorum ſucceſſores ſunt Vicarii Dei quan- „ tum ad regimen Eccleſiæ conſtitutæ „ per fidem, & fidei Sacramenta: unde „ ſicut non licet eis conſtituere aliam Ec- „ cleſiam, ita etiam non licet eis trade- „ re aliam fidem, neque inſtituere alia „ Sacramenta: ſed per Sacramenta, quæ „ de latere Chriſti pendentis in cruce „ fluxerunt, dicitur eſſe fabricata Eccle- „ ſia Chriſti. „

Perſiſtes: Atqui homines poſſunt inſtituere Sacramenta, etiam auctoritative, videlicet per poteſtatem Chriſti eis communicatam: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Homines juſti effectum gratiæ interioris poſſunt in animabus producere: Ergo &c. Probatur antecedens, primo quidem ex Dionyſio, qui L. de Eccleſ. Hierar. cap. 5. §. 3. pag. 306. dicit, ad Miniſtros Eccleſiæ pertinere purgare, illuminare, & perficere: " Porro, *inquit*, ſacro- „ rum Miniſtrorum diſtinctio virtute pri- „ ma per myſteria prophanos expiat; me- „ dia vero expiatos illuminat, poſtrema „ denique eaque ſuprema ſacrorum Mini- „ ſtrorum virtute eos qui divini luminis „ participes facti ſunt, perfecta viſarum „ illuſtrationum ſcientia abſolvit. „

Secundo, juxta SS. Patrum doctrinam, oratio juſti ſicut in ſacrificio, ſic & in Sacramento prodeſt ſuſcipienti, ut habetur Joan. 9. *Si quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc Deus exaudit*. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem nego antecedens. Ad auctoritatem Dionyſii diſtinguo: Ad Miniſtros Dei ſpectat purgare, illuminare & perficere per modum miniſterii, ſeu etiam ejiciendo immundos a cœtu fidelium, concedo: inſtituendo Sacramenta, nego.

Sanctus Thomas hic quæſtione 64. articulo 1. ad 1. ſic ſolvit difficultatem: " Dicendum, quod purgatio ſecundum „ quod attribuitur Miniſtris Eccleſiæ, „ non eſt a peccato. Sed dicuntur Diaco- „ ni purgare, in quantum vel immundos „ ejiciunt a cœtu fidelium; vel eos ſa- „ cris admonitionibus diſponunt ad Sacra- „ mentorum receptionem. Similiter etiam „ Sacerdotes illuminare dicuntur ſacrum „ populum: non quidem gratiam infun- „ dendo, ſed Sacramenta gratiæ traden- „ do. „ Rurſus ad 3. " Homines non „ operantur ad Sacramentorum interio- „ rem effectum niſi per modum miniſte- „ rii. „

Ad ulteriorem probationem diſtinguo utique: Oratio juſti miniſtri prodeſt ſuſcipienti, ex opere operantis, concedo: ex opere operato, ita ut vel ipſi Sacramento det virtutem ad gratiam conſequendam, nego. Ita divus Thomas ibidem ad 2. " Dicendum, *inquit*, quod orationes „ quæ dicuntur in Sacramentorum colla- „ tione, proponuntur Deo, non ex par- „ te ſingularis perſonæ, ſed ex parte to- „ tius Eccleſiæ, cujus preces ſunt apud „ Deum exaudibiles, ſecundum illud „ Matthæi 18. (Si duo ex vobis conſen- „ ſerint ſuper terram, de omni re quam- „ cumque petierint, fiet illis a Patre „ meo.) Nihil tamen prohibet quin de- „ votio viri juſti, ad hoc aliquid opere- „ tur: illud tamen quod eſt Sacramenti „ effectus, non impetratur oratione Ec- „ cleſiæ vel Miniſtri, ſed ex merito Paſ- „ ſionis Chriſti, cujus virtus operatur in „ Sacramentis, ut dictum eſt. Unde effe- „ ctus Sacramenti non datur melior per „ meliorem Miniſtrum. Aliquid tamen „ annexum impetrari poteſt recipienti Sa- „ cramentum per devotionem Miniſtri: „ nec tamen Miniſter illud operatur, ſed „ impetrat operandum a Deo. „

Replicabis: Auctor ſermonis de ablutione pedum apud S. Cyprianum, ait de Chriſto: " Ipſe ſummus Sacerdos ſui eſt Sa- „ cramenti inſtitutor & auctor: in cete- „ ris homines Spiritum ſanctum habuere „ Doctorem. „ Igitur ex ipſo, Chriſtus non eſt ceterorum Sacramentorum auctor; ſin minus de univerſis abſque diſtinctione ille fuiſſet locutus.

Reſpondeo primo Arnoldum Bonævallenſem, qui ſermonis laudati auctor creditur, non eſſe tanti ponderis ſcriptorem,

Digitized by Google

ut ejus opinio SS. Doctorum ſententiæ & ipſius Concilii Tridentini definitionibus prævaleat. Ut ut ſit, dico iſtum auctorem pro ſcopo ſolum habere probandum ſacram Euchariſtiam eſſe per antonomaſiam Chriſti Sacramentum, eo quod ipſum Chriſtum ſubſtantialiter ſub ſpeciebus contineat. Et vero nonne Baptiſmi Sacramentum a Chriſto Domino in ſpecie & in individuo ita inſtitutum eſt, ut ab ipſo habeat & materiam & formam determinatam?

Inſiſtes: S. Auguſtinus L. de Doctr. Chriſt. cap. 9. ait: " Sed quædam pauca *Sacramenta* pro multis, eademque actu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina. " Sed quod a diſciplina Eccleſiaſtica promanat, non habet ſolum Chriſtum auctorem. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Eccleſiaſtica diſciplina tradidit Sacramenta, docendo, concedo: inſtituendo, nego. Vult tantum S. Auguſtinus Traditionem nos docere Sacramenta eſſe a Chriſto inſtituta: quæ ſolutio ex duobus potiſſimum patet. Primo quia de facto S. Doctor ait Sacramenta a Chriſto eſſe tradita: *Ipſe Dominus.... tradidit*, inquit. Secundo dictum ſuum illuſtrat exemplo Baptiſmi, & Euchariſtiæ, quæ Sacramenta uti a Chriſto inſtituta, vel ipſi Proteſtantes agnoſcunt. Ceterum citra errorem propugnari non poteſt, Chriſtum Dominum ſolum non eſſe Sacramentorum auctorem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Solus Chriſtus eſt auctor Sacramentorum.

PRIMO. Sic habetur 1. Cor. 4. ubi Sacerdotes non niſi Chriſti miniſtri dicuntur pro myſteriorum & Sacramentorum diſpenſatione: Rurſus Joan. 1. de Chriſto legitur: *Hic eſt qui baptizat*; quæ quidem ſententia indigitat ſolum Chriſtum eſſe Sacramentorum auctorem.

Secundo. Ita de fide definivit Concilium Tridentinum Seſſ. 7. Canone 1. his verbis. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta... anathema ſit*.

Tertio. Ratio duplex affertur a divo Thoma, quarum hæc eſt prima; ad ſolum Deum pertinet dare gratiam: altera, ſola Chriſti virtus operatur in Sacramentis. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Mutatio in Sacramentis, ſi quæ fuit, ſolummodo accidentalis extitit: quocirca homines nihil pro eſſentia addidere: ex quo ſequitur ad eos non ſpectare inſtituere Sacramenta.

Secundo. Data eſt quidem omnis poteſtas a Chriſto Apoſtolis, ſed ad regimen Eccleſiæ, nuſquam vero ad condenda Sacramenta.

Tertio. Tametſi ex mente Dionyſii Sacerdos poſſit purgare, illuminare, & perficere, hoc non facit ut cauſa principalis, ſed tantum ut inſtrumentalis ab ipſo Chriſto Sacramentorum auctore mota.

SECTIO SECUNDA.

De Miniſtro Sacramentorum.

MULTA de hoc momento quæruntur. Primo quidem quinam ſit Sacramentorum miniſter? Secundo quænam intentio requiratur in eo ad conficienda Sacramenta? Tertio num etiam in ſuſcipiente neceſſaria ſit?

CAPUT PRIMUM.

Num ſoli homines viatores ſint Sacramentorum Miniſtri?

LUTHERUS cenſuit non ſolum homines, ſed & Angelos, & dæmones poſſe adminiſtrare Sacramenta. Ita in libro de Miſſa privata, & in libro de abroganda Miſſa. Eo loci docet quemlibet Chriſtianum habere poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta: " Sacerdos, *inquit*, in novo præſertim teſtamento non ordinatur, ſed naſcitur in Baptiſmo. " E contra Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad Canonem decimum, contendit neque diabolum, neque feminas, neque quoslibet Chriſtianos concionari poſſe, a fortiori nec Sacramenta adminiſtrare, ſed eos tantum qui legitime ſunt vocati; quamobrem

obrem concludit ne quidem in neceſſitate laicum vel feminam poſſe baptizare: ut ſana doctrina a perverſa ſecernatur, ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Solus homo conſtitutus eſt a Chriſto Sacramentorum miniſter.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO. Matth. 28. Chriſtus ſolis hominibus poteſtatem dat baptizandi. Luc. 22. ſolis hominibus dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Joan. 20. ſolis hominibus ait: *Quorum remiſeritis peccata*. Concinit Apoſtolus 1. Cor. 4. his verbis: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti*. Rurſus Corinth. 13. *Qui idoneos fecit miniſtros novi Teſtamenti*. Et adhuc Heb. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum*. Ergo &c.

Secundo ſuffragantur SS. Patres. Inſtar omnium ſit ſanctus Chryſoſtomus, qui Lib. 3. de Sacerdotio ſic loquitur: " Is qui ,, terram incolunt & in illa verſantur ,, eis commiſſum eſt, ut ea quæ in cœ- ,, lis ſunt diſpenſent, iis datum eſt ut ,, poteſtatem habeant quam Deus optimus ,, neque Angelis neque Archangelis da- ,, tam eſſe voluit, neque enim ad illos ,, dictum eſt, quæcumque alligaveritis ,, &c. ,, Suffragatur S. Thomas hic q. 64. art. 7. " Dicendum, *inquit*, quod, ,, ſicut ſupra dictum eſt, tota virtus Sa- ,, cramentorum a Paſſione Chriſti deriva- ,, tur, quæ eſt Chriſti ſecundum quod eſt ,, homo: cui in natura conformantur ho- ,, mines, non autem Angeli, ſed potius ,, ſecundum paſſionem dicitur modico ab ,, Angelis minoratus, ut patet Heb. 2. ,, Et ideo ad homines pertinet diſpenſare ,, Sacramenta, & in eis miniſtrare, non ,, autem ad Angelos. ,,

Tertio ratione. In Sacramentis novæ legis quatuor poſſunt ſpectari, videlicet Chriſtus qui illa inſtituit; Eccleſia, cui commiſſa ſunt; fideles, in quorum gratiam ſunt inſtituta; materia & forma, quibus couſtant; quæ quidem omnia cum hominis natura non cum Angelica congruunt. Quid plura? Chriſtus eſt homo Deus, Eccleſia vero cœtus hominum. Igitur ſolus homo legitimus eſt Sacramentorum miniſter.

Huic rationi iſta alia adjungitur. Sacerdos nomine Chriſti offerens ſacrificium eſt veluti mediator inter Deum & populum. Sed mediator debet eſſe homo: & probatur: Mediator aliquid ex utraque parte tenet, ut pacem poſſit componere: Igitur miniſter debet eſſe aliquid Chriſti veri mediatoris: talis eſt Sacerdos & per characterem quo inſignitur, & per poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum & myſticum, qua donatus eſt. Debet etiam eſſe homo ut condolere poſſit, & cauſam hominum peccatorum recte peragere: ſi vero foret Angelus, crederent homines ſe decipi, & phantaſma pro Sacramentorum mioiſtro quandoque ſe habere putarent.

CONCLUSIO SECUNDA.

Solus homo viator eſt Miniſter Sacramentorum novæ Legis.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA. Quod vel ipſa Scriptura ſacra annuntiat, ita teneri neceſſe eſt: Atqui non in uno loco ſacra Scriptura docet miniſtrum Sacramentorum eſſe hominem viatorem: Et probatur Heb. cap. 5. habetur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, Ergo &c.

Altera. Miniſter non cujuſcumque generis, ſed talis naturæ aſſumendus eſt, qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant: Sed ſolus homo talis eſt, & non Angelus, quippe qui nec ſit doloris capax, nec ipſe circumdatus infirmitate: Ad hoc enim ut quis rite condolere poſſit, debet ipſe ſubjici miſeriis, ut experimento ſciat quod homiues miſericordia opus habent, adeoque eam tum ſacrificiis, tum Sacramentis pro remiſſione peccatorum efflagitet. Ergo &c. Has omnes in miniſtris requiſitas conditiones ibidem delineat Apoſtolus, & pergit: *Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant. Quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate: Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.*

Tertia ratio. Miniſter in veteri quidem lege aſſimilabatur Aaron, in nova vero debet conformari Chriſto: Sed nec Aaron, nec Chriſtus Dominus ſacrificium obtulerunt, niſi tempore quo erant viatores. Igitur ſolus homo viator eſt miniſter Sacramentorum. Hæc ratio utique colligitur ex eodem Apoſtolo, qui ibidem ſic proſequitur: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: Sed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*.

Quarta. Miniſtri relationem habere debent cum Chriſto & Eccleſia: Sed Chriſtus dum erat viator Sacramenta inſtituit; Eccleſia vero militans eſt viſibilis. Igitur pro miniſtris non niſi militantes, & viatores viſibiles admitti debent. Iſta ratio colligitur ex D. Thoma jam citato hic q. 64. art. 7. ubi ex profeſſo probat non Angelos, ſed homines eſſe Sacramentorum miniſtros.

Quinta. Uſus vim legis habet: Sed ab ipſa naſcente Eccleſia ad nos uſque nec Angeli, nec homines comprehenſores ad Sacrificium offerendum & conficienda Sacramenta aſſumpti ſunt; Igitur hoc ſolum ſpectat viatores.

CONCLUSIO TERTIA.

Quilibet Chriſtianus indiſcriminatim non habet poteſtatem miniſtrandi Sacramenta, ſi excipias Baptiſmum, ubi neceſſitas adeſt.

Probatur ex Scriptura & Traditione.

PRIMUM argumentum ſic exponitur. Ad ſolum Deum pertinet ea quæ in Sacrificiis & Sacramentis ſunt agenda, quomodo, & per quos agenda, determinare; cum ſolus ſit auctor gratiæ, adeoque & mediorum quibus eam vult conferri: Sed Deus non quemlibet, ſed ſolos Clericos voluit & Sacrificium offerre, & Sacramenta conficere. Ergo &c. Probatur minor. Primo ex veteri teſtamento, in quo ſolus Aaron & filii ejus nominantur pro iis quæ ſunt ad Deum, ut ex Apoſtolo mox laudato liquet: Quod quidem poteſt illuſtrari exemplo Oziæ regis, qui ut primum Sacerdotis munia uſurpare auſus eſt, graviter ab Azaria Sacerdote reprehenſus, tum lepra percuſſus, receſſit, ut habetur Lib. 2. Paralip. cap. 26. ubi hæc de Ozia leguntur. *Sed cum corroboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum: Ingreſſuſque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis. Statimque poſt eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortiſſimi, reſtiterunt Regi, atque dixerunt, Non eſt tui Ozia, ut adoleas incenſum Domino: Sed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi miniſterium: Egredere de ſanctuario, ne contempſeris: Quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratuſque Ozias, & tenens in manu thuribulum ut adoleret incenſum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus in domo Domini ſuper altare thymiamatis. Cumque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & feſtinato expulerunt eum. Sed & ipſe perterritus acceleravit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini*.

Concinit novum Teſtamentum. Epheſ. 4. beatus Paulus aſſerit non omnes univerſim, ſed quoſdam ſolum eligi pro miniſterio. *Ipſe dedit*, inquit, *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*.

Rurſus 1. Corint. 12. dicit Spiritum ſanctum diverſa in diverſis agere, nec unam eſſe omnium operationem, & functionem, quod probat exemplo corporis, cujus membra non eumdem actum habent: Ex quo liquet, non omnes, ſed ſolos Clericos Sacramenta conficere poſſe. Eo loci ſic loquitur: *Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt; idem autem Dominus . . . . . vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas,*

phetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Demum ab his functionibus excluduntur mulieres, juxta illud 1. Corinth. cap. 14. *Mulieres in Eccleſia taceant.*

Alterum argumentum ex Traditione, quam breviter exponimus, ſic conficitur. Quod Apoſtoli a Chriſto edocti tradiderunt, & perpetua ſucceſſione firmatum eſt, non licet immutari. Atqui neminem, præter Clericos ad Sacramenta conficienda, & Sacrificium offerendum aſſumptum legimus; qui vero contrarium fecere, ab Eccleſia propulſi & anathemate percuſſi ſunt, ut refertur de Waldenſibus, quod quidem judicio Concilii Tridentini Seſſ. 7. can. 10. his verbis clauſum & confirmatum eſt. *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit.* ante iſtud ſic ſtatuerat Florentinum in Decr. pro Armenis, Ergo &c.

Hanc eamdem Traditionem, aliquibus priorum temporum monumentis juvat illuſtrare & confirmare; ex multis unum ſeligimus exemplum, quod nobis ſuppeditat Concilium Nicænum primum generale; namque cum Patres Synodici accepiſſent, Colluthum ſibi dignitatem Epiſcopalem arrogaſſe, & inter ceteros, quos ementitus ille Epiſcopus ordinaverat, primas tenere Hiſchyram, unum ex divi Athanaſii accuſatoribus; præceperunt Colluthum, ut e gradu ſibi injuſte dato ſtatim deſcenderet, & inter ſolos Sacerdotum limites remaneret; utpote qui inter Presbyterorum numerum fuerat dumtaxat per ordinationem repoſitus: quoad eos vero qui ab eo ad ſuperiorem evecti ordinem fuerant, voluerunt, ut illi in priore remanerent gradu. Ita refertur in Concilio Jeroſolymitano an. 355. hæc hiſtoria legitur Tom. 2. Conciliorum Patris Labbæi.

Hanc eamdem traditionem vel ipſe auctor libri de Dignitate Sacerdotali, ad calcem operum ſancti Ambroſii iterum atque iterum confirmat: is autem capite 3. diſtinctiones Ordinum & functionum in Eccleſia expreſſis verbis agnoſcit: " Aliud
„ eſt, *inquit*, quod ab Epiſcopo requirit
„ Deus, aliud quod a Presbytero, aliud
„ quod a Clerico, aliud quod a Laico, &
„ licet horum hominum opera Deus in ſuo
„ examinet judicio, plus tamen ab eo
„ exigitur, cui plus committitur; am-
„ pliores etiam pœnas luet, cui numero-
„ ſior populorum regendorum fuerit com-
„ miſſa potentia. „

Tertia ratio. Ubi eſt diſtinctio ordinum, graduum & officiorum, non poſſunt omnes indiſcriminatim, eadem miniſteria & officia exercere. Sed in Eccleſia Chriſti eſt diſtinctio ordinum, officiorum & graduum, ut liquet ex teſtimonio Apoſtoli. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES contra concluſionem: S. Paulus Heb. 1. de Angelis ait: *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Igitur non homines tantum, ſed & ſancti Angeli ſunt Sacramentorum miniſtri.

Confirmatur: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Sed Angeli de facto non ſemel Sacramenta & adminiſtrarunt, & quandoque etiam adminiſtrando, confecerunt. Ergo &c. Probatur minor variis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis. Clemens VIII. in Bulla Canonizationis ſanctæ Agnetis de Monte Policiano data die 23. Februarii, ann. 1601. teſtatur ab Angelis ſacram illi non ſemel adminiſtratam fuiſſe Euchariſtiam. Eodem privilegio itidem donatum eſſe S. Onuphryum Anachoretam refert Fabellius L. 2. cap. 2. Quin immo Nycephorus L. 11. Hiſt. Eccl. cap. 20. ſcribit S. Amphilochium a ſanctis Angelis inauguratum fuiſſe in deſerto Iconii Epiſcopum, quam quidem ordinationem anno 350. ratam habuere Provinciæ Epiſcopi. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Angeli ſunt adminiſtratorii ſpiritus propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, vel annuntiando myſteria ad noſtram redemptionem ordinata, ſicut S. Gabriel nun-

tiavit divinam Mariæ Incarnationem, ut habetur Luc. 1. Vel purgando, illuminando, perficiendo, dirigendo, & contra malignos ſpiritus defendendo homines, ſicut S. Raphael Tobiam cuſtodivit in via, & aſmodæum dæmonem ejus connubio inſidiantem conpeſcuit, concedo. Hunc ſenſum prodit Liber Tobiæ, & Exodi. In iſto autem cap. 23. hæc habentur: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris*. Angeli ſunt adminiſtratorii etiam pro Sacramentis, ſubdiſtinguo: de via extraordinaria, concedo: hoc unum probant facta laudata: de via ordinaria, nego.

Inſtabis: Si Angelus, aſſumpto corpore, baptizaret, nihil ei deeſſet ut miniſter legitimus Sacramenti exiſteret, & vere baptizaret. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Angelus vere baptizaret, id eſt effectum Baptiſmi tribueret, concedo. Id eſt verum Sacramentum conficeret, nego. Nam tribus conficitur Sacramentum, materia, forma, & Miniſtro: at verba ab Angelo in corpore aſſumpto prolata non forent vera verba, cum ab animalis ore non procederent. Sed dato quod cœleſtis ille Spiritus verum conficeret Sacramentum, nonniſi ut Miniſter extraordinarius hoc faceret. Hic autem quæſtio eſt de Miniſtro ordinario.

Inſiſtes: Atqui Angeli etiam de via ordinaria poſſunt eſſe Sacramentorum Miniſtri. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Quidquid facit de via ordinaria inferior, a fortiori poteſt & ſuperior operari: Sed homo de via ordinaria adminiſtrat Sacramenta; Angelus vero eſt homine ſuperior, immo & in ordine hierachico Miniſter ſupremus, ut dicit Dionyſius L. Cœl. Hier. cap. 9. paulo ante medium. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo majorem: Quidquid facit de via ordinaria inferior, poteſt & facere ſuperior modo eminentiori, & ſibi convenienti, concedo; Eodem prorſus modo, nego. Et conceſſa minore diſtinguendum eſt pariter conſequens ad ſenſum majoris. Miniſter Eccleſiæ purgat, illuminat, & perficit peccatorem per Sacramenta quæ producunt gratiam: Illæ operationes utique tribuuntur a D. Dionyſio SS. Angelis, ſed modo inviſibili & eminentiori faciendæ, quod magis eorum naturæ congruit. Sic reſpondet ad difficultatem ſanctus Thomas hic q. 64. art. 7. ad 1. " Dicendum, *inquit*, quod il-
„ lud, quod faciunt homines inferiori
„ modo, ſcilicet per ſenſibilia Sacramen-
„ ta, quæ ſunt proportionata naturæ
„ ipſorum, faciunt Angeli tamquam ſu-
„ periores Miniſtri ſuperiori modo, ſci-
„ licet inviſibiliter purgando, illuminan-
„ do, & perficiendo. „

Repones: Homines beati ſunt ſimiles Angelis, & tametſi comprehenſores, poſſunt etiam de via ordinaria conferre Sacramenta, cum charactere ad hoc requiſito conſignati perſeverent. Quidni & Angeli de via ordinaria poterunt facere, quamvis ſint ſpirituales & hominibus in gloria multo præpollentiores?

Reſpondeo primo, vel inter homines beatos non eſſe Sacramentorum Miniſtros, ſed tantum viatores. Angeli ſancti ulteriori ratione a Sacramentis miniſtrandis abſtinent, nimirum quia ſunt hominibus vel in ipſa natura ſuperiores. Solutio eſt D. Thomæ ibidem ad 2. " Dicendum,
„ quod Sancti qui ſunt in cœlo, ſunt ſi-
„ miles Angelis, quantum ad participa-
„ tionem gloriæ, non autem quantum ad
„ conditionem naturæ, & per conſequens
„ neque quantum ad Sacramenta. „

Oppones contra tertiam concluſionem: Omnes Chriſtiani in Scriptura ſacra Sacerdotes vocantur, nimirum 1. Petri 2. 5. his verbis: *Tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritalis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum*. Rurſus v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta*. Item Apocal. 5. 18. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Omnes Chriſtiani in Scriptura Sacerdotes vocantur myſtice, & propter ſpirituales hoſtias Deo acceptabiles, id eſt propter ſanctas actiones quas Deo vel offerunt, vel poſſunt offerre, concedo: Proprie, & ratione Sacerdotii veri, itaut omnes illud poſſideant, & ſicut Sacrificium, ſic & Sacramenta miniſtrare queant, nego. Apoſtolus

eſt

eſt ſuis ipſius interpres; eodem quippe ſenſu omnes Chriſtianos vocat Sacerdotes quo Reges : Porro nullus dixerit eos eſſe Reges, niſi myſtice, quatenus paſſionum adverſus ſpiritum concupiſcentium dominantur. Igitur omnes Chriſtiani ſolum myſtice indiſcriminatim Sacerdotes appellantur. Eumdem ſubit ſenſum Apocalypſeos locus; Beati enim de quibus loquitur S. Joannes eatenus Sacerdotis nomiue eos celebrat, quatenus ſacrificium laudis Deo Optimo Maximo offerre non deſinunt, juxta illud cap. 7. *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæ-culorum. Amen*

Inſtabis: Chriſtus eſt Sacerdos : Igitur & omnis Chriſtianus. Probatur conſequentia: Chriſtiani ſunt fratres Chriſti, ipſo dicente Matth. 28. *Ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt*. Sed quod competit uni fratri, competit & ceteris fratribus : Igitur ſi Chriſtus eſt Sacerdos, utique & ſunt omnes Chri-ſtiani.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Ad probationem diſtinguo : Chriſtiani ſunt fratres Chriſti, improprie, & quatenus Chriſtus eamdem habet nobiſcum naturam ut homo, concedo : Proprie, ſubdiſtinguo: per adoptionem, concedo : univoce, nego. Chriſtus eſt Patri æterno conſubſtantialis, adeoque Deus; hinc ejus filiatio noſtram in immenſum excedit. Igitur quæ competunt Chriſto, homini puro non ſunt indiſcriminatim tribuenda, maxime ſi de Sacerdotio agatur : Sin minus quilibet Chriſtianus foret utique ſicut Chriſtns Sacerdos in æternum, quod ſacræ adverſatnr Scripturæ.

Quod autem omnes Chriſtiani non ſint univoce, ſed ſolum myſtice Chriſti fratres, audi ipſum Chriſtum Matth. 12. dicentem : *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, Ipſe meus frater, ſoror, et mater eſt*. Jam ve-ro quis dicet omnes Chriſtianos eſſe pure & ſimpliciter ſororem & matrem Chri-ſti? Cum igitur hæc non niſi improprie & in ſenſu quodam morali intelligantur, idem dicendum de fraternitate.

Urgebis: Qui baptizatus eſt, habet ſpiritum Chriſti. Atqui ubi eſt ſpiritus Chriſti, ibi eſt ejus poteſtas, & libertas. Ergo &c.

Reſpondeo primo negando majorem : Multi enim adulti baptizantur, qui tamen ſpiritum Chriſti non accipiunt, ſcilicet quando aut ſine fide, aut abſque pœnitentia tinguntur. Ceterum multi illum ſpiritum in Baptiſmo recipiunt, ſed poſtea propriæ voluntatis peccatis amittunt.

Reſpondeo ſecundo negando minorem : Eſto quod multi habeant Chriſti ſpiritum; Ergone & rerum omnium poteſtatem, itaut poſſint variis linguis loqui, mortuos ſuſcitare? &c.

Juvat hic ſubnotare Sacerdotem quædam Sacramenta poſſe ſibi ipſi miniſtrare, ut Euchariſtiam : nec deſunt qui affirment contrahentes Matrimonium, iſti-us Sacramenti eſſe quoque Miniſtros : Sed nullus ſeipſum aut baptizare, aut chriſmare, aut a peccatis abſolvere, aut ordinare, aut in extremis ungere poteſt, eo quod in iſtis Sacramentis Miniſter agat per modum imperii, & ſuſcipientes mere paſſive ſe habeant. Patri tamen, in caſu neceſſitatis proprium filium tingere licitum eſt, nec inde cum uxore contraharet affinitatem, ut jure matrimoniali privaretur.

Quid vero dicendum de mortuis ad vitam aliquo miraculo magno iterum evocatis? Reſpondetur, Sacerdotem in hypotheſi poſſe pro more ſolito ſicut prius conſecrare, eo quod characterem Ordinis adeoque & poteſtatem circa corpus Chriſti verum retinuerit; non tamen a peccatis abſolvere niſi petita denuo Ordinarii liceutia, quandoquidem approbatio vetus morte clauditur. Jam ſi de coniugatis loquamur, citra dubium eſt poſſe vel cum aliis nubere, vel liberi manere, cum teſte Apoſtolo 1. Cor. 7. uxor a lege per mortem viri ſoluta ſit : *Mulier*, inquit, *alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus liberata eſt*.

Sanctus Thomas his q. 64. art. 1. docet Sacramentorum Miniſtros, eo prope modo ad productionem gratiæ concurrere ac divinæ virtutis inſtrumenta, ſcilicet Sacramenta, quatenus illa conficiunt. Hæc enim efficientia ad idem genus cauſæ reducitur. Non injucundum erit verba Sa Doctoris texere. " Dicendum, *inquit*, „ quod operari aliquem effectum, contingit dupliciter, uno modo per modum „ principalis agentis : Alio modo per „ modum

Digitized by Google

„ modum inſtrumenti. Primo igitur modo, ſolus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti: Tum, quia ſolus Deus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus exiſtit, non autem poteſt aliquid immediate operari, ubi non eſt: Tum, quia gratia quæ eſt interior Sacramenti effectus, eſt a ſolo Deo, ut in ſecunda parte dictum eſt. Character etiam, qui eſt interior quorumdam Sacramentorum effectus, eſt virtus inſtrumentalis quæ manat a principali agente, quod eſt Deus: Secundo autem modo, homo poteſt operari ad interiorem effectum Sacramenti, in quantum operatur per modum Miniſtri: Nam eadem eſt ratio Miniſtri, & inſtrumenti: Utriuſque enim actio exterius abhibetur, ſed ſortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod eſt Deus. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Solus Homo viator eſt Sacramentorum Miniſter, non tamen quilibet indiſcriminatim.

PRIMUM patet juxta illud Apoſtoli 2. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, &c.* Et iſtud Heb. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum.* Ratio eſt, quia conſtat Eccleſiam juxta Chriſti inſtituentis placita debere habere Miniſtros: Ipſe vero ad hoc elegit homines.

Secundum utique claret; nam Eccleſia eſt viſibilis, adeoque exigit Miniſtros viſibiles, & conſequenter viatores.

Tertium definitum eſt in Conciliis contra Waldenſes, & Proteſtantes. Et ex traditione liquet ad ſolos Clericos ſpectare Sacramenta miniſtrare.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non negamus Angelos de via extraordinaria poſſe, Deo ſic volente, conficere Sacramenta; ſed hic loquimur de rebus prout a Chriſto conſtitutæ ſunt.

Secundo: Tametſi ſuperior poſſit de via ordinaria facere quidquid inferior operatur: ſecus ſi ille ad eumdem non pertineat ſtatum. Eſto igitur quod Angeli ſint hominibus ſuperiores; ergone poſſunt de via ordinaria eſſe Sacramentorum Miniſtri? Abſit. Nec mirum, cum neque ſint viſibiles, neque ejuſdem cum hominibus naturæ.

Tertio: Quando Chriſtiani univerſim & abſque diſtinctione dicuntur Sacerdotes, hoc intelligi debet in quadam latiſſima ſignificatione, quatenus quilibet Deo offerre poteſt pro ſacrificio cor contritum & humiliatum: Eodem quippe modo Sacerdotes, quo Reges vocantur; in loco enim pro objectione allato, non quodcumque *Sacerdotium*, *ſed regale Sacerdotium* proclamatur: Nemo tamen dixerit omnes fideles eſſe proprie Reges; ſed ſolum in quodam latiſſimo ſenſu, quatenus ſuis & dominantur, & imperant paſſionibus.

CAPUT SECUNDUM.

Quænam requiratur intentio in Miniſtro ad conficienda Sacramenta?

PRÆNOTANDUM eſt, intentionem eſſe voluntatem ſimul & attentionem ad aliquid peragendum, quæ quidem triplex aſſignatur; actualis ſcilicet, virtualis & habitalis ſeu interpretativa. Prior eſt cum miniſter actu vult conficere Sacramentum, & de hoc ipſo cogitat: altera cum opus facit juxta priorem intentionem, ſed ab ea diſtrabitur, dum actu agit: tertia cum ex habitu perficit Sacramentum, de quo neque antea cogitavit, neque pro tempore vel minimum quidem cogitat. Prima exoptanda eſt: ſecunda ſufficit, modo diſtractio non fiat per peccatum mortale; qui enim dirigeret intentionem ad conficiendum aliquod Sacramentum, puta ad Miſſam celebrandam, & ante celebrationem ex fragilitate in aliquod peccatum mortale prolaberetur; citra dubium deberet iterare intentionem: cum enim peccatum mortale ſit quies in creatura ut in fine ultimo, peccator per illud cenſetur omnem pro Deo colendo revocare intentionem. Tertia prorſus inſufficiens eſt, & de hoc memento hanc reddunt Theologi rationem; quia actio in hypotheſi non foret actio humana ſeu propter finem,

nem, ſed actio hominis. Non deſunt tamen Theologi, ut Soto & alii, qui teneant Sacerdotem habere intentionem celebrandi ſufficientem, eo ipſo quo veſtimenta ſumit recitando orationes ſolitas; qui enim vult media, vult etiam finem, ſed veſtimenta ſunt media ad celebrationem. Ergo, &c.

Jam vero iterum ſubnotare juvat, intentionem in genere eſſe duplicem, nimirum abſolutam & conditionatam: prior ea eſt qua aliquis ſimpliciter & abſque ulla reſtrictione Sacramentum conficere intendit: poſterior vero cum aliquam apponit conditionem de præſenti vel de futuro, quod fit, quando emergit dubium, num Sacramentum factum ſit? Sic non ſemel confertur Baptiſmus, dicendo: Si non eſt baptizatus, *Ego te baptizo*. Quod etiam fieri poſſe juxta judicium viri prudentis vel in ipſo Pœnitentiæ Sacramento, cum adeſt magnum de materia dubium, non ignoti nominis Theologi autumant; quorum placita hic referre non abs re erit. Maxime cum de hoc momento non una ſit Scriptorum opinio.

Placita auctorum de abſolutione ſub conditione.

BONACINA de Pœnit. Sacram. diſp. 5. q. 4. punct. 3. pag. 174. ſic loquitur.

Prima propoſitio. " Validum eſt Sacramentum Pœnitentiæ, quando aliqua conditio de præſenti, vel de præterito apponitur in forma, ut ſi dicatur, Si non es abſolutus, ego te abſolvo, vel, Si Deus vult, vel, Si potes abſolvi, vel, Si ego poſſum te abſolvere, te abſolvo. Item dici poteſt, quando ex confeſſione alicujus viri perfectiorem vitam ſectantis vix colligitur, an ea, quæ fatetur, ſint peccata; tunc enim manente dubio poterit Confeſſarius juxta ſuum prudens judicium abſolutionem conferre ſub hac conditione, exterius prolata, vel mente retenta, Si habes peccatum, ego te abſolvo &c. Melius eſt tamen in tali eventu curare, ut pœnitens aliquod ante actæ vitæ peccatum exprimat. Idem dicendum eſt, quando Confeſſarius dubitat, an protulerit formam abſolutionis: tunc enim licite poteſt repetere formam ſub conditione, ſi non es abſolutus. Ita Doctores ſtatim citandi: quamvis in hac parte Nugnus q. 84. art. 3. dub. 2. ad finem contrarium ſentire videatur."

" Ratio propoſitionis eſt, quia conditio de præſenti vel de præterito non eſt proprie conditio, neque ſuſpendit actum, cum Sacerdos intendat abſolvere de præſenti, ſi res ita ſe habeat, ſicut exprimitur in conditione. Ita Suarez, Vaſquez, Graffius, Peſantius, Reginaldus, Filliucius, Molfeſius, & alii ſtatim citandi, omiſſis iis quos ſupra retuli de Sacramentis in genere, ubi etiam oſtendi, an peccet qui in Sacramentorum adminiſtratione ſine juſta cauſa conditionem apponit."

Rurſus de Sacramentis in genere diſp. 1. q. 3. prop. 4. pag. 22. idem expreſſe docet: " Quia, *inquit*, conditio de præterito, aut de præſenti non ſuſpendit actum, cum non ſit proprie conditio, ut patet ex dictis de contractibus, & de matrimonio: Ergo neque ſuſpendit valorem, & effectum Sacramenti, quia Sacramentum reipſa operatur verificata conditione ac ſi nulla conditio fuiſſet appoſita." Eo tamen loci obſervat miniſtrum peccare, ſi juſta abſque cauſa conditionem apponat in conficiendo Sacramento, & quidem mortaliter ſecundum Henriquez, maxime ſi non niſi ſub conditione Sacramentum perficere intendat, cum fieri poſſet, ut conditio appoſita non ſubſiſteret, in quo caſu Sacramentum invalide adminiſtrandi periculo ſe committeret Sacerdos.

Marchantius Tract. 6. tit. 2. c. q. 7. Tom. 1. ex profeſſo propugnat abſolutionem ſub conditione de præſenti aut præterito conferri poſſe: ſic ait pag. 225. " Per accidens licet interdum ſub conditione abſolvere ob aliquam naturalem perplexitatem. Explico: reperio hominem in via vulneratum, vel infirmum animam agentem, neſcio an ſit Catholicus, vel Hæreticus, ſigna etiam apparentia ſufficienter non habeo de ejus diſpoſitione. Interim agitur de damnatione æterna, & hic nullum poſſum formare judicium, nec certum, nec dubium, quia in dubio utriumque debent rationes aliquæ apparere, minus opinoſum eadem ratione, ſed habeo puram neſcientiam, ex qua perplexus ſum, ne anima pareat, quam forte juvare poſſem: licet

„ licet tunc mihi ſub conditione mentali „ vel explicita: *Si ſis diſpoſitus*, illum abſol- „ vere. Ratio eſt, quia in gravi & extrema „ neceſſitate ratio charitatis poſtulat, ut „ quæcumque remedia, quæ quovis modo, „ vel quavis etiam incertitudine occur- „ runt, adhibeamus, modo nobis con- „ ſtet non poſſe nocere .... Alius caſus „ & frequentior eſt. Ex naturali inad- „ vertentia perplexus eſt Confeſſarius an „ dederit abſolutionem pœnitenti? Ex „ una parte timet de ſalute & injuria „ pœnitentis, ſi non abſolvat; ex altera „ timet de irreverentia & ſacrilegio, „ ſi abſolutum jam abſolvat: poteſt, „ immo tenetur conditione concepta ab- „ ſolvere. „

Concinit Toletus inter Caſuiſtas celeberrimus L. 3. cap. 12. de Abſolutione p. 425. Nota, *ait*, quod triplex conditio pot- „ eſt apponi abſolutioni. Una eſt de „ præterito, ut: *Si feciſti hoc, ego te ab-* „ *ſolvo*. Altera eſt de præſenti, ut: *Si* „ *ita eſt, ego te abſolvo*. Tertia de futu- „ ro, ut: *Ego te abſolvo, ſi hoc feceris*. „ Cum vero dependens eſt a tertia per- „ ſona, ſcilicet: *Ego te abſolvo, ſi Epi-* „ *ſcopus poſtea conſenſerit*; ſic dicitur abſo- „ lutio cum ratihabitione. Nulla ergo „ conditio apponenda eſt, niſi ratione „ dubii alicujus, ut cum dubitat, an de- „ derit abſolutionem? Poteſt dicere ra- „ tione dubii: *Si non es abſolutus, ego te* „ *abſolvo*. Tamen aliæ conditiones apponen- „ dæ non ſunt; differenter tamen: nam „ ſi duæ priores apponantur, valet abſo- „ lutio. „ Sed numquam ubi conditio de futuro exprimitur.

Ratio pro hujus ſententiæ probabilitate non una eſt apud illos Theologos. Primo, quia eadem eſt ratio pro omnibus Sacramentis ac pro uno: Sed uſu Eccleſiæ Baptiſmus poteſt ſub conditione de præſenti & præterito conferri, immo & Extrema-Unctio; Igitur etiam Pœnitentia. Secundo, nulla fit in hypotheſi Sacramento irreverentia, quinimmo debitus honor illi ſervatur, eo quod miniſter intendat conficere Sacramentum ſi adſit materia, & alia requiſita accedant, ſin minus, nullo modo. Tertio, providendum eſt ſane diſcrimini ſalutis, cum Sacramenta eo inſtituta ſint fine. Igitur ubi adeſt extrema neceſſitas, abſolutio, ut laudati auctores, & probabiliter autumant, ſub conditione aut de præſenti, aut de præterito concedi poteſt.

Neque vero omittendum eſt intentionem debere ſeſe extendere ad omnem materiam præſentem, ne aliquis contingat error in conſecratione multarum hoſtiarum, quocirca ad cautelam & propter debita erga tantum Sacramentum reverentiam convenit Sacerdoti omnem materiam præſentem indiviſim conſecrare: Ex quo ſequitur omnes hoſtias eſſe conſecratas, licet in particulari Sacerdos non cogitet de qualibet, nullus tamen aliquam conſecret, niſi prius cum magna hoſtia illam obtulerit, quandoquidem oblatio eſt una de principalioribus actionibus ſacrificii. Quia vero tota materia oculis ſubjecta per modum unius ſe habet, miniſter non debet dicere: *Suſcipe ſancte Pater omnipotens æterne Deus*, has immaculatas hoſtias, ſed pro more, *hanc immaculatam Hoſtiam &c.*

Non prætermittendum eſt etiam Sacerdotem vere conſecrare Hoſtias in pixide ad conſecrandum appoſitas, quas ante Miſſæ celebrationem voluit conſecrare, tametſi actu tempore conſecrationis de eis non cogitet; ibi enim intentionem virtualem adeſſe conſtat. Ita communiter docent Theologi. De hoc momento ſic loquitur Bonacina de Sacr. in gen. diſp. 1. q. 3. n. 13. pag. 21. "Colligi poteſt, confici Sacramen- „ tum Euchariſtiæ a Sacerdote, qui ſecum „ tulit Hoſtiam ad altare, quam antequam „ ſe indueret, intendit conſecrare, vel „ habuit intentionem celebrandi, ſeque „ continuo recepit ad Eccleſiam ad hunc „ finem; quamvis tempore oblationis, vel „ conſecrationis non recordetur, nec adver- „ tat, ſed in aliis rebus inadvertenter men- „ tem detineat; hic enim dicitur habere in- „ tentionem, & attentionem virtualem. „

Obſervandum utique venit miniſtrum tria poſſe intendere: Primo quidem hoc Sacramentum in particulari, v. g. Baptiſmum, cum parvulus præſentatur ad regenerationem ſpiritualem ſuſcipiendam. Secundo, in genere, facere quod facit Eccleſia. Tertio denique, ipſum Sacramenti effectum. Primum laudabile eſt, & ſane fidelem decet Chriſti miniſtrum intendere tum Sacramentum in particulari conficiendum, tum & ipſum Sacramenti effectum. Sufficit tamen ſi habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia.

Sed circa iſtud momentum magna eſt inter

inter Theologos controverſia, & tres de hoc circumferuntur opiniones. Prima eſt Lutheri & Calvini propugnantium nullam prærequiri ad Sacramenta conficienda intentionem, ſed valere, eo ipſo quo fiunt in cœtu Eccleſiæ, etiam ſi miniſter jocoſe agat, & ipſam ſacramentalem irrideat cæremoniam. Alii exiſtimant miniſtrum quidem ſerio agere debere, ſed ſufficere ſi intendat ritum mere externum, non cogitando de ipſo Sacramento, immo intus nolens conficere Sacramentum; ita inter alios Salmeron Lib. 1. Comment. in Epiſ. S. Pauli, diſp. 2. Ambroſius Catharinus in libro quem de hac conſcripſit materia, quibus etiam neſcio quo fato ſubſcribit Contenſonius contra Gonetum ſuum Magiſtrum. Tertia, eaque communis apud Theologos eſt miniſtrum interius debere intendere quod ipſa facit Eccleſia, & non ritum mere externum & vacuum, quandoquidem actus externus ſecundum Philoſophorum placita ejuſdem eſt conditionis & ſpeciei cum interno. Prima ſententia eſt Hæretica. Secunda diſcedit a veritate. Tertia ſolummodo genuina. Quia tamen & Contenſonius & alii in ſuas trahunt partes ſanctum Thomam: Duo puncta eliquanda habemus, alterum ſcilicet de dogmate, alterum de mente divi Thomæ. Unde ſit

PUNCTUM PRIMUM.

Utrum in confectione Sacramentorum intentio interior requiratur ad faciendum id quod facit Eccleſia?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA,

Primo probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ſic exponitur. Quod ipſe Chriſtus præcipit, quod expoſtulat Eccleſia, & definit atque determinat faciendum, prorſus adamuſſim ſic teneri debet: Atqui res ſic ſe habet pro intentionis interioris momento: Igitur requiritur intentio interior ut miniſter faciat, quod facit Eccleſia. Probatur minor multis argumentis.

Primo quidem ex Scriptura. Chriſtus Lucæ 22. ordinando Apoſtolos Sacerdotes eos ſic alloquitur: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed hoc oraculo præcipit Chriſtus Dominus ut Sacerdotes celebrando ſacrificium in ſui commemorationem agant: Hoc eſt, ut ſecundum ejus intentionem perficiant Sacramentum; hac enim ſecluſa intentione, dubioprocul non eſt agere in Chriſti commemorationem, cum juxta contrariæ opinionis ſyſtema miniſter vel minimum quidem interius cogitet de Chriſto, immo nec de Sacramento; cum potius contrariam intus habeat voluntatem, videlicet non conficiendi Sacramentum. Ergo &c.

Secundo: Eadem Scriptura non obſcure ſubindigitat aſſertionis veritatem, maxime Jacobi 5. ubi præcipitur Sacerdotibus, ut infirmos & animam agentes ungant, & orent ſuper eos. Sic enim habetur: *Et oratio alleviabit infirmum.* Interpretes & ſancti Doctores ex hac formæ Sacramentalis formula, uno ſcribunt calamo formam Extremæ-Unctionis eſſe deprecatoriam: Sed ut oratio & forma deprecatoria proſint, certe requiritur intentio, & ad Deum attentio, ſiquidem gratia conferenda ab eo expoſtulatur. Igitur requiritur intentio interior, ut miniſter faciat quod facit Eccleſia. Confirmatur: Ex ipſis alterius ſententiæ Theologis, Sacramentum jocoſe confectum, nullum evadit: Sed ſi ſufficiat intentio faciendi ritum externum, interius tamen irridendo, ubi forma eſt deprecatoria, Sacramentum formaliter jocoſe conficitur, quia forma deprecatoria cujus honor & ſpecies ab intus venit, ludicra eſt, & ad Deum non dirigitur, quod tamen neceſſe eſt, quia eſt oratio & deprecatio. Ergo &c.

Altera ratio hæc eſt: Quod ipſa definierunt Concilia Oecumenica ab hoc abſcedere citra ſalutis periculum non licitum eſt: Arqui Concilia Oecumenica, declarant intentionem interiorem prærequiri in miniſtro Sacramenta conficiente. Ergo &c. Probatur minor variis auctoritatibus.

Primo quidem ex Concilio Conſtantienſi, quod Seſſ. 45. intentionem faciendi quod facit Eccleſia, in miniſtro exigit. Expreſſius loquitur Florentinum in inſtructione Armenorum, ubi hæc habentur: " Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, " ver-

Digitized by Google

„ verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.„ Sed Eccleſia intendit facere Sacramentum, nec ullus cordatus, ſi ſincere loquatur, id negabit. Ergo &c.

Tridentinum rem explanare, immo & definire expreſſe videtur Seſſ. 7. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit*. Teſtes omnes appello: numquid Eccleſia ſolum ritum externum intendit facere? Erubeſcerent adverſæ opinionis Theologi hoc proferre: Sed ultro fatentur Eccleſiam habere intentionem veram & interiorem faciendi Sacramentum. Igitur & eamdem habere debet Miniſter. Sin minus non intendit quod ipſa intendit Eccleſia: Sed ludicre agit, nec Concilii mentem vel minimum aſſequitur. Ergo &c.

Idem Conc. Seſſ. 14. cap. 6. ſuam clare prodit mentem his verbis. “ Quamvis autem abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolum nudum miniſterium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a judice ſententia pronunciatur. Atque ideo non debet penitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut etiam ſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſerio agendi & vere abſolvendi deſit; putet tamen ſe, propter ſuam ſolam fidem, vere & coram Deo eſſe abſolutum; nec enim fides ſine pœnitentia, remiſſionem ullam peccatorum præſtaret: Nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem joco ſe abſulventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem, ſedulo requireret.„ Eo loci Concilium perſtringit Lutherum & Calvinum in duobus: Primo quidem, ex eo quod dicerent Sacramenta etiam jocoſe confecta eſſe valida, quod impugnat, dicendo neminem ſe abſolutum a peccatis exiſtimare debere, ſi Sacerdos ſerio non agat: Deinde in altero, videlicet ex eo quod propugnarent eadem Sacramenta rata haberi, etiamſi abſque intentione Eccleſiæ conficerentur, quod tamen Concilium negat, addendo Miniſtrum debere habere animum vere abſolvendi; quocirca ſi intentio faciendi ſolummodo ritum mere externum ſufficeret, nihil Patres Synodici adverſus Proteſtantes definirent, namque in ſententia Catharini intentio exterior valet, quamvis contrarium intendat Miniſter, & intus nolit peragere Sacramentum: ideo autem Heterodoxi intentionem interiorem procul faciunt, quia totum tribuunt fidei, & Sacramenta habent velut mera promiſſionis Dei ſignacula.

Concinit Catechiſmus Romanus parte 2. n. 22. “ Atqui hi quidem, *ait*, Miniſtri, quoniam in ſacra illa functione non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, ea re fit, ut ſive boni, ſive mali ſint, modo ea forma, & materia utantur, quam ex Chriſti inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, idque facere proponant, quod Eccleſia in ea adminiſtratione facit, vere Sacramenta conficiant & conferant.„ Duo ibi indigitat Catechiſmus: Primum quidem Sacramenta non pendere a bonitate, vel malitia Miniſtri, & ſuos habere effectus tametſi malus ſit: alterum vero, quod Miniſter ita ſe gerat, ut animum habeat faciendi quod ſibi proponit Eccleſia: Sed Eccleſia ſibi proponit facere non ſolum ritum externum, ſed & Sacramentum, quod certe interius operatur gratiam. Ergo &c.

Tertia ratio procedit ex auctoritate ſummi Pontificis Alexandri Octavi, qui adunata Congregatione die 7. Octobris anni 1690. hanc proſcripſit propoſitionem: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere quod facit Eccleſia*. Quæ quidem damnatio directe cadit ſupra ſententiam oppoſitam noſtræ. In hoc quippe ſita eſt, quod Miniſter intendat quidem ritum externum, intus vero nolit, immo irrideat Sacramentum. Obſerves velim, Bullam Papæ ab omnibus fuiſſe ſuſceptam.

Secundo ex rationibus in jure fundatis.

PRIMA iſta forma comprehenditur: Miniſter & diſpenſator debent agere juxta intentionem Domini, quandoquidem

non

non in propria, ſed in aliena perſona quam repræſentant, operantur; alias non teneretur Dominus ratos habere contractus ab ipſis peractos: Sed Sacerdotes ſunt Chriſti Miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei, ut legitur 1. Cor. 4. Quin immo Chriſtus ipſe Matth. 24. eos ſolos agnoſcit ſervos, qui fideliter & prudenter de ſuis diſponant bonis: *Quis eſt*, inquit, *fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram*. Ergo &c.

Secunda: Judex debet habere animum abſolvendi reos; alias ſi conſtet de contrario, non valet ſententia: Pari & conſimili ratione Eccleſia non tenet matrimonium abſque intentione interiori celebratum; cum enim contractus annexum habeat onus, niſi adſit animus & vera intentio interior, juxta leges, ex ſua natura nullus eſt: Sed Sacerdos in Pœnitentia adminiſtranda eſt judex, ipſo dicente Chriſto Joannis 20. v. 22. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Sed & contrahentes ſunt pariter Miniſtri juxta quoſdam in Matrimonio. Ergo &c.

Tertia: Juſtum eſt, immo & neceſſarium cauſam inſtrumentalem ſubordinari cauſæ principali, quippe quæ ſolum agat ut mota a prima, juxta illud Joann. 1. *Hic eſt qui baptizat*, ſcilicet Chriſtus per Sacerdotem; nam motus ille eſt intentio; nec aliter Miniſter ut Miniſter conjungitur Chriſto quam per intentionem. Igitur ſicut Deus cuncta eatenus facit, quatenus vult; ſicut Chriſtus ſuam confert virtutem elemento dum intendit Sacramentum facere, pari & conſimili ratione virtus ſalutifera a divinitate per humanitatem, & ab humanitate tranſit ad Miniſtros, modo eadem velint & intendant ac Chriſtus: a Miniſtris vero in Sacramenta derivatur virtus illa, ut impius per eam juſtificetur. Ergo &c.

Tertio ex abſurdis ex alia opinione ſubſequentibus.

PRIMO: Sententia oppoſita non ſatis recedit a ſententia Proteſtantium: Sed hoc eſt inconveniens maximum: Ergo &c. Probatur major. Lutherus libro de captivitate Babylonica capite de Baptiſmo ſic loquitur. " Si quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiam ſi impius miniſter non det in nomine Domini, vere baptizatus eſt in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in ſuſcipientis fide, vel uſu ſita eſt virtus Baptiſmi, ſicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato. Rurſus in articulo 12. eorum quos Leo Papa damnavit: " Si Sacerdos, *inquit*, non ſerio, ſed joco abſolveret: Si tamen pœnitens credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus. " Idem docet Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 7. Can. 11. Sed qui tenet Sacramentum valere, tametſi Miniſter intus habeat intentionem contrariam, affinis videtur Heterodoxis, qui de voluntate Miniſtri parum curant. Ergo &c.

Secundo: Ex opinione contraria ſequitur intentionem habitualem ſeu interpretativam pluſquam ſufficere ad validitatem Sacramenti: Sed hoc ipſum eſt contra communem Theologorum ſententiam. Ergo &c. Probatur ſequela majoris. Agere habitualiter in confectione Sacramentorum, magis ad ritum ab Eccleſia præſcriptum approximat, quam ille qui non ſolum interius non intendit conficere Sacramentum, ſed potius ex deliberata voluntate contradicit; namque negatio expreſſa alicujus facti, major eſt quam defectus intentionis, maxime in eo qui agit ex habitu, & non contradicendo, cum interpretative opus legitimum peragere cenſeatur. Ergo &c.

Tertio: Apud Philoſophos actus interior & exterior ejuſdem ſunt ſpeciei: immo juxta ſanctum Thomam exterior ſpecificatur ab interiori: Sed in opinione Catharini actus interior eſt prorſus & omnino diverſus ab exteriori; quandoquidem intus nullus eſt pro Sacramento: Igitur juxta illam regulam, & exterior vacuus eſt, ac penitus inſufficiens; ſin minus manifeſta eſt contradictio; actum ſequitur enim Miniſtri valere & non valere: ad intra non ſufficere; immo nullum eſſe, ad extra e contra: Quaſi vero actus Miniſtri qui debet eſſe & fidelis, & prudens, ſit actus hominis & non humanus, ac omni ſine debito privatus; & hoc in myſteriis adimplendis, quæ ex natura ſua maximam exigunt reverentiam. Ergo &c.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Ex diverſis capitibus depromptæ.

Primo, ex Scriptura ſacra.

OBJICIES: Gen. 27. Iſaac benedixit Jacob, cum tamen primogenitum ſuum Eſau benedicere intenderet: Sic enim habetur: *Dixitque Iſaac, accede huc, ut tangam te fili mi & probem utrum ſis filius meus Eſau an non? . . . . . . Benedicens ergo illi, ait*, &c. Atqui tamen iſtam benedictionem datam Jacob, ratam habuit Deus. Igitur a pari intentio faciendi ritum externum ſufficit ad validitatem Sacramenti.

Reſpondeo primo juxta beati Auguſtini mentem, benedictionem Jacob fuiſſe magnum myſterium: Et certe non obſcure deſignabat populi Judaici per Eſau deſignati abjectionem, Gentilium vero vocationem per Jacob, & loco Judæorum ſubſtitutionem: Quid mirum igitur, ſi Iſaac plenus Spiritu ſancto, hanc præter intentionem protulerit benedictionem, cum Prophetæ ſpiritu Dei ita agantur, ut quandoque etiam rapiantur ad enarranda quæ vel ipſi ignorant?

Reſpondeo ſecundo in forma, ſic diſtinguendo: Iſaac non intendebat benedicere hunc & talem in individuo, concedo: perſonam præſentem, nego. Voluit ille Patriarcha benedicere ſubjectum præſens, quodcumque eſſet. Ipſe eſt ſuæ mentis interpres; Eſau enim ſuſpiranti & poſtulanti benedictionem dixit Iſaac ſe eam Jacob dediſſe. *Reſpondit Jacob, Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres ejus ſervituti illius ſubjugavi: frumento & vino ſtabilivi eum, & tibi poſt hæc fili mi ultra quid faciam?* Ceterum factum iſtud non erat Sacramentum, unde non eſt paritas.

Inſtabis: Atqui etiam ubi agitur de Sacramento, non requiritur intentio: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Exodi 4. Sephora Moyſis ſponſa, vel ipſa invita, immo & coacte circumcidit filium ſuum; ſic enim habetur v. 25. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus, & ait, ſponſus ſanguinum tu mihi es.* Atqui tamen Circumciſio quæ erat Sacramentum ad delendum peccatum originale, abſque intentione ſaltem interiori data, ſuum obtinuit effectum. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Sephora coacte, hoc eſt cum repugnantia ſuum circumcidit filium, quatenus non ſine gemitu, mater amabilis filii ſui effudit ſanguinem, concedo: Et hoc fecit ſecluſa legis intentione, nego. Tametſi hoc juſſu Dei fecerit, commovebantur tamen viſcera materna in duro hujuſce Sacramenti exercitio: Et hoc unum importat Sephoræ conqueſtus. Volebat igitur pia mater Dei adimplere præceptum; quia vero ſuum procraſtinabat ſacrificium, Angelus Domini Moyſen inſectabatur, itaut etiam mortem ipſi comminaretur, niſi cito-citius ſuum circumcideret filium, & legem pro maſculis datam adimpleret. Sic enim ſcriptum eſt: *Cumque eſſet Moyſes in diverſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora*, &c.

Inſiſtes: Chriſtus in Evangelio ſuis dicebat diſcipulis, Phariſæos ſedere ſuper Cathedram Moyſis, adeoque faciendum eſſe quod dicebant, ſed non quod ipſi agebant: Igitur intentio interior non requiritur; cum & in docendo eam non haberent Phariſæi: Et vero, inquiunt adverſarii, verbum concionatorium eo ipſo quo profertur, auditoribus prodeſt, licet quandoque concionator contrariam habeat ex determinata malitia intentionem; quidni & verbum ſacramentale proderit independenter a Miniſtri intentione?

Reſpondeo primo Chriſtum non habuiſſe animum reprehendendi Phariſæos de intentionis defectu, ſed quod factis negarent, quod prædicabant. Revera quidem magno ducebantur zelo pro lege Moyſis, quocirca intendebant & volebant eam adamuſſim ſervari, ſed in hoc errabant, ipſo teſte Evangelio, quod onera gravia ceteris imponerent, quæ ipſi vel digito movere renuebant.

Reſpondeo ſecundo negando paritatem; magnum quippe diſcrimen eſt inter verbum concionatorium & verbum ſacramentale: Primum eſt tantummodo ſpeculativum, objective excitans auditores, tum ad fidem habendam, tum ad eamdem bonis operibus probandam; ſed non ſic verbum ſacramentale: eſt enim practicum, faciens quod ſignificat, quam

quidem

quidem virtutem & efficaciam non habet niſi ex motu & impreſſione primi agentis; talis vero impreſſio in Sacramenta non niſi per Miniſtros habentes intentionem faciendi quod facit Eccleſia, tranſmittitur.

Secundo, ex ſummis Pontificibus & Conciliis.

OPPONES: Adverſæ ſententiæ auctores ſummorum Pontificum varias afferunt auctoritates, ex quibus ſufficere videtur pro validitate Sacramentorum, ſi Miniſter habeat intentionem faciendi ritum externum: namque id ſolum exigunt in Miniſtro. Neque vero, inquit Contenſonius hic Libro 11. parte 1. Diſſertatione 2. ſeſſione 5. diffitemur requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, hoc quippe eſt de fide: Sed abſolute neceſſe non eſt facere quod intendit Eccleſia. Ergo &c. Juvat nunc proferre ſummorum Pontificum auctoritates.

Innocentius Quartus, teſte Angelo in ſua ſumma, cenſuit ad veritatem Sacramenti non requiri, ut Miniſter habeat in mente facere quod facit Eccleſia, immo ſi contrarium intendat, id eſt non facere quod facit Eccleſia, ſi tamen appareat illud velle facere, ſatis eſſe. Sic enim habetur in caput, *Si quis puerum* extra de Baptiſmo: *Etiam ſi gerat in mente non facere quod facit Eccleſia*.

Nicolaus Primus, & refertur apud Bellarminum libro 1. de Sacramentis cap. 28. ad conſulta Bulgarorum, interrogatus an baptizati a Judæo eſſent rebaptizandi? Reſpondit non eſſe rebaptizandos, ſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, baptizati eſſent. Ibi autem nulla fit mentio intentionis: Ergo &c.

Reſpondeo primo: Prorſus eſſe inauditum diſtinctione commentitia ſeparare actionem Eccleſiæ ab ejus intentione, cum non una probatum ſit ratione, eaque inconcuſſa actum externum eſſe ejuſdem ſpeciei, adeoque & intentionis ac volitionis cum actu interno; nec propugnari poteſt Eccleſiam ipſam tantummodo facere ritum externum: Namque ſi de ipſo opere agitur, citra dubium eſt illam facere ritum externum reduplicative ut ſacramentalem, alias ageret cæco modo & abſque finis intentione, quin immo juxta Contenſonii replicam nulla prærequireretur intentio. Et probatur: Si Eccleſia intendendo facere ritum externum, non intendit Sacramentum, prorſus nihil in individuo intendit, & ritus ille non erit magis ſacramentalis, quam alius quilibet ritus; non enim a ceteris alio ſecernitur modo, niſi quia Eccleſia vult illum facere reduplicative ut ſacramentalem. Ergo &c.

Reſpondeo ſecundo: Auctoritates laudatas de certitudine morali, quam ſuſcipiens debet habere de Sacramento ſibi collato, ſolum procedere; nuſquam vero de intentione interiori Miniſtri, quæ ſi tollatur, manifeſte ſequitur nullam prærequiri intentionem in Miniſtro, cum juxta judicium viri prudentis nulla excogitetur in eo qui intus non vult facere Sacramentum; quocirca S. Thomas hic q. 60. art. 8. dicit eum non baptizare qui corrumpit formam in aliquibus litteris initialibus, vel terminativis, ut ſi ea baptizet forma, *in nomine Patria*, cum intentione ritum novum in Eccleſia inducendi; e contra vero ſi ſolum ex lapſu linguæ vel ignorantia ſic pronuntiet: Et ſic Sacramenti validitas, vel nullitas penes intentionem interiorem menſuratur; verum ſi ſit ſermo de certitudine, prorſus moralem habet ſuſcipiens, eo ipſo quo videt Miniſtrum ſerio & religioſe agere, nec contrarium joco manifeſtare. Igitur cauſa cadunt adverſarii, dum in adulterinos ſenſus detorquent ſummorum Pontificum auctoritates: jam ad ſingula breviter reſpondemus.

Ad primum: Non requiritur abſolute quod Miniſter intendat quod intendit Eccleſia, diſtinguo: quantum ad effectum Sacramenti, concedo: quantum ad ejus ſubſtantiam, nego. Porro facere quod facit Eccleſia & Sacramentum Intendere idem prorſus eſt, cum Eccleſia faciat Sacramentum reduplicative ut Sacramentum, & non ut inanem quemdam ritum. Sin minus illuderet præſentibus, & eſſet fallacia. Solutio eſt Bellarmini L. 1. de Sacramentis cap. 28. pag. 133.

Ad auctoritatem Innocentii IV. diſtinguo: Et ſummus ille Pontifex non excludit intentionem interiorem quantum ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed tantummodo circa effectum quem Miniſter propter impie-

Digitized by Google

impietatem quandoque non intendit, concedo: & priorem excludit intentionem, nego: Duo poſſunt a Miniſtro intendi, videlicet ipſa Sacramenti confectio, deinde & ejuſdem effectus: Primum abſolute requiritur ad validitatem Sacramenti, ſed non ſecundum; eſt enim de fide Sacramenta ſuos operari effectus independenter a bonitate, vel malitia Miniſtri. Quod autem Innocentius IV. non excludat intentionem interiorem, ex ipſius conſtat verbis cap. *Si quis puerum* extra de Baptiſmo, ubi poſtquam dixerat Sacramentum eſſe validum & ratum etiamſi Miniſter gerat in mente non facere quod facit Eccleſia, ſubdit: *Dummodo intendat baptizare*. In ea igitur fuit mente Innocentius quod tametſi Miniſter non intendat facere quod facit Eccleſia, quantum ad effectum & juſtificationem, debet tamen quantum ad Sacramenti ſubſtantiam. Non abs re erit hic omnia Innocentii verba texere. " Non eſt neceſſe, *ait*, quoad effectum Baptiſmi, quod ſciat quid ſit Baptiſmus, vel quod ſit Sacramentum; nec oportet quod credat hoc ipſum: Immo ſi contrarium credit, & reputat trupham & deceptionem, Baptiſmus tamen ratus eſt, & habet ſuum effectum. Non requiritur tamen quod baptizans ſciat quid ſit Eccleſia, nec quod gerat in mente facere quod facit Eccleſia; immo ſi contrarium gereret in mente, id eſt non facere quod facit Eccleſia, ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus baptizat, dummodo baptizare intendat. Unde ſi quis in neceſſitate vadat ad infidelem, & dicat ei, baptiza me, dicendo ei formam, ſi ille baptizat eum ſecundum intentionem petentis, intendens facere quod alii baptizantes faciunt, eſſet Baptiſmus, ſecus ſi intenderet ſolum lavare. "

Ad Nicolaum primum, facile reſpondetur, eumde intentione interiori non fuiſſe ſolicitum, cum Eccleſia non judicet de internis, ſed pro habenda certitudine fuiſſe interrogatum; quocirca pronuntiavit Baptiſmum a Judæo collatum, validum fuiſſe, ſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizavit; iſta potiſſimum innixus ratione, quod Judæus habuerit intentionem faciendi quod facit Eccleſia Catholica quæcumque eſſet.

Reponet: Quod ipſa Concilia determinavere, illud cenſetur ſufficere ad Sacramenti validitatem: Atqui Concilia nihil aliud pro validitate Sacramenti exigere videntur, præter intentionem faciendi ritum externum. Igitur licet Miniſter intus nolit peragere Sacramentum, nihilominus ipſum ſtabit Sacramentum. Probatur minor multis momentis.

Primo: Concilium Florentinum in Decreto pro inſtructione Armenorum, ſimpliciter dicit Sacramenta tribus confici: rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, & habentis intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Sed qui ſolum intendit ritum externum, vult facere quod facit Eccleſia, nimirum hanc Eccleſiæ cæremoniam, Ergo &c.

Secundo, ſuffragatur Tridentinum Seſſ. 14. cap. 6. eo quippe loci exigit tantum ut Miniſter ſerio agat, & non jocoſe; ſic enim habet. " Nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem jocoſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem ſedulo requireret. "

Tertio, concinit Concilium Rothomagenſe, non multo poſt Tridentinum, Præſide Cardinali Carolo Borbonio, anno 1581. celebratum, ubi p. 340. n. 2. mos eorum reprehenditur, qui dubitantes de valore Baptiſmi a Calviniſtis collati: " Eo quod non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum. " ab illi Hæreticis baptizatos iterum ſub conditione baptizabant: Iſtius reprehenſionis & prohibitionis rationem propoſito noſtro peropportunam ſubnectit, inquit, Contenſonius: " Quia conſtabat Calviniſtas in cœtu publico baptizare in forma verborum, & materia a Chriſto inſtituta, nec de hoc facto ambigi poterat. " Hoc ipſum poſtea confirmavit Concilium Aquenſe anno 1585. Ergo &c.

Reſpondeo ad hæc omnia eodem prorſus modo quo ſupra, ſcilicet Conciliorum auctoritates intentioni interiori non adverſari, ſed unum tantummodo enunciare, nimirum intentionem effectus Sacramenti non eſſe abſolute neceſſariam. Revera quidem Florentinum exigit intentionem in Miniſtro, faciendi quod facit Eccleſia: Porro Eccleſiam habere intentionem

nem faciendi Sacramentum nemo cordatus negaverit; maxime vero cum eo loci ageretur de inſtructione Armenorum: quocirca genuina intentio Eccleſiæ, ne quid falſitatis per eos obreperet in confectione Sacramentorum, perſpicue erat aperienda; quaſi vero æquivocum, & a graviſſimis Theologis impugnatum pro certa opinione aſſeruiſſent Patres Synodici.

Inſuper Tridentinum prorſus exſufflat ſententiam contrariam his verbis immediate antecedentibus: " Non debet, *inquit*, ,, pœnitens adeo ſibi de ſua ipſius fide ,, blandiri, ut etiam ſi nulla illi adſit ,, contritio, aut Sacerdoti animus ſerio ,, agendi, & vere abſolvendi deſit, pu- ,, tet tamen ſe propter ſolam ſuam fi- ,, dem vere & coram Deo eſſe abſolu- ,, tum. ,, Ex iſtis verbis intentio interior ita exigitur a Concilio, ut de ejus mente non relinquatur ambigendi locus.

Denique, ne nllum quidem faceſſit negotium auctoritas Concilii tum Rothomagenſis, tum Aquenſis, namque illæ Synodi unum dumtaxat declarant, videlicet Baptiſmum a Calviniſtis collatum eſſe bonum, quippe qui intendant facere quod facit Eccleſia vera, quæcumque ſit: Habent igitur ſolum in voto Patres neminem ſolicitum eſſe debere de Calviniſtarum intentione, ſed pie eſſe credendum illos habere intentionem interiorem faciendi quod facie Eccleſia, eo ipſo quo & in cœtu Eccleſiæ, & ſerio agunt; quandoquidem ritus adhibitus ſufficit ad fundandum judicium prudentiale de certitudine intentionis requiſitæ ad Sacramenti validitatem.

TERTIO EX SANCTIS PATRIBUS.

Aperitur mens ſancti Chryſoſtomi.

OBJICIES: Sanctus Chryſoſtomus Homilia 85 in Joan. in fine ſic loquitur: " ,, Sacerdos linguam & manus præbet: ,, Neque enim juſtum eſt propter alterius ,, malitiam ad ſalutem noſtram acceden- ,, tes offendi. ,, Duo ſanctus Doctor eo loci obſervat, primum quidem Miniſtrum in confectione Sacramenti, non niſi linguam & manum præbere: Sed hæc locutio uihil præterritum externum denotat, nuſquam veto intentionem interiorem, alias ille Pater dixiſſet ſacerdotem & mentem ſeu animum præbere. Alterumvero quod in objectionis probationem cedit, eſt ratio quam affert ſuæ ſententiæ, nimirum non juſtum eſſe per fallaces Miniſtros hominum ſalutem in periculum venire; quod quidem ratiocinium nihil probaret, ſi intentio interior requireretur; maxime cum illa admiſſa, magnum ſequatur ſaluti humanæ incommodum, quod in hypotheſi iſta prorſus a Miniſtro dependebit, quatenus facillimum eſt ſuam interius reticere intentionem: Ergo &c.

Reſpondeo verba S. Chryſoſtomi non adverſari ſententiæ noſtræ, cum ibi unum dumtaxat propugnet S. Doctor, nimirum ſalutem non dependere a cauſa inſtrumentali, a qua non denominatur effectus, ut ſupra dictum eſt, neque fidem & probitatem abſolute prærequiri ad validitatem Sacramenti.

Ad primam probationem diſtinguo: Sacerdos præbet linguam & manum humano modo, ut Chriſti Miniſter, cui debet per intentionem interiorem conjungi, concedo: præbet cæco modo, & non agendo propter finem, nego. Neque enim ab omni ævo auditum eſt, aliquem conficere Sacramentum non intendendo facere quod facit Eccleſia: Igitur ſecluſa interiori intentione, Miniſter v. g. in Baptiſmo mendacem aquam infundit ſuper puerum, quandoquidem Eccleſia non ritum mere externum & materialem atque mendacem, ſed potius verum Sacramentum in ritu facere intendit; quocirca qui intendit facere quod facit Eccleſia, debet intendere ritum reduplicative ut Sacramentalem.

Ad ſecundam probationem, quæ eſt apud auctores contrariæ ſententiæ palmaris: Reſpondeo primo retorquendo argumentum. Ex hoc enim ſequitur ne quidem prærequiri intentionem faciendi ritum externum, ſi ratio deſumpta ex dependentia ſalutis a Miniſtro quidquam ponderet, quandoquidem Miniſter poteſt aliquod verbum eſſentiale reticere, maxime vero cum non teneatur formam alta voce, ſed potius demiſſe pronuntiare, & quæ ab illo ſolo exauditur, ut in Sacramentis Euchariſtiæ & Pœnitentiæ: Tum, quia vel ipſum Baptiſma, latino idiomate multis ignoto confertur; hinc

abſque negotio Miniſter poſſet citra auditorum ſcandalum formam vel additione, vel detractione eſſentialiter immutare.

Reſpondeo ſecundo, ſalutem nuſquam dependere pure & ſimpliciter a Miniſtro & hoc propter tria. I. Quia effectus non inſtrumento, ſed cauſæ principali aſſimilatur. II. Quia a probitate vel malitia Miniſtri de facto non pendet, cum etiam mali vere conficiant Sacramenta. III. Quia facile eſt habere illam intentionem generalem interiorem faciendi quod facit Eccleſia. Quartam addo rationem, & hæc eſt: Deus, utpote ex natura bonus & miſericors, non ſinit malos in omnem prorumpere malitiæ gradum, ita ut ſicut ſibi, ſic & ceteris nocere poſſint, non habendo intentionem requiſitam ad conficienda Sacramenta.

Diſcutitur mens ſancti Auguſtini.

OPPONES: Sanctus Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium cap. 8. ſic fatur: " „ Qua mente operetur *miniſter*, qua labo„ ret intentione non curent. " Igitur ſanctus Doctor contendit miniſtrum intus nolentem conficere Sacramentum, illud tamen conficere, eo ipſo quo ritum externum ſerio peragit; ſin minus profecto debuiſſet dicere S. Auguſtinus, plurimum advertendum eſſe, qua mente miniſter agat.

Reſpondeo diſtinguendo: Et eo loci ſanctus Doctor vult ſolum malam miniſtri intentionem circa Sacramenti effectum non impedire ipſius Sacramenti validitatem, concedo: Et intendit excludere intentionem interiorem, nego. Miniſter duo poteſt intendere, ſcilicet ipſum Sacramentum, deinde vero Sacramenti effectum, qualis eſt ſuſcipientis & ſanctitas & juſtificatio: poſteriorem intentionem abſolute non requiri propugnat ſanctus Auguſtinus; ibi enim ſicut & in Libris ſeptem de Baptiſmo perſtringit Donatiſtas, qui ad validitatem Sacramenti etiam ipſius miniſtri & fidem, & probitatem exigebant.

Replicabis: Atqui ſanctus Doctor excludit vel ipſam intentionem interiorem circa Sacramentum, aut ſaltem illam non eſſe abſolute neceſſariam exiſtimat. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Tract. 5. in Joan. verſus finem, aſſerit ſe non timere in confectione Sacramentorum adulterum, non ebrioſum, qui omnes paſſiones victi & rapti, ad ea quæ cœleſtia ſpectant, vix attendunt. Rurſus de Verb. Apoſt. cap. 11. pag. 124. vet. Ed. iſtud ponit inter puerum & adultum diſcrimen quod Baptiſmus valet pro illo quocumque modo detur; ſecus vero pro iſto: " Aut, „ ut quid ei dicis, *inquit*, ut credat? „ Hoc enim reſpondetur a portante par„ vulum, ad verba aliena ſanatur, quia „ ad factum alienum vulneratur. Credit „ in Jeſum Chriſtum. Fit interrogatio, „ reſpondetur, credit. Pro ſilente, flen„ te & flendo quodammodo, ut ſubve„ niatur, orante, reſpondetur, & va„ let. „ Ergo &c.

Reſpondeo primo ut ſupra, S. Auguſtinum in illis & ſimilibus locis non de intentione Sacramenti conficiendi, ſed de probitate miniſtri, movere quæſtionem, ut probet Donatiſtis exigentibus ut miniſter intendat Sacramentorum effectus, illud non eſſe abſolute neceſſarium.

Reſpondeo II. ad primum negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo: Et hoc unum vult S. Auguſtinus non eſſe neceſſe abſolute loquendo, ut miniſter ſit probus, concedo: ut non intendat interius facere quod facit Eccleſia, nego. Hoc ipſum patet ex ſancto Doctore; non enim dixit ſe non timere ebrium, ſed ebrioſum. Porro ebrius cum ignoret quid faciat, nullam habet intentionem, ſecus vero ebrioſus, qui vigente ratione poteſt abſque negotio conficere Sacramentum; quocirca ex ejus parte nihil timendum occurrit. Ceterum loquitur eo loci Auguſtinus de probitate miniſtri, cujus rei argumentum eſt, quod ſubdat ſe non timere adulterum.

Ad alteram probationem ſimiliter diſtinguo: Et ſanctus Doctor loquitur de ſuſcipiente, qui requiſitas habere debet diſpoſitiones, ut percipiat Sacramenti effectum, concedo: Et loquitur de miniſtro, de quo præſens movetur controverſia, nego. Ibi enim ſtatuit diſcrimen inter puerum ſuſcipientem Baptiſma, & adultum, quod prior independenter a diſpoſitionibus propriis recipiat regenerationis gratiam, quia alii pro eo reſpondent: ſecus vero poſterior.

Inſtes: Atqui S. Auguſtinus non exigit intentionem interiorem vel in ipſo mini-

Digitized by Google

miniſtro. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Sanctus ille Doctor Lib. 7. de Bapt. cap. 53. n. 101. edit. Nov. diverſas proponit quæſtiones tam de recipiente quam de conferente Sacramentum, quæ hic diſcutiendæ ſunt.

Primo quærit: " Utrum, *Ex parte ſuſci-*
,, *pientis* approbandum ſit Baptiſma, quod
,, ab eo, qui non accepit, accipitur, ſi
,, forte hoc curioſitate aliqua didicit quem-
,, amodum dandum ſit? ,,

Secundo: " Utrum nihil interſit, quo
,, animo accipiat ille cui datur, cum ſi-
,, mulatione, an ſine ſimulatione? ,,

Tertio: " Si cum ſimulatione, utrum
,, fallens, ſicut in Eccleſia, vel in ea quæ
,, putatur Eccleſia: an jocans ſicut in mi-
,, mo? ,, In qua quæſtione duas ſimul involvit; aliter enim confert Baptiſmum fallens in Eccleſia vera vel putata; aliter jocans, ſicut contingit in mimo.

Quarto: " Quid ſit ſceleratius, in Eccle-
,, ſia fallaciter accipere, an in hæreſi, vel
,, ſchiſmate ſine fallacia, id eſt animo non
,, ſimulato? ,,

Quinto demum: " Utrum in hæreſi fal-
,, laciter, an in mimo cum fide, ſi quiſquam
,, inter agendum repentina pietate mo-
,, veatur. ,, Ex parte vero conferentis inquirit S. Auguſtinus, quum & tradens & accipiens fallaciter agunt in ipſa unitate Catholica: " Utrum hoc magis Baptiſ-
,, ma ſit acceptandum, an illud quod in
,, mimo datur, ſi quis exiſtat qui fideliter
,, ſubito commotus accipiat: an quan-
,, tum ad ipſos quidem attinet homines,
,, plurimum diſtet inter credentem in mi-
,, mo, & irridentem in Eccleſia, ad ipſius
,, autem Sacramenti integritatem nihil
,, interſit? ,, Ergo &c. His factis propoſitionibus pendulus hæret & nihil determinat; non alia dubio procul de cauſa, niſi quod intentionem faciendi ritum externum ſufficere autumaret.

Reſpondeo primo diſtinguendo: Et S. Auguſtinus eo loci loquitur dubitanter, concedo: aſſertive, nego. Iis temporibus nihil erat clare ab Eccleſia determinatum de intentione interiori; quocirca ſanctus Doctor ait expectandum eſſe pro hujuſce controverſiæ termino Eccleſiæ judicium In aliquo judicio plenario prolatum: cum autem Concilium & Florentinum & Tridentinum intentionem interiorem requiri determinaverint, citra dubium eſt noſtram ſententiam eſſe ad S. Auguſtini mentem. Ibidem enim ſic loquitur ſanctus Doctor n. 102. poſt verba in objectione laudata & propoſita tum ex parte recipientis, tum ex parte conferentis dubia: " Sed nobis tutum eſt in ea non pro-
,, gredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ
,, nullo in Catholico regionali Concilio
,, cœpta, nullo plenario terminata ſunt:
,, Id autem fiducia ſecuræ vocis aſſere-
,, re, quod in gubernatione Domini Dei
,, noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti, uni-
,, verſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum
,, eſt.

Reſpondeo ſecundo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Baptiſma modo verbis Evangelicis formaliter ut talibus, quocumque modo conferatur, valet, concedo: verbis tantum materialiter Evangelicis, nego. Verba Evangelica poſſunt conſiderari dupliciter, primo quidem formaliter, & eatenus talia ſunt, quatenus proferuntur juxta Eccleſiæ intentionem; deinde vero mere materialiter; nimirum cum abſque finis intentione pronuntiantur, qualiter etiam Pſittacus ea enunciare poteſt. Sanctum Auguſtinum loqui in priori ſenſu liquet, maxime vero cum in libris contra Donatiſtas caput controverſiæ palmare, de probitate & non de intentione miniſtri procedat. Quod autem ſanctus Doctor non excludat intentionem interiorem, ex hoc manifeſtum eſt, quod Baptiſma in Eccleſia vera collatum, aut quæ exiſtimatur talis, admittat; illud autem quod extra Eccleſiam datur propellat in eo ſenſu quod qui nullam agnoſcit Eccleſiam, nullam poſſit habere intentionem.

Reſpondeo tertio iterum negando ſubſumptum: vel etiam rurſus diſtinguendo: Et S. Doctor in locis pro objectione allat:s loquitur de ſuſcipiente cui nihil prodeſt Baptiſmus ſi ficte & fallaciter eum accipiat, concedo: & loquitur de conferente, ſubdiſtinguo, nihil determinando, concedo: aliquid aſſertive pronunciando, nego; namque ibidem n. 101. ait propoſitis dubiis: " Quamquam talem ſi etiam
,, illi conferamus, qui in ipſa Catholica
,, fallaciter accipit, mirum ſi dubitatur
,, quis cui præferendus ſit. Quid enim
,, proſit animus veraciter dantis fallaciter
,, accipienti, non video. ,,

Dices: Ambroſius Catharinus, & Alphon-

phonſus Salmeron percelebres Theologi adfuere Concilio Tridentino, cujus mens ipſos certe non latebat: atqui tamen propugnant & deffendunt intentionem exteriorem ſufficere. Igitur ſicut Tridentini, ita & Auguſtini ſententia ſavet exteriori intentioni.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Et Theologi laudati citra dubium, non attigere in ſcriptis ſuis mentem Concilii Tridentini, concedo: & attigere, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Etvero Patres Synodici pronuntiant peccatorem non eſſe abſolutum, niſi Sacerdos habeat animum, non ſolum ſerio, ſed & vere abſolvendi; quid autem eſt habere animum vere aliquid faciendi, juxta omnium cordatorum placita? niſi habere intentionem interiorem, quæ ſignificatur & per vocem, *animum*, faciendi Sacramentum reduplicative ut Sacramentum, & per adverbium, *vere*, quod dubioprocul importat determinatque veram intentionem eſſe admittendam.

Inſiſtes: Qui dicit Sacramentum collatum fallaciter, valere, & non reiterari, ſed ſolummodo fallacem miniſtrum eſſe puniendum, ſuſcipit Sacramentum etiam cum ſola exteriori intentione collatum: Atqui in ea fuit ſententia ſanctus Auguſtinus: ſic enim ibidem loquitur n. 101. ſuum reſumendo ratiocinium poſt verba in objectione allata: " Si enim nihil „ intereſt ad integritatem Sacramenti in „ ipſa Catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cum tamen „ hoc idem utrique agant; cur extra interſit, non video; quando ille qui accipit non ſimulatione palliatus, ſed religione mutatus eſt. An plus valent ad „ confirmandum Sacramentum illi veraces, „ inter quos agitur, quam ad fruſtrandum „ illi fallaces, a quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen ſi poſtea prodatur, „ nemo repetit, ſed aut excommunicando „ punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo „ ſanatur. „ Ergo &c.

Reſpondeo primo, ſanctum Doctorem ibi loqui exponendo difficultatem, ſed nihil determinando; ſic enim pergit n. 102. " Sed nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ &c. „ Dico ſecundo caſum a ſancto Auguſtino propoſitum procedere de ſuſcipiente, qui debita cum diſpoſitione accepit Sacramentum, & cui profuit: ſupponit autem miniſtrum habuiſſe intentionem faciendi quod facit Eccleſia, cum dederit Sacramentum vel in unitate Eccleſiæ, vel religione mutatus, habuerit intentionem Eccleſiæ. Porro tametſi miniſter irrideat Sacramenti effectum, vere tamen illud conficit, & ideo non reiteratur; ſed ſi mala fides ad forum externum perveniat, velut peccatum punitur, & hoc unum propugnat Auguſtinus.

Perſiſtes: Non eſt hic difficultas niſi de mente ſancti Auguſtini: Atqui ſanctus Doctor expreſſe dicit ſe ratum habere Baptiſma quocumque modo detur, etiam mimice. His adde quod utrum intentio interior requiratur? non ſit de fide definitum, cum contrarium propugnent Theologi omni exceptione majores. Ergo &c. Probatur minor, his Auguſtini verbis ibidem n. 102. " Verumtamen, *inquit*, „ ſi quis forte me in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio „ verſaretur, non præcedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, „ urgeret ut dicerem quid ipſe ſentirem: „ ſi eo modo affectus eſſem, quo eram „ cum iſta dictarem; nequaquam dubitarem habere eos Baptiſmum, qui ubicumque, & a quibuſcumque, illud verbis „ evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent. „ Advertas velim ad hæc verba, *cum aliqua fide*. Ergo &c.

Reſpondeo primo ut ſupra, videlicet S. Auguſtinum nihil determinare; & dato quod in contrariam noſtræ opinioni ſententiam propenſus fuerit, ſi tamen vidiſſet Eccleſiæ mentem verbis Concilii Florentini & Tridentini ſufficienter declaratam, dubio procul, ſicut in Retractationum libris multa alia correxit, ita & ab hac declinaſſet ſententia. Quamvis enim explicite, nihil abſolute determinaverit Eccleſia pro intentione interiori, bene tamen implicite, cum exigat a miniſtro ut habeat intentionem faciendi quod ipſa facit. Ne dicam & quaſi explicite declaraverit, cum exigat ut Sacerdos non ſolum ſerio, ſed & vere abſolvendi animum habeat.

Reſpondeo ſecundo, negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Et S. Auguſtinus eo loci non excludit intentionem interiorem, concedo: & excludit, nego.

Prior

Prior ſenſus duplici fulcitur ratione, prima eſt, quod Baptiſma ſolummodo in Eccleſia collatum admittat ſanctus Doctor & conſequenter verbis Evangelicis formaliter conſecratum; hoc eſt cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: Altera, rejicit Baptiſmum cum joco aut interiori aut exteriori prolatum, nec valere contendit, donec pro hoc momento accedat Dei revelatio: Sed quare admittit Baptiſma fallaciter datum extrinſecus; rejicit vero intrinſecus & extrinſecus fallaciter operatum, niſi quia ubi adeſt ſimulatio, interior deficit intentio. Quid plura? in objectione exigit aliquam fidem, hoc eſt intentionem. Audiendus eſt iterum ut veritas ſolutionis noſtræ clareſcat: ſic autem loquitur ibid. n. 102. " Ubi autem neque ſocietas ulla eſſet ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, ſed totum ludrice & mimice, & jocular iter ageretur, utrum approbandus eſſes Baptiſmus qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impenſis ſupplici devotione gemitibus implorandum eſſe cenſerem: ita ſane ut poſt me dicturos ſententias, ne quid jam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarem: quanto magis ergo nunc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis, vel majoris auctoritatis, illud dixiſſe accipiendus ſum."

Quarto ex factis.

OBJICIES: Tria Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta, quibus patet Baptiſmum partim ex ludo, partim ex joco, vel irridendo, adeoque abſque intentione interiori datum, nihilominus ab Eccleſia ratum habitum fuiſſe. Ergo &c. Primum eſt ſancti Athanaſii, qui adhuc puer exiſtens inter ludendum in littore maris ſocios ſibi ex pueris etiam aſcitos baptizavit: quod quidem Baptiſma Alexander Epiſcopus Alexandrinus approbavit; ut enarrant Rufinus Lib. 10. Hiſt. cap. 14. Socrates Lib. 10. cap. 15. Sozomenus Lib. 2. cap. 16. Nicephorus Lib. 8. cap. 40. Alterum eſt ſancti Geneſii, qui cum in theatro religionis Catholicæ myſteria in deriſum coram Diocletiano conficere vellet, ſe ab alio mimo baptizari præcepit: Sed de repente converſus, ſerio & religioſe ſuſcepit Baptiſmum, qui ita illi profuit ad ſalutem, ut Martyr Chriſti evaſerit. Ita colligitur ex Adone, qui in ſuo Martyrologio ad diem 25. Auguſti celebrat ſancti Geneſii memoriam. Tertium eſt cujuſdam Judæi, qui a ſociis verſus mare ludentibus baptizatus eſt. Sic ſcribit Nicephorus lib. 3. capite ultimo. Ergo &c.

Reſpondeo primo, ad iſta tria capita in genere, ſic diſtinguendo: Et omnes inter ludendum voluerunt facere quod facit Eccleſia, concedo: & noluerunt, nego. Pueri, *inquit*, Bellarminus hic L. 1. de Sacr. cap. 28. pag. 131. poſſunt habere duplicem intentionem; alteram veram & extrinſecus ſecundum quid ludricam, alteram penitus vacuam, ita ut & interius, & exterius ſolummodo velint ludere, vel etiam quod pejus eſt irridere religionis myſteria: priorem ut plurimum habere Catholicos pueros, quotidiana comprobat experientia, dum Angelorum cuſtodum non ſine aliqua aut inſpiratione, aut ſaltem ſpeciali directione ad ſacra peragenda aſſueſiunt, ut, veluti manuducantur ad ſortem ſanctorum Sacerdotum capeſcendam; hinc adhibitis ornamentis in Eccleſia uſitatis, vel etiam devote & pie admodum ſacra myſteria, quantum in eis eſt concelebrant; quod tamen negotium nomine cujuſdam ludi nuncupatur, quia ad eos non ſpectat ex officio ſacra peragere: ſed ſi tantum ludrice hoc agatur, certe nullum eſt Sacramentum. Primam intentionem Athanaſium habuiſſe in baptizando, & Geneſium in recipiendo Baptiſmum, & etiam quodammodo Judæum, propugnant Bellarminus, Gonetus, & alii celeberrimi Theologi.

Reſpondeo ſecundo, factum Athanaſii in dubium revocari propter ſcriptorum Eccleſiaſticorum diſſonantiam. Namque Rufinus aſſerit ſe id accepiſſe ab ipſis pueris Athanaſio coævis; ſubditque, *ferunt*, & juxta Sozomenum *commemorant* Alexandriæ Epiſcopum, Baptiſma inter ludendum datum ab Athanaſio, ratum habuiſſe: ſed voces, *ferunt*, *commemorant*, nihil prorſus certitudinis pro aliquo facto habent. Socrates ſcribit Athanaſium cum pueris imitatum fuiſſe in hoc Collegium miniſtrorum, quorum unus Presbyteri, alter Diaconi partes agebat. Sic ait Bellarminus

nus hic L. 1. de Sacr. c. 28. p. 131. " Di-
„ co igitur ludum Athanaſii fuiſſe prioris
„ generis : nam vere voluit baptizare ,
„ ſed accepit eam actionem pro materia
„ ludi , & oblectationis . Id ita eſſe colligi-
„ tur tum ex ipſa hiſtoria , quam ſcribunt
„ Rufinus L. 10. Hiſt. cap. 14. Sozome-
„ nus L. 2. cap. 16. & Nicephorus L. 8.
„ cap. 40. ſcribunt enim hi auctores ab
„ Athanaſio ſolos Catechumenos baptiza-
„ tos, idque omnibus Eccleſiæ cæremo-
„ niis adhibitis .

Quid plura? affulget manifeſta contradictio ; inde enim ſequeretur Athanaſium factum fuiſſe Epiſcopum annis ſolum 25. natum , cum ſcribant auctores factum iſtud contigiſſe ſub Alexandro, qui cum e vita migraverit ſub finem anni 311. non potuit ante finem anni 312. Athanaſius ejus ſedem occupare, quo tempore, ſi Baronio fides adhibeatur , duodecimum dumtaxat annum jam attigerat : porro adfuit Concilio primo Nicæno anno 325. celebrato , & tunc erat celeberrimus Diaconus : inauguratus eſt autem Epiſcopus aliquibus tantum elapſis menſibus : quo circa explicari vix poteſt , quo animo aut puer luſerit tempore Alexandri, aut cur adhuc junior creatus fuerit Epiſcopus , eo maxime tempore quo multi conqueſti fuerant Paulinianum ſancti Hieronymi fratrem creatum fuiſſe Presbyterum , tametſi triginta annorum vir eſſet , quod quidem ordinationis Athanaſii vitium non tacuiſſent Ariani ipſius æmuli infenſiſſimi, de quo tamen altum eſt apud Scriptores ſilentium .

Ad factum Geneſii reſpondet ibidem Bellarminus pag. 131. nihil in hoc adverſari ſententiæ intentionem interiorem exigenti : " Nam ſic , *ait*, primus , qui
„ hiſtoriam ſcripſit , fuit , quod ſciam ,
„ Ado Trevirenſis in Martyrologio 8.
„ Kal. Septemb. Ab eo acceperunt poſte-
„ riores , Vincentius , ſpeculo hiſtoriali ,
„ L. 12. cap. 102. & S. Antoninus , 1. part.
„ tit. 8. cap. 1. §. 9. ſummæ Hiſtorialis .
„ Porro Ado ſcribit , mimum illum no-
„ mine Geneſium , coram Imperatore
„ Diocletiano gratia irridendi myſteria
„ Chriſtiana, ſe ægrotum finxiſſe, ac Ba-
„ ptiſmum poſtulaſſe ; tum juſſu Imperato-
„ ris accerſitum Presbyterum , & exorci-
„ ſtam , qui eum baptizarent . Verum
„ cum a Presbytero interrogaretur quid
„ petierat ? Illum repente converſum , non
„ ficte , ſed ſerio reſpondiſſe , gratiam
„ Chriſti ſe petere , atque ita baptizatum
„ vere & ſerio , cum & Presbyter baptiza-
„ re intenderet, & ille intenderet ſuſci-
„ pere Baptiſmum ; licet Imperator adhuc
„ crederet eum fingere . „

Ad tertium reſpondendum eſt , ut ſupra : videlicet Judæum baptizatum fuiſſe ab eo, qui intendebat facere quod facit Eccleſia .

Repones : Novatiani ordinatio a tribus temulentis facta , non fuit rejecta , quippe quæ non fuerit reiterata : Sed ex dictis liquet, hominem crapula oppreſſum , non habere intentionem finis. Igitur valet Sacramentum abſque intentione interiori collatum .

Reſpondeo ordinationem prælaudatam fuiſſe prorſus irritam : hoc ipſum ſufficienter innuit Cornelius Summus Pontifex in ſua ad Fabium Antiochenum Epiſtola apud Euſebium, Lib. 6. cap. 43. ubi ſic loquitur : " Quicumque adveniſſent ,
„ nempe illi tres Epiſcopi Romam a
„ Novatiano vocati , eos ille a quibuſ-
„ dam ſui ſimillimis quos ad id compa-
„ raverat incluſos hora decima temu-
„ lentos & crapula oppreſſos, adumbrata
„ quadam & inani manuum impoſitio-
„ ne Epiſcopatum ſibi tradere per vim
„ coegit , eumque nullo ſibi jure compe-
„ tentem per fraudem atque inſidias vin-
„ dicat . „

Inſtabis : Non deſunt alia facta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ , quibus conſtat nonnullos fuiſſe , etiam renitentes , ordinatos Presbyteros : quæ tamen ordinatio veluti genuina habita eſt . Igitur ſicut in ſuſcipiente , ita & in miniſtro non requiritur intentio interior .

Reſpondeo diſtinguendo : Et illi qui ordinati ſunt , humilitatis ſolum cauſa, ſeſe opponebant ordinationi, & tamen interius conſentiebant , concedo : ſecus, nego. Quidam ſignis & vocibus nonnumquam aſſerunt ſuperioritatis gradum ſe abnuere , & tamen non ægre ferunt electionem . Cæterum dicemus non requiri tantam intentionem in ſuſcipiente , quanta prærequiritur in miniſtro .

Ultimo ex rationibus .

Objicies : Altum eſt apud veteres ſilentium

Digitized by Google

tium de neceſſitate intentionis interioris: Igitur nullo jure neceſſaria eſt.

Reſpondeo primo falſiſſimum eſſe, antiquitatem venerabilem ſiluiſſe intentionis neceſſitatem, ut patet ex dubiis quæ ſanctus Auguſtinus ſupra laudatus ſibi propoſuit: ultro fatemur quæſtionem primis ſæculis non fuiſſe determinatam, ſed nec pariter controverſia Millenariorum fuit finita, cum ſolummodo a Benedicto duodecimo tum a Concilio Florentino, metam acceperit. Ergo ne licitum quandoque fuit regnum mille annorum in terra cum Agno pro Sanctorum animabus antequam viſione Dei donarentur, propugnare? abſit. Quidni & idem dicendum de intentione exteriori?

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo antecedens: Et intentionem interiorem neceſſariam eſſe Martinus non obſcure in Concilio Conſtantienſi, tum Eugenius IV. in Florentino, ac demum Patres Tridentini determinarunt, concedo: & non determinavere, nego: ſtatutum eſt enim miniſtrum debere habere intentionem interiorem, quod vox *animum* deſignat. Ceterum neque demirandum eſt, ſi nulla antiquitus nata ſit controverſia de neceſſitate intentionis, cum omnes abſque tergiverſatione ad Baptiſmum tum conferendum tum ſuſcipiendum de ejus neceſſitate convenirent.

Inſiſtes: Fides & Probitas non requiruntur in miniſtro. Igitur nec intentio interior. Confirmatur: Chriſtus nihil de hoc determinavit; quinimmo eodem modo præcepit diſcipulis baptizare, ſicut & prædicare: Sed ad prædicandum non requiritur intentio interior: Igitur nec ad conficiendum Sacramentum. Tum, quia conferuntur Sacramenta ſicut medicamina, nemo autem non novit medicamina operari eo ipſo quo applicantur, & hoc quidem independenter ab intentione interiori miniſtrantis. Ergo &c.

Reſpondeo negando paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quod probitas non niſi circumſtantiam accidentalem ſpectet, cum ut plurimum ſint mali miniſtri abſque eo quod opus Dei aliqua afficiatur macula; intentio vero ad ſubſtantiam Sacramenti eatenus pertinet, quatenus inſtrumentum movetur eodem motu ac cauſa principalis cui conjungitur, porro per ipſam intentionem interiorem miniſter conjungitur cum Chriſto.

Ad primam confirmationem reſpondeo, negando Chriſtum nihil de intentione determinaſſe, quandoquidem inſtituendo Apoſtolos Sacerdotes præcepit eis ſacro-ſanctum Miſſæ ſacrificium in ſui commemorationem facere; hinc S. Paulus plenus Spiritu ſancto intonuit 1. Cor. 4.: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: Quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.* Quæ quidem fidelitas maxime commendatur, in eo quod miniſtri eamdem cum Chriſto habere debeant in conficiendis Sacramentis intentionem; quocirca non eodem prorſus modo Salvator noſter præcepit actionem Sacramentalem & doctrinalem: Equidem utramque commendavit, ſed ad Sacramentum conficiendum exigit intentionem interiorem, eo quod miniſter ſeu cauſa ſecunda in hoc a cauſa principali moveatur interius; ad concionandum vero non niſi extrinſecus, cum prædicatoris officium ſit præciſe movere objective auditores modo ad cultum Dei, modo etiam ad Pœnitentiam.

Ad alteram confirmationem diſtinguo: Sacramenta ſunt medicamina arbitraria & libera, concedo: naturalia, nego. Porro magna eſt diſcrepantia inter medicamen arbitrarium & naturale. Primum quidem ab intentione inſtitutoris & miniſtri dependet, eo enim ipſo quo eſt arbitrarium, quaſdam ſubit conditiones, quibus ſecluſis, non operatur; alterum vero e contra per modum naturæ agit, & ideo ſi applicetur, ſuum cito-citius ſortitur effectum. Solutio eſt D. Thomæ hic.

Replicabis: Eodem modo ratiocinandum eſt de miniſtro Sacramentorum ac de ſervo, de Oratore Principis, & de Notario publico, qui omnes aliis famulantur: ſed etiamſi & ſervus reddens v. g. Domini Epiſtolam ad aliquem effectum, & Orator exhibens Principis authenticum inſtrumentum pro aliquo negotio terminando, & Notarius faciens contractum in nomine alterius, non habeant intentionem ejus in cujus nomine agunt, producitur tamen effectus. Ergo a pari &c.

Reſpondeo negando triplicem illam paritatem. Et ut a primo capite exordium ſumam a ſervus non eſt niſi Epiſtolæ delator, quocirca nullus eſt reſpectus ad ipſum, ſed ſolum-

lummodo ad Epiſtolam, quæ Domini exhibet intentionem. Idem dicendum eſt & de Oratore, & de Notario: Quandoquidem non propter ſuam intentionem, ſed propter intentionem illius in cujus nomine agunt, & quem exhibent præſentem per inſtrumentum authenticum ſequitur effectus; at vero miniſter vel ipſam Chriſti perſonam repræſentat; neque in hoc paſſive ſe habet intrinſece, ſicut alii, qui non niſi extrinſece agunt, eo quod ſit ipſe diſpenſator bonorum Domini ſui, diſtribuens prout vult, quibus vult, & quomodo vult; quæ ratio deducitur ex divo Thoma afferente, miniſtrum eſſe inſtrumentum animatum, quod movetur & ſe ipſum movet: movetur quidem per impreſſionem Chriſti, ſeipſum vero movet propria intentione, qua Chriſto aſſimilatur & conformatur.

Repones: Judex ferens ſententiam de bonis reſtituendis alicui, ſuum ſortitur effectum, licet de hoc non haberet intentionem & voluntatem. Igitur a ſimili idem dicendum eſt de Sacerdote abſolvente Pœnitentem, quippe qui & judicis munere fungatur.

Reſpondeo primo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod judex civilis pertineat ſolum ad forum externum, & Reſpublica non curet niſi de concordia publica & externa populorum: at vero Sacerdos non niſi in foro interno judicat, adeoque & internam debet habere intentionem, quippe qui ſit Paſtor & Pater, adeoque ejus eſt muneris pacem inter Deum & peccatorem componere. Quis autem ſanæ mentis dixerit, Patrem non debere habere, abſolute loquendo, intentionem interiorem ſuum reconciliandi filium?

Reſpondeo ſecundo, neque ſententiam judicis civilis ſtare ſi juridice poſſit probari, judicem non habuiſſe intentionem de effectu per ſententiam conſecuto: idem dicendum de voto, de juramento, & matrimonio, quorum omnium ligat actus, cum celebritate peractus, niſi teſtibus omni exceptione majoribus contrarium probetur, intentionem ſcilicet interiorem fuiſſe prorſus contrariam actioni, quæ extrinſecus apparuit.

Inſiſtes: Eccleſia non judicat de internis: Igitur abſque fundamento exigitur intentio interior. Probatur antecedens duplici momento: Primo quidem, Epiſcopus antequam ſacros conferat Ordines proteſtatur ſe nolle excommunicatum ordinare, item nec illum cui proprii Prælati licentia deeſt; ſicut nec eum etiam qui non ſubiit examen: Atqui tamen ordinati cum hujuſmodi impedimentis, non iterum ordinantur, namque jura ſupponunt ordinationem legitimam; cum excommunicatum ſolummodo manere ſuſpenſum declarent. Secundo propoſitus eſt caſus Domino Sanbovio, num Epiſcopus, qui multos ordinaverat, ſed præ malitia aut impietate non niſi irriſorie ſaltem intus hoc fecerat, & tamen ſerio, an valide cunctos ordinaſſet? Reſpondit Sorbona validam fuiſſe ordinationem. Igitur præter intentionem faciendi ritum externum, nihil amplius exigitur.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Eccleſia non judicat de internis in foro contentioſo, concedo: Hoc eſt neminem publice excommunicat, vel ab officio ſuſpendit, & privat beneficio, niſi conſtet de crimine: in foro interno, nego. In iſto judicat de fide & religione, a qua ſi quis ita diſcedat ut non intendat facere Sacramentum, dubioprocul nihil facit.

Ad primam Confirmationem diſtinguo: Et proteſtationes ad Ordinationem præviæ, ſunt dumtaxat comminatoriæ ſecundum multos; nam Epiſcopus intendit ordinare omnes præſentes, concedo: & non intendit, nego.

Ad caſum, hæc fuit reſponſio, fidem & probitatem non requiri in Miniſtro, Epiſcopum vero quantumvis vitioſum habuiſſe intentionem faciendi quod facit Eccleſia, tametſi parvi faceret & Sacramentum, & Sacramenti effectum ſubſequendum.

Iterum urgebis: Implicat poni materiam & formam, ceteraque prærequiſita, & effectum non ſequi: Igitur eo ipſo quo apponitur debita materia & debita forma, & hoc ſerio ac cæremonialiter juxta ritum ab Eccleſia præſcriptum, fit Sacramentum, nec prærequiritur intentio interior. Confirmatur: Paganus ſic baptizans non habet intentionem interiorem facieudi quod facit Eccleſia, cum ne quidem illam cognoſcat; *ignoti*, *autem*, ut fert adagium, *nulla cupido*. Rurſus Calviniſta baptizando intendit facere quod ſa-

facit Eccleſia Genevenſis, ſed non quod Romana; attamen Baptiſmus ab utroque collatus validus eſt. Ergo &c. Idem adhuc confirmatur: Non ſemel contingit effectum a Miniſtro non intentum, puta vel characterem, vel juſtificationem produci, ipſa Sacramenti collatione. Ergo &c.

Reſpondeo: diſtinguendo antecedens: Implicat poni & materiam, & formam humano modo & formaliter, & non fieri Sacramentum, concedo: poni tantum materialiter, & abſque intentione, nego. Actio Sacerdotalis eſt humana atque libera, ſeu arbitraria, quocirca fieri debet cum intentione finis, in quo ſane diſcrepat ab actione hominis, quæ fit abſque deliberatione, & ex mero naturæ impetu.

Ad primam probationem, diſtinguo: Et Paganus intendit facere quod facit Eccleſia vera, quæcumque ſit, concedo: ab eo enim expoſtulatur Baptiſmus ea conditione ut faciat quod facit vera Eccleſia, quam modo implicito eatenus cognoſcit, quatenus ejus ſe conformat intentioni. Sin minus, nego.

Ad alteram confirmationem utique diſtinguo: Et Calviniſta intendit facere quod facit vera Eccleſia, licet erret in determinando quænam ſit vera, concedo: Secus nego. Veritatis ſolutionis non levius argumentum eſt, quod intendat Calviniſta facere quod Chriſtus & vult, & inſtituit, qua quidem explicatione evaneſcunt omnia de Baptiſmo a Calviniſta collato ſophiſmata.

Ad tertiam confirmationem ſimiliter diſtinguo: Non ſemel effectus a Sacramento diſtinctus conſequitur, quamvis a Miniſtro minime intendatur, concedo; ſi nomine effectus intelligatur ipſum Sacramentum, quod etiam reſpectu cauſæ rationem effectus ſubit, nego: Igitur duplex eſt effectus, Unus Miniſtri, alter vero Sacramenti: prior eſt confectio Sacramenti, qui quidem non pendet a probitate Miniſtri, ut dicetur infra; e contra vero ab ejus intentione: poſterior eſt gratia quæ producitur a Sacramento eo ipſo quo rite conficitur.

Perſiſtes: Ex hoc ſequitur etiam prærequiri intentionem in Miniſtro non ſolum ad Sacramentum, verum etiam & ad effectum Sacramenti producendum: Sed falſum conſequens; ergo & antecedens. Probatur ſequela: Eo ipſo quo Miniſter debet intendere interius Sacramentum, certe illud formaliter ut Sacramentum intendere debet, adeoque & ipſum Sacramenti effectum, cum iſta duo ſint a ſeipſis indivulſa, & actus interior ac exterior ſint ejuſdem ſpeciei. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo: Miniſter debet intendere Sacramentum ſecundum ſe, concedo; & in hoc actus tum interior, tum exterior concordant, eamdemque conſtituunt ſpeciem, cum munus Miniſtri ſit ſolum conficere Sacramentum. Debet intendere Sacramentum, & Sacramenti effectum ſubdiſtinguo: Ad melius concedo: abſolute, nego: immo effectus nonnumquam deeſt etiam culpa ſuſcipientis: Igitur unum ab alio recte diſtinguitur, & abſtrahitur.

Dices: Si requiritur intentio interior, dubioprocul magna erit in omnibus fidelibus anxietas; nulli quippe erit certitudo de ſuſceptione Sacramenti; cum prorſus lateat ſuſcipientem interior Miniſtri intentio: Sed hoc inconveniens a Religione Chriſti, cujus jugum uti admodum ſuave celebratur, eliminandum eſt. Ergo &c.

Reſpondeo primo, idem in alia opinione ſubſequi inconveniens, cum in Pœnitentia Sacerdos poſſit facile corrumpere formam, quam quidem ut plurimum in ſilentio pronuntiat, nullus quippe ſcire valet, num bene aut male formam protulerit.

Reſpondeo ſecundo, negando ex noſtra opinione ſequi in animis anxietatem. Ad id vero quod ſubjungitur non dari certitudinem de Sacramenti ſuſceptione, diſtinguo: Phyſicam & abſolutam, concedo; moralem, nego. Vel ipſe Deus vult ad exercitium fidei ſalutis myſteria non latere, juxta illud 1. Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*: Et iterum Philipp. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*: Igitur non niſi moralem certitudinem, tum de validitate Sacramentorum, tum etiam de ipſa ſalute expectare debemus. Porro eo ipſo quo Miniſter ſerio & cæremonialiter agit, habemus certitudinem moralem, ipſam intentionem interiorem illi non defuiſſe; cum facillimum ſit habere intentionem illam generalem faciendi quod facit Eccleſia.

SY-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Intentio interior in confectione Sacramentorum requiritur.

PRIMO: Scriptura ſacra hoc ipſum indigitat, cum Chriſtus ſuis Diſcipulis commendaverit in ſui commemorationem conficere Sacramenta: Et Apoſtolus præcipiat ut Miniſtri in diſpenſatione myſteriorum Dei, ſint fideles, quæ quidem fidelitas in hoc potiſſimum affulget, cum intendunt facere quod ipſe Chriſtus peregit, & præcipit.

Secundo: Totam quæſtionem dirimit Concilium Florentinum, dicens Sacramenta perfici per Miniſtrum, habentem intentionem faciendi quod facit Eccleſia, quæ ſi deſit, non eſſe Sacramentum: Sed norunt omnes Eccleſiam intendere non vacuum & mendacem ritum externum, ſed & ſacramentalem. Idem ſtatuit Tridentinum Seſſ. 7. Can. 11. Et rurſus Seſſ. 14. cap. 6. ubi declarat pœnitentem non debere ſibi blandiri de abſolutione data, niſi Miniſter habuerit animum, ſcilicet intentionem interiorem, non ſolum ſerio, ſed & vere abſolvendi; quæ quidem vox, *vere*, omnem prorſus eliminat æquivocationem. Quis enim cordatus dixerit Miniſtrum, qui interius non vult facere Sacramentum, habere tamen animum vere abſolvendi? quæ duo ne dicam contraria, ſed & plane abſurda ſunt.

Tertio: Non una eſt ratio pro aſſertione noſtra; ſed ea eſt potiſſima, quod Miniſter ſeipſum moveat, & quidem ut diſpenſator, qui plurimum & a ſervo & a notario, vel ab ipſo Principis Oratore diſcrepat; nam iſti veluti paſſive ſe habent, & ut veritatis teſtes ſunt; nec quicquam citra commiſſionem & reſcriptum poſſunt: at vero diſpenſator diſtribuit abſque menſura bona Domini, & juxta propriam voluntatem; quocirca ſi deſit intentio de fine, nullum reipſa facit Sacramentum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Nullum faceſſit negotium quod Sephora & Iſaac quaſi invito animo ſeſe geſſerint, illa in circumciſione filii ſui; iſte in benedictione Jacob; quandoquidem Moyſis ſponſa voluit obedire legi, ſicut & Patriarcha benedicere filium præſentem, quicumque eſſet.

Secundo: Nec magis proficiunt adverſarii varia opponendo facta, cum & ex Hiſtoricis ſacris & ex Theologis, Miniſtri habuerint intentionem interiorem faciendi quod facit Eccleſia.

Tertio: Eccleſia quidem non judicat de internis in foro contentioſo, bene vero in foro interiori; nec inde ſequitur ſalutem dependere a Miniſtris niſi per accidens, quandoquidem effectus non aſſimilatur inſtrumento, ſed cauſæ principali, a qua ſuum habet & effectum, & valorem. Ceterum eo ipſo quo Miniſter ſerio & cæremonialiter agit, cenſetur juxta judicium viri prudentis habere intentionem interiorem faciendi quod facit Eccleſia, maxime vero cum nihil inde emolumenti caperet, ſi ex malitia ſuſcipientem fruſtraret Sacramento.

PUNCTUM SECUNDUM.

Num Sanctus Thomas propugnaverit intentionem interiorem eſſe Miniſtro neceſſariam?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis rationibus auctoritate divi Thomæ ſuffultis.

PRIMA ſic deducitur. Ille exiſtimat intentionem interiorem prærequiri ad Sacramenti validitatem, qui de ipſa validitate aut nullitate judicat ſecundum intentionem interiorem vel admiſſam, vel excluſam: Atqui ſic judicat ſanctus Doctor, loquens enim de mutatione formæ, dicit verba addita initio vel in fine formæ Sacramenti, ipſum nullum reddere, ſi Miniſter intendat novum ritum introducere; ſic enim non intenderet facere, *inquit*, quod facit Eccleſia; e contra vero non irritatur Sacramentum, ſi Miniſter intendat quod ipſa intendit Eccleſia. Ergo &c. Sic loquitur hic Q. 60. art. 8. in corpore: " Reſpondeo. Dicendum, quod „ circa omnes mutationes quæ poſſunt „ in formis Sacramentorum contingere, „ duo

Digitized by Google

,, duo videntur eſſe conſideranda ; unum
,, quidem ex parte ejus, qui profert ver.
,, ba, cujus intentio requiritur ad Sacra-
,, mentum .... ſi intendat per hujuſmodi
,, additionem , vel diminutionem alium
,, ritum inducere, qui non ſit ab Eccle-
,, ſia receptus, non videtur perfici Sacra-
,, mentum; quia non videtur quod inten-
,, dat facere id quod facit Eccleſia. ,,
Rurſus ibidem ad 3. " Dicendum , quod
,, ſi ſit tanta interruptio verborum, quod
,, intercipiatur intentio pronuntiantis ,
,, tollitur ſenſus Sacramenti, & per con-
,, ſequens veritas ejus. ,,

Secunda: Qui contendit cuncta eſſe ca-
ſualia niſi adſit intentio operis , & hoc
medio probat intentionem exigi in Mi-
niſtro ad perfectionem & validitatem Sa-
cramenti, citra dubium propugnat inte-
riorem : Atqui ſanctus Thomas hic Quæſt.
64. art. 8. ex profeſſo hanc tradit ſen-
tentiam; ſic enim inſcribitur articulus :
*Utrum ad perfectionem Sacramenti requira-
tur intentio Miniſtri?* & propoſitis ſibi ob-
jectionibus contra intentionem interio-
rem , maxime ex eo quod non requira-
tur in inſtrumento , ſic reſpondet in ar-
gumento *ſed contra*. " Ea quæ ſunt præ-
,, ter intentionem, ſunt caſualia : quod
,, non eſt dicendum de operatione Sacra-
,, mentorum : Ergo Sacramenta requi-
,, runt intentionem Miniſtri . ,, Certe
ea cenſentur caſualia quæ ſine delibera-
tione, adeoque abſque operis intentione
fiunt : Igitur ſanctus Doctor exigit inten-
tionem interiorem ; alias nihil probaret ,
ſi Sacramentum cum intentione contraria
interiori confectum , valere autumaret ;
Quin immo manifeſta foret in verbis
contradictio , quod non eſt admitten-
dum.

Tertia hæc eſt : Latum eſt diſcrimen
inter inſtrumentum inanimatum & anima-
tum. Et in eo maxime ſitum eſt , quod
animatum moveatur & ſe moveat , ac
principali agenti ſubjiciatur per intentio-
nem faciendi quam iſtud habet : Atqui
ſic docet ſanctus Thomas ibidem ad 1. u-
bi hæc effatur : " Dicendum , quod in-
,, ſtrumentum inanimatum non habet ali-
,, quam intentionem reſpectu effectus, ſed
,, loco intentionis eſt motus quo movetur
,, a principali agente : ſed inſtrumentum
,, animatum, ſicut eſt Miniſter, non ſo-
,, lum movetur, ſed etiam quodammodo
,, movet ſe ipſum ; in quantum ſua vo-
,, luntate movet membra ad operandum.
,, Et ideo requiritur ejus intentio , qua
,, ſe ſubjiciat principali agenti, ut ſcili-
,, cet intendat facere quod facit Chriſtus
,, & Eccleſia. ,, Sed Chriſtus & Eccle-
ſia faciunt Sacramentum. Namque abſur-
dum ac ridiculum, ne dicam & a Reli-
gione alienum foret dicere, Chriſtum &
Eccleſiam facere ſolummodo ritum exter-
num. Igitur ex divo Thoma requiritur
intentio interior.

Quarta : Ubi idem ad multa inſervire
poteſt , debet ad unum potius quam ad
aliud per intentionem agentis interiorem
determinari : Sed aliquis v. g. poteſt duo
ſimul intendere infundendo aquam, ſcili-
cet vel animam, vel ſolum corpus lava-
re; nihil enim prohibet ex devotione di-
cere pro ſola corporis lotione , Ego te
abluo in nomine Patris, & Filii, & Spi-
ritus ſancti, maxime vero in cæremonia
lotionis pedum, quæ certe nuſquam fuit
Sacramentum. Igitur per ſolam intentio-
nem ac directionem lotio corporis in no-
mine ſanctiſſimæ Trinitatis evadit Sacra-
mentum . Ea potiſſimum ratione probat
theſim ſanctus Thomas , & concluſionem
ſuam ibidem in corpore articuli. Reſpon-
deo : " Dicendum, quod quando aliquid
,, ſe habet ad multa , oportet quod per
,, aliquid determinetur ad unum , ſi il-
,, lud effici debeat. Ea vero quæ in Sa-
,, cramentis aguntur, poſſunt diverſimo-
,, de agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in
,, Baptiſmo, poteſt ordinari & ad mun-
,, ditiam corporalem , & ad ſanitatem
,, corporalem, & ad ludum, & ad mul-
,, ta alia ejuſmodi ; Et ideo oportet quod
,, determinetur ad unum, id eſt ad ſa-
,, cramentalem effectum per intentionem
,, abluentis. ,,

Quinta : Duplex eſt intentio recta ,
una circa ipſius Sacramenti perfectionem
& validitatem , altera vero circa uſum :
Sed prior requiritur ad validitatem Sacra-
menti; ſic docet ex profeſſo divus Tho-
mas ibidem art. 10. ubi quærit : *Utrum
intentio recta Miniſtri requiratur ad perfe-
ctionem Sacramenti?* Eo loci agere ſanctum
Doctorem de intentione interiori ex ipſo
inſcripto liquet ; nam quærit num recta
intentio exigatur? Rectitudo autem atten-
ditur penes voluntatem ; hanc autem
quæſtionem ſic ſolvit in corpore articuli.
" Re-

Digitized by Google

" Reſpondeo. Dicendum, quod intentio ,, Miniſtri poteſt perverti dupliciter. ,, Uno modo reſpectu ipſius Sacramenti: ,, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid ,, agere. Et talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, precipue quando ,, ſuam intentionem exterius manifeſtat. ,, In his verbis duo ſunt ponderanda. Primum quidem ex S. Thoma eum, qui intus deriſorie agit, non perficere Sacramentum. Profecto qui ex directa voluntate intus non vult Sacramentum, æque diſtat immo & magis a Sacramento, quam qui non niſi mimice intus operatur. Secundum, quod ſequitur eſt deriſorem nullum Sacramentum peragere, cum argumentis exterioribus probatur ejus perverſa intentio. Igitur ex ſancto Thoma, qui intus non intendit Sacramentum, de facto nullum facit. A fortiori ſi ſuam exterius probet malam voluntatem.

Idem ibidem ſuam abſque tergiverſatione aperit mentem, itaut nullus relinquatur ambigendi locus de ejus ſententia, & ſic pronuntiat. " Ad primum ergo di- ,, cendum, quod Eccleſiæ intentio recta ,, eſt, & quantum ad Sacramenti perfe- ,, ctionem, & quantum ad Sacramenti u- ,, ſum: ſed prima rectitudo perficit Sa- ,, cramentum, ſecunda operatur ad me- ,, ritum: Et ideo Miniſter qui confor- ,, mat intentionem ſuam Eccleſiæ, quan- ,, tum ad primam rectitudinem, non au- ,, tem quantum ad ſecundam, perficit ,, quidem Sacramentum, ſed non eſt ſibi ,, ad meritum. ,, Igitur ex ſancto Thoma, deficiente recta intentione, ſcilicet interiori, prorſus non niſi Sacramentum mendax & vacuum facit Miniſter.

Sexta, ſic ſe habet: Requiritur intentio interior in ſuſcipiente, ut probabitur infra. Igitur & a fortiori in Miniſtro, cum iſte ſe moveat; hoc ipſum fert adagium commune: *Quidquid faciant homines, intentio judicat omnes*. Quæ quidem doctrina fundatur in jure tum civili, tum Eccleſiaſtico; namque Barboſa tractatu de axiomatibus juris actione 12. & 128. probat omni argumentorum genere, actus agentium ſpiritualium non operari citra eorum intentionem.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Qui aſſerit intentionem exprimi per verba quæ in Sacramentis proferuntur, videtur intentionem interiorem non exigere in Miniſtro: Atqui ſanctus Thomas Quæſt. 64. art. 8. ubi ex profeſſo movet quæſtionem de intentione, probat quidem exigi, ut materia de ſe indifferens ad multa, ad Sacramentum conficiendum determinetur; ſed ſubdit, ne aliquis credat interiorem prærequiri in Miniſtro: " Et hæc intentio expri- ,, mitur per verba quæ in Sacramentis ,, dicuntur, puta cum dicit: Ego te ba- ,, ptizo in nomine Patris, &c.

Reſpondeo primo huic argumento & ſequentibus inſtantiis, opponendo divum Thomam divo Thomæ, & dico, loca non nihil obſcura per clariora quæ adducta ſunt in probationibus, eſſe explicanda.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo majorem: Et ſanctus Thomas contendit verba rite prolata prodere quod eſt in mente & voluntate Miniſtri, quatenus verbum externum eſt explicatio verbi mentalis quod in corde concipitur, concedo: & ſanctus Doctor excludit intentionem mentalem, nego: & ſit diſtincta minore, nego conſequentiam. Eo loci ſanctus Thomas non ſolum probat intentionem eſſe neceſſariam, ſed & qualis debeat eſſe determinat, cum ſubjungit exprimi per verba quæ in Sacramentis dicuntur; quocirca hunc reddunt ſenſum, ſcilicet ut Miniſter intendat facere quod intendit & facit Eccleſia, & hoc ipſum iterum atque iterum inculcat; quo quidem ſecluſo pronuntiat nullum eſſe Sacramentum. Solutio eſt ejuſdem S. Thomæ ibidem ad 1. " Inſtrumentum animatum, ſicut eſt ,, Miniſter, non ſolum movetur, ſed & ,, quodammodo movet ſe ipſum, in quan- ,, tum ſua voluntate movet membra ad ,, operandum: Et ideo requiritur ejus ,, intentio, qua ſe ſubjiciat principali ,, agenti, ut ſcilicet intendat facere, ,, quod facit Chriſtus & Eccleſia. ,,

Inſtabis: Ibidem art. 8. ad 2. verbis expreſſis aſſerit intentionem mentalem non eſſe neceſſariam: Ergo &c. Probatur antecedens. Ibi duas refert circa intentio-

tentionem opiniones, alteram eorum qui mentalem exigunt, alteram vero eorum qui ſolummodo exigunt exteriorem, & ſuum iſti addit calculum, ea ductus ratione, quod in verbis, quæ Miniſter profert, exprimatur intentio Eccleſiæ, quam ad Sacramenti perfectionem ſufficere aſſerit: " Et ideo, *inquit*, alii melius di„ cunt, quod Miniſter Sacramenti agit „ in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt „ Miniſter. In verbis autem quæ pro„ fert, exprimitur intentio Eccleſiæ, „ quæ ſufficit ad perfectionem Sacramen„ ti, niſi contrarium exterius exprimatur „ ex parte Miniſtri, vel recipientis Sa„ cramentum. „

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Sufficit ut intentio Eccleſiæ exprimatur in forma Sacramenti ad ſedandam ſuſcipientis anxietatem; & ut moralem habeat certitudinem de veritate Sacramenti concedo: ſufficit, ſecluſa intentione interiori, nego. S. Thomas eſt ſui ipſius interpres; eo enim loci reſpondet ad objectionem ſecundam, quam in eodem articulo ſibi propoſuerat; quæ ſolummodo procedit de certitudine habenda pro veritate Sacramenti, quæque his concipitur verbis: " Præterea, „ non poteſt homini eſſe nota intentio „ alterius; ſi igitur intentio Miniſtri re„ quiratur ad perfectionem Sacramenti, „ non poſſet homini ad Sacramentum ac„ cedenti eſſe notum, quod Sacramen„ tum ſuſcepiſſet, & ita non poſſet ha„ bere certitudinem ſalutis, præcipue „ cum quædam Sacramenta ſint de ne„ ceſſitate ſalutis. „ Profecto ſenſus divi „ Thomæ ſeipſum prodit propter duo: Primo quidem, non obſtante objectione & argumento quo probatur intentionem mentalem non requiri, ex eo quod ignota ſit ſuſcipienti, ait S. Doctor quaſi illud ſolvendo, immo & explodendo: " Sed con„ tra eſt, quod ea quæ ſunt præter in„ tentionem ſint caſualia, quod non eſt „ dicendum de operatione Sacramento„ rum: Ergo Sacramenta requirunt in„ tentionem Miniſtri. „ Tum ſic concludit S. Thomas non obſtante objectione laudata, & duplici alio argumento in contrarium: Ergo Sacramenta requirunt intentionem Miniſtri. Secundo ex ipſis terminis argumenti liquet difficultatem eſſe penes certitudinem, quam ut ſolvat Angelicus Doctor, dicit adeſſe moralem & ſufficientem, eo ipſo quo intentio Eccleſiæ, adeoque & Miniſtri, exprimitur in ipſius Miniſtri verbis quæ ſunt ejus & conceptus, & voluntatis declarativa. Nec ulteriores addit pro aſſertione rationes, cum jam & in argumento *ſed contra* & in corpore articuli luculentiſſimas attuliſſet.

Replicabis: In opinione quam adoptat ſanctus Doctor, loquitur de intentione de qua in titulo articuli fit mentio; hoc eſt de intentione quæ eſt neceſſaria ad perfectionem Sacramenti: Sed aſſerit ſufficere intentionem exprimi in verbis exterioribus. Igitur non aliam præter exteriorem exigit. Confirmatur. I. quia alias priori ſententiæ quæ exigit intentionem interiorem, ſubſcriberet, cum tamen oppoſitum, ut probabilius, teneat. II. in 4. Diſtinctione 6. q. 1. art. 2. ad 2. hanc ponit diſcrepantiam inter ea quæ interius ſiunt, & alia quæ non niſi per actum externum compleotur, quod non ſit neceſſe in poſterioribus habere intentionem interiorem; ex quo principio concludit mentalem non requiri pro Baptiſmo conficiendo; ſic enim loquitur: " Alii dicunt, „ quod in Baptiſmo, & in aliis Sacra„ mentis quæ habent in forma actum ex„ ercitum, non requiritur mentalis in„ tentio, ſed ſufficit expreſſio intentio„ nis per verba ab Eccleſia inſtituta: „ Et ideo ſi forma ſervatur, nec aliquid „ exterius dicitur, quod intentionem con„ trariam exprimat, baptizatus eſt. „ Ergo &c.

Reſpondeo primo, Cardinalem De Lugo contendere locum divi Thomæ fuiſſe defloratum in utroque textu, & loco mentalis debere apponi ſpecialis; quam, quidem intentionem eum exigere auctores alterius ſententiæ non pauci autumant.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Et S. Doctor in reſponſione ad 2. ſupponit intentionis interioris neceſſitatem quam ſuperius ſuſo calamo requiri probaverat, concedo: & excludit, nego. Revera quidem mens S. Thomæ non repetenda eſt preciſe ex ſolutione argumenti, quo non niſi indirecte probatur intentionem interiorem non requiri; ſed palmarem ibi ſolvit difficultatem de certitudine morali pro ſuſcipiente, quam certe remanere luce clarius oſtendit, quatenus præſumendum eſt

eſt Miniſtrum intentionem interiorem habere, cum cuncta ritu debito pertractat. Non abſimili modo eamdem propter rationem audientes Miſſam adorant Hoſtiam quæ elevatur, tametſi phyſice non certi ſint, num Sacerdos verba conſecrationis pronuntiaverit, quippe qui Canonem demiſſa voce recitando, poſſit omittere, quæcumque voluerit. Ergone propter hoc audientes anxietate debent agitari? Minime.

Ad primam confirmationem nego inde ſequi S. Doctorem alteri adhærere ſententiæ, quandoquidem exigit ibi intentionem actualem, eſto non explicitam, attamen implicitam: Porro iſta ſpecialis intentio quamvis laudabilis, non tamen ex mente ſancti Thomæ abſolute requiritur; ſed virtualis ſufficit; & ſic ſuam prodit mentem in ſolutione objectionis tertiæ, ubi exigit virtualem: Ibidem enim art. 8. ad 3. ait. " Dicendum, quod licet „ ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti: Puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia: Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis, perficitur Sacramentum. „

Reſpondeo ſecundo ad eamdem confirmationem ſic diſtinguendo. Et prior opinio exigit intentionem tum quoad Sacramentum, tum quoad effectum Sacramenti, a ſancto vero Thoma derelinquitur quantum ad ſecundum, nuſquam vero quantum ad primum, concedo: & illam reijcit etiam quantum ad Sacramentum, nego. Audiendus eſt ſanctus Doctor pro; hoc momento; ſic enim ibidem reſpondet ad 2. " Dicendum, quod ad hoc dupliciter, „ ſecundum diverſas opiniones reſpondetur. Quidam enim dicunt, quod ſi deſit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum Baptiſmi: tamen in adulto ſupplet fides & devotio effectum Baptiſmi. „

Ibi, ut patet, ſanctus Thomas loquitur de intentione reſpectu effectus; hinc rejicit opinionem eorum qui intentionem interiorem ad effectum exigebant, minime vero ſententiam aſſerentium eam ipſam requiri ad Sacramenti confectionem. Eadem 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. repetit & ſic proſequitur: " Sed hoc ſatis poſſet „ dici, quantum ad ultimum effectum, qui eſt res & Sacramentum, ſcilicet quantum ad characterem non videtur quod per devotionem accedentis poſſit ſuppleri: quia character numquam imprimitur, niſi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte Miniſtri, vel recipientis Sacramentum. „

Senſus igitur divi Thomæ eſt I. Miniſtrum agere in perſona Eccleſiæ, II. Et conſequenter eum debere intendere, quod ipſa intendit in Sacramento, ſin minus non ageret ut ejus Miniſter. III. Intentionem Eccleſiæ in verbis a Miniſtro prolatis exprimi. IV. Ea de cauſa neminem anxium ſeu ſolicitum eſſe debere, num de facto ſuſceperit Sacramentum, vel non? quia Miniſter cenſetur habuiſſe Eccleſiæ intentionem, eo ipſo quo profert verba, & ritum ſerio facit reduplicative ut ritum Eccleſiæ; hinc niſi contrarium manifeſtet, credendum eſt habuiſſe intentionem interiorem non ſolum ſerio, ſed & vere faciendi Sacramentum. Quod autem non aliud intendat docere ſanctus Doctor, patet, quia ibi reſpondet ad argumentum de anxietate, qua ſuſcipiens circa Sacramentum ſibi miniſtratum laborat, eo quod evidentiam non habeat de intentione Miniſtri. Totus igitur ſcopus ſancti Thomæ eſt probare a cruciante ſolicitudine circa iſtud momentum ſuſcipientem abſtinere debere, cum tunc adſit moralis certitudo de intentione ſufficienti ex parte miniſtrantis.

Ad alteram confirmationem ſimiliter diſtinguo: Et eo loci ſanctus Thomas movet ſolum quæſtionem de certitudine morali, quæ quidem fundatur in ritu, ſerio & vere obſervato, concedo: & excludit intentionem interiorem, nego. Jam vero cum ibidem q. 68. art. 7. aſſerat intentionem interiorem requiri in ſuſcipiente Sacramentum Baptiſmi, a fortiori eamdem exigit in Miniſtro: Ceterum diſcrimen in textu per modum objectionis allato, & in verbis tum antecedentibus, tum

tum ſubſequentibus illud ſtatuit, inter opus mere internum, & aliud partim internum, partim externum, quod de priori nulla habeatur certitudo, niſi operans dicat ſe hoc vel illud voluiſſe; de poſteriori vero ſufficienter affulgeat, quando Miniſter juxta ritum ab Eccleſia præſcriptum conficit Sacramenta.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Thomas propugnat intentionem interiorem.

PRIMO QUIDEM, quia hic Q. 64. art. 8. in argumento *ſed contra* ait, ſecluſa intentione interiori, operationem ſacramentalem eſſe caſualem, quod non eſt, inquit, admittendum.

Secundo: Ibidem ponit diſcrimen inter inſtrumentum inanimatum, & animatum, quod illud mere moveatur, iſtud vero etiam ſeipſum moveat; ex quo concludit intentionem interiorem requiri in Miniſtro, qua ſe principali agenti conformet.

Tertia: Ibidem Q. 68. art. 7. exigit intentionem interiorem in ſuſcipiente: Igitur, a fortiori & in Miniſtro, maxime cum Q. 64. art. 8. iterum atque iterum dicat Miniſtro ex officio incumbere, ut agat in perſona Eccleſiæ, & intendat quod ipſa intendit & facit.

Synopſis Argumentorum in contrarium, & Reſponſionum.

PRIMO: Quum ſanctus Thomas ait intentionem Eccleſiæ in verbis a Miniſtro prolatis includi, non excludit interiorem, ſed ſolum ſuſcipientis de certitudine Sacramenti recepti anxietatem temperat.

Secundo: Neque vero de mente divi Thomæ pro intentione interiori relinquitur ambigendi locus, tametſi reprobare videatur ſententiam eorum qui illam exigunt; non enim quantum ad omnia a ſancto Doctore abjicitur, ſed ſolum quantum ad hoc, quod vel etiam ad effectum eamdem, immo & actualem exigerent, quod dubioprocul non eſt neceſſarium; alias improbitate Miniſtri ipſe Sacramenti effectus deficeret, quod eſt contta Eccleſiæ definitionem.

Tertio demum: Quando S. Thomas dicit Sacramentum vere confici, modo Miniſter contrarium non exprimat, iterum de certitudine, non excludendo intentionem interiorem, loquitur; quam quidem ſecundum judicium viri prudentis adeſſe contendit, eo ipſo quo Miniſter ritum ſacramentalem recte facit.

PUNCTUM TERTIUM.

Utrum requiratur Inteotio in Suſcipiente, & qualis?

CONCLUSIO PRIMA.

Requiritur Intentio interior vel in ipſo Suſcipiente Sacramentum.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Nullus Chriſtianæ militiæ ſuum invitus dat nomen, cum jugum Domini, teſte Scriptura, Matth. 11. ſit ſuave, & onus ipſius leve admodum ſit. Sed per Sacramenta homo militiæ Chriſtianæ dat nomen; lex autem cui ſubjicitur ea eſt, ut præcepta tum Dei, tum Eccleſiæ teneatur adimplere. Igitur requiritur intentio in ſuſcipiente Sacramenta.

Altera: Quodlibet Sacramentum ſpecialem inducit obligationem: Vi Baptiſmi v. g. tenetur homo chriſtiane vivere: vi Confirmationis, fidem, etiam ſæviente mundo, profiteri, immo & eam defendere: vi Ordinis, caſtam vitam & a ſæculi pompis prorſus alienam ducere: Sed nemo dixerit aliquem, ipſo reluctante, ad hoc teneri, maxime vero cum homo ſit juris ſui, & Sacramenta ſint ſigna arbitraria. Ergo &c.

Tertia: Intentio requiritur vel in ipſo ſuſcipiente, ſi contraria opinio a mente Eccleſiæ longe diſtet: Atqui res ſic ſe habet. Et probatur ex jure Canonico cap. *Majores de Baptiſmo*, ubi Innocentius III. ſic pronuntiat: " Quæritur, utrum dormientibus & amentibus Sacramenti falſum" tem character in Baptiſmate imprimatur, ut excitati a ſomno, vel ab ægritudine liberati, non ſint denuo baptizandi. Sunt autem nonnulli, qui dicunt quod Sacramenta, quæ per ſe fortiuntur effectum, ut Baptiſmus & Ordo, " cete-

Digitized by Google

,, ceteraque ſimilia, non ſolum dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etſi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem, conferuntur: cum non parvuli ſolum, qui non conſentiunt, ſed adulti, qoi quamvis non ore, corde tamen diſſentiunt, recipiant Sacramentum. Sed opponitur talibus, quod qui fuiſſent inviti & reluctantes immerſi, ſaltem ratione Sacramenti ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent: onde ad ſecundam regulam fidei Chriſtiaoæ forent rationabiliter compellendi, verum id eſt religiooi Chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus & penitus contradicens ad recipiendam, & ſervandam Chriſtianitatem aliquis compellatur. ,,

Audis ea ratione juxta Summum Pontificem neminem eſſe vi ad ſuſcipienda Sacramenta compellendum, quia foret contra ſuavitatem legis Evangelicæ habere juriſdictionem in eos qui pro virili renitentes baptizari, nomen Chriſtianæ militiæ dediſſent. Confirmatur: In rituali Romano Paulus V. prohibet baptizari amentes, qui nuſquam viva voce aut ſignis de Baptiſmo ſuſcipiendo votum manifeſtarunt.

Quarta: Qui terrore mortis ad ſuſcipiendum Baptiſmum compelluntur, ea dumtaxat ratione tenentur ad legis obſervationem, quia voluntarie acceperunt ad vitam conſervandam Baptiſmatis conditionem, ut ibidem definit Innocentius: Igitur requiritur intentio in ſuſcipiente. Ecce verba: " Propter quod inter invitum ,, & invitom, coactum & coactum, alii ,, non abſurde diſtinguunt: quod is qui ,, terroribus atque ſuppliciis violeoter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, ,, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum; talis ſicut & is, qoi ficte ad Baptiſmum accedit, characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſnm, & ipſe tamquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ: in quo caſu debet intelligi Decretum Concilii Toletani, ,, ubi dicitur, quod qui jam pridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Siſibuti: quia jam conſtat eos Sacramentis divinis aſſociatos, & Baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & Chriſmate unctos eſſe, & ,, corporis Domini extitiſſe participes; ,, oportet etiam ut fidem, quam neceſſitate ſuſceperunt tenere cogantur, ne ,, nomen Domini blaſphemetur: & fides quam ſuſceperuot, vilis ac contemptibilis habeatur. Ille vero qui numquam ,, conſentit, ſed penitus contradicit, nec ,, rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti: quia plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire: ſicut ,, nec ille notam alicujus reatus incurrit, ,, qui contradicens penitus & reclamaos ,, thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in cootradictione perſiſterent: ,, quia in eis intelligitur contradictioois ,, propoſitum perdurare: & ſi ſic fuerint immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti. Secus autem ſi prius ,, Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent ,, propoſitum baptizandi: uode tales in ,, neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia ,, baptizare. ,,

Quinta: Qui prorſus contradicit nec characterem, nec Sacramenti gratiam recipit: Igitur requiritur intentio ut aliquis de facto Sacramentum ſuſcipiat. Sic definit Innocentius ibid. " Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, ,, cum obicem voluntatis cootrariæ non ,, invenit obſiſtentem. ,,

Sexta: Quod definiere Concilia, hoc ipſum tenendum eſt: Atqui Concilia intentionem interiorem ad recipienda Sacrameota exigunt in ſuſcipiente. Et probatur: Concilium Carthaginenſe III. prohibet ne ægroti ſubito obmuteſcentes, aut baptizentur, aut ſi baptizati, peccatorum abſolutionem accipiant, niſi prius voluntatem aut viva voce, aut nutibus expreſſerint. Sic habetur Can. 34. " Ut ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, ,, cum voluntas eorum teſtimonium ſui ,, dixerit, baptizantur. Similiter & de ,, Pœnitentibus agendum eſt. ,, Concinit Arauſicaoum ſub Leone I. Can. 11. " Subito, *ait*, obmuteſcens, pront ſtatutum eſt, baptizari, aut Pœnitentiam ,, accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet præſentibus in ſuo nutu. ,, Ergo &c.

Septima: Quod Eccleſia exigit ad Sacramentum adhiberi, hoc fieri debet: Sed Eccle-

Eccleſia exigit in ſuſcipiente intentionem, puta, quod Baptiſmum petat & intendat. Et probatur ex ſancto Thoma qui hic q. 68. art. 7. ſic loquitur de ſuſcipiente Baptiſmum, in argumento *ſed contra* " Sed contra eſt, quod ſecundum „ ritum Eccleſiæ baptizandi profitentur „ ſe petere ab Eccleſia Baptiſmum, per „ quod profitentur ſuam intentionem de „ ſuſceptione Sacramenti. „

Demum: Qui novam vitam ducere aggreditur, non invitus, ſed voluntarie & cum intentione finis hoc debet facere, nec violenter ad hoc compellendus eſt. Sed qui ſuſcipit Sacramenta, novitatem vitæ aſſequi velle cenſendus eſt: Ergo. Iſta ratio eſt D. Thomæ ibidem in corp. art. his verbis: " Dicendum, quod per „ Baptiſmum aliquis moritur veteri vitæ „ peccati, & incipit quamdam vitæ no„ vitatem... Et ideo ſicut ad hoc, quod „ homo moriatur veteri vitæ, requiritur „ ſecundum Auguſtinum in habente uſum „ liberi arbitrii voluntas, qua eum vete„ ris vitæ pœniteat, ita requiritur vo„ luntas, qua intendat vitæ novitatem. „

Concinit S. Auguſtinus L. 4. de Bapt. cap. 24. pag. 57. " Et ſi pro eo qui reſ„ pondere poteſt, *inquit*, alius reſpondeat, „ non itidem valet. Ex qua regula illud „ in Evangelio dictum eſt, quod omnes „ cum legitur, naturaliter movet, *Æta„ tem habet, ipſe pro ſe loquatur*. Eo loci S. Doctor iſtud ſtatuit diſcrimen inter puerum & adultum baptizandum, quod in priori non exigatur intentio interior, cum Patrini pro eo reſpondeant, e contra vero in adulto, quippe qui propriæ voluntatis uſum habens, pro ſe ipſo reſpondere teneatur.

CONCLUSIO SECUNDA.

Intentio interior requiritur in Suſcipiente Sacramentum, explicita quidem pro Baptiſmo, Pœnitentia, Euchariſtia, Ordine & Matrimonio, implicita ſaltem pro reliquis Sacramentis.

Probatur concluſio quoad ſingulas partes.

PRIMO QUIDEM, intentio interior neceſſaria eſt ut ex dictis patet: neque vero ad ſolos agentes, ſed & ad ſuſcipientes extendi debet, cum ſuſcipiens relative ſe habeat & ad miniſtrum ſuper ipſum agentem, & ad Sacramentum quod debet ſuſcipere; maxime cum quædam Sacramenta irrita prorſus forent, ſi deficeret intentio vere ſuſcipiendi Sacramentum, ut de Matrimonio conſtat; vel etiam de Baptiſmo, in hypotheſi quod aliquis prorſus contradiceret, ut obſervat Innocentius III.: " Ille vero qui numquam con„ ſentit, ſed penitus contradicit: nec „ rem, nec characterem ſuſcipit Sacra„ menti. „ Ergo &c.

Secundo: Citra dubium eſt intentionem actualem prærequiri ad Pœnitentiam & Matrimonium, quia in his Sacramentis ſuſcipientes ſe habent etiam ut agentes: In Pœnitentia quidem opus eſt ut pœnitens actu doleat de peccatis, petat ſuppliciter abſolutionem, & ea intentione ſua deponat peccata, ut abſolutionis beneficium obtineat: In Matrimonio vero, eo quod conſenſus interior verbis, vel ſaltem nutibus actualibus exprimi debeat. Jam vero quis ſanæ mentis dixerit non requiri intentionem actualem ad ſuſcipiendam Euchariſtiam ſaltem cum fructu, cum eam ad hoc exigat reverentiam Apoſtolus 1. Cor. 11. ut velit accedentem prius ſe probare, & probatus de pane illo edat, & de calice bibat. Ergo &c.

Tertio: De Baptiſmo & Ordine major eſt difficultas. Intentionem virtualem ſufficere liquido patet, cum in actuali quondam elicita, & propoſito jam facto fundetur; quid enim eſt habere intentionem virtualem aliquid ſuſcipiendi, niſi rem, quæ in voto fuit, accipere? Hoc ipſum declarat Innocentius III. in ſua decretali Epiſtola, in qua ſtatuit Catechumenos apoplexia, vel alio gravi morbo correptos baptizandos eſſe, eo quod votum Baptiſmi habuerint; illos enim ſecernit ab amentibus, & dormientibus, qui ante amentiam vel ſomnum, aperte Baptiſmo ſuſcipiendo contradixerunt; adeoque non eſſe tingendos, niſi contradictionem manifeſte depoſuerint. Subdit vero hanc clauſulam: " Secus autem ſi prius Catechumeni ex„ titiſſent, & habuiſſent propoſitum ba„ ptizandi: unde tales in neceſſitatis ar„ ticulo conſuevit Eccleſia baptizare. „

Jam vero quod intentio virtualis exigatur in ſuſcipiente vel Baptiſmum, vel Ordinem, ſatis claret; ulterius tamen ſic probatur. Nullus ad religionem Chriſtia-

ham cogi debet, juxta illud, Pſal. 53. *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Rurſus 2. Cor. 9. *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Et iterum Matth. 11. *Jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve*. In hoc autem potiſſimum legis Dei ſuavitas effulget, quod nullus niſi velit, ſuſcipiat onera, alias vel ipſi naturæ per peccatum ſauciatæ graviſſima: ſed Baptiſmus imponit ſtrictam legis Chriſtianæ ſervandæ obligationem: ſed Ordo arduam perfectionem aſſequendi onus imponit. Igitur requiritur intentio virtualis in eo qui illa ſuſcipit Sacramenta. Confirmatur: Ex Innocentio III. neceſſe eſt ut recipiens velit ſubire onera quæ ad ſuſceptionem Sacramenti ſubſequuntur. Igitur, & ut intentionem virtualem habeat, cum nemo cenſeatur velle aliquid, niſi & hoc ipſum intendat ſuſcipere.

Quæres, num intentio in ſuſcipiente Baptiſmum vel Ordines æque ſtricta ac in miniſtris neceſſaria ſit?

Reſpondeo negative: Hoc enim intercedit diſcrimen inter agentem & recipientem, quod agens active, ſuſcipiens vero paſſive ſe habeat: Igitur agens debet cauſæ principali, ſcilicet Chriſto conjungi, ut ab ipſo moveatur; quæ quidem conjunctio fit per intentionem, idcirco eam in ipſo ſpecialiter exigit Florentinum. Sic enim pronuntiat: " Omnia Sacramenta ,, tribus perficiuntur, videlicet rebus tam- ,, quam materia, verbis tamquam forma, ,, & perſona miniſtri conferentis Sacra- ,, mentum cum intentione faciendi, quod ,,facit Eccleſia. ,, Ibi autem nihil dicitur de ſuſcipientis intentione, quod argumentum eſt, non in eodem gradu ac in agente, neceſſariam eſſe ad Sacramenti validitatem. Ratio altera eſt, quod ſufficiat ſuſcipienti conſentire ſaltem implicite, hoc eſt non contradicere: ſi enim aperte obniteretur, ne quidem implicite adeſſet conſenſus. Iſta reſponſio eſt Innocentii III. ibidem: " Ille vero, *ait*, qui ,, numquam conſentit, ſed penitus con- ,, tradicit, nec rem, nec characterem ſu- ,, ſcipit Sacramenti: quia plus eſt expreſ- ,, ſe contradicere, quam minime conſen- ,, tire. ,, Igitur modo non adſit contradictio, conſenſus tacitus exiſtit, & eum in ſuſcipiente ſufficere dicendum eſt.

Ex his ſolvitur dubium iſtud, num accedentes ad Ordines, ſed vel actu de dirigenda intentione non cogitantes, vel etiam diverſis acti ſcrupulis quaſi penduli manent, hærentque in conſentiendo ſuæ ordinationi, de facto tamen ordinentur?

Certum eſt illos vere ſuſcipere Ordines. Primo, quia aperte non contradicunt: Secundo non vi, ſed motu proprio accedunt ad ordinationem; quæ quidem duo momenta ex Innocentio laudato ſufficiunt. Tertio eo ipſo quo veſtes & ornamenta, ad ordinem talem vel talem recipiendum, aſſumunt, quo ſe præſentant Epiſcopo ordinanti, & cæremoniam ſacramentalem ſuper ſe fieri ita patiuntur, ut non reclament, dubioprocul adeſt ſaltem implicita intentio virtualis; quinimmo, & quaſi actualis. Idem dicendum de adulto, qui ſciens quid ſit Baptiſmus, & quaſnam inducat obligationes, voluntarie ſinit ſe baptizari. Idem quoque affirmandum de his qui ad Confirmationis Sacramentum accedunt. Ratio a priori ea eſt, quod qui vult media, vult & finem. Igitur ut primum aliquis accedit ad miniſtrum ut ab eo ſacramentalem cæremoniam ſuſcipiat, & prærequiſita ad eam ſubeundam habet & facit, certe tunc fit, & recipit Sacramentum.

Demum ſi de Extrema-Unctione loquamur, requiritur quoque ut ægroti illam aut viva voce, aut nutibus expoſtulaverint. Solet tamen Eccleſia iſtud Sacramentum iis qui ſubito, aut ſenſibus irretiti, aut ita ægritudinis pondere oppreſſi ſunt, ut ne quidem nutibus illud expetere queant, concedere; modo tamen chriſtiane & pie vixerint: iſti enim cenſentur tacite voluiſſe media ad ſalutem conducentia, ex quo patet pro hoc Sacramento ſuſcipiendo ſatis eſſe intentionem veluti interpretativam habere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Ex factis & auctoritate deprompta.

OBJICIES: Multi etiam inviti, quandoque baptizati ſunt, quorum tamen Baptiſmus tamquam legitimus ab Eccleſia habitus eſt: Atqui veriſimile non eſt illos, ne interpretativam quidem habuiſſe intentionem. Igitur intentio non requiritur in ſuſcipiente ad validitatem Sacra-

Sacramentorum. Probatur major ex multis factis a Launoio Doctore Sorbonico in ſua Diſſertatione de Baptiſmo infidelibus etiam invitis conferendo, adductis. Rex Chilpericus, inquit, referente Gregorio Turonenſi L. 6. Hiſt. Francor. c. 17. multos Judæos baptizari coegit. Dagobertus teſte auctore vitæ ſancti Amandi, litteras huic ſancto conceſſit viro, ad hoc ut infideles Gandavenſes cogeret ad recipiendum Baptiſmum. Carolus Magnus, ut refert Dominus Ducheſne Tomo 2. Annalium, Saxones devictos, ad aquas Baptiſmales ſuſcipiendas adegit, illud autem factum calculo ſuo munivit Adrianus I. ſummus Pontifex, Epiſtola ad id data ad eumdem Imperatorem. Extat illa Tom. 2. Concil. Galliæ. Demum Sizebutus Hiſpaniarum Rex referente Concilio Toletano 4. Can. 55. Judæos quoque ad Baptiſmum ſuſcipiendum coegit, & tale Baptiſma ratum habuerunt Patres iſtius Concilii. Ergo &c.

Reſpondeo primo in genere, Eccleſiam ſemper improbaſſe eos, qui nimio abrepti zelo ad Baptiſma ſuſcipiendum coegerunt infideles; ſic etenim Can. 55. Concilii 4. Toletani mentem ſuam aperiunt Præſules Synodici: " De Judæis præcepit ſancta „ Synodus nemini deinceps ad credendum „ vim inferre; cui enim vult Deus mi„ ſeretur, & quem vult indurat, non „ enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed „ volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ. „ Sicut enim homo propria arbitrii vo„ luntate ſerpenti obediens, periit; ſic „ (vocante ſe gratia Dei) propriæ „ mentis converſione quiſque credendo „ ſalvatur. „

Reſpondeo ſecundo ad ſingulas difficultates, & quidem ad primam: Ultro fatemur Chilpericum Regem, multos de facto Judæos coegiſſe ad hoc ut Sacramentum Baptiſmi reciperent; non negamus ſimiliter, idem & peregiſſe Dagobertum Principem; ſed addimus pro iſtarum ſolutione difficultatum, Eccleſiam Romanam talia improbaſſe Baptiſmata; de illis enim quid ſentiret palam profeſſus eſt Gregorius Magnus, Epiſtola 45. Tom. 2. p. 458. ad Virgilium & Theodorum Epiſcopos Maſſiliæ in Gallia, his verbis: " Plurimi ſiquidem Judaicæ Religio„ nis viri in hac Provincia commoran„ tes.... ad noſtram perduxere notitiam, „ multos conſiſtentium in illis partibus Ju„ dæorum vi magis ad fontem Baptiſma„ tis, quam prædicatione perductos, nam „ intentionem quidem hujuſmodi, & „ laude dignam cenſeo, & de Domini „ noſtri dilectione deſcendere profiteor. „ Sed hanc eamdem intentionem, niſi „ competens Scripturæ ſacræ comitetur „ effectus, timeo ne aut mercedis opus „ exinde non perveniat, aut juxta ali„ quid animarum quas eripi volumus, „ quod abſit, diſpendia ſubſequantur. „ Dum enim quiſpiam ad Baptiſmatis „ fontem non prædicationis ſuavitate, „ ſed neceſſitate pervenerit, ad priſti„ nam ſuperſtitionem remeans, inde de„ terius moritur, unde renatus eſſe vi„ debatur. Fraternitas ergo veſtra hu„ juſmodi homines frequenti prædicatio„ ne provocet, quatenus mutare veterem „ vitam magis de Doctoris ſuavitate de„ ſiderent. „

Reſpondeo ad ſecundam difficultatem, falſum eſſe Carolum Magnum Saxones coegiſſe ad Baptiſmum ſuſcipiendum; dicitur quidem eos Religionem Chriſtianam, procurante Imperatore, amplexos fuiſſe, ſed ne vel leve veſtigium eſt, quod eos ad hoc adegerit, immo contrarium docet Alcuinus Caroli Magni præceptor, cui haud dubie perſpecta erat mens iſtius Principis. Jam vero Epiſtola ſeptima affirmat Imperatorem ſua ſolicitudine, devotione, & benignitate, per veræ ſalutis conſilium, ac per optimam voluntatem Saxones convertiſſe.

Reſpondeo ad tertium diſtinguendo: Suſceperunt Judæi cogente Sizebuto Baptiſma; in illis autem apparet quod non fuerit intentio affectiva tranſeat: effectiva, nego antecedens & conſequentiam. Intentio effectiva reſpicit Sacramentum; affectiva autem habet pro fine rem & effectum Sacramenti: eſto illi Judæi non crediderint animam mundari per Baptiſmum ab omni labe peccati; attamen quia libere conſenſerunt, ut in eis talis cæremonia perageretur, non dicendi ſunt profecto coacte Baptiſmum ſuſcepiſſe.

Oppones ſecundo: Innocentius III. tertia parte Decretorum titulo 42. cap. Majores, ſic loquitur: " Is qui terroribus „ atque ſupplicis violenter attrahitur, & „ ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſu„ ſcipit

„ ſcipit Sacramentum, talis (ſicut & is „ qui ficte ad Baptiſmum accedit) characterem Chriſtianitatis impreſſum, & „ ipſe tamquam conditionaliter volens, „ licet abſolute non velit, cogendus eſt „ ad obſervantiam fidei Chriſtianæ. „ Super hæc verba Gloſſa dicit: " Illi ore „ exprimunt, licet corde diſſentiant, & „ ideo Sacramentum recipiunt, quia Eccleſia dare intendit. „ Ita etiam, inquit Gloſſator, legitur in caput *ſicut Judæi*, ubi ſic habet Gloſſa: " Compellendi ſunt ut fidem ſic ſuſceptam conſervent. „ Ergo Baptiſmus invite collatus valet; qui enim ſuppliciis violenter attrahitur, proculdubio cogitur.

Reſpondeo ad primum diſtinguendo: Talis recipit characterem Chriſtianitatis, quia libere voluit ritum ſacrum in ſe perfici, & nullum contrariæ voluntatis obicem poſuit, concedo: Si intus renuerit, nego: Hæc ſolutio eruitur ex ejuſdem Pontificia verbis antecedentibus: " Quidam, *inquit*, putant, quod contradicentibus Baptiſma collatum valeat, ſi non „ quoad rem, ſaltem quoad characterem. „ Sed opponitur talibus, quod qui fuiſſent inviti & reluctantes immerſi, ſaltem ratione Sacramenti ad Juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent, unde „ ad ſervandam regulam fidei eſſent compellendi: verum id Religioni Chriſtianæ eſt contrarium, ut ſemper invitus & penitus contradicens, ad recipiendam & ſervandam Chriſtianitatem „ aliquia compellatur. Propter quod inter „ invitum & non invitum, coactum & „ non coactum alii non abſurde diſtingunt, quod is qui terroribus, &c. „ Unde claret coactum poſſe libere aliquid velle; non vero qui invitus aliquid facit: ſic v. g. Mercator fluctibus maris furentibus expoſitus, cogitur mercea projicere, & tamen illas libere projicit. Coactio igitur dat occaſionem projectioni, ſed ea ſit libero modo, & abſoluta voluntate: idem dicendum de eo, qui ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum; vult ſupplicia vitare, & hanc propter rationem, libere ſinit in ſe cæremoniam perfici: Sic explicat ibidem idem Innocentius finem Canonis 55. Concilii Toletani ubi hæc leguntur, poſt verba jam laudata: " Qui autem jam pridem „ ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt „ (ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Sizebuti) quia jam „ conſtat eos Sacramentis divinis aſſociatos & Baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & „ chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini & ſanguinis extitiſſe participes, „ oportet ut fidem etiam, quam vi vel „ neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur. „

Ad primam Gloſſam reſpondeo, eam non opponi explicationi jam datæ Decretali Innocentii III. ſic enim habet ſcilicet, Decretalium Gregorii L. 3. pag. 1272. " Hæc quæſtio quam movet hic „ Joannes ſolvitur per litteram, quia amena „ & dormiens, qui ante Catechumeni „ fuerunt, recipiunt Baptiſmi Sacramentum: qui vero ſemper iuviti fuerunt „ & contradixerunt, non recipiunt, unde adhuc præſumuntur inviti, & nemo „ ad fidem invitus compellitur.... quia „ illi ore exprimunt, licet corde diſſentiant, & ideo Sacramentum recipiunt, „ quia Eccleſia dare intendit, ſed tale „ Sacramentum non prodeſt ad remiſſionem peccatorum, niſi cum fictio illa „ receſſerit. „ Eo loci Gloſſator aperte pronuntiat, quod ſemper inviti & contradicentes non recipiant Baptiſmum. Diſſenſus igitur ille de quo loquitur eſt mera velleitas, qua quis, ſi non cogeretur, nollet recipere Baptiſmum, ſed timens ſupplicia, ut ea fugiat, libere & abſolute vult recipere Sacramentum, & de facto recipit.

Altera ſimiliter Gloſſa ſenſum ſuum depromit L. 5. Decretalium Gregorii pag. 1522. his verbis, " Notandum quod Judæus non eſt compellendus invitus recipere Baptiſmum. „ Et ad illud Decretalis verbum, (invitos) ſic habet: " Hoc ideo dicit quia nullus ad fidem cogendus eſt XXIII. q. V. ad fidem. Et „ XLV. dicitur de Judæis quia ſi ſimpliciter & abſolute compellantur, non „ reciperent characterem, ſed ſi conditionaliter compellantur, bene recipiunt „ & compellendi ſunt, ut fidem ſic ſuſceptam obſervent. „

Inſtabis: Concilium Florentinum aſſignans ea, quæ requiruntur ad validitatem Sacramentorum, non facit mentionem de intentione ſuſcipientis; ergo non debet exigi.

Reſpondeo negando conſequentiam propter duo.

ctio. Quia primo Patres loquuntur ibi de omnibus Sacramentis; ad ſingula autem non requiritur intentio ſuſcipientis, ſic abſque ejus intentione, velit, nolit, ſi os aperiat ad menſam Domini, verum Chriſti corpus percipit; etiamſi non intenderet illud recipere. Secundo intentio ſuſcipientis ſubintelligitur; nullus enim accedit ad aliquod Sacramentum recipiendum, niſi ſit diſpoſitus, prima autem diſpoſitio & veluti præambula eſt intentio; eo ipſo enim quo accedit, vult illud recipere.

Objicies tertio: Tradit Theodoretus in Hiſtoria ſanctorum Patrum, Macedonium Eremitam ipſomet neſciente, a Flaviano Magno fuiſſe ordinatum; ſic enim habet: " Cum autem myſticum eſſet propoſitum „ ſacrificium, adducit ad altare, & eum „ coaptat in numerum Sacerdotum. Poſt„ quam autem fuit ſacrum finitum offi„ cium, & hoc ei ſignificavit aliquis, „ quod enim factum fuerat ignorabat om„ nino, &c. „

Reſpondeo diſtinguendo: Et libere ac voluntarie Macedonius paſſus eſt ſe ordinari, concedo: Et invite ſimul ac violenter Sacerdos inauguratus eſt, nego. Porro non tanta requiritur intentio in ſuſcipiente, ac in agente; hinc qui tacens ſacramentalem cæremoniam ſuſcipit, ſecundum judicium viri prudentis cenſetur habere intentionem. Quin-immo nec deſunt qui propugnent hunc eſſe Theodoreti ſenſum: *Macedonius vir ignarus fuit ordinatus Sacerdos.*

Inſtabis: Atqui violenter ordinatus eſt Macedonius: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Qui Epiſcopum, a quo fuerat ordinatus, baculo inſectatus eſt, dubioprocul invite ad Sacerdotium promotus eſt: Atqui res ſic ſe habet. Et probatur ex Theodoreto, qui ibidem ſic habet: " Poſtea „ autem accepto baculo.... ipſum per„ ſequebatur Pontificem, & alios quot„ quot aderant. „

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem: Et ſic ſe geſſit Macedonius zelo humilitatis abreptus, concedo: ſecus nego. Cum enim ſe indignum tantæ dignitatis crederet, hoc veluti comminationibus erga Epiſcopum prodere voluit: Sed hoc ipſum arguit, Macedonium exiſtimaſſe quod vere fuerat ordinatus; ſin minus non tanto æſtu ſuum perſecutus fuiſſet Conſecratorem; quid plura adjiciam? Dum actu ordinabatur, non reluctatus eſt, ut ſuam impediret ordinationem. Ergo &c.

Reſpondeo ſecundo, Macedonium præ ſimplicitate ſic conqueſtum fuiſſe de ſua ordinatione. Solutio eſt Theodoreti, qui ibidem hiſtoriam iſtius ordinationis ſic claudit: " Scio quidem fore ut hæc nar„ ratio, videatur multis non multum ad„ miranda: eam autem poſui, at qui, „ eam dignam quæ commemoretur, ex„ iſtimem, ut ex qua ſatis poſſit conjici, „ & ejus animi ſimplicitas, & animæ „ puritas. „

Diſcutitur mens Sancti Auguſtini.

OPPONES quarto: S. Auguſtinus Tractatu 26. in Joannem ſic habet: " Intra„ re Eccleſiam quiſpiam poteſt nolens, „ accedere ad altare poteſt nolens, acci„ pere Sacramentum poteſt nolens. „ Sed qui nolens accipit Sacramentum, invite accipit; qui autem invite procul dubio ſine intentione recipit: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi loquitur ſanctus Doctor de Sacramento Euchariſtiæ: cujus confectio non pendet a ſuſcipiente, concedo: de Sacramento Baptiſmi, vel Ordinis, vel Confirmationis, nego. Quod autem de illo Sacramento ſermonem faciat non de aliis, ex eo patet, quod ibi explicet caput ſextum Joannis, ubi proculdubio ſpecialiter agitur de Euchariſtia. Jam vero ad Sacramentum fidei ſcilicet Baptiſmum recipiendum, intentionem Aug. requirere in ſuſcipiente, verba ſequentia declarant: " Credere, *inquit*, non pot„ eſt niſi volens. „

Reſpondeo ſecundo, aliter diſtinguendo: Accipere poteſt Sacramentum, nolens ejus effectum, concedo: nolens Sacramentum, nego. Porro adhuc ut quis valide recipiat Baptiſmum, aut Ordinem, neceſſe non eſt ut velit eorum effectum.

Inſiſtes: Idem ſanctus Doctor L. 7. de Baptiſmo c. 5. ſic loquitur: " An plus „ valent ad confirmandum Sacramentum „ illi veraces, inter quos agitur, quam „ ad fruſtrandum illi fallaces, a quibus „ agitur, & in quibus agitur, & tamen „ ſi poſtea prodatur nemo repetit Bapti„ ſmum, ſed aut excommunicando puni„ tur illa ſimulatio, vel pœnitendo ſana„ tur. „ Sed qui fallaciter accipit ſine

intentione procul dubio recipit, nec tamen vult Auguſtinus, ut tale Baptiſma repetatur: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Nemo repetit Baptiſmum fallaciter acceptum, id eſt cum fictione, concedo: fallaciter ideſt invite, nego antecedens, & conſequentiam. Ibi ſanctus Auguſtinus loquitur de illis ſuſcipientibus qui abſque diſpoſitionibus ad Sacramenta percipienda veniunt, maxime vero ad Baptiſmum; aitque, cum talis fictio dignoſcitur, Eccleſiam nihil reiterare, & illud verum eſt; illi quippe characterem Baptiſmi receperunt, ſed non gratiam: at certe puniendi ſunt, eo quod prophanaverint Sacramentum Chriſti non ſine temeritate; quod ſi quis velit ſanctum Doctorem loqui de Baptiſmo invite collato, nihil determinat, dicitque ſe expectaturum vocem Eccleſiæ, quæ profecto jam jam tum in Concilio Florentino, tum Tridentino locuta eſt.

Urgebis: Atqui S. Auguſtinus docet abſolute Baptiſma collatum invito validum eſſe: Ergo &c. Probatur ſubſumptum L. 2. de conjugiis adulterinis cap. 26. vult Catechumenum aliquo oppreſſum morbo baptizari, etiamſi non petierit iſtud Sacramentum, nec illud efflagitare valeat; ſic enim loquitur: " Catechumenis ergo
,, in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi
,, morbo ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint,
,, ut quamvis adhuc vivant, petere ſibi
,, tamen Baptiſmum, vel ad interrogata
,, reſpondere, non poſſint, proſit eis
,, quod eorum in fide Chriſtiana jam
,, nota voluntas eſt, ut eo modo bapti-
,, zentur, quomodo baptizantur infantes,
,, quorum voluntas nulla adhuc patuit.,,
,, Ergo &c.

Reſpondeo primo: S. Auguſtinum, non improbare ſententiam eorum, qui intentionem interiorem eſſe neceſſariam in ſuſcipiente propugnant; hæc enim ſubjungit immediate poſt verba laudata: "
,, Non tamen propterea damnare debe-
,, mus eos qui timidius agunt, quam no-
,, bis videtur agi oportere, ne de pecu-
,, nia conſervo tradita improbius quam
,, cautius judicare voluiſſe judicemur.,,

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Et Catechumenus, eo ipſo quo Catechumenus eſt, habet Baptiſmi deſiderium, & juxta Auguſtini verba eorum voluntas in hoc involvitur voto, concedo: & non includitur, nego. S. Auguſtinus ſupponit in eo, Baptiſmi recipiendi voluntatem ſeu intentionem, ſiquidem priore loco ſic habet: " Sed non ſolum incredi-
,, bile eſt, nec in finem vitæ hujus ba-
,, ptizari Catechumenum velle, verum
,, etiam ſi voluntas ejus incerta eſt, mul-
,, to ſatius eſt nolenti dare, quam vo-
,, lenti negare, ubi velit an nolit ſic
,, non apparet, ut tamen credibilius ſit
,, eum, ſi poſſit velle, ſe potius fuiſſe
,, dicturum ea Sacramenta percipere, ſi-
,, ne quibus jam credidit, non ſe opor-
,, tere de corpore exire.,,

Inſiſtes: Sanctus Auguſtinus ibid. n. 35. nedum Catechumenos, ſed & alios vult in fine vitæ baptizari, etiamſi Baptiſmum non poſtulaverint; quin immo etiamſi in gravi peccatorum carnis habitu diu vixerint. Ergo &c. Probatur antecedens ex ipſo ſancto Doctore, qui ſic loquitur: ,, Ego non ſolum alios Cate-
,, chumenos, verum etiam ipſos qui vi-
,, ventium conjugiis copulati, retinent
,, adulterina conſortia, cum ſalvos cor-
,, pore non admittamus ad Baptiſmum,
,, tamen ſi deſperati jacuerint, nec pro
,, ſe reſpondere potuerint, baptizandos
,, puto, ut etiam hoc peccatum cum ce-
,, teris lavacro regenerationis abluatur.,,

Reſpondeo diſtinguendo: Et loquitur de illis Catechumenis adulterinis, qui intra ſe pœnitentes jacent, & quorum pœnitentia aliquo exteriore ſigno manifeſta eſt, concedo: & vult eos intentione vera carere, nego. Jam vero, quod eos ſupponat pœnitentes verba ipſius declarant; ſic enim habet. " Quis enim novit utrum
,, fortaſſis adulterinæ carnis illecebra,
,, uſque ad Baptiſmum, ſtatuerant deti-
,, nere? Si autem ab illa deſperatione
,, recreati, potuerint vivere, aut facient
,, quod ſtatuerunt, aut edocti obtempe-
,, rabunt, aut de contemptoribus fiet,
,, quod fieri eam de baptizatis talibus de-
,, bet. Quæ autem Baptiſmatis eadem
,, reconciliationis eſt cauſa ſi forte pœ-
,, nitentem finiendæ vitæ periculum præ-
,, occupaverit. Nec ipſos enim ex hac vi-
,, ta ſine arrha ſuæ pacis exire velle de-
,, bet Mater Eccleſia.,,

Replicabis: L. 4. Confeſſionum capite 4. n. 4. ſanctus Auguſtinus enarrat quod cum amicus quidam ipſius in febrim incidi-
,, ſet, eum ſine ſenſu in ſudore letha-

li

li jacentem baptizatum fuiſſe, quem antea tamen Baptiſmum non deſideraſſe obſervaverat, & tamen amicum illum, vi Baptiſmi ſalutem obtinuiſſe aſſerit. Ergo, &c.

Reſpondeo amicum illum voluiſſe Baptiſma recipere; cum enim ad ſe rediiſſet & voluiſſet ipſe Auguſtinus illum deridere, eo quod Baptiſmum accepiſſet, monuit illum, ut ſi amicus ipſius eſſe deſideraret, ab iis ſermonibus temperaret.

His verbis ſeſe explicat ſanctus Doctor ibidem pag. 40. " Quid tunc feciſti, Deus meus, & quam inveſtigabilis abyſſus judiciorum tuorum? Cum *amicus* laboraret ille febribus, jacuit diu ſine ſenſu in ſudore lethali. Et cum deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, me non curante, & præſumente id retinere potius animam ejus, quod a me acceperat, non quod in neſcientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat, nam recreatus eſt, & ſalvus factus. Statimque ut primum cum eo loqui potui (potui autem mox ut ille potuit, quoniam non diſcedebam, & nimis pendebamus ex invicem) tentavi apud illum irridere, tamquam & illo irriſuro meum Baptiſmum quem acceperat mente atque ſenſu abſentiſſimus; ſed tamen ſe jam accepiſſe didicerat. At ille ita me exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili, & repentina libertate, ut ſi amicus eſſe vellem, talia ſibi dicere deſinerem. " Quorſum autem de Baptiſmo ſuſcepto gauderet, & condelectaretur, niſi quia tanti Sacramenti jam jam habuerat votum? Igitur & intentionem.

Diluuntur objecta ex variis rationibus excerpta.

OPPONES: Intentio non requiritur ex parte patientis: Sed ſuſcipiens Sacramentum ſe habet ut patiens. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Non requiritur intentio ex parte patientis, ſi ille ſit ad recipiendum coactus, concedo: ſi voluntarie & bona voluntate ſuſcipiat quod ei miniſtratur, nego. Et ſic diſtincta minore nego conſequentiam. Porro qui accedit ad Sacramentum, hoc ultro & lubenter debet facere, adeoque habere intentionem interiorem qua Sacramento ſeſe ſubjiciat. Solutio eſt D. Thomæ hic q. 68. art. 7. ad 1. his verbis: " Dicendum, quod in juſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, non eſt paſſio coacta, ſed voluntaria; & ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur. " Et ſic de ceteris Sacramentis ſuſcipiendis.

Urgebis: Eidem Baptiſmatis exemplo inhærendo, ſi intentio foret in ſuſcipiente neceſſaria, inde ſequeretur jam baptizatum rurſus eſſe baptizandum, cum non conſtet de ejus intentione: Sed hoc eſt inconveniens. Namque poſſet contingere ut quis præ malitia ſe non fuiſſe ſacro lavacro initiatum, ut illuderet Eccleſiæ, teſtaretur. Ergo, &c.

Reſpondet D. Thomas ibidem ad 2. " Dicendum, quod ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus: Si tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum, *Si non es baptizatus, Ego te baptizo.* " Sicque per Baptiſmum ſub conditione reiteratum ab illuſione præcavetur.

Replicabis: Baptiſmus datur contra peccatum originale: ſed iſtud pecatum abſque intentione ſuſcipientis contractum eſt. Pari igitur & conſimili ratione, ſecluſa ejuſdem intentione deletur.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod peccatum originale in pœnam injuriæ a Protoparente Deo factæ ſeſe extendat, ſi Beatiſſimam Virginem excipias, ad omnes: per Baptiſmum autem homo non ſolum regeneratur, ſed & nomen dat militiæ Chriſtianæ, & Eccleſiæ ſubditus evadit; quod quidem onus non niſi voluntarie ſuſcipi debet, ne Sacramentum propter ſuſcipientis rebellionem, eum poſtea faceret fidei extorrem & apoſtatam. D. Thomas ibidem ad 3. hanc ita ſolvit difficultatem: " Dicendum, quod Baptiſmus ordinatur non ſolum contra originale peccatum, ſed etiam contra actualia, quæ per voluntatem & intentionem cauſantur. " Præter iſtam rationem, alteram modo laudatam affert in corpore ejuſdem articuli.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Intentio interior requiritur in Suſcipiente.

PRIMO: Per Sacramenta homo Chriſtianæ militiæ dat nomen, quia vero jugum Domini ſuave eſt, bona voluntas

ſeu

„ ni , & nonnullorum qui ei conſenſe-
„ rant hominum in hac quæſtione defi-
„ cientium, qui maluerant aliquid novum
„ moliri, quam tenere conſuetudinem. Quocirca non audiendus eſt Euſebius qui Lib. 7. Hiſt. cap. 2. ſcribit Cyprianum, primum fuiſſe qui rebaptizandi conſuetudinem invexit in Eccleſiam, niſi cum iſta clauſula, primum fuiſſe tempore Stephani, qui majore cum æſtu hanc controverſiam moverit.

Neque vero etiam in hoc credendum Hierardo Voſſio, qui diſputatione 19. de Baptiſmo theſi 3. propugnat decretum Concilii ab Agrippino celebrati explodere ſolummodo Baptiſma eorum, qui formam adulterabant; quandoquidem S. Cyprianus verbis expreſſis rejicit Baptiſma quodcumque a Schiſmaticis & Hæreticis collatum; & in eodem prorſus ſenſu, eademque opinione, ac ipſe Agrippinus, cujus in hoc momento celebrat decreta.

Quid plura? Tempore Agrippini multa errorum monſtra, Hermogeniani ſcilicet, Praxeas, Catafriges, Novatiani, Manichæi & poſt ipſos Ariani, ſeminabant, nec tamen conſtat eos in baptizando defloraſſe formam, cum Concilium Nicænum primum can. 19. non niſi Paulinianiſtas rebaptizari jubeat; immo can. 8. ſtatuit Novatianos cum ſola manuum impoſitione recipi.

Anno ſalutis 254. Novatiani ſed in ſenſu prorſus oppoſito, reſtaurarunt ſeu roboraverunt Agrippini conſuetudinem, nam & ipſos Catholicos ad eos confugientes tamquam immundos rebaptizabant.

Acrius exarſit controverſia ea verſus tempora, quando Cyprianus ad æmulationem quaſi provocatus, baptizatos Schiſmaticis & Hæreticis, tametſi formam Evangelicam ſervaſſent, rebaptizari cenſuit, ſicut & Firmilianus; qua de cauſa ille tria Carthagine anno 258. iſte vero duo eodem anno, alterum in Phrygia Iconii, alterum Synnadis in Aſia congregavit Concilia, ut refert Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium Lib. 7. cap. 6. & in his omnibus conclamatum eſt rebaptizandos eſſe tum Schiſmaticos, tum Hæreticos contra reſcriptum Stephani, maxime in 3. Concilio Carthaginenſi, & in aliis a Firmiliano celebratis.

Adhæſerunt Cypriano præter Firmilianum, quidam Patres omni exceptione majores, vel ſaltem de hoc momento in ſuſpicionem veniunt. Primus eſt Dionyſius Alex. ut colligi poteſt ex ejus ad Philemonem Epiſtola, & altera ad Sixtum Papam conſcripta. S. Atanaſius Sermone 3. contra Arianos ait, eos non habere verum Baptiſma niſi extrinſece, ; ſic enim loquitur: " Qui, quæſo, igitur, non pla-
„ ne vanum ac inutile fuerit Baptiſma
„ quod ab illis datur, cum id non niſi ſpe-
„ cies ſit & inane ſimulacrum. „ R. Pater Alexander contendit magnum illum Patrem ea ratione Arianorum rejicere Baptiſma, quod putaret formam adulterari; ſed quamdiu Atanaſius vixit, Arianos non temeraſſe præſcriptam a Chriſto Baptiſmatis formulam conſtat, cujus rei argumentum duplex eſt. Primum quidem, Athanaſius expreſſe ibidem dicit Arianos in baptizando invocare ſanctam Trinitatem, ſed tamen ex mala eorum intentione Baptiſma ab eis collatum, nullum evadere, hæc enim ſubjungit, " Non enim
„ qui ſimpliciter, ait, Domine, is eſt
„ qui donat legitimum Baptiſma, ſed qui
„ nomen exprimit, & fidem rectam ha-
„ bet. „ Quæ quidem verba de nullitate effectus, ſed non Sacramenti intelligi debent. Alterum eſt quod Concilium primum Conſtantinopolitanum definiat Baptiſmum ab Arianis collatum non eſſe iterandum.

Optatus Milevitanus rejecit quoque Baptiſmum ab Hæreticis confectum, a Schiſmaticis tamen datum admiſit. Prima pars patet, nam Lib. 1. contra Parmenianum Donatiſtam, eum ſic alloquitur: " Vides ergo, frater Parmeniane, Hæreti-
„ cos a domo Dei extorres, ſolos habere
„ varia & falſa Baptiſmata. " Si ſoli habent falſa, igitur Schiſmatici verum habent, quocirca hæc ſubjungit: " Vobis
„ vero Schiſmaticis, quamvis Catholici
„ non ſitis, hæc negari non poſſunt, quia
„ nobiſcum vera & communia Sacramenta
„ traxiſtis. " Incaſſum replicat R. P. Alexander Optatum loqui ſolum de Hæreticis formam deflorantibus, eo quod de iis
„ tantum loquatur: " Qui falſaverunt
„ Symbolum. " Optatum enim loqui univerſim de quibuſcumque Hæreticis liquet; in eodem quippe ſenſu hæc aſſerit, ac ipſe Cyprianus & Firmilianus, qui, nulla facta reſtrictione, Baptiſma a quocumque Hæretico collatum, veluti vanum & ut commentum rejiciebant. Ceterum

ex

ex eo quod multi Hæretici corrumperent Symbolum ; non inde & conſequenter formam Baptiſmi temerabant ; ut patet de Novatianis & aliis pluribus.

Sanctus Baſilius Baptiſma ab aliquibus extra Eccleſiam collatum improbavit ; admiſit tamen a quibuſdam aliis datum. Et vero ſanctus Doctor in tres claſſes dividit eos qui foris ſunt, videlicet in Hæreticos, in Schiſmaticos, & Paraſynagogas. Hæreticos vocat, qui præcipua fidei capita debellant, Schiſmaticos, qui diſſident ab Eccleſia propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas, Paraſynagogas dicit eſſe congregationes quæ ex Presbyteris rebellibus vel etiam Epiſcopis, & indocta plebe conſtant, quæque contra canones colligantur ; ita Epiſtola prima Canonica ad Amphilochium can. 1.

Primo quidem aſſerit rebaptizandos eſſe qui ab hæreſi veniunt ; ſic enim loquitur can. 10. “ Pepuzenorum autem Baptiſmus
,, nullam mihi habere ratinnem videtur;
,, antiqui enim illum Baptiſmum ſuſci-
,, piendum putarunt, qui nihil a fide
,, recedit . . . . . . Viſum eſt ergo an-
,, tiquis, Hæreticos quidem omnino reji-
,, cere. ,,

Secundo : Exiſtimat Schiſmaticos juxta Provinciæ in qua verſantur morem, eſſe recipiendos ; ſic enim ibidem habet : “
,, Quæ itaque ad Cataros pertinent quæ
,, ſtiones, & prius dicta ſunt, & recte ad-
,, monuiſti, quod oportet unuſquiſque Re-
,, gionis morem ſequi, quod variæ fue-
,, rint de ipſorum Baptiſmate diſſentiones
,, eorum, qui tunc de iſtis diſſeruerunt.
Can. vero 47. alterius Epiſtolæ ad Amphilochium ſubnotat in ſua Diœceſi Novatianos & Manichæos rebaptizari ; ex quibus patet ſanctum Doctorem quorumdam Schiſmaticorum ratum habuiſſe Baptiſma, quorumdam vero rejeciſſe.

Tertio : In prima Epiſtola, can. 10. docet Paraſynagogas non eſſe rebaptizandos; ſic enim habet : “ Viſum eſt Antiquis eos,
,, qui ſunt in Paraſynagogis & in illegiti-
,, mis cuuventibus, convenienti pœni-
,, tentia & converſione correctos rurſus
,, Eccleſiæ conjungere. ,,

Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus abjecit abſolute Hæreticorum Baptiſma; namque in præfatione in Catecheſes, univerſim & ſine diſtinctione hæc de Hæreticis pronunciat : “ Soli Hæretici rebaptizan-
,, tur ; ſiquidem prius illud non erat Ba-
,, ptiſma. “ Sanctum Doctorem abſque diſtinctione loqui duobus probatur argumentis. Primo quidem ex eo quod inſtruendo Catechumenos loquatur, quocirca debuiſſet diſtinguere, ſi locutus fuiſſet de eis Hæreticis qui formam adulterabant, ut Pauliániſtæ. Secundo in hoc adhæret ſententiæ Africanorum & Orientalium, ſcilicet Cypriani & Firmiliani. Unum tamen obſervandum venit, quod & Cyprianus & Firmilianus candide agnoverint inter ſuos non defuiſſe, qui ſententiam & praxim Eccleſiæ Romanæ ſequerentur. Quidquid ſit

Hanc de rebaptizandis Hæreticis controverſiam 3. Sæculo & 4. etiam inchoante de mera extitiſſe diſciplina non uno probatur argumento.

Primo quidem ex eo, quod & ſanctus Cyprianus, & Firmilianus unitatem cum Summo Pontifice ſemper ſervaverint ; namque ille in tertio Concilio Carthagine habito, acceptis litteris ſancti Stephani, quibus ſanctus ille Pontifex Baptiſmum ab Hæreticis collatum verbis Evangelicis recipiendum eſſe præcipiebat, ægre quidem hæc tulit ; attamen juſſit Patribus Synodicis, ut ſervata pace & unitate, ſuum pro hoc momento depromerent ſenſum. Firmilianus itidem non niſi diſciplinam & morem, ut credebat, perantiquum, laudavit in ſuis duobus Conciliis.

Secundo : Nullus antiquis Patribus Hæreſeos labem inuſſit, immo nec Cypriano & Firmiliano eo quod ab hæreſi venientes rebaptizari voluerint. Sic fatur Firmilianus in Epiſtola ad S. Cyprianum :
“ Nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Ca-
,, tholicæ pace atqui unitate aliquando
,, diſceſſum eſt. Rurſus vel ipſe Cyprianus ſic de hac controverſia ſcribit ad Jubajanum : “ Hæc tibi breviter pro noſtra
,, mediocritate reſcripſimus, nemini præ-
,, ſcribentes aut præjudicantes, quomi-
,, nus unuſquiſque Epiſcoporum, quod
,, putaverit faciat, habens arbitrii ſui li-
,, beram facultatem. ,, Similia dicit in ſua ad S. Stephanum Epiſtola : “ Qua in
,, re nec nos vim cuiquam facimus, *ait*,
,, aut legem damus ; cum habeat in Ec-
,, cleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ
,, arbitrium liberum unuſquiſque Præpo-
ſitus. ,, Rurſus in Concilio Carthaginenſi 87. Epiſcoporum de eadem rebaptizationis

con-

controverſia ſermonem inſtituens, ait: „ Ut de hac ipſa re quid ſinguli ſentia„ mus, proferamus, neminem judican„ tes, aut a jure communionis aliquem, „ ſi diverſum ſenſerit, amoventes. „ Ex his ſententiis liquet pacem remanſiſſe intactam inter Petri Cathedram & Africanos atque Orientales; luce enim meridiana claret, non niſi diſciplinam ſpectaſſe ea, quæ tanta ingeniorum contentione his temporibus exagitata ſunt, maxime vero cum Cyprianus in verbis mox laudatis neque præſcribat Romanis aliquid contrarium, neque præjndicare velit ſententiæ eorum, qui conſuetudinis Romanæ tenaces, Baptiſmum ab Hæreticis collatum ſuſcipiendum eſſe autumabant.

Tertio: Sanctus Auguſtinus, qui paſſim de hac loquitur controverſia, non hæreſeos, ſed erroris tantummodo inſimulat & Africanos, & Orientales; & nihil præter malam diſciplinam in eis arguit: ſic loquitur Lib. de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 13. “ Ego autem ut quod de hac re ſentio breviter dicam: „ rebaptizare Hæreticos, quod illi fecīſ„ ſe dicuntur, tunc fuit humani erroris: „ rebaptizare autem Catholicos, quod ad„ huc iſti faciunt, ſemper eſt diabolicæ „ præſumptionis. „ Eo loci ponit ſanctus Doctor diſcrimen inter Cyprianum, Firmilianum & Donatiſtas, quod duo priores errarent quidem, ab hæreſi redeuntes rebaptizando, alios vero non ſine hæreſi & magno ſcandalo ipſos Catholicos ad ſuas flectentes partes, etiam rebaptizare attentarent.

Sequitur ex his, nec Cyprianum & Firmilianum peccaſſe; a fortiori nec ceteros Patres illis non nihil adhærentes, cum in hoc tantummodo diſciplinam, quam putabant genuinam, defenderent; ſi quid tamen imperfectionis, vel etiam alicujus culpæ arguat ſanctus Auguſtinus tum in Africanis, tum in Orientalibus, hujuſce correctionis non alia eſt cauſa, niſi quod in diſputationis congreſſu, acceptis beati Stephani litteris, nihilominus ſuæ opinionis paulo tenaciores extiterint, & cito citius non obediverint; quocirca S. Auguſtinus in ſua ad Rogatianum Epiſtola, & L. 2. de Bapt. cap. 4. pag. 40. de hac controverſia ſermonem faciens, ait Cyprianum aut non dixiſſe quæ illi imputantur, aut ſi dixit, laviſſe ſanguine; ante ipſum etiam beatus Hieronymus Epiſt. 18. Cyprianum pro hoc momento excuſat; adeo verum eſt primorum ſæculorum Patres ratas ſemper habuiſſe Summorum Pontificum definitiones, & ea qua par eſt reverentia coluiſſe eas. Hinc S. Aug. L. 2. de Bapt. cap. 7. pag. 41. *ait*. “ Noli„ te ergo nobis auctoritatem objicere „ Cypriani ad Baptiſmi repetitionem, „ ſed tenete nobiſcum exemplum Cypria„ ni, ad unitatis conſervationem. Non„ dum enim erat diligenter illa Bapti„ ſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſa„ luberrimam conſuetudinem tenebat Ec„ cleſia. „

Progreſſus.

In apertum erupit incendium rebaptizantium controverſia, molitione Donatiſtarum, qui anno circiter 310. magnas in Eccleſia movere tragœdias, hac data occaſione. Lucilla præpotens Hiſpaniarum Domina ægre admodum tulit reprehenſionem Cæciliani Carthaginenſis Archidiaconi, qui illam increpabat, quod ante communionem Euchariſticam, cujuſdam Martyris, ſed nondum in albo Sanctorum poſiti, reliquias deoſcularetur; hinc de hoc vindictam ſumere fucate, pia illa mulier decrevit, ut primum per tempus liceret. R. P. Alexander Hiſtoria ſæculi 4. cap. 3. §. 1. pag. 9. eam ſic delineat hiſtoriam.

“ *Forte* accidit ut Menſurius Cartha„ ginenſis Epiſcopus a Maxentio Romam „ evocatus, propterea quod Diaconum „ quemdam Felicem nomine, famoſæ „ contra dictum Tyrannum Epiſtolæ au„ ctorem apud ſe occultaſſet, nec repre„ ſentare vellet, ſenioribus Eccleſiæ vaſa „ & ornamenta commendare. Quo mor„ tuo, Cæcilianus in ejus locum electus „ eſt, & a Felice Aptungitano ordina„ tus: qui cum a ſenioribus illis depoſi„ tum ſacrum repeteret, hi communio„ nem ejus averſati ſunt. Iiſque ſe Lu„ cilla conjunxit cum Botro & Cæleſio, „ qui eumdem Epiſcopatum ambierant; „ & ſpe ſua fuerant dejecti. Sic tribus „ convenientibus cauſſis, & diverſis perſo„ nis, ingens ſchiſma conflatum eſt, quod „ confuſæ mulieris iracundia peperit, „ ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ut „ autem ſchiſmati ſuo colorem aliquem ob„ lini-

„ linirent, vitioſam eſſe Cæciliani ordinationem confinxerunt, quod Felix Aptungitanus ejus ordinator, ſacros codices tempore perſecutionis infidelibus tradidiſſet: & ipſe Cæcilianus confeſſoribus olim in carcere conſtitutis victum afferri prohibuiſſet. Exinde Secundum Tigiſitanum, Numidiæ Primatem, traditorum principem, cum aliis ejuſdem notæ Epiſcopis Carthaginem convocarunt: qui Majorinum in ſedem Carthaginenſem intruſerunt, damnato prius Cæciliano in Conciliabulo 70. Epiſcoporum, qui traditionis crimine infames, & a Lucilla muneribus redempti erant. Hæc referunt S. Auguſtinus Lib. de Hæreſibus cap. 69. & in Breviculo collationis die 3. cap. 14. .... Optatus Millevitanus Lib. 1. contra Parmenianum, pag. 40. & 41. „ Donatus a Caſis nigris Epiſcopus, a quo Majorinus ordinatus fuerat extitit Schiſmatis caput, nuſquam vero Donatus, qui Majorino ſuffectus apparuit; ab iſto tamen appellari gloriati ſunt Donatiſtæ, qui decurſu temporum Montenſes vocati ſunt, eo quod in montibus ſicut agere ſic & convenire ſolerent, & quemadmodum de Circuitoribus dictum eſt, eos inter martyres annumerabant, qui ſe aut præcipites agebant, aut aquis, igneve mortem approperabant.

Jam vero latum eſt diſcrimen inter Cyprianum, Firmilianum & Donatiſtas, quandoquidem duo priores ab unitate Eccleſiæ numquam divulſi, fidem incontaminatam ſervarunt, quamque prior proprii cruoris effuſione coram tyrannis deffendit, atque ab Eccleſia veluti inſignis martyr colitur; poſterior vero velut ſanctus habetur in Græcorum Monologio: non ſic iſti noviſſimi, qui veſtem Chriſti & ſchiſmate & hæreſi dilacerare non erubuerunt.

Errores Donatiſtarum.

PRIMUS error: Chriſti Eccleſiam nullibi niſi in Africa, immo & inter ſe dumtaxat extare præſumebant. Aug. L. de Hæreſ. cap. 69. Optatus, L. 2. Gregorius in 4. Pſalmum.

Secundus: Baptiſma quodcumque non valere ſuam extra Eccleſiam cenſebant: quocirca etiam Catholicos rebaptizabant; utrumque refert errorem Optatus Milevit. Lib. 2. Auguſtinus Lib. de unitate Eccleſiæ, cap. 16. Gregorius in 4. Pſalmum Pœnitentialem.

Tertius: Tametſi Donatus filium Dei agnoſceret Patri conſubſtantialem, ipſum tamen patre minorem, ſicut & Spiritum ſanctum filio, prædicabat. Sanctus Auguſtinus hæreſi 59.

Quartus: Sacramenta a Catholicis effecta nullius virtutis eſſe effutiebant Donatiſtæ, hinc ipſos Catholicos rebaptizabant. Ita ſanctus Ambroſius in caput primum 1. ad Corinthios.

Quintus: Eccleſiam non niſi ex bonis conſtare, & nullos in ea malos reperiri opinabantur. Baronius anno 306.

Sextus. Arguebant Catholicos quod divina Cantica ex Prophetis excerpta decantarent, & quod ſacro Chriſmate uterentur. Ita Baronius & alii.

Mores Donatiſtarum.

PRIMO: Eccleſiæ Sacramenta ſummo proſequebantur odio, ut vel ipſam ſacram Euchariſtiam canibus projicere, & ſanctum Chriſma in terram effundere, non ſine magno ſcandalo & ſacrilegio auderent. Optatus Milevitanus L. 2. pag. 55.

Secundo: Sacra altaria profanare & ſubvertere non dubitabant: quod ſi ab iſto exceſſu quandoque temperarent, ea ſacrilego ritu, quaſi a Catholicis violata, radebant. Optatus Lib. 6. pag. 93. & 94.

Tertio: Sacros frangere calices non erubeſcebant. Idem ibidem pag. 95.

Quarto: Codices, pallas & vela ſacra per vim extorquebant, & veluti a Catholicis profanata purgabant. Idem ibidem pag. 98.

Quinto: Uſurpata Catholicorum templa veluti immunda benedictione purganda eſſe autumabant. Idem ibidem.

Sexto: Cogebant virgines, quæ in Eccleſia Catholica quædam emiſerant vota, impoſita prius Pœnitentia, alteram profeſſionem emittere. Idem ibidem, pag. 96.

Septimo: Magnam erga Catholicos exercuere crudelitatem tempore Juliani Apoſtatæ. Idem Lib. 2. pag. 55.

Octavo: Nec in vivos tantum, ſed & in defunctos ſæviebant, ita ut & contumeliam corporibus inferrent, & ipſa

ſi privarent ſepultura. Idem Lib. 6. pag. 99.

Nono: Sibi ipſis mortem quandoque inferebant, ut veluti martyres celebrarentur. Hoc ipſum fuse delineat ſanctus Auguſtinus Lib. 1. contra Gaudentium Donatiſtam cap. 28.

Denique pro more Hæreticorum, Monachos inſectabantur. Sanctus Auguſtinus in Pſal. 132.

Concilia Donatiſtarum.

VARIA celebrata ſunt a Donatiſtis Concilia; quædam ſcilicet adverſus ſemetipſos, cum & ſchiſmate quandoque a ſe ipſis divellerentur, quædam vero contra Cæcilianum & alios quoſdam Catholicos.

Anno Chriſti 344. Siricio Pontifice Maximo, Theodoſio Imperatore, defuncto Parmeniano tertio Donatiſtarum Epiſcopo, Primianus in ejus locum ſuffectus eſt, adverſus quem poſtea ab aliis Donatiſtis creatus eſt Maximianus Diaconus; ſicque, inquit R. P. Alexander Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæculi 4. cap. 3. §. 6. Magnum inter eos cœpit eſſe ſchiſma; ita ut alii Primianiſtæ, alii vero Maximianiſtæ appellarentur; tunc adunatum eſt Concilium, ex quinquaginta tribus Epiſcopis conflatum apud cavernas Suſis prope Carthaginem anno 394. quod Maximiani partes agebat; alterum contra Primianum celebratum eſt Cebarſuſſi ex centum Epiſcopis compoſitum, de quo meminit ſanctus Auguſtinus Lib. 4. adverſus Creſconium cap. 6. Tertium pro Primiani factione fuit, in quo aderant 310. Epiſcopi apud Bagaim Numidiæ civitatem adunatum anno 394. quod quidem Concilium Bagajenſe dictum eſt, & ibi prævaluit Primiani factio; attamen poſt multum temporis Maximianiſtas ſuis reſtitutos honoribus, ſuſceperunt Primianiſtæ, & collatum ab eis, extra communionem, tametſi ſuam, Baptiſma ratum habuerunt, anno 305. Jam jam Donatiſtæ Cirtæ in Numidia Concilium celebraverant, in quo Cæcilianum depoſuerant; ibi præerat Secundus Tigiſitanus Numidiæ primas. De eo Concilio loquitur ſanctus Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 26. & 27. Actum eſt quoque in eo de Eccleſiæ ſupellectili paganis non ſine proditione data. Duo quoque Concilia Carthagine anno ſcilicet 311. adunaverant Donatiſtæ. In primo quidem Cæcilianum a ſede deturbaverunt, & Majorinum in ejus ſedem, ut refert Optatus Millevitanus Lib. 1. & S. Auguſtinus in Breviculo collationis diei 3. cap. 10. ſuffecerunt: aliud vero ſub Donato Carthaginenſi pſeudo-Epiſcopo, anno ſatis incerto. In iſto Traditores ad communionem receperunt, etiamſi rebaptizari nollent: Hujus Concilii geſta refert S. Auguſtinus ex Tyconii Donatiſtæ commentariis, Epiſt. 48. ad Vincentium.

Interitus ſeu extinctio hæreſeos Donatiſtarum.

STEPHANUS I. Pontifex & Martyr reſtitit rebaptizantibus, anno ſcilicet 258. Doctiſſimam reſcripſit ad Africanos Epiſtolam, qua prohibet venientes ab hæreſi rebaptizari. De ea Cyprianus Epiſtola ad Pompejum Epiſcopum Sabratenſem, ſic loquitur: " Quia deſideraſti, *inquit*, in
" notitiam tuam perferri, quæ mihi ad
" litteras noſtras Stephanus frater noſter
" præſcripſerit, miſi tibi reſcripti ejus
" exemplum, quo lecto, magis ac magis
" ejus errorem denotabis, qui Hæreticorum cauſam contra Chriſtianos & con-
" tra Eccleſiam Dei aſſerere conatur:
" nam inter cetera illud etiam adjunxit,
" ſi quis ergo a quacumque hæreſi vene-
" rit ad nos, nihil innovetur, niſi quod
" traditum eſt, ut manus illi imponatur
" in pœnitentiam, cum ipſi Hæretici
" proprie alterutrum ad ſe venientes non
" baptizent, ſed communicent tantum."

Damnati ſunt Donatiſtæ in Concilio Romano ſub ſancto Melchiade anno 313. & Cæciliani ordinatio juridica conclamata eſt. Sic colligitur ex Epiſtola Conſtantini Magni ad Melchiadem, quam refert Euſebius Lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 5. quæque legitur in capite Concilii. Sed iterum provocarunt a Melchiade ad Concilium Arelatenſe celebratum anno 314. Eccleſia, ait ſanctus Auguſtinus, cedens protervitati eorum conceſſit, non quod neceſſe foret, ſed volens omnibus modis eorum compeſcere audaciam. Ibi Cæcilianus iterum a falſo crimine canonice purgatus eſt; & can. 8. prohibetur redeuntes

tes ab hæreſi iterum rebaptizari. Verum nihilo meliores facti, contra promiſſa Donatiſtæ perduelles appellarunt Conſtantinum: Tum tandem in Concilio Mediolanenſi iterum atque iterum proſcripti, juſſu Imperatoris exulaverunt, ut teſtatur S. Auguſtinus Lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani cap.

Multi omni exceptione majores adverſus Donatiſtas ſcripſerunt, maxime Optatus Millevitauus, ſtilo ſuo cenſorio in libris ſex eos perſtringit, ſicut & ſanctus Auguſtinus tum in litteris permultis, tum in libris prope innumeris, potiſſimum vero in ſeptem de Baptiſmo. Mitto alios complures quos recenſet R. P. Alexander loco ſupra citato cap. 3. §. 14.

Vel etiam Imperatores Donatiſtas inſectati ſunt. Conſtantinus Magnus ſententiam primo capitis, deinde exilii in eos tulit ad compeſcendum eorum furorem. Sanctus Auguſtinus Lib. 1. contra Parmeniani Epiſt. cap. 8. Tum Conſtans Imperator paternæ pietatis ſectator exilio eos damnavit, a quo non niſi Juliani Apoſtatæ edicto revocati ſunt. Optatus Lib. 2. pag. 54. Valentinianus anno 373. eos declaravit Sacerdotio indignos. Gratianus anno 377. in ſuo ad Flavianum Vicarium Africæ reſcripto jubet eos privari Eccleſiis. Demum Theodoſius & Valentinianus Imperatores anno 418. legem, quæ extat in codice Theodoſiano, lege 65. adverſus Donatiſtas tulerunt.

His prælibatis, multa & proponenda, & ſolvenda veniunt, tum de controverſia rebaptizantium, tum de fidei dogmate circa Miniſtri qualitatem. Unde ſit

PUNCTUM PRIMUM.

Num Stephanus Papa in Epiſcopos rebaptizantes actuali excommunicatione animadverterit.

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur multis momentis.

PRIMO Ille in contradicentes ſibi Epiſcopos actuali excommunicatione non animadvertit, qui in ſuo decreto adverſus rebaptizantes, nihil præter morem antiquum tenendum eſſe & cenſuit & commendavit: qui quidem minaciter juſſit obedire, ſed inter minas hæſit; qui denique a renitentibus communione & unitate nuſquam divulſus fuit. Atqui ſic ſe res habet. Ergo &c. Probatur minor quoad ſingulas partes.

Stephanus in ſuo ad Cyprianum miſſo decreto vel ipſo teſte Cypriano Tom. 1. Epiſt. 74. pag. 192. ad Pompejum ſic loquitur: " Nam inter cetera ..... etiam „ illud adjunxit .... Si quis ergo a „ quacumque hæreſi venerit ad nos, ni„ hil innovetur, niſi quod traditum eſt, „ ut manus illi imponatur in pœniten„ tiam. „ Ergo &c.

Stephanus comminatus eſt quidem contradicentes; namque Legatos & Cypriani, & Firmiliani, nec audire nec videre voluit, immo nec tectum Romæ eis conceſſit, juxta illud Firmiliani de Stephano per ironiam loquentis, Epiſtola ad Cyprianum, quæ eſt inter ejuſdem Cypriani numero 75. Tom. 1. pag. 204. ubi ſic habet: „ Legatos Epiſcopos patienter ſatis & le„ niter ſuſcepit, ut eos ne ad ſermonem „ ſaltem colloquii communis admitteret; „ adhuc inſuper dilectionis & charitatis „ memor, præciperet fraternitati univer„ ſæ, ne quis eos in domum ſuam reci„ peret, & venientibus non ſolum pax & „ communio, ſed tectum & hoſpitium „ negaretur. „

Neque vero citra jus ſic ſe geſſit ſanctus Pontifex, cum Africani & Orientales contra receptam ab Apoſtolis conſuetudinem recrudeſcerent, ut ipſe teſtatur S. Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium cap. 3. his verbis ſcilicet Tom. 6. parte 1. pag. 180. " Proinde jam ſi omnino cre„ dendum ſit quinquaginta Epiſcopis O„ rientalium id eſſe viſum, quod ſeptua„ ginta Afris, vel aliquanto etiam plu„ ribus, contra tot millia Epiſcoporum „ quibus hic error in toto orbe diſplicuit. „

Vinculum tamen pacis inter litigantes cum Stephano incontaminatum fuiſſe aſſerit idem ſanctus Doctor Lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. ubi ſic loquitur pag. 64. „ Vicit tamen pax Chriſti in cordibus eo„ rum, ut in tali diſceptatione nullum „ inter eos malum ſchiſmatis oriretur. Rurſus Lib. 6. de Baptiſmo cap. 1. pag. 65. „ Iſta quæſtio contra veterem conſuetudi„ nem diſputationibus, ſalva charitate atque „ unitate altercantibus diſcutiebatur. „

Se-

Secundo: Illi a Beato Stephano Communione non fuerunt divulſi, qui viciſſim non niſi morem diſciplinæ, quem incaſſum propugnabant ab Apoſtolis emanatum, ſervabant: Atqui ſicut Cyprianus, ſic & Firmilianus ſuum ſolummodo commendabant morem, ſuamque diſciplinam abſque unitatis diſpendio. Ergo &c. Probatur minor. Sanctus Cyprianus ſecundo Carthagine habito Concilio anno 258. ad Stephanum reſcripſit quatenus acta ſui Concilii confirmare dignaretur, ſcilicet in Epiſtola 72. in initio: " Ad quædam diſponenda & Concilii communis examinatione limanda, neceſſe habuimus frater chariſſime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus cogere & celebrare Concilium, in quo multa quidem prolata atque tranſacta ſunt, ſed de eo vel maxime tibi ſcribendum, & cum tua gravitate ac ſapientia conferendum fuit, quod magis pertineat & ad ſacerdotalem auctoritatem & ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem de divinæ diſpoſitionis ordinatione venientem, eos qui ſint foris extra Eccleſiam tincti ...... venerint, baptizari oportere. " Rurſus in Epiſtola Synodica quæ eſt numero 70. primi Concilii Carthaginenſis ad Januarium & ceteros Epiſcopos Numidiæ directa de more rebaptizandi Hæreticos ſic effatur: " Sententiam noſtram non novam promimus, ſed jampridiem ab anteceſſoribus noſtris ſtatutam. " Eumdem loquitur ſermonem Firmilianus Epiſtola ad ſanctum Cyprianum: " Ab initio, *inquit*, hoc tenentes quod a Chriſto & ab Apoſtolo traditum eſt. " Quid plura? Cyprianus in tertio ſuo Concilio rogat Patres, ut ſervata unitate & pace cum ſummo Pontifice, ſuam promant ſententiam: " Ut de hac ipſa re quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure Communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. "

Tertio: Si Stephanus abſtinuiſſet ab Epiſcopis rebaptizantibus, citra dubium auctores qui hujuſce controverſiæ texuerunt hiſtoriam, illud animadvertiſſent & ſubnotaſſent: Atqui de hoc momento altum eſt apud eos ſilentium. Ergo &c. Probatur minor: Sanctus Hieronymus contra Luciferianos ſcribens, unum ſolummodo obſervat, videlicet Cyprianum incaſſum reſtitiſſe Stephano: " Conatus eſt, *inquit*, Beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcirco Hæreticorum Baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Epiſcopum, qui a beato Petro XXVI. fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit, ſed conatus ejus fruſtra fuit. "

Vincentius Lirinenſis Commonit. 1. cap. 9. nihil de Stephano commemorat pro hac controverſia præter conſtantem in compeſcendis Africanis fortitudinem: " Cum ergo undique, *ait*, ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniteretur; tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum ceteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris reſtitit, dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. "

His accedit S. Auguſtini auctoritas, qui non in uno loco expreſſe aſſerit S. Stephanum inter minas hæſiſſe, nedum erga Cyprianum, ſed & Firmilianum, qui idem ſentiebat una cum Orientalibus, ut liquet ex eorum Conciliis mutuo prorſus conſenſu adunatis: Porro Lib. 5. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 25. ſanctus Præſul ſic loquitur pag. 64. " Stephanus abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis Hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur; iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſime præditus, in unitate cum eis manendum qui diverſa ſentirent; ita quamvis commotius, ſed tamen fraterne indignaretur; vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur. "

Quarto: Qui in pace Chriſti obierunt, & quidem ſuum ſervando de rebaptizatione morem, citra dubium non fuerunt excommunicati; atqui & Cyprianus, & Firmilianus in pace Chriſti obiere, neque tamen, ut auctores omni exceptione majores propugnant, circa rebaptizationis diſciplinam depoſuere errorem. Ergo &c. Probatur minor quoad primam partem: San-

Sanctitas Cypriani tantopere in Eccleſia Latina celebratur, ut vel etiam in Canone Miſſæ veluti inter Martyres inſignis commemoretur; Firmilianus vero ab Eccleſia Græca in albo Sanctorum reponitur, ut habetur in eorum Menologio, ubi ejus natalis dies anniverſaria die 28. Octobris aſſignatur. Ipſe etiam adfuit Concilio Antiocheno 2. adverſus Paulum Samoſatenum adunato, anno circiter 264. aut 266. teſte Euſebio Lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 27. eumque magnis efferunt laudibus Antiocheni Patres in ſua ad Dionyſium Papam Synodica Epiſtola, quippe qui ſicut Dionyſium Alexandrinum ſic & Firmilianum, beatæ recordationis virum, appellent: " Nam, *ajunt*, & ad „ Dionyſium Alexandrinum, & ad Fir„ milianum Cappadociæ Antiſtitem, bea„ tæ recordationis viros, litteras dedi„ mus, „

Altera vero pars ejuſdem minoris, ſcilicet quod Afri & Orientales a rebaptizatione non abſtinuerint, non uno probatur argumento. Primo quidem quia nec propria iſtorum Epiſcoporum ſcripta, nec alia antiquitatis monumenta id aſſerunt. Secundo, hoc ipſum declarat S. Auguſtinus Lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 4. pag. 40. ubi ſic loquitur: " Si enim Petrum „ laudat & prædicat ab uno poſteriore „ collega patienter concorditerque cor„ rectum, quanto citius ipſe cum Con„ cilio Provinciæ ſuæ, univerſi orbis au„ ctoritati patefacta veritate ceſſiſſet; quia „ profecto & uni verum dicenti & demon„ ſtranti poſſet facillime conſentire tam „ ſancta anima, tam paccata; & fortaſſe „ factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim „ omnia quæ illo tempore inter Epiſcopos „ geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandari „ potuerunt; aut omnia quæ mandata ſunt „ novimus. „

Idem Epiſtola 48. ad Vincentium Donatiſtam, de eodem Cypriano ita ſcribit: " Correxiſſe iſtam ſententiam „ non invenitur; non incongruenter ta„ men de tali viro exiſtimandum eſt quod „ correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit „ ab his qui hoc errore nimium delectati „ ſunt, & tanto velut patrocinio carere „ noluerunt. „ Beatus quidem Hieronymus in Dialogo apud Luciferianos, exiſtimat Cyprianum & Firmilianum ante morem depoſuiſſe ſuum de rebaptizando errorem; ſed hoc admodum incertum eſt, cum tempore Concilii Arelatenſis, immo & Carthaginenſis ſub Grato Epiſcopo vigeret adhuc rebaptizandi ab hæreſi venientes conſuetudo; ſed hoc non obeſt tantorum virorum ſanctitati, cum meræ diſciplinæ quæſtionem tenerent, nec Romanum morem veluti errorem haberent; ſic enim loquitur Cyprianus Epiſtola ad Jubajanum: " Hæc tibi breviter pro „ noſtra mediocritate reſcripſimus, ne„ mini præſcribentes aut præjudicantes, „ quominus unuſquiſque Epiſcoporum „ quod putaverit, faciat, habens arbi„ trii ſui liberam facultatem. Idem prorſus repetit in tertio Concilio Carthaginenſi 87. Epiſcoporum, ubi contra decretum Stephani ſancita eſt rebaptizatio: Porro ſi quæſtionem de fide eſſe credidiſſet Cyprianus, dubio procul in alteram opinionem Anathemate animadvertiſſet, nec pronuntiaſſet liberum eſſe unam aut alteram ſequi diſciplinam.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Ille abſtinuit ab Africanis & Orientalibus, ad quem Dionyſius Alexandrinus ſcripſit ut illis concederet veniam & indulgentiam. Atqui Dionyſius ſic ſe geſſit, ut refert Euſebius Lib. 7. Hiſt. cap. 4. pag. 185. " Dionyſius igitur, *ait*, „ ubi longum ſermonem cum Stephano per „ litteras de hac controverſia contulit, „ tandem declarat, quo pacto perſecutio„ nis fluctibus ſedatis, omnes ubique Ec„ cleſiæ, nova ac per verba Novati hære„ ſis pravitate repudiata, pacem inter ſe „ conciliaſſent... Xiſtus *Stephani* capeſſit „ locum. Ad hunc Dionyſius ſecundam „ de Baptiſmate conſcribens Epiſtolam, „ tum reliquorum, ſimul Epiſcoporum ſen„ tentiam explanat ... Atque ut pro his „ omnibus Epiſcopis illum deprecarer Epi„ ſtolam ſcripſi. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Sic ſe geſſit Dionyſius ut averteret Anathema tum ab Afris, tum ab Orientalibus, concedo: ut Stephanus ejus precibus, ſolveret illos ab Anathemate, nego minorem, & conſequentiam. Eodem prope modo charitatis officium peregit Dionyſius erga præfatos Epiſcopos, quale antea Irenæus exhibuerat pro Aſiaticis apud Victorem I. Papam, qui iſtos putaverat abſcindendos,

dos, eo quod ſanctum Paſchatis diem judaizando luna decima quarta Menſis Martii quacumque die occurreret, vellent celebrare; quocirca nihil aliud intendebat Dionyſius, niſi ut Stephanum exacerbatum inter ſolas minas ſiſteret. Nec mirum, ipſe enim hoc & Cypriano & Firmiliano jam conceſſerat. Et vero ſi in omnes rebaptizantes excommunicationis Anathemate animadvertiſſet Stephanus, profecto Dionyſius qui in eadem erat opinione, non auſus fuiſſet pro ceteris deprecari, quandoquidem venia & indulgentia non conceditur reorum precibus.

Inſtabis: Qui abnegavit & tectum & hoſpitium Legatis tam Cypriani quam Firmiliani, vere ab eis abſtinuiſſe cenſendus eſt: Atqui ex verbis Firmiliani ſupra laudatis, utrumque Stephanus recuſavit; quin immo hoc etiam colligitur ex verbis Cypriani, qui poſt Concilium Carthaginenſe ſic loquitur de beato Stephano Epiſtola 74. pag. 194. ad Pompejum: " Dat ,, honorem Deo, qui Marcionis Bapti-,, ſmo communicat? ... Qui Hæretico-,, rum amicus & inimicus Chriſtianorum, ,, Sacerdotes Dei, veritatem Chriſti, & Ec-,, cleſiæ unitatem tuentes abſtinendos pu-,, tat? ,, Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: S. Stephanus negavit tectum & hoſpitium Legatis Cypriani & Firmiliani œconomiæ cauſa, concedo: propter latam excommunicationis ſententiam, nego. Igitur ne fideles crederent Stephanum adhærere opinioni Rebaptizantium, S. Papa ad vitandum ſcandalum propulit Legatos, ſed ex dictis luce meridiana clarius patet, eum non anathematizaſſe Afros & Orientales; cum vel ipſe Cyprianus in verbis mox laudatis ſolummodo dicat Stephanum putaſſe eos eſſe abſtinendos. Neque vero nos commovere debet quod zelo abreptus Cyprianus, paulo durius alloquatur Stephanum; cum non ſemel teſtatus ſit & in ſuis Epiſtolis, & in ſuo tertio Carthaginenſi Concilio contrariam ſibi opinionem ſe non dijudicare. Ceterum non abſimili œconomia uſus eſt S. Epiphanius poſt Stephanum erga ſanctum Chryſoſtomum, quippe qui ab eo rogatus ut apud ipſum commoraretur Conſtantinopoli, ubi tunc aderat, ne quidem voluit preces fundere cum eo, ea ductus ratione, quod exiſtimaret Chryſoſtomum adhærere Origeniſmo tunc temporis graſſanti; ut referunt Scriptores ſacri, & poſt multos Natalis Alexander Diſſertat. 12. tertii ſæculi art. 1. propoſitione 2.

Inſiſtes: Firmilianus in Epiſtola ad ſanctum Cyprianum expreſſe ſcribit Stephanum ab eis abſtinuiſſe; ibi enim Stephanum ſic alloquitur: " Peccatum vero quam ,, magnum tibi exaggeraſti, quando te ,, a tot gregibus ſcidiſti? ,, Rurſus. " Quid enim humilius aut lenius, quam ,, cum tot Epiſcopis per totum mundum ,, diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis vario ,, diſcordiarum genere rumpentem, mo-,, do cum Orientalibus, quod nec vos la-,, tere confidimus, modo vobiſcum, qui ,, in meridie eſtis. ,, Ergo &c. Poſtea ad meliorem ſrugem rediiſſe, ejuraſſe errorem, ac demum Communioni catholicæ fuiſſe reſtitutos, aſſerit.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et ſic locutus eſt Firmilianus per exaggerationem, juxta illud adagium: *Iratus nihil niſi monſtra loquitur*, concedo: & loquitur de vera ſciſſione, ſubdiſtinguo; quantum ad opinionem, concedo: quantum ad unitatem, nego. Ex verbis tum Stephani, cum Cypriani, tum etiam Firmiliani iterum atque iterum laudati liquet pacem & unitatem inter eos perſeveraſſe, unde non niſi ex ferventiori commotione locutus eſt Firmilianus de excommunicatione intenta veluti lata; eodem quippe exaggerationis ſenſu locutus eſt de cenſura, ſicut de dicteriis quibus in eadem Epiſtola laceſſit Stephanum: puta cum illum comparat Judæ proditori, cum audaciæ, inſolentiæ & improbitatis ſanctum inſimulat Pontificem: " Gratiam, *inquit*, ,, referre Stephano in iſto poſſumus; quod ,, per illius inhumanitatem nunc effe-,, ctum ſit, ut fidei & ſapientiæ veſtræ ,, experimentum caperemus .... Neque ,, enim & Judas perfidia ſua & proditio-,, ne, qua ſcelerate circa Salvatorem ope-,, ratus eſt, dignus videri poteſt quaſi ,, cauſſam bonorum tantorum præſtiterit, ,, ut per illum mundus & gentium popu-,, lus liberaretur. ,,

Replicabis: Baronius Annalium illuſtriſſimus parens, auctoritate S. Auguſtini innixus, ſcribit S. Stephanum abſtinuiſſe a Firmiliano, & ceteris Orientalibus: iſtos vero poſtea ad meliorem rediiſſe frugem, ejuraſſe errorem, ac demum Commu-

munioni Catholicæ fuiſſe reſtitutos. Ergo &c.

Reſpondeo, Baronium non attigiſſe mentem beati Auguſtini, & quidem propter duo: Primo Baronius ſcribit Cyprianum non fuiſſe a communione Stephani extorrem; igitur idem cenſere debet de Firmiliano, quandoquidem ſanctus Doctor de eis indiviſim loquitur, cum ait Stephanum putaſſe quidem illos abſtinendos, ſed non de facto abſtinuiſſe; aliud eſt autem velle abſtinere, aliud de facto abſtinere. Putaverat quidem Stephanus rebaptizantes abſtinendos eſſe, ſed nullibi legitur ab eis abſtinuiſſe. Audiendus eſt de hoc momento S. Hieronymus, qui Dial. adverſus Luciferianos cap. 9. ſic loquitur: " Quæ beatus Cyprianus ob „ Hæreticos rebaptizandos in ſuis Epi„ ſtolis reliquit; ſciant illum hæc non „ cum Anathemate eorum, qui ſe ſequi „ noluerunt ediſiſſe. „ Ex quibus verbis liquet Cyprianum & Firmilianum ſervaſſe cum Stephano unitatem. Secundo iterum atque iterum ſanctus Auguſtinus ſcribit pacem viciſſe in cordibus eorum, quod profecto cohærere non poteſt cum excommunicatione ex ſententia lata. Sic loquitur L. de unico Bapt. contra Petil. cap. 14. " Cum ergo Stephanus „ non ſolum non rebaptizaret Hæreti„ cos, verum etiam hoc facientes, vel ut „ fieret decernentes, excommunicandos eſ„ ſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcopo„ rum, & ipſius Cypriani Litteræ oſten„ dunt; tamen cum eo Cyprianus in uni„ tatis pace permanſit. „ Ceterum Euſebius L. 7. Hiſt. cap. 3. & 4. loquens de hac controverſia, ne minimum quidem verbum de excommunicatione lata profert. Nec mirum, nam quæſtio ſolum de diſciplina tunc movebatur.

Perſiſtes: Atqui quæſtio nedum diſciplinæ, ſed & fidei evaſerat: Igitur Stephanus ab eis abſtinuit non ſolum quantum ad diſciplinam, verum etiam & quantum ad dogma, adeoque & quantum ad unitatem & communionem. Probatur ſubſumptum ex ipſo Cypriano, qui reſcribens ad Stephanum, peracto ſecundo Concilio Carthaginenſi, ſanctum Pontificem ſic alloquitur: " Hæc ad conſcientiam „ tuam, frater chariſſime, & pro honore „ communi, & pro ſimplici dilectione „ pertulimus, credentes etiam tibi pro „ Religionis tuæ & fidei unitate placere, „ quæ & religioſa pariter & vera ſunt. „ Confirmatur: S. Cyprianus infinita prope loca ad ſuam probandam opinionem ex ſacra Scriptura excerpta in medium adduxit, ex quibus concludit quæſtionem ſpectare fidem. Ergo &c.

Reſpondeo primo negando ſubſumptum, quandoquidem non niſi multis elapſis poſtea ſæculis quæſtio eatenus evaſit de fide, quatenus Rebaptizantes Baptiſmum verbis evangelicis collatum ad ſalutem non ſufficere, immo & nullum eſſe, ſi ab Hæreticis conferretur, propugnabant; & characterem non crederent indelebilem; quocirca Nat. Alexander Diſſertatione ſecunda ſæculi terti art. 3. & 4. propugnat ne quidem in Concilio Nicæno I. quæſtionem tamquam de fide fuiſſe determinatam, ſed tantum de diſciplina motam, cum Patres jubeant ſolum can. 19. Paulianiſtas rebaptizari abſque eo quod Rebaptizantes Anathemate percutiant. Nec deſunt alii graviſſimi Theologi qui putent hoc ſolum in Tridentino fuiſſe de fide definitum Seſſ. 7. can. 11. his verbis: " *Si quis dixerit, verum & rite collatum* „ *Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud* „ *infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad* „ *pœnitentiam convertitur; Anathema* „ *ſit*. „

Reſpondeo ſecundo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Cyprianus exiſtimavit quæſtionem eſſe de fide conſequenter & illative, & in hoc etiam errabat, concedo: formaliter nego. Pro more Theologorum in ſuo proprio abundantium ſenſu, putabat Cyprianus quæſtionem eſſe de fide illative, in quo ſenſu dicit Stephano, " Credentes etiam tibi „ pro religionis tuæ & fidei unitate place„ re. „ Sed nuſquam eam eſſe de fide explicita propugnavit, cum in Concilio 3. Carthaginenſi faciat licentiam alterutram defendere opinionem, his verbis: " Ut „ de ipſa re quid ſinguli ſentiamus, profe„ ramus; neminem judicantes, aut a jure „ communionis aliquem, ſi diverſum ſen„ ſerit, amoventes. „

Ad confirmationem diſtinguo: Et hoc concludit, Cyprianum ſeciſſe quæſtionem evadere de fide illative, concedo; formaliter & explicite, nego.

Replicabis: Cyprianus Epiſt. 74. ad Pompejum vocat ſententiam decernentis eſſe ſufci-

ſcipiendos cum ſola manuum impoſitione Hæreticos, errorem : " Dat honorem „ Deo, *ait*, qui foris de adultera & de „ fornicaria naſci Deo Filio, aſſeverat? „ Dat honorem Deo, qui unitatem & „ veritatem de divina lege venientem „ non tenens, hæreſes contra Eccleſiam „ vindicat? „ Sed qui contrariam opinionem vocat errorem & Hæreticorum cauſam, exiſtimat quæſtionem motam, eſſe de fide. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Cyprianus vocat alteram opinionem errorem late ſumptum, concedo; ſic ut plurimum Theologi zelo pro ſua ſetentia abrepti, opinionem ſibi contrariam erroris inſimulant: vocat errorem ſtricte ſumptum, hoc eſt hæreſim, nego. Alias ſibi ipſi contradiceret, dicendo neminem a communione ſua propter diverſam ſibi ſententiam amovere; catholico quippe homini nuſquam licitum eſt hæreſi alicui conſentire, vel etiam propugnanti communicare.

Perges: Sanctus Auguſtinus paſſim & ubique excuſat Cyprianum a culpa, quam in ſententia Rebaptizantium propugnanda commiſerat. L. 1. de Baptiſmo cap. 18. vocat ſantentiam Cypriani " humanæ „ infirmitatis errorem. „ Dicit ejus er„ratum; " charitatis ubertate penſa„tum, & paſſionis falce purgatum eſ„ſe. „ Igitur & ipſe Auguſtinus exiſtimabat quæſtionem ſpectaſſe fidem.

Reſpondeo ut ſupra: Nonnulli exiſtimabant Cyprianum & Firmilianum in æſtu & diſputationis ferventiori congreſſu, ficut in reſiſtendo Stephano, ſic & in ſcribendo acriori ſtilo ab omni culpa non fuiſſe immunes, ſed non peccaſſe propugnando ſuam opinionem, cum illa diſciplina eſſet conſuetudine roborata, & decurſu temporis etiam non ignoti nominis Patres habuerit defenſores. Quid plura adjiciam? S. Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 2. innuere videtur Orintales tandem a ſua pro rebaptizatione deflexiſſe ſententia. Rurſus cap. 3. " Proinde, *inquit*, ſi jam „ omnino credendum ſit, quinquaginta „ Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, „ quod ſeptuaginta Afris, vel aliquando „ etiam pluribus, contra tot millia Epi„ſcoporum, quibus hic error in toto or„be diſplicuit; cur non potius etiam „ ipſos paucos Orientales ſuum judicium „ correxiſſe dicamus? „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Stephanus non abſtinuit a Cypriano & Firmiliano.

Primo: Hoc ipſum conſtat ex lege ſancita a beato Stephano, quæ quidem in tantum valet, in quantum verba ſonant; ſed ne vel minimum verbum profert de excommunicatione, verum unum tantummodo obſervandum demandat, videlicet Apoſtolicam tenendam eſſe traditionem. Ergo &c.

Secundo: Ipſe Cyprianus, maxime vero Auguſtinus nihil aliud pro hac controverſia commemorant, niſi quod Stephanus putaverat a Rebaptizantibus abſtinendum eſſe.

Tertio: S. Auguſtinus, & alii auctores omni exceptione majores, uno veluti calamo ſcribunt pacem viciſſe in cordibus eorum, & unitatem fuiſſe ſervatam. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

Primo: Tametſi Dionyſius Alexandrinus ad Stephanum ſcripſerit in gratiam Rebaptizantium; non inde ſequitur a communione beati Stephani fuiſſe extorres; ſed tantummodo, ne ſanctus Pontifex ab aliis in communione divelleretur, preces fuiſſe a Dionyſio apud eum fuſas.

Secundo: Sed neque mirari quiſquam debet, Stephanum denegaſſe Legatis tum Cypriani, tum Firmiliani tectum & hoſpitium, cum hoc non niſi œconomiæ cauſa fecerit, nimirum ut Rebaptizantes a proprio recederent errore.

Tertio: Nec veritatis ſpeciem habent verba Firmiliani excandeſcentis adverſus Apoſtolicæ traditionis tenacem Stephanum, quaſi ab eo divulſus fuiſſet a communione; namque zelo duriori abreptus, minas, pro ſententia excommunicationis lata, habuit.

PUNCTUM SECUNDUM.

Num Stephanus I. Papa Baptiſmum ab Hæreticis adulteratum receperit?

SIC propugnat Blondellus Calviniſta: hunc etiam aſcribunt nævum beato Pontifici, ſecluſo omni prorſus fundamento, Dupinus & alii quidam. Contra quos ſit

CONCLUSIO NEGATIVA.

S. Stephanus in contrarium errorem non prolapſus eſt.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Judicandum eſt de mente Stephani ex ſui decreti tenore. Atqui altum eſt in eo ſilentium de Baptiſmate in forma deflorato, ſed unum tantummodo ſervari injungitur, ſcilicet Apoſtolicam traditionem circa Baptiſmum verbis Evangelicis & datum, & recipiendum. Igitur S.Papa non omne indiſcriminatim recepit Baptiſma, nec adulteratum in forma admiſit; alias ſi in eo verſatus fuiſſet errore, vel ipſam Eccleſiam eodem detentam fuiſſe dicendum foret, quod nullus præter Heterodoxos, aſſerere audebit, cum Eccleſia ſit infallibilis circa religionem, quippe quæ ſit columna & fundamentum veritatis. Jam probatur minor oſtendendo Stephanum ſemper adhæſiſſe traditioni Apoſtolicæ. Sanctus Cyprianus Epiſt. 74 ad Pompejum ſic refert decretum Stephani. " Si quis ergo a quacum„ que hæreſi venerit ad nos nihil innove„ tur, niſi quod traditum eſt, ut manus „ illi imponatur in pœnitentiam; cum ipſi „ Hæretici proprie alterutrum ad ſe venien„ tes non rebaptizent, ſed communicent „ tantum. „Vincentius Lirinenſis ſuffragatur Commonit. 1.c.9.ubi propoſito controverſiæ ſtatu aſſerit ſententiam S. Stephani prævaluiſſe. Tum ſic concludit: „ „ Quum ergo undique ad novitatem rei „ reclamarent.... Stephanus præ ceteris „ reſtitit, dignum exiſtimans &c. Idem ſcribit Euſebius Lib. 7. cap. 3.

Secundo: Qui Baptiſmum ab Hæreticis ſolummodo in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis collatum recepit, nec fidem tentavit, nec in errorem contrarium prolapſus eſt: atqui hoc unum Baptiſma probavit beatus Pontifex. Ergo &c. Probatur minor. Ipſe Cyprianus Epiſt. ad Pompejum ſic loquitur de S. Stephano: „ Aut effectum Baptiſma majeſtati nomi„ nis tribuunt, *inquit*, ut, qui in nomine „ Chriſti ubicumque & quomodocumque „ baptizantur innovati & ſanctificati ju„ dicentur. „ Jam vero Baptiſma collatum in nomine Chriſti juxta mentem ſancti Cypriani idem eſt ac in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, ut ipſe teſtatur in ſua Epiſtola 73. ad Jubajanum; porro Baptiſma collatum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, eſt ſolum illud quod agnoſcit Eccleſia. Ergo &c.

Firmilianus Epiſt. ad Cyprianum eodem prope modo loquitur de Stephano: " Illud „ quoque abſurdum, *inquit*, quod non „ putant quærendum eſſe, quis ſit ille „ qui baptizaverit, eo quod qui baptiza„ tus ſit, gratiam conſequi potuerit, in„ vocata Trinitate nominum Patris, & „ Filii, & Spiritus ſancti. „ Unum igitur tantum arguunt, quod Baptiſma a quocumque datum in nomine Trinitatis ratum habeatur: Sed ſi Stephanus recepiſſet Baptiſmum verbis adulteratis confectum, dubio procul hoc ipſum reprehendiſſent Africani & Orientales, & tanto innixi argumento, ſententiam Stephani pro virili impugnaſſent, quod tamen non fecerunt. Ergo &c.

Tertio: Patres qui adhæſerunt Stephano, & ipſa Eccleſia nuſquam admiſit Baptiſmum verbis defloratis collatum. Igitur nec eumdem recepit ſanctus Pontifex.

Quarto: Neque Arelatenſe Concilium, neque Nicænum I. quæ Rebaptizantes perſtrinxere, aliquid moverunt contra opinionem S. Stephani; immo Nicænum can. 19. jubet ſolos Paulianiſtas rebaptizari, eo quod Baptiſmum adulteratum recepiſſent. Ergo &c.

Quinto: Ante Nicænum, ſaltem tribus primis ſæculis nulla Hæreticorum ſecta Baptiſmi formam deflorabat, ſi Paulianiſtas exceperis,de quibus ſolis meminit Nicænum porro Stephanus jam e vita migraverat, antequam ſuos diſſeminaſſet errores circa Chriſti divinitatem Paulus Samoſatenus, qui anno circiter 262. Epiſcopus Antiochiæ inauguratus eſt, & poſtea anno 270. in primo Concilio Antiocheno proſcriptus

ſcriptus fuit : Stephanus vero anno 255. Summus Pontifex creatus , tum Martyrio coronatus eſt anno 257. ut refert Morerius non unius auctoris calculo munitus ; ex quo luce meridiana clarius apparet ante Stephanum nullos Hæreticos temeraſſe formam Baptiſmi , quocirca abſque ſcrupulo jubet S. Papa a quacumque hæreſi redeuntes non rebaptizari . Igitur in ſuſpicionem nullo modo venit , Beatum Pontificem approbaſſe Baptiſmum in forma adulteratum .

Diluuntur objecta .

OBJICIES : Stephanus I. Papa indefinite & ulla abſque reſtrictione præcipit Hæreticos cum ſola manuum impoſitione ſuſcipi : Sed hoc innuit illum Baptiſma Hæreticorum tam priorum quam ſubſequentium ſæculorum habuiſſe ut validum , tametſi in forma defloratum . Ergo &c. Probatur minor : Ante ipſum Stephanum Marcitæ 2. ſæculo , ut refert ſanctus Ireneus Lib. 1. cap. 18. pag. 109. adverſus hæreſes , adulterando formam, ſic baptizabant : " In nomine ignoti Patris om„ nium , in veritate matris omnium , & „ in nomine deſcendentis Jeſu ad unitio„ nem & redemptionem, & communionem „ virtutum . „ Igitur cum iſtos non exceperit Heterodoxos Stephanus , concedendum eſt eum recepiſſe Baptiſma Hæreticorum quomodocumque collatum . Jam vero Beato illo pontifice e vivis erepto , Ariani in nomine filii minoris baptizavere . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Stephanus indefinite ſuſcepit a quacumque hæreſi venientes cum ſola manuum impoſitione , ſed juxta ritum & traditionis morem , concedo : quod quidem patet ex multiplici probatione : illo excluſo, nego . Eodem prope modo loquitur Hieronymus in fine Dialogi adverſus Luciferianos , Tomo ſcilicet 2. pag. 53. ubi indefinite etiam pronunciat Baptiſma Hæreticorum fuiſſe a Romana Eccleſia ſuſceptum , neque tamen quis dixerit vel ipſam in hoc erraſſe puncto : " Quod ſi negan„ dum , *inquit S. Doctor* , quiſquam puta„ verit Hæreticos a majoribus noſtris ſem„ per fuiſſe ſuſceptos ; legat beati Cypria„ ni Epiſtolas , in quibus Stephanum Ro„ manæ urbis Epiſcopum , & inveteratæ „ conſuetudinis lacerat errorem . Legat & „ ipſius Hilarii libellos , quos adverſus „ nos de Hæreticis rebaptizandis edidit , „ & ibi reperiet ipſum Hilarium confi„ teri , a Julio , Malcho , Sylveſtro , & „ ceteris veteribus Epiſcopis , ſimiliter „ in pœnitentiam omnes Hæreticos ſuſ„ ceptos . „

Ad primam probationem diſtinguo : Et ſecta Marcitarum vix alicujus erat ponderis , ſed potius obſcuri admodum nominis , concedo : & erat percelebris , nego : Novatianorum & Marcioniſtarum ſectæ , magnas in Eccleſia movere tragœdias ſæculo tertio , & cum major pars ſæpius ſumatur pro toto , Stephanus ad iſtos attendendo , potuit abſque fidei & veritatis diſpendio jubere a quacumque hæreſi venientes ſuſcipi . Ceterum Marcitæ non ſolum formam Baptiſmi deflorabant , ſed & penitus evacuabant . Denique eos & alios ejuſdem furfuris homines , ſufficienter & exploſit & excepit Stephanus , cum teſte Cypriano , non niſi baptizatos in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis , & ut ait Firmilianus de Pontifice : " Invocata „ Trinitate nominum Patris , & Filii , „ & Spiritus ſancti . „ probaverit & receperit .

Ad alteram confirmationem duo reſpondemus . Primo quidem exemplum non eſſe ad rem ; namque Arius quarto ſolum inchoante ſæculo , & longe poſt Stephani mortem, ſuos publicavit errores . Secundo , vel ipſi Ariani ad Nicænum uſque Concilium non baptizaverunt in nomine filii minoris , alias Patres Synodici ficut Paulianiſtis , ita & Arianos rebaptizari ſanxiſſent .

Urgebis : Plurimi alii etiam famoſi Heterodoxi ante tempora Stephani , formam Baptiſmi deflorabant : Igitur eo ipſo quo Stephanus a quacumque hæreſi venientes , abſque rebaptizatione ſuſcepit , in errorem oppoſitum Cypriano prolabi viſus eſt . Probatur ſubſumptum : Multa hæreſum monſtra apparuere primo & ſecundo ſæculo , vel etiam inchoante tertio, adverſus ſanctiſſimæ Trinitatis fidem ; tales fuerunt Simoniani , Baſilidiani , Ebioniſtæ , Cerdoniani , Hermogeniani , Praxeani , Cataphryges , Quintilianiſtæ ; addo & Marcioniſtas , qui duo prima rerum admittebant principia ; adeoque nedum circa Trinitatem , verum etiam circa Dei ineffabilis unitatem errantes , for-

mam Baptiſmi legitimam conſequenter non ſervabant : maxime cum non crederent in Patrem Creatorem cœli & terræ ; iſtorum tamen ratum habuit Baptiſma Stephanus, ut conſtat ex ejus Epiſtola quam a Jubajano ad ſe tranſmiſſam laudat Cyprianus. Ad eumdem enim ſcribens ait : ,, Quoniam inveni in Epiſtola, cu-
,, jus exemplum ad me tranſmiſiſti, ſcri-
,, ptum eſſe quod quærendum non ſit quis
,, baptizaverit , quando is qui baptizatus
,, ſit, accipere remiſſam peccatorum po-
,, tuerit , ſecundum quod credidit ; præ-
,, tereundum hunc locum non putavi ,
,, maxime cum in eadem Epiſtola animad-
,, verterim etiam Marcionis fieri men.
,, tionem, ut nec ab ipſo venientes dicat
,, baptizari oportere , quod jam in nomi.
,, ne Jeſu Chriſti baptizati eſſe videan-
,, tur. ,, Ergo &c.

Reſpondeo primo : Hæreticos tametſi de ſanctiſſima Trinitate male ſentientes , non ſemper temeraſſe Baptiſmi formam , ut patet de Arianis , in quos ipſi Nicæni Patres propter hoc , anathemate non animadverterunt. Neque vero etiam, exceptis Paulianiſtis , de ceteris locuti ſunt ; quod ſane argumentum eſt , non omnibus ſemper modis in Eccleſiam ſæviiſſe Heterodoxos ; quod quidem ſatis innuit S. Auguſtinus L. 6. de Baptiſmo cap. 25. ubi obſervat multo plures fuiſſe Hæreticos qui formam Baptiſmi ſervaverint , quam qui tentaverint .

Suffragatur S. Cyprianus , qui Epiſtola 74. aſſerit ea de cauſa Baptiſmum Marcionis & Valentini a Stephano ut genuinum habitum fuiſſe , eo quod in nomine Chriſti, hoc eſt, virtute, auctoritate , & ritu a Chriſto præſcripto fuiſſet collatus. Quid plura adjiciam ? S. Hieronymus Dialogo adverſus Luciferianos ſcribit, tinctos ab eis etiam ab Eccleſia benigne fuiſſe ſine ulteriori Baptiſmate ſuſceptos. Optatus Lib. 5. contra Parmenianum ait quidem apud illos aquam fuiſſe mendacem ; ſed hoc intelligendum venit de Baptiſmatis effectu quantum ad gratiam , quam defectu diſpoſitionis haud recipiebant . Quod ſi qui majori exagitati ſcrupulo , etiam hoc ad Sacramentum uſque extendant , reſpondemus hoc ipſum de aliquibus tantummodo eſſe intelligendum , quandoquidem inter Praxeanos , aliqui formam baptizandi conſuetam retinebant , ut obſervat præter Optatum , Hieronymus :

Reſpondeo Secundo negando ſubſumptum . Ad probationem diſtinguo : Et Heterodoxi relati tametſi peſſimi, formam tamen Evangelicam in Baptiſmo conſervabant , concedo : & non ſervabant , ſubdiſtinguo ; & eam non ſervantium Baptiſma rejecit Stephanus, concedo : & illud ſuſcepit, nego : Duobus quippe conditionibus beatus Stephanus Hæreticorum Baptiſma approbavit ; prima quidem ut baptizarent in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis; hoc ipſum teſtatur Firmilianus Epiſtola ad ſanctum Cyprianum , his verbis : " Non
,, putant quærendum eſſe quis ſit ille qui
,, baptizaverit , eo quod , qui baptiza-
,, tus ſit , gratiam conſequi potuerit,
,, invocata Trinitate nominum Patris ,
,, & Filii, & Spiritus ſancti . ,, Altera ut illorum Baptiſma traditioni conſonaret , ſicut in decreto Stephani habetur ab ipſo Cypriano non ſemel laudato his terminis : *Nihil innovetur , niſi quod traditum eſt* .

Ad inſtantiam ex Baptiſmate Marcioniſtarum deſumptam , eadem eſt ſolutio: Vel enim formam non adulteravere, vel ſi ex determinata malitia defloravere , certum eſt in decreto ſolemni a ſancto Stephano edito , non comprehendi . Secundo non levius eſt argumentum, Marcioniſtas non temeraſſe formam Baptiſmi ; neque vero probabilitate caret , ſanctum Cyprianum adverſus morem Romanum exacerbatum, hoc credidiſſe ; quandoquidem Epiſtola Stephani ad Jubajanum non eſt genuina; Stephanum enim ſcripſiſſe potius ad Cyprianum quam ad Jubajanum, utpote in remotioribus Africæ partibus Epiſcopum, veriſimilius apparet . Revera quidem decretum Stephani contra Cypriani ſententiam , ad ipſum Cyprianum miſſum eſt , ut conſtat ex ipſius Epiſtola 74. ad Pompejum ; Epiſtola vero quæ Baptiſmum in nomine Chriſti collatum commemorat , non immediate , inquit Nat. Alexander Diſſ. 13. 3. ſæculi quæſt. unica , miſſa eſt ad Cyprianum , ſed in Jubajani manus cum incidiſſet illius exemplar, tranſmiſſum eſt ad Cyprianum , qui quidem illam non tribuit Stephano , ſed alteri , eamque tacito nomine refellit .

Replicabis : Qui propugnavit Baptiſma in nomine ſolius Chriſti valere , dubio

bio procul Baptiſma Hæreticorum, etiam in forma defloratum indiſcriminatim admiſit; hoc quippe indigitat Stephanum non multum ſolicitum fuiſſe de Baptiſmo in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis dato: Atqui S. Stephanus ſuſcepit Baptiſma in nomine ſolius Chriſti collatum. Ergo &c. Probatur minor ex ſancto Cypriano jamjam laudato, aut ſaltem ex auctore ei ſuppari; ipſe vero in Epiſtola 73. quæ in dubii ſuſpicionem non venit, ſic loquitur de Stephano & ejus aſſeclis: " Quomodo „ ergo quidam dicunt foris extra Eccleſiam, immo & contra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti, ubicumque, „ & quomodocumque, Gentilem baptizatum, remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate? „

Suffragatur Benedictus XII. in reſponſione ad Fraticellorum objecta contra Joannis XXII. conſtitutiones, quas ſuo inquiſitorum Directorio parte 2. quæſt. 17. Eymericus inſeruit, ubi contendit, ea quæ fuerunt ab uno Pontifice determinata, etiam circa fidei dogma, ab alio poſſe revocari, quod illuſtrat exemplo Stephani, a Patribus Nicænis, inquit, correcti: "Concilium autem Nicænum, *ait Benedictus*, utramque opinionem ſancti Cypriani & Stephani Papæ correxit, determinando, quod baptizati ab Hæreticis non ſervantibus formam Eccleſiæ, venientes ad Eccleſiam baptizentur, ab aliis vero Hæreticis baptizati, non rebaptizentur, ut non ſit contra articulum fidei, *& unum Baptiſma*. „ Igitur Stephanus in errorem contrarium prolapſus eſt.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Stephanus propugnavit Baptiſmum in nomine Chriſti valere, non excludendo alias perſonas, concedo: Primis quippe ſæculis ut Catechumeni promoverentur ad Chriſti amorem, ſic pronuntiabatur ſuper eos forma: " In nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti: „ excludendo, nego. Ratio hujuſce ſolutionis non una eſt. Primo quia, teſte Firmiliano Epiſt. ad S. Cypr. ea ſolum conditione ſuſcipiebat Stephanus Hæreticorum Baptiſma, ut fieret per invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, quod quidem obſervat auctor anonymus Cypriano coævus in tractatu qui inſcribitur, (*Non debere denuo baptizari, qui ſemel in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſint tincti*,) & referens agitata inter Cyprianum & Stephanum, ſic loquitur: " Nec „ æſtimes, *inquit*, huic tractatui contrarium eſſe quod dixit Dominus; ite, „ docete gentes, tingite eos in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. „ &c. Extat ille tractatus anonymi, S. Cypriano aut coævi, aut ſupparis, in exemplari vetuſtiſſimo ſancti Remigii Rhemenſis. Altera ratio ea eſt, quod Stephanus per omnia Traditioni adhæreat. Iſta autem cum nomine Chriſti ſemper conſociat ceterarum perſonarum nomina, ita Juſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis; Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 16. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto cap. 12. Fulgentius Lib. de Incarn. cap. 11. Facundus Herm. L. 1. pag. 22. & alii omni exceptione majores. Tertia, eaque luculentiſſima eſt, quod Eccleſia adhæſerit decreto Stephani; ipſa autem Baptiſmum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis ſemper contulit: Igitur ſic & ſtatuit Stephanus.

Ad auctoritatem Benedicti XII. dico eum non attigiſſe mentem ſancti Stephani. Nec mirum, quando enim ſcripſit memorata in objectione, erat ſolum Cardinalis: hinc ut Doctor particularis, rebus æqua lance non ſatis ponderatis, ſuam protulit ſententiam, cui certe prævalet ipſum Stephani Decretum traditione Apoſtolica ſuffultum.

Dices: Sancti Cypriani memoria majori ritu celebratur in Eccleſia, quam memoria ſancti Stephani; de illo enim fit mentio in Canone Miſſæ, ſecus vero de iſto, quod argumentum eſt, inquit Launojus in Epiſtola ad Jacobum Bevilaquum Sorbonicum Doctorem, Stephanum prolapſum fuiſſe in contrarium errorem, qui major eſt errore Cypriani, cum iſte ſolum circa diſciplinam erraverit: quocirca Anaſtaſius Bibliothecarius in vita S. Stephani, inter ejus conſtitutiones ſilet illam qua ſuſcipit Baptiſmum Hæreticorum. Quid plura? in Breviario Romano Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognito, Decretum de non rebaptizandis Hæreticis aliter refertur, quam a Stephano editum eſt. Ergo &c.

Reſpondeo fidem non eſſe adhibendam Launojo, quippe qui multa proprio marte

te conſcripſerit nec veritati, nec venerationi Sanctorum ſatis conſona. Ceterum caput controverſiæ non eſt de majori vel minori gloria Sanctorum, quam nemo ſcit, niſi qui guſtat, & accipit, inquit Joannes in Apocalypſi; ſed utrum Stephanus Baptiſmum etiam invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis deſtitutum, receperit; cujus contrarium probationibus claret; unde opinio noſtra non infirmatur per Breviarium Romanum, a fortiori nec per Anaſtaſium, quandoquidem in Hiſtoria Eccleſiaſtica pro factis, major ponderat veterum monumentorum fides. Denique memoria ſancti Cypriani celeberrima eſt, eo quod multis annis, & verbis & ſcriptis, immo & proprii ſanguinis effuſione fidem propugnaverit; Stephanus vero non niſi duobus annis direxit Eccleſiam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Stephanus non recepit Baptiſmum in forma defloratum.

PRIMO: B. Pontifex eſt ſui ipſius interpres, cum in decreto ſuo adhæreat traditioni Apoſtolicæ, quæ quidem Baptiſmum non niſi Evangelicum uſquam admiſit.

Secundo: Teſtem habemus ipſum Firmilianum Stephani æmulum, qui in ſuis conqueſtibus objicit ſancto Pontifici quod Baptiſma Hæreticorum reciperet, eo ipſo quo erat in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis collatum.

Tertio: Hoc etiam non levius indigitat Eccleſia, quæ ſemper adhæſit Stephano. Sicut igitur fatuum & erroneum foret ipſi Chriſti ſponſæ defectus labem inurere, quod tamen abſit dicere, fieret cum fundamento, ſi errori alicui patrocinata fuiſſet. Sic & a Stephano omnis circa Baptiſmi ab Hæreticis collati nævus amovendus eſt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Incaſſum reponunt opinionis contrariæ defenſores, Stephanum recepiſſe eos qui a quacumque hæreſi venirent cum ſola manuum impoſitione; quandoquidem ea illos ſuſcepit conditione, ut traditioni obedirent; eadem prorſus, & Patres Nicæni, ſolis excluſis Paulianiſtis, ſic ſuſceperunt, modo ſcilicet, ut ſubaudiťur, conſtaret eorum Baptiſma eſſe Evangelicum. Neque vero ſine temeritate quis proferret Concilium Nicænum I. ſuſcepiſſe Marcitarum Baptiſma, quod in forma temeratum fuiſſe nemo non novit; tametſi de eis mentionem non fecerit.

Secundo: Fruſtra quoque objicitur ſanctum Stephanum non curaſſe de forma Baptiſmi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, cum in nomine Chriſti collatum probaverit, ſiquidem ex traditione ab illo ſervata liquet, non in ſolo Chriſti nomine, ut ſuo dicetur loco, ſed in nomine totius Deificæ Trinitatis, adjuncto propter venerationem Chriſti vocabulo, collatum fuiſſe, ut colligitur ex ſancto Baſilio, & ex auctore aut coævo, aut ſuppari Cypriano.

Tertio: Tametſi Benedictus XII. aliquid dubii in hoc reſperſerit, non illi in hoc momento adhærendum eſt, cum multa Antiquitatis monumenta præponderare debeant illi Theologo particulari; quippe qui adhuc Cardinalis hæc ſcripſerit.

PUNCTUM TERTIUM.

Num Concilium quod ſanctus Auguſtinus contra Donatiſtas urget, ſit Arelatenſe primum?

DE hoc momento non una eſt omnium ſententia. Diverſorum, ſi ex omni parte ponderentur opiniones, difficultatum nodos potius ſtringi quam ſolvi apparebit. Quia tamen iterum atque iterum ſanctus Auguſtinus magnum ea ratione excuſet Cyprianum, teſtando definitioni Concilii Plenarii ea qua decet Sanctos docilitate & erga Eccleſiam reverentia, propria depoſita ſententia ceſſurum, operæ pretium eſt iſtam elucidare quæſtionem, ne remaneant in ore rebaptizantium redarguționes.

In eo vero obedientiæ fuiſſe voto Cyprianum, enarrat beatus Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. n. 5. Edit. nov. his verbis: " Quapropter ſanctus Cypria-„ nus, tanto excellentior, quanto humi-„ lior, qui documentum Petri ſic ama-„ vit, ut diceret, *documentum, ſcilicet* „ *nobis, & concordiæ & patientiæ tribuens*, „ ut

,, *ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed* ,, *quæ aliquando a fratribus & collegis no-* ,, *ſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi* ,, *ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra* ,, *ducamus*; ſatis oſtendit facillime ſe cor- ,, recturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi ,, quis ei demonſtraret Baptiſmum Chri- ,, ſti ſic dari poſſe ab eis qui foras exie- ,, runt, quemadmodum amitti non potuit ,, cum foras exirent: unde multa jam di- ,, ximus; nec nos ipſi tale aliquid aude- ,, remus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ ,, concordiſſima auctoritate firmati; cui ,, & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo ,, tempore quæſtionis hujus veritas eli- ,, quata & declarara per Plenarium Con- ,, cilium ſolidaretur. „ Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Concilium, quod ſæpius urget ſanctus Auguſtinus adverſus Donatiſtarum proterviam, eſt Arelatenſe Primum anno 314. celebratum.

Probatur rationibus omni exceptione majoribus.

PRIMA ſic exponitur. Concilium quod urger beatus Auguſtinus illud eſt in quo ad metam perducta eſt Donatiſtarum controverſia, non ſolum circa factum Cæciliani perſonale, ſed maxime circa dogma de quo tantummodo agit Auguſtinus in Operibus polemicis contra Donatiſtas. Atqui illud eſt Arelatenſe primum: ergo &c. Probatur minor multis momentis. Primo quidem, obſervandum eſt Donatiſtas Felicem Aptungitanum Cæciliani ordinatorem exauctoraſſe, propter ſuppoſititium ſacrorum Codicum traditionis crimen tempore perſecutionis, ira ut retorto anathemate in Cæcilianum, eum quoque ab Epiſcopatu deturbaverint; quocirca Majorinum in Sedem Carthaginenſem, prævia Cæciliani damnatione in Conciliabulo 70. Epiſcoporum, ſuffecerunt. Quia vero veritatis hoſtes, Cæcilianum Conſtantino Magno gratiſſimum eſſe non ignorabant, Anulinum Africæ Proconſulem interpellarunt, ut quos adverſus Cæcilianum ſcripſerant Libellos, ad Conſtantinum mitteret. Iſte annuens eorum votis, Conſtantino reſcripta dedit, quibus permotus, ſubiracunde reſpondit, ut refert Optatus Milevitanus: " Petitis a ,, me in ſæculo judicium cum ego ipſe ,, Chriſti judicium expectem. „ Dedit tamen Imperator Judices, ſcilicet Maternum Agrippinenſem, Rhetinum Auguſtodunenſem, Marinum Arelatenſem, qui ſimul cum quindecim Epiſcopis Italiæ, & ſancto Melchiade, cauſa ad apices juris diſcuſſa, abſoluto Cæciliano, Donatum a Caſis nigris Epiſcopum propter duo damnarunt: Primo quidem pro falſo traditionis ſacrorum Librorum erimine, Cæciliano innocenti impoſito: Tum propter rebaptizationem, ut refert Euſebius Hiſt. Eccl. Lib. 18. cap. 5. Optatus Milevitanus Lib. 2. adverſus Parmenianum pag. 44. & Binius in Notis ad Concilium Romanum ſub ſancto Melchiade. Denique tumultuantibus iterum in Africa Donatiſtis contra Felicem Aptungitanum & Cæcilianum, uterque iterum abſolutus eſt a crimine traditionis, judicio Proconſulis, Voluſiano & Aniano Conſulibus, 15. Kalendas Martii anno 314. ut obſervar Optatus Libro primo pag. 45. Verum Donaſtitæ tametſi variis judiciis ſuperati, rurſus ad Imperatorem provocaverunt, qui cedens protervitati eorum, dedit aliud Arelatenſe judicium, ubi aderant ducenti Epiſcopi ex Italia, Gallia, & Hiſpania adunati, ut obſervat ſanctus Auguſtinus Lib. 1. conrra Epiſtolam Parmeniani cap. 5. ubi ſic loquitur de Donatiſtis: " In his omnibus quamvis ,, magna temeritate, Italos, Gallos, & ,, Hiſpanos accuſant, relictis ceteris tam ,, multis Provinciis atque gentibus, a ,, quibus nefando ſacrilegio ſeparati ſunt, ,, quibus utique obeſſe non poſſent crimi- ,, na Italorum, Hiſpanorum, atque Gal- ,, lorum, etiamſi vera dicerentur.

Iſti præſuit Concilio ſanctus Sylveſter per ſuos Legatos, ut claret ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum, inter quos leguntur: " Claudianus, & Vitus Presbyteri, Eu- ,, genius, & Cyriacus Diaconi ex urbe ,, Roma miſſi a Sylveſtro Epiſcopo. „ Ita habetur in Epiſtola Synodica ad ſanctum Pontificem. De hoc Concilio ſic loquitur S. Auguſtinus Epiſt. 43. editionis novæ ad Eluſium: " Dedit ille aliud A- ,, relatenſe judicium, aliorum ſcilicet ,, Epiſcoporum, non quia jam neceſſe

,, erat,

„ erat, ſed eorum perverſitatibus cedens; „ & omni modo cupiens tantam impu- „ dentiam cohibere. „

Quibus præmiſſis, luce clarius apparet Concilium Arelatenſe illud eſſe, in quo dogma rebaptizantium diſcuſſum eſt, & tandem controverſia de eo finita fuit; namque mota in Concilio Romano & etiam definita, ex indulgentia in Arelatenſe iterum examinata & concluſa legitur. Hoc ipſum ſubindigitat Conſtantinus in ſua Epiſtola ad Vicarium Africæ, cui injungit Romam convocare Concilium pro hoc momento: " Quam etiam, *inquit*, „ urbis Romanæ Epiſcopus, atque qui „ cum iiſdem cognoſcerent, poſteut rei „ quæ videbatur eſſe commota, finem de- „ bitum adhibere.... fruſtra eos id ja- „ ctare, quippe cum res fuiſſet apud ur- „ bem Romanam ab idoneis & probatiſ- „ ſimis viris Epiſcopis terminata. „ Hoc clarius indicant verba divi Auguſtini dicentis, Arelatenſe Concilium fuiſſe ex indulgentia, & non ex neceſſitate conceſſum; quod quidem cohærere non poteſt, ſi cauſa ad ultimam metam in Concilio Arelatenſi non fuiſſet perducta. Idem repetit S. Auguſtinus Epiſt. 88. nov. edit. nomine totius Cleri Hipponenſis ad Januarium directa, in qua hæc ſcribit: " Juſſit Imperator venire partes ad Epi- „ ſcopale judicium in urbe Roma facien- „ dum, ubi quemadmodum cauſa dicta & „ finita ſit, & Cæcilianus innocens judi- „ catus, indicant geſta Eccleſiaſtica.... „ Ille alterum Epiſcopale judicium dedit „ habendum in Arelatenſi Galliæ civita- „ te; ubi multi veſtri, vana & diabolica „ diſſenſione damnata, cum Cæciliano in „ concordiam redierunt; alii vero perti- „ naciſſimi & litigioſiſſimi ad eumdem „ Imperatorem appellaverunt; poſtea & „ ipſe coactus Epiſcopalem cauſam inter „ partes cognitam terminavit. „ Et hoc potiſſimum exilio & pœnis. Igitur non amplius exauditi ſunt Donatiſtæ provocantes poſt Arelatenſe judicium. Adeoque non Nicænum poſtea adunatum, ſed Arelatenſe primum urget S. Auguſtinus contra Donatiſtas.

Altera ratio hæc eſt: Concilium quod urget S. Auguſtinus pro aſtruendo fidei dogmate circa validitatem Baptiſmi verbis Evangelicis, etiam ab Hæreticis collatum, contra Donatiſtas, eſt plenarium: Atqui nec iſta conditio deficit Concilio Arelatenſi. Ergo &c. Probatur minor multiplici ratiocinio.

Primo quidem, Dicitur plenarium relative ad Concilium Provinciale, & Nationale, cum ex diverſis Provinciis & regnis, Arelatem convenerint Epiſcopi prope infiniti, ut vertit Valeſius. Videas igitur velim benevole Lector, non alio nomine inſigniri poſſe, cum ſit pluſquam & Provinciale, & Nationale.

Secundo: Jure merito Concilium Arelatenſe I. dici poteſt totius Orbis Synodus, cum ibi ſanctus Sylveſter totius Eccleſiæ caput præeſſet per ſuos Legatos; cum Conſtantinus totius orbis Imperator illud convocaverit, annuente Summo Pontifice; tum ex toto orbe Præſules adunati ſint, ſi & Orientales exceperis, qui rebaptizationis nævo laborabant; hinc in iſto Concilio perſtricti ſunt, etiam aſtantibus Donatiſtis Africanis, qui ſuas egere partes; ſic cenſet Concilium Arelatenſe II. Can. 18. ubi ſic loquitur: " Ad Arela- „ tenſis Epiſcopi arbitrium, Synodum „ congregandam; ad quam urbem ex omni- „ bus mundi partibus, præcipue Gallica- „ nis, ſub ſancti Marini tempore legi- „ mus celebratum fuiſſe Concilium, at- „ que conventum. „ Hoc ipſum innuit Epiſtola Conſtantini Magni ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum, apud Euſebium Lib. 10. Hiſt. cap. 7. ubi habetur Imperatorem mandaſſe ut Epiſcopi: " Ex lo- „ cis diverſis & prope infinitis. „ Arelatem ad Concilium convenirent.

Tertio: Concilii plenarii nomen & inſignia non debent denegari Concilio Arelatenſi, cum in Concilio Carthaginenſi III. can. 38. Synodus Capuenſis plenaria nuncupetur his verbis; " Placuit „ quod etiam in Capuenſi plenaria Syno- „ do videtur ſtatutum, quod non liceat „ fieri rebaptizationes. „ Quinimmo Bagajenſe pſeudo-Concilium Donatiſtarum a beato Auguſtino Lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 7. & Lib. 2. de Baptiſmo cap. 7. Plenarium vocatur. Quid plura pro iſto momento proferam? in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Concilia Nationalia totius Africæ veluti plenaria celebrantur, & hac donantur dote numero 19. 28. 117. & 138. Igitur a fortiori Arelatenſe plenarium nuncupari debet.

Tertia, & quidem validiſſima hæc eſt:

Con-

Concilium de quo movetur quæſtio, celebratum fuit ante beati Auguſtini nativitatem, quæ ad totius Eccleſiæ exaltationem anno 355. contigit; ſic enim loquitur Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo cap. 9. " Poſtea tamen dum inter multos ,, ex utraque parte tractat, & quæritur, ,, non ſolum inventa eſt, ſed etiam ad Plenarii Concilii auctoritatem, roburque ,, perducta, poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus. ,, Atqui aliud non poteſt eſſe præter Arelatenſe. Ergo &c. Probatur minor ab enumeratione Conciliorum.

Primo quidem: Non eſt Alexandrinum ſub ſancto Athanaſio habitum anno 362. nec Conſtantinopolitanum I. ſub Damaſo Papa anno 381. celebratum; nec Capuanum ſub Syricio Summo Pontifice anno 389. coactum, cum hæc omnia non niſi poſt Auguſtini ortum adunata ſint: Sed neque Sardicenſe anno 347. congregatum, illud eſſe excogitari poteſt; nam in eo nulla fidei regula condita fuit: atque inter Canones nullus eſt qui Rebaptizantium cauſam attingat; quinimmo illud ipſum ignotum fuit beato Auguſtino, qui ſolummodo ejuſdem nominis Conciliabulum Arianorum noviſſe videtur, ut colligitur ex Lib. 3. contra Creſconium cap. 34. ſupereſt igitur ut ſit vel Nicænum I. vel Arelatenſe I.

Sed Concilio primo Nicæno non conveniunt conditiones prærequiſitæ ad hoc momentum, optime vero Arelatenſi I. Ergo &c. Probatur antecedens. Prima conditio eſt, ut quæſtio dogmatis adverſus obſtrepentes Donatiſtas definiatur; hoc enim erat caput controverſiæ inter Auguſtinum & Donatiſtas. Secunda, ut præſentibus Donatiſtis partes ſuas agentibus, definiretur, quandoquidem vel ipſi, ut ex dictis conſtat provocaverant a Melchiade ad Concilium Arelatenſe; quod non niſi ſtupens & gemens Conſtantinus eis conceſſit, eos ſic alloquendo, ut refert Optatus Milevitanus Lib. 1. pag. 44. contra Parm. " O rabida furoris auda- ,, cia! Sicut in cauſis gentilium fieri ,, ſolet, appellationem interpoſuerunt. ,, Tertia, quod illud Concilium ſit Tranſmarinum, ut ipſe ait Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. & 9. ubi de ſancto Cypriano ſic loquitur: " Satis oſtendit mul- ,, to-magis ſe fuiſſe commemoraturum, ,, ſi quod hac de re Tranſmarinum, vel ,, univerſale Concilium factum eſſet, non- ,, dum autem factum erat, quia conſuetu- ,, dinis rubore tenebatur orbis terrarum. ,,

Prima quidem conditio nullo modo convenit Nicæno, cum fidei dogma in eo non fuerit definitum, ſed pro diſciplina cautum ſit ſolummodo can. 8. Novatianos recipi cum ſola manuum impoſitione, & can. 19. Paulianiſtas rebaptizari, eo quod deflorarent Sacramenti formam. Quod autem dogma fidei ibi non fuerit diſcuſſum & definitum, argumentum illud irrefragabile eſt, quod *SS.* Athanaſius, Baſilius, Optatus Milev. & alii Patres omni exceptione majores, quibus non erat ignotum Nicænum, rebaptizari volebant omnes a quacumque hæreſi venientes, ut ſupra dictum eſt, quod certe contra Nicænum nuſquam attentaſſent; immo ſanctus Epiphanius in expoſitione Catholicæ fidei ſcribit, quæſtionem de rebaptizatione nondum fuiſſe eliquatam & definitam, his verbis: " Alii, qui audaciores vi- ,, dentur, ex Catholicorum partibus, pri- ,, vata ſibi factione conflata, citra gene- ,, ralis Concilii decretum, iterum baptiza- ,, re nihil verentur; cum nondum ea res, ,, ut dixi, judicio Synodi deciſa ſit. ,, Dubioprocul, ſi quæſtio fuiſſet definita in Nicæno Concilio, Epiphanius cui nota erat illa Synodus, utpote Græcus, qui quarto florebat Sæculo, illam non dixiſſet cauſam nondum determinatam. Igitur Arelatenſe Concilium definivit illud punctum.

Secunda etiam conditio nullatenus convenit Concilio Nicæno, cum Donatiſtæ non comparuerint in eo, quod & ultro vel ipſi adverſariæ ſententiæ fatentur auctores; ſed neque fas illis Hæreticis erat; cum judicio Arelatenſi ſuperati, eorum protерviam exilio compreſſerit Conſtantinus; e contra vero auditis partibus Arelate, Cæcilianus a ſuppoſito traditionis crimine abſolutus eſt, & error Africanorum circa rebaptizationem can. 8. perſtrictus ſit his verbis Edit. Labbæi: " De Afris, ,, qui propria lege utuntur ut rebaptizent, ,, placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de ,, hæreſi venerit, interrogent eum Sym- ,, bolum; & ſi perviderint eum in Pa- ,, tre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe ba-

,, pti-

„ ptizatum, manus ei imponatur ut acci- „ piat Spiritum ſanctum; quod ſi interro- „ gatus, non reſponderit hanc Trinitatem, „ baptizetur. „ Qua definitione nullus ambigendi locus relinquitur dogma ibi definitum, cum eos omnes rebaptizari vetet Concilium, qui verbis Evangelicis tincti fuere, e contra vero, ceteros.

Sed neque tertia conditio tribui poteſt primæ Synodo generali, cum urbs Nicæna non ſit Tranſmarina, bene vero Arelatenſis. Igitur Concilium quod urget Auguſtinus adverſus Donatiſtas eſt Arelatenſe, maxime vero cum ſanctus Doctor in omnibus Operibus ſuis contra Donatiſtas nec meminerit Nicæni, nec illud uſquam nominet, ſed tantum Romanum ſub ſancto Melchiade & Arelatenſe: quis autem cordatus dixerit Auguſtinum de Nicæno locutum fuiſſe, cum illud ipſum nominare, utpote Oecumenicum, debuiſſet?

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES primo: Concilium quod urget Auguſtinus eſt Concilium Plenarium totius orbis: Atqui hæc conditio non convenit Arelatenſi. Ergo &c. Major patet ex ſancto Auguſtino, qui Lib. 1. de Baptiſmo cap. 7. ſic loquitur: “ Quæ- „ ſtionis hujus obſcuritas, prioribus Eccle- „ ſiæ temporibus, magnos viros, & ma- „ gna charitate præditos Patres Epiſcopos „ ita inter ſe compulit, ſalva pace, diſ- „ ceptare, atque fluctuare, ut diu Con- „ ciliorum, in ſuis quibuſque regioni- „ bus, diverſa ſtatuta nutaverint, donec „ Plenario totius orbis Concilio, quod ſalu- „ berrime ſentiebatur, etiam remotis du- „ bitationibus, firmaretur. „ Jam probatur minor. Primo: Unus tantum ſupra quadraginta Epiſcopos Epiſtolæ Synodicæ ad S. Sylveſtrum ſubſcripſit, nec multi etiam, Canones ſuo chyrographo munierunt. Secundo: Orientales neque convocati ad Concilium fuere, neque etiam illuc convenerunt. Tertio: Vel ipſe Auguſtinus tale Concilium ne quidem Concilii Plenarii nomine celebrat, ſed tantum judicii Epiſcopalis; ſic enim ait Epiſt. 68. nomine Cleri Hypponenſis ad Januarium data: “ Juſſit Imperator veni- „ re partes ad Epiſcopale judicium in „ urbe Roma faciendum ..... Sed rur- „ ſus majores veſtri ad Imperatorem red- „ ierunt, & non recte judicatum, atque „ omnem cauſam auditam eſſe conqueſti „ ſunt; unde ille alterum Epiſcopale judi- „ cium dedit habendum in Arelatenſi Gal- „ liæ civitate. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Concilium quod urget S. Auguſtinus eſt plenarium late ſumptum, hoc eſt ex diverſis Provinciis, regnis atque nationibus conflatum, concedo: plenarium Arithmetice ſumptum, nego. Et ſic diſtincta minore nego conſequentiam. Eo ſenſu vocat S. Auguſtinus illud Concilium plenarium ut perſtringat Donatiſtas, qui non cedentes Concilio Romano, eo quod ex aliquibus Italis Epiſcopis, & tribus Galliarum, conſtaret; opponit aliud ex diverſis nationibus & ducentis circiter Epiſcopis compoſitum, ne remanerent in ore eorum redargutiones; quippe qui non haberent amplius querimoniæ motivum. Et certe Concilium Arelatenſe neque Provinciale, neque Nationale ſolummodo erat, ſupereſt igitur quod fuerit Plenarium.

Ad primam confirmationem, nego unum ſupra quadraginta Epiſcopos ſolum adfuiſſe Concilio Arelatenſi, cum contrarium ex Auguſtino in probationibus laudato, conſtet. Neque tamen mirum ſi in quibuſdam Codicibus deficiant omnium ſubſcriptiones; cum tunc temporis non extarent acta, quibus alii qui aderant Epiſcopi, ſuo calculo ea munierant, namque difficile admodum erat Codices manuſcriptos ab omni nævo puros undequaque tranſmittere; hinc ipſe Auguſtinus teſtatur quod adhuc ignorans acta Concilii Nicæni, ſe concionem habuiſſe coram ſuo Epiſcopo, quod quidem illa Synodus a ſimplici Sacerdote præſente Epiſcopo, fieri prohibuerat.

Ad alteram confirmationem diſtinguo: Et ut Concilium eſſet Plenarium non opus erat ut Orientales ibi adeſſent, cum ipſi Africani ut ſuam propugnarent cauſam ibi conveniſſent, concedo: & hoc erat abſolute neceſſarium, nego. Plenitudo Concilli repetitur, & ex convocatione, & ex Epiſcoporum etiam multitudine, qui ex diverſis nationibus congregantur; ſed nec ipſa convocatio deeſt Arelatenſi, cum Conſtantinus in ſua ad Chreſtum Syracuſanum Epiſtola, teſtetur ex omnibus ſe convocaſſe nationibus Præſules, pro cauſa Do-

Donatiſtarum diſcutienda & finienda. Hoc ipſum non ſubobſcure indigitat Auguſtinus Lib. 1. contra Parmenianum cap. 5. num. 10. edit. nov. & hoc expreſſe dicit Arelatenſe II. can. 18. his verbis: " Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, legimus celebratum fuiſſe Concilium. "

Ad tertiam confirmationem, nego S. Auguſtinum nomine Concilii Plenarii non celebrare Concilium Arelatenſe; cum illud ſolum nominet, dum aſſerit cauſam eſſe finitam, ut proprio veluti telo confodiat Donatiſtas, qui tandem a Melchiade provocantes, ultimate judicio Arelatenſi ſuperati ſunt. Nec quemquam commovere debet ſi ſanctus Doctor appellet illud Concilium judicium Epiſcopale, cum in eo non ſolum dogma pro validitate Baptiſmi ab Hæreticis verbis Evangelicis collati, determinatum ſit; verum etiam cauſa facti Cæciliani diſcuſſa fuerit, & poſt complures latas ſententias ad metam pervenerit; namque dum agitur de cauſa perſonali in rebus Eccleſiaſticis, ſententia vocatur Epiſcopale judicium.

Neque vero idem ſanctus Auguſtinus abnegat totius orbis univerſalitatem Concilio Arelatenſi; ſic enim loquitur Libro 1. contra Parmenianum cap. 6. num 11. edit. nov. " Fatetur etiam Parmenianus ad Arelatenſe oppidum & Epiſcopos judices, & partes ex Africa conveniſſe, Cæcilianum ſcilicet atque Donatiſtas; ubi omnia ſuis credidit, cui nihil victi potuerunt, niſi de judicibus conqueri; nec tamen negat rurſus eos ad Conſtantinum veniſſe; & quia ibi quoque ultimo judicio ſuperati ſunt, etiam ipſum gratia corruptum eſſe criminatur; quibus omnibus conſideratis, qui ſine ſtudio partium judicat, eligat quibus credat, utrum judicibus ſententias proferentibus, aut litigatoribus contra quos prolatæ ſunt, litem finire nolentibus, certe orbis terrarum judicibus credidit. " Eo loci ſanctus Doctor increpat Donatiſtas quod cedere judicio Arelatenſi nollent, cum eſſet judicium ita ultimatum, ut aliud non foret exſpectandum, eo quod eſſet judicium ex totius orbis terrarum Præſulibus.

Inſtabis: Illud judicium non eſt ullo modo plenarium & Oecumenicum, a quo iterum provocaverunt Donatiſtæ: Atqui ex verbis divi Auguſtini mox relatis, adhuc conqueſti ſunt de judicibus Donatiſtæ, & ad Conſtantinum provocaverunt; hinc Romam vocati, deinde Mediolanum, ubi ultimo judicio victi, & in exilium miſſi tacuerunt, ut colligitur ex Epiſtola divi Auguſtini 68. Tom. 2. pag. 124. Poſtquam enim dixit multos ex eis ceſſiſſe Concilio Arelatenſi, ſubdit: " alii vero pertinaciſſimi, & litigioſiſſimi ad eumdem Imperatorem appellarunt. " Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Et ullo abſque jure Donatiſtæ provocaverunt a Concilio Arelatenſi ad Imperatorem, concedo: & juxta de cauſa, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Solutio eſt divi Auguſtini, qui ait judicium Arelatenſe datum fuiſſe non ad neceſſitatem, ſed ad indulgentiam. Quid plura? Judicio Eccleſiaſtico ulteriori, neque Romæ, neque Mediolani poſtea proſcripti ſunt, ſed ſententia Conſtantini, qui pœnis, eorum compeſcuit audaciam; ſic enim ſubdit Auguſtinus poſt vocabulum, *Appellarunt*: " Poſtea & ipſe coactus Epiſcopalem cauſam inter partes cognitam terminavit. " Jam vero quis dicat Concilium Romanum vel Mediolanenſe, poſt Arelatenſe celebratum, eſſe Concilium Plenarium, quod urget Auguſtinus? Supereſt igitur quod ſit Arelatenſe, de quo quæſtio moveur.

Urgebis: Si Concilium Arelatenſe fuiſſet illud plenarium quod ipſe Auguſtinus urget, Conſtantinus ab eo non ſuſcepiſſet provocationem, ſiquidem de Concilio Nicæno ad Eccleſias ſcribens, præcepit abſque cunctatione ab omnibus ſuſcipi, quia, inquit, " Quod in Epiſcoporum Conciliis ita generaliter decernitur, divinæ voluntati tribui debet, ac veluti cæleſte divinumque præceptum æſtimari. " Atqui tamen eorum ſuſcepit appellationem. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Conſtantinus Donatiſtarum ſuſcepit appellationem, tum ad compeſcendam eorum obſtinationem, tum etiam ut cauſam Cæciliani innocentis terminaret, concedo: eo quod nondum finitam intelligeret, nego. Hoc ipſum patet ex ejus Epiſtola pro Concilio Romano ſub S. Melchiade congregando, ubi præcepit inſtantiam Donatiſtarum in eo

eo diſcuti; a fortiori claret eum præcepiſſe cauſam jam diſcuſſam in Arelatenſi finiri. Nec cuiquam mirum videri debet, quod Pius Imperator ita ſeſe geſſerit, cum ipſe Gelaſius II. referente Domino de Marca, non ſemel etiam admiſerit judices laicos, cum Eccleſiaſticis, in quæſtiobibus, mixtis videlicet, quæ facta aliqua perſonalia & diſciplinam ſpectant pro concordia Imperii cum Sacerdotio. Porro Cæcilianus auctoritate Conſtantini opus habebat adverſus formidabiles inimicos. Quid plura adjiciam? Non abſolute impropatur appellatio ubi agitur de factis perſonalibus; maxime ſi Concilium non ſit ſimpliciter Oecumenicum.

Replicabis: Plenarium Concilium juxta divi Auguſtini mentem illud eſſe cenſetur, cui Cyprianus obtemperaviſſet, ſi ejus ætate fuiſſet habitum: ſed probabile non eſt tanti eſſe ponderis Arelatenſe, ut illud Cyprianus prætuliſſet tribus Carthaginenſibus Conciliis, maxime tertio ex omni Africa congregato; idem de Iconienſi atque Synadenſi dicendum. Ergo &c.

Reſpondeo primo, caput controverſiæ non eſſe de plenitudine perfecta Concilii, ſed de Concilio ut ſic Plenario, quod urget Auguſtinus; quocirca tametſi Nicænum ſit magis Oecumenicum, & ei totius orbis Præſules obedirent, nihil refert ad propoſitum.

Reſpondeo ſecundo negando minorem: Noverat quippe Cyprianus, omnes Africæ Eccleſias ex antiqua conſuetudine Romano ſubjici Patriarchatui; idcirco perſpectum habebat Concilium ex Epiſcopis totius Romani Patriarchatus conflatum, ut revera conſtitit primum Arelatenſe, ſuperius eſſe omnibus Concilis Africæ; immo obſervat Dominus de Marca Libro 4. de Concordantia Imperii cum Sacerdotio cap. 17. nuſquam appellationem a ſententia Patriarchæ pro quæſtionibus de diſciplina fuiſſe datam: Tametſi autem quæſtio Donatiſtarum non nihil fidem ſpectaret, attamen veluti de diſciplina tunc temporis adhuc habebatur, & præcipuum controverſiæ caput inter eos de perſona Cæciliani circumferebatur, videlicet, num legitime fuiſſet ordinatus & Epiſcopus inauguratus, vel non?

Oppones ſecundo: Solum Concilium Nicænum I. omnes habet conditiones, quas vel ipſe exigit Auguſtinus. Igitur veriſimile eſt illud eſſe quod ſanctus Doctor urget adverſus Donatiſtas. Probatur antecedens multis momentis: Primo quidem, illud Concilium eſt ſimpliciter & ex omni parte Oecumenicum. II. Omnes ſuſcepit Hæreticos verbis Evangelicis baptizantes, juxta Hieronymi in Dialogo adverſus Luciferianos effatum: " Synodus quoque „ Nicæna, cujus paulo ante fecimus „ mentionem, omnes Hæreticos ſuſcepit, „ exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis; „ & quod his majus eſt, Epiſcopo No„ vatianorum, ſi converſus fuerit, Pre„ sbyterii gradum ſervat. „ III. Eadem Synodus proſtravit omnium hæreſum monſtra, & dogma de non rebaptizando jamjam in Arelatenſi determioatum, ſuo firmavit calculo, iſtud quaſi confirmando Concilium, ut in poſterum omnis præcluderetur appellationi aditus. Ergo &c.

Reſpondeo negando, conditiones ab Auguſtino celebratas Nicæno convenire Concilio, quippe quod non fuerit tranſmarinum, & nuſquam ibi comparuerint Donatiſtæ: quomodo autem Auguſtinus ad eos perſtringendos illis oppoſuiſſet conventum, quem ipſi ignorabant, & in quo nuſquam auditi ſunt? Neque vero concipi poteſt altum eſſe apud Auguſtinum de Nicæno ſilentium, quod iterum atque iterum profert adverſus Arianos ſcribens; maxime in 12. Libris de Trinitate; e contra ſolum appellat Arelatenſe, illudque nominat poſt Romanum ſub ſancto Melchiade, cum debellat Donatiſtas.

Ad primam probationem diſtinguo: Et Arelatenſe eſt utique Concilium Plenarium, concedo; & non eſt, nego. Quamvis Nicænum jure potiori hac dote donetur quam Arelatenſe, non ſequitur illud intelligi ab Auguſtino propter rationes ſæpius laudatas.

Ad alteram probationem etiam diſtinguo: Concilium Nicænum omnium Hæreticorum ſuſcepit Baptiſma verbis Evangelicis collatum, & hoc ipſum magis expreſſe fecerat Arelatenſe, concedo: & non fecerat, nego.

Ad ulteriorem probationem diſtinguo: Nicæna Synodus omnes hæreſes circa Trinitatem perſtrinxit, concedo. Circa ineptam rebaptizationem ſubdiſtinguo: & hoc ipſum magis expreſſe jamjam petegerat

gerat Arelatenſis concedo: ſecus, nego. Porro mos inolevit in Eccleſia ut Synodi generales pro confringendis hæreſibus priores Conciliorum definitiones ſuo muniant calculo. Immo quia Nicæna aliquid in genere ſtatuit pro Baptiſmo ab Hæreticis legitime dato, ſequitur Arelatenſem, quæ expreſſe & in particulari hoc dogma definierat, eam eſſe quam intelligit Auguſtinus; accedente enim Concilii Nicæni oraculo, nihil roboris Arelatenſi deerat ad compeſcendos ex omni parte Donatiſtas. Obſervandum eſt tamen dogma alternatis definitionibus ſancitum, tempore Nicæni non fuiſſe explicite de fide, cum Atanaſius & alii percelebres Patres non ita cenſerent.

Perſiſtes: Summi Pontifices, ut Innocentius I. & Syricius, non Arelatenſis ſed Nicæni Concilii auctoritate ad perſtringendos Donatiſtas utuntur: Sed hoc argumentum eſt Nicænum eſſe illud ipſum Concilium quod urget Auguſtinus contra eos. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Summi Pontifices non Arelatenſe, ſed Nicænum adhibent ad debellandos Donatiſtas œconomiæ cauſa, & quia Nicænum erat magis notum, concedo: Ex eo quod Arelatenſe non ſit Plenarium, de quo beatus Auguſtinus loquitur, nego: Quæſtio his temporibus nondum abſolute de fide evaſerat: quia vero diſciplinam ad recipiendum vel abjiciendum Hæreticorum Baptiſma, Patres Nicæni regulaverant, non mirum ſi Synodum Nicænam potius quam Arelatenſem Summi Pontifices celebraverint.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Auguſtinus urget Concilium Arelatenſe contra Donatiſtas.

PRIMO: Hoc conſtat ex eo quod ſanctus Doctor illud univerſim nominet cum de controverſia Donatiſtarum tractat, nuſquam vero Nicænum, quod tamen conſtanter appellat, dum Arianos debellat.

Secundo: Non Nicæno, ſed Arelatenſi Concilio adfuere Donatiſtæ, in quo ſuam cauſam pro virili defenderunt: Illo tandem finito & abſoluto, exilii pœna compreſſi ſunt. Incaſſum igitur S. Auguſtinus oppoſuiſſet illis Nicænum, ipſis veluti ignotum, cum tumultuantes a Conſtantino expoſtulaſſent conventum, in quo ſuas agerent partes tum adverſus Cæcilianum, tum pro rebaptizandis iis qui a ſua communione divulſi, baptizati fuerant. Quodnam vero fuerit illud Concilium ad quod appellaverant, & in quo ſuas egere partes? Audi Auguſtinum Epiſt. 43. ſic loquentem: " Dedit ille aliud Arelatenſe judicium..... non quia jam neceſſe erat, &c. "

Tertio: Conditio Plenarii Concilii recte convenit Arelatenſi; cum ex diverſis nationibus conſtatum ſit; quocirca falſo fulciuntur fundamento Theologi qui propugnant non eſſe Concilium ab Auguſtino ſæpius laudatum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO QUIDEM: Convenit Concilio Arelatenſi omnis conditio a ſancto Auguſtino poſtulata, cum illud Concilium conceſſum fuerit ad duritiam cordis, poſt Romanum judicium, & ſolummodo ad indulgentiam; cum & ad illud celebrandum convenerint ex omni Occidente Præſules; cum vel ipſe Conſtantinus ibi adfuerit per ſuum Vicarium, ſicut & S. Sylveſter per ſuos Legatos.

Secundo: Neque aliquem commovere debet, quod eamdem cauſam iterum diſcuſſerit Synodus Nicæna; quandoquidem non niſi ad ſolemnitatem, & majorem traditionis Apoſtolicæ confirmationem hoc factum ſit.

Tertio: Neque etiam cuiquam mirum videri debet, ſi ſummi Pontifices Nicænum potius quam Arelatenſe Concilium hæreticæ opponant pravitati; namque Nicænum majoris erat ponderis. Ceterum controverſia eſt tantummodo non de qualitate præciſe Concilii, ſed de ipſo Concilio quod urget Auguſtinus.

PUNCTUM QUARTUM.

Utrum probabile ſit Concilium, quod opponit divus Auguſtinus Donatiſtis, eſſe Nicænum primum generale?

DUO celebres almæ Pariſienſis Univer- ſitatis

ſitatis Alumni, ſcilicet R. P. Nicolai ex Ordine Dominicanorum, & Dominus Joannes Launojus circa hanc quæſtionem in arenam decertaturi deſcenderunt, ſcriptiſque doctiſſimis mutuo ſeſe provocavere: Prior quæſtionem de rebaptizatione ultimate eliquatam fuiſſe juxta mentem ſancti Auguſtini in Concilio Nicæno acriter propugnavit; alter vero e contra: nam ad metam fuiſſe perductam in Concilio Arelatenſi ipſe ſuſtinuit. Iſtius probationes, & difficultatum ſolutiones, jamjam expoſuimus, ejuſque adhæremus ſententiæ. Quid ad ſuæ defenſionem cauſæ prior vulgaverit, juvat in medium proferre. Unde ſit

CONCLUSIO.

PROBABILITATE non caret opinio aſſerens Concilium, in quo eliquata fuit celebris de rebaptizatione Concertatio, juxta mentem ſancti Auguſtini, fuiſſe Nicænum primum.

VARIIS PROBATUR RATIONIBUS.

Primo negativis.

PRIMA: Sanctus Doctor nomine iſtius Concilii in quo vult ultimo terminatam fuiſſe quæſtionem de non rebaptizandis iis, qui legitima forma ab Hæreticis fuerant tincti, intelligit, vel Arelatenſe I. vel Nicænum I. generale: Atqui videtur non in ea fuiſſe mente, quod illa diſceptatio terminata fuerit in Arelatenſi Concilio. Ergo &c. Probatur multis momentis.

Primo: Quia S. Auguſtinus Synodum illam plenariam fuiſſe autumat; ſic enim loquitur Lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 7. " Quæſtionis hujus auctori-„ tas, prioribus Eccleſiæ temporibus, „ ante ſchiſma Donati magnos viros & „ magna charitate prædítos Patres, E-„ piſcopos ita inter ſe compulit, ſalva „ pace, diſceptare, atque fluctuare, ut „ diu Conciliorum, in ſuis quibuſque re-„ gionibus, diverſa ſtatuta nutaverint, „ donec Plenario totius orbis Concilio „ quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam re-„ motis dubitationibus firmaretur. „ Atqui ſanctus Præſul non arbitratur Concilium Arelatenſe primum fuiſſe Plenarium.

Et probatur: Qui Synodum Arelatenſem primam diſtinguit a Concilio Plenario, is haud dubie nomine Concilii Plenarii eam non intellexit: Atqui S. Auguſtinus diſtinguit Synodum Arelatenſem primam a Concilio Plenario. Ergo &c. Probatur minor: Judicium Epiſcopale diſtinguitur a Concilio Plenario; ſed ſanctus Auguſtinus Synodum Arelatenſem primam, vocat tantum judicium Epiſcopale, nullibi vero Concilium Plenarium: Igitur aperte diſtingnit Synodum Arelatenſem a Concilio Plenario.

Confirmatur: Sanctus Doctor eodem nomine vocat Arelatenſem & Romanam Synodum, ſub S. Melchiade habitam, & utramque dicit in cauſa Cæciliani Carthaginenſis fuiſſe convocatam; poſtquam enim Epiſtola 162. expoſuit Auguſtinus, quomodo judicio Romano in gratiam Cæciliani pronuntiato, non acquieverint Donatiſtæ, ſic proſequitur: " Dedit ille „ aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſci-„ licet Epiſcoporum. „ Atqui hæc Romana Synodus in mente ſancti Doctoris, non fuit Plenaria. Igitur nec Arelatenſis.

Secundo: In illo Concilio cauſa Donatiſtarum finem non habuit, a qua appellarunt, & quam appellationem ſuſcepit Imperator: Atqui ab Arelatenſi Synodo appellarunt Donatiſtæ: Probatur ex ipſomet Auguſtino, qui Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 92. ſic habet: " Pe-„ tentibus enim majoribus veſtris, Epiſco-„ pale judicium dederat Conſtantinus, & „ apud Romam, & apud Arelatum: quo-„ rum primum apud eum accuſaſtis, ab „ altero ad eum appellaſtis. „ Suſcepit etiam cauſam Cæciliani finiendam Imperator, ut ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ faſtis liquet: Ergo &c.

Altera ratio hæc eſt: A Concilio Catholico univerſali cunctarum gentium, totius orbis Chriſtiani, non datur appellatio: Atqui tamen Afri a Concilio Arelatenſi appellarunt, & eorum appellatio, ut Canonica habita eſt, cum ad tribunal ſuum adduxerit Conſtantinus cauſam Cæciliani. Ergo &c.

Tertia: Characteres Concilii Plenarii ab Auguſtino traditi, nullatenus conveniunt Synodo Arelatenſi primæ: Ergo &c. Probatur antecedens: Iſtæ dotes ſunt I. quod fuerit totius orbis: ita legitur Lib. 1. con-

contra Donatiſtas cap. 7. (Donec , *inquis*, Plenario totius orbis Concilio, &c.) II. Cunctarum gentium , ita Lib. 5. de Baptiſmo cap. 17. ubi ſic de S. Cypriano loquitur : " Neque enim ei placeo , „ ſi ejus ingenium , facultatemque ſer„ monis , & doctrinæ ubertatem ſancto „ Concilio cunctarum gentium, cui pro„ ſecto interſuit per ſpiritus unitatem , „ præponere affectem. „ III. Appellat idem Auguſtinus illud Concilium Catholicum, orbis terrarum : Ita Lib. 6. cap. 13. his verbis reſpondens Januario Lambeſce : " Huic reſpondetur : Secundum „ Scripturarum ſanctarum auctoritatem de„ crevit Concilium Catholicum orbis ter„ rarum, etiam in Hæreticis inventum „ Chriſti Baptiſmum, non eſſe improban„ dum . „ Sed illæ dotes non conveniunt Synodo Arelatenſi; neque enim fuit Concilium totius orbis terrarum, univerſæ Eccleſiæ, cunctarum gentium, cum ei Occidentales ſolum interſuerint . Ergo &c.

Quarta : Illud Concilium tale eſt juxta Auguſtinum, ut citra crimen ei diſſentire nullus potuiſſet ; cui ceſſiſſent Concilia Provincialia, immo ejus auctoritati ſeſe ſubmiſiſſet S. Cyprianus : ſic prædicat Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. " Et ipſa, *inquit*, Con„ cilia, quæ per ſingulas regiones, vel „ provincias fiunt , Plenariorum Conci„ liorum auctoritati quæ fiunt ex univer„ ſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus „ cedere. „ Rurſus cap. 4. " Nec nos „ ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, ni„ ſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima au„ ctoritate firmati : cui & ipſe ſine du„ bio cederet, ſi jam illo tempore, quæ„ ſtionis hujus veritas eliquata & decla„ rata per Concilium Plenarium ſolidare„ tur. „ Sed tale non fuit Concilium Arelatenſe; cum enim Concilia a beato Cypriano in Africa , & a Firmiliano in Oriente habita , ex majori Epiſcoporum numero fuerint conflata, quam Arelatenſe, in quo dumtaxat aderant quidam Epiſcopi ex Gallia, Hiſpania, & Italia, iſtis non ceſſiſſent Donatiſtæ. Ergo &c.

Quinta : Si Synodus Arelatenſis Plenaria fuiſſet in ſenſu divi Auguſtini, noviſſent omnes, præſertim Africani, qui iſti aderant Concilio, cauſam Cæciliani; nullus quippe Doctor ignorare poteſt quod orbi toti notum eſt : Atqui tamen aſſerit S. Auguſtinus cauſam Cæciliani univerſæ Eccleſiæ non fuiſſe notam, ut colligitur ex his verbis Lib. 1. contra Donatiſtas poſt collationem cap. 18. " Hæc „ verba per orbem terræ, univerſa per„ ſonat Eccleſia, teſtimonium Dei novi, „ negotium Cæciliani non novi. „ Ergo &c.

Sexta : Qui nuſquam Arelatenſi Concilio Plenarii nomen tribuit, quotieſcumque agit de cauſa Cæciliani, ille non cenſuit in eo quæſtionem ultimate fuiſſe finitam; multi enim intererat Auguſtino dicere cauſam iſtius Epiſcopi , in Concilio cunctarum gentium , & totius orbis Chriſtiani fuiſſe ad metam perductam , ut de ejus innocentia inconcuſſas daret probationes : Atqui tamen quotieſcumque ſanctus Doctor enarrat & tractat cauſam Cæciliani, nullibi vocat Concilium Arelatenſe , Catholicum totius orbis, cunctarum gentium, ſed judicium dumtaxat Epiſcopale, ut dictum eſt ſupra. Ergo &c.

Secundo rationibus poſitivis.

PRIMA ſic conficitur : Divus Auguſtinus loquitur de Concilio Oecumenico, quandoquidem vocat illud Lib. 2. de Bapt. cap. 4. *univerſale* : cap. 9. ejuſdem libri *univerſa Eccleſia*. Lib. 1. de Bapt. cap. 7. *Plenarium totius orbis Concilium*. Lib. 5. cap. 17. *Concilium cunctarum gentium*. Lib. 6. cap. 13. *Concilium Catholicum orbis terrarum*, Lib. 4. cap. 6. *Plenarium totius orbis* . Quod celebratum fuit poſt Paſſionem S. Cypriani, & ante nativitatem ſuam : Ita Lib. 2. cap. 9. ſed ſoli Concilio Nicæno I. dotes illæ competunt, nullumque tales habet, quale depingit S. Auguſtinus celebratum ante nativitatem ſuam, quod hanc materiam tractaverit. Neque enim hæc controverſia agitata fuit, aut in Concilio Sardicenſi , aut in Concilio Conſtantinopolitano primo. Ergo &c.

Secundo : Illud Concilium ſane intellexit Auguſtinus fuiſſe univerſale , in quo noverat S. Doctor omnium Hæreticorum Baptiſma, exceptis Paulianiſtis, uti validum ratum eſſe atque ſuſceptum : Atqui tale fuit Concilium Nicænum I. Enimvero, cum can. 19. Patres rejiciant

ſolum Baptiſma a Paulianiſtis collatum, eo quod formam Baptiſmi deflorarent; cum moneant can. 28. caute cavendum eſſe, ne ſuſcipiantur Ariani, niſi prius interrogentur, in qua forma fuerint baptizati: Planum eſt illos ſuo utentes jure, hanc diſcuſſiſſe materiam, eamque definiiſſe, omnium Hæreticorum ſuſcipiendo Baptiſma, eo ſolum excepto, quod foret in forma adulterina collatum. Ergo &c.

Confirmatur auctoritate Patrum omni exceptione majorum: Primo quidem S. Hieronymi, qui dialogo contra Luciferianos ſic loquitur: " Synodus quoque Nicæna... omnes Hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis; & quod his majus eſt, Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Presbyterii gradum ſervat. " Tum S. Athanaſii; epiſtola enim de Synodo Seleuciæ & Arimini ad Conſtantinum Imperatorem data, loquens de Concilio Nicæno, ſic habet: " Non Ariana ſolum, ſed & reliquæ deſtructæ ſunt hæreſes. " Rurſus epiſtola ad Africanos prope finem: " Solum apud vos, *inquit*, auctoritatem obtineat Nicæna Patrum de fide confeſſio: Ipſa enim Nicæna Synodus revera trophæum eſt, ſive columna triumphalis inſcripta contra omnes hæreſes, quaſi eas exponens oſtentui. " Concinit Siricius Papa in Epiſtola ſua Decretali ad Himerium Tarraconenſem cap. 1. " Quos, *inquit*, Arianos, cum Novatianis aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo *Nicæna* conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus.

Jam vero quomodo Synodus Nicæna, omnes ſuſcepiſſet Hæreticos, ſi ad eam non advolaſſent Donatiſtæ? Qui, exceptis Paulianiſtis & Arianis, omnium approbaſſet Baptiſma, ſi ultimate non declaraſſet, quid circa illud momentum foret tenendum? Demum ſi omnes deſtruxit hæreſes: Igitur Afrorum diremit controverſiam: Si eſt columna triumphalis contra omnes hæreſes; dubio procul omnes illas cognovit, diſcuſſit, debellavit.

Fit ſatis variis difficultatibus.

OBJICIES primo: Concilium in quo terminata fuit illa controverſia, eſt Arelatenſe primum: Ergo &c. Probatur antecedens. De illo Concilio ſic loquitur Arelatenſe II. can. 18. " Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium, Synodum congregandam, ad quam urbem, ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, ſub ſancti Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium, atque conventum. " Sed S. Auguſtinus loquitur de Concilio, ad quod Epiſcopi ex omnibus mundi partibus convenete. Ergo &c.

Reſpondeo, Canonem illum exuberare in dictis, nec enim in Arelatenſi I. aderant Epiſcopi ex omnibus mundi partibus, cum nulli forent ex Oriente; hinc veritati nonnihil læſæ attendens, ſtatim ſubjungit, *præcipue Gallicanis*; Præſules quippe Galliarum ceteros in numero ſuperabant, cum pauci admodum adfuerint ex Hiſpania, & Italia; quare præfata Synodus in Epiſtola Synodica ad Sylveſtrum Papam miſſa, non dixit: " Ex omnibus mundi partibus. " Sed tantum ex quibuſdam Provinciis Epiſcopos adventaſſe. Quorſum igitur hæc dixit? Haud dubie, ut commendaret urbem Arelatenſem, ac ſupra ceteros, Arelatenſis Epiſcopi ptimatum extolleret.

Inſtabis: Euſebius Hiſt. Eccleſ. Lib. 10. cap. 5. Epiſtolam Conſtantini Magni ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum refert, ubi habetur Imperatorem mandaſſe, ut Epiſcopi: " Ex locis diverſis & prope infinitis. " Arelatem pro Concilio celebrando convenirent.

Reſpondeo primo, in Verſione Euſebii facta a Rufino, ne minimum quidem verbum legi in ipſius Hiſtoria Eccleſiaſtica Lib. 10. cap. 5. de illa Epiſtola. Ut ut ſit, dico II. nec his verbis conceptam eſſe hanc Epiſtolam, namque in Epiſtola ex Græco Euſebii textu, a R. P. Syrmundo tranſlata, ſic legitur: Propterea, " *inquit Imperator*, mihi ſedulo providendum fuit, ut hæc quæ poſt judicium prolatum ſedari voluntario aſſenſu debuerant, vel nunc tandem, multis præſentibus, exitum ſortiantur. Quoniam ergo plurimos ex diverſis compluribus locis Epiſcopos, in Arelatenſium oppido ad Kalendas Auguſti, convenire præcepimus. " Ibi, ut claret, non legitur, (*ex locis prope infinitis*.)

Ne-

Neque etiam veriſimile eſt Conſtantinum habuiſſe Arelatenſem Synodum uti univerſalem; cum enim Cæciliani cauſam terminare animus illi foret, eo ipſo quo præcepit omnibus Eccleſiis obſervari id quod fuerat actitatum in Concilio Nicæno I. quia erat totius Eccleſiæ; idem citra dubium facere debuiſſet pro Arelatenſi, ut ad metam peroptatam cauſam innoxii Præſulis perduceret: Quod tamen peregiſſe non legitur, quod certe argumentum eſt Synodum Arelatenſem Oecumenicam non credidiſſe. De Nicæna vero Synodo prima univerſali Imperator ille ſcribens ad Eccleſias, hæc effatur. „ Quod in Epiſcoporum Conciliis ita generaliter decernitur divinæ voluntati tribui debet, ac veluti cœleſte, divinumque præceptum æſtimari. „

Inſtabis: S. Auguſtiuus loquitur de Concilio tranſmarino. Atqui tranſmarini nomen non Nicæno, ſed ſoli Concilio Arelatenſi tribui debet. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Etenim ſicut urbs Arelatenſis eſt tranſmarina Afris, ita & urbs Nicæna reſpectu non tantum iſtorum, ſed & Gallorum & Hiſpanorum, ut ex chartis geographicis patet. Quid plura commemorem? Civitas Nicæna erat etiam traſmarina relative ad ipſum Auguſtinum, quippe qui ex urbe Hypponenſi ſcripſerit, ut colligitur ex ejus Epiſtola n. 68. ad Januarium, nomine totius Cleri Hypponenſis conſcripta: Porro civitas Hypponenſis, non minus eſt Nicææ, quam Arelatis reſpectu, tranſmarina.

Inſiſtes: S. Auguſtinus de Concilio tranſmarino loquitur, in quo Hæreticorum Baptiſma non eſſe iterandum ſancitum eſt: Atqui can. 8. Concilii Arelatenſis ſancitum fuit Hæreticorum Baptiſma, non eſſe iterandum: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: S. Auguſtinus de Concilio tranſmarino loquitur, quod cunctarum gentium, totius orbis Catholici, univerſæ Eccleſiæ Epiſcopis conſtabat, concedo: Quod conſtabat quorumdam tantum locorum Præſulibus, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam: Porro Arelatenſe Concilium non erat cunctarum gentium, totius Eccleſiæ &c. De eo igitur non loquitur Auguſtinus. Quod ſi, occaſione data, peculiarem canonem, de iis non rebaptizandis, qui ab Hæreticis baptizati ſunt, cuderit; non ſibi conceſſam arrogavit poteſtatem, quandoquidem pro hac juris controverſia dirimenda, convocatum non erat, ſed potius ad quæſtionem facti Cæciliani ſolam diſcutiendam; videlicet num vere fuiſſet librorum ſacrorum traditor? num conſequenter ejus Ordinatio Canonica foret; num perperam fuiſſet a Romano Concilio abſolutus? Igitur non niſi per tranſenam de quæſtione juris ſermonem fecit illa Synodus. Neque vero compertum habemus quod ibi ex profeſſo materia fuerit diſcuſſa, vel per judicium comparativum, vel audiendo utriuſque partis difficultates, vel etiam diverſis Scripturarum auctoritatibus, firmando veritatem. Decreverunt ergo illi Patres tunc, quid tamquam de diſciplina tenendum foret, quoad nſque Concilium Catholicum, cunctarum gentium, rem pro nniverſa definiret Eccleſia. Hinc quotieſcumque S. Auguſtinus loquitur de Synodo, ubi ventilata fuit Cæciliani cauſa, nominatim deſignat Arelatenſe Concilium: Porro ſi in ea quæſtio de non rebaptizandis iis, qui verbis Evangelicis fuiſſent ab Hæreticis tincti, eliquata fuiſſet, a fortiori illam Synodum pro iſto capite ſpecialiter nominaſſet, cum iſta quæſtio majoris eſſet momenti, quam prima. Cur autem non nominavit Concilium Nicænum I. ratio in promptu eſt: Sat etenim ſe illud deſignaſſe ratus eſt ſanctus Doctor, dicendo, illud fuiſſe Catholicum cunctarum gentium, totius orbis Chriſtiani.

Inſiſtes: D. Auguſtinus ſcripſit Epiſt. 8. & concione 1. in Pſalmum 36. totum orbem conſenſiſſe Arelatenſi judicio. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Totus orbis conſenſit judicio Arelatenſi, quatenus declaravit Cæcilianum innocentem, & malitioſe criminatum, concedo: Quatenus diſcuſſit ſyſtema Donatiſtarum, de Baptiſmo Hæreticorum, nego. Hæc enim minime cogitabat Sanct. Auguſtinus, quando ſcripſit orbem totum Arelatenſi judicio conſenſiſſe, cum affirmet ſchiſma illud ſopitum eſſe in Concilio, Provincialibus & Nationalibus Synodis multo majore, quippe quod eſſet, ipſo teſtante, ex cunctis gentibus: Equidem

dem ad Concilium Arelatenſe quoſdam ex Clero Romano miſerat S. Sylveſter, ſed ille conventus, dotem Concilii ex cunctis gentibus non promeretur. Et vero aderat ipſe S. Melchiades Concilio Romano, pro Cæciliani cauſa habito, & tamen non fuit univerſale. Nec obeſt, quod Concilio Arelatenſi ſubſcripſerint ducenti Epiſcopi; ſed multo plures fuere in Conciliis Plenariis Africæ, quæ tamen Conciliorum Oecumenicorum nomine non donantur. Dicendum igitur, quod ad ſummum Arelatenſe fuerit Nationale. Etenim in illo, duo dumtaxat Epiſcopi ex Hiſpania, pauci admodum ex Italia, nulli ex Aſia adfuerunt.

Urgebis: Ipſe Auguſtinus Epiſt. 88. edit. nov. nomine totius Cleri Hypponenſis ad Januarium directa, ſic loquitur: " Ille „ alterum (Imperator) Epiſcopale judi„ cium dedit habendum in Arelatenſi „ Galliæ civitate, ubi multi veſtri, va„ na & diabolica diſſenſione damnata, „ cum Cæciliano in concordiam redie„ runt, alii vero pertinaciſſimi & liti„ gioſiſſimi, ad eumdem Imperatorem ap„ pellaverunt. Poſtea & ipſe coactus, „ Epiſcopalem cauſam inter partes cogni„ tam terminavit.

Reſpondeo diſtinguendo: Vana & diabolica Donatiſtarum diſſenſio damnata eſt in Concilio Arelatenſi circa ordinationem Cæciliani, quam legitimam non putabant, concedo: circa Baptiſmi collati ab Hæreticis nullitatem, nego: Porro ibi ſanctus Doctor loquitur tantum de Cæciliani cauſa, quam ait ab Imperatore terminatam ibidem.

Perſiſtes: Loquitur D. Auguſtinus de Concilio Plenario: Sed licet Synodus Arelatenſis non fuerit Oecumenica; poteſt tamen Plenaria dici, utpote quæ erat ex multarum Nationum Epiſcopis compoſita. Probatur minor: In Concilio Carthaginenſi tertio, can. 3. Synodus Capuenſis dicitur Plenaria; ſimiliter Bagajenſe Pſeudo-Concilium Donatiſtarum: immo S. Athanaſius apologia ſecunda, Concilium ex Epiſcopis Ægypti Alexandriæ coadunatis, vocat generale, & in Concilio Matiſconenſi can. 2. ſtatutum habetur de triennio in triennium celebrari debere in Gallia Concilium univerſale: Ergo &c.

Reſpondeo, præter nomenclaturam Concilii Plenarii, vocari adhuc illud Concilium ab Auguſtino, *totius orbis Chriſtiani, cunctarum gentium*, quod non competit Concilio Arelatenſi. Ad probationem diſtinguo: Hæc Concilia vocantur Plenaria ex Natione, concedo: ex toto orbe Chriſtiano, quale fuit illud, de quo B. Auguſtinus loquitur, nego: Concilia illa vocantur univerſalia late, hoc eſt Nationalia; nam can. 19. qui Concilii tertii Carthaginenſis ſeptimus eſt, ſic habet: " Ut qui ad Concilium univerſale anni„ verſarium occurrere noluerit, ad cau„ ſam terminandam, hoc ipſo ſenten„ tiam damnationis in ſe dixiſſe judice„ tur. „

Repones: S. Baſilius Epiſt. 2. ad Amphilochium can. 47. pag. 782. col. 2. ait oportere plures Epiſcopos ſimul convenire, & canonem condere, circa iterationem vel approbationem Baptiſmi Encratitarum, Saccophororum, Apotactitarum, Novatianorum, quos rebaptizari in Eccleſia ſua ſcribit, quamvis prohibitum ſit Romanos eos tingere alicujus œconomiæ gratia: Atqui S. Baſilius non dixiſſet convocandum eſſe Concilium, ut circa illorum Baptiſmum Eccleſia pronuntiaret, ſi exiſtimaſſet quæſtionem terminatam fuiſſe in Concilio Nicæno: Ergo &c. Ecce verba S. Doctoris: " Eneratitæ, & Sac„ cophori & Apotactitæ ſubjiciuntur ei„ dem rationi, cui & Novatiani, quia „ de illis editus eſt canon, etſi diverſus: „ Quæ autem ſunt adverſus eos, ſilentio „ prætermiſſa ſunt; nos autem una ra„ tione eos rebaptizamus, ſi autem pro„ hibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, „ ſicut & a Romanis, alicujus œcono„ miæ gratia, noſtra tamen oratio vires „ obtineat, quandoquidem eſt veluti Mar„ cioniſtarum germen eorum hæreſis nu„ ptias abhorrentium, & nuptias aver„ ſantium, & Dei creaturam inquinatam „ eſſe dicentium. Eos ergo in Eccleſiam „ non admittimus, niſi in noſtrum Ba„ ptiſmum baptizati fuerint. Ne dicant „ enim in Patrem & Filium, & Spiri„ tum ſanctum baptizati ſumus, qui qui„ dem Deum eſſe malorum effectorem „ exiſtimant, inſtar Marcionis, & reli„ quarum hæreſum. Quamobrem ſi hoc „ placuerit, oportet plures ſimul eſſe E„ piſcopos, & ſic canonem exponere, ut „ & is qui fecit, ſit extra periculum, „ &

Digitized by Google

„ & qui reſpondet , in reſponſione de „ his fide dignus habeatur . „

Reſpondeo primo , eamdem difficultatem eſſe reſolvendam ab eis qui tenent in Concilio Arelatenſi primo controverſiam de Baptiſmo ab Hæreticis collato fuiſſe finitam; ſi enim ad metam conduxiſſet eam, neceſſe non fuiſſet convocare Eccleſiam , ut de illis Baptiſmatibus, ſuam in Concilio Nicæno aperiret mentem ; ſi ibi fuiſſet perducta ad metam, non opus erat , ut, repetita diſcuſſione , novum de hac quæſtione canonem Synodus Nicæna conderet .

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo : Et ſic locutus eſt S. Baſilius eo quod non ſatis intelligeret caput iſtius controverſiæ a Concilio Nicæno ſufficienter fuiſſe diſcuſſum & terminatum , concedo : Id enim ſolum conſequenter ex can. 8. & 19. inferebat . Et datam clare illam videbat definitionem , nego . Neque vero deſunt qui affirment, ſanctum Doctorem abjeciſſe Baptiſma illorum dumtaxat Heterodoxorum qui formam Evangelicam adulterabant , cujus rei argumentum irrefragabile iſtud eſt, quod S. Baſilius illos aſſimilet Marcionitis, qui formam Chriſti Baptiſmatis, ut ipſe ſanctus Doctor aſſerit , temerabant .

Reſpondeo tertio, Canones Nicænos nedum in Oriente, ſed & in Africa , molitione Arianorum paſſos fuiſſe naufragia ; quod poteſt illuſtrari exemplo Decreti feſti Paſchatis , quod excidiſſe conſtat , cum Scriptores Eccleſiaſtici uno veluti calamo ſcribant Patres Nicænos ſtatuiſſe Feſtum Paſchatis Dominica immediate ſequenti æquinoctium veris celebrandum eſſe . Et tamen non invenitur canon , quidni & exciderit ille, quo expreſſe adverſus Donatiſtas Baptiſmum ab Hæreticis genuina forma collatum valere declaratur? Ceterum ideo juxta adverſæ ſententiæ placita Concilium quod urget Auguſtinus eſt Arelatenſe , quia pro recipiendo Baptiſmo ab Hæreticis collato canonem cudit : Sed ſimiliter & pro eodem momento unum condidit Concilium Capuanum , & tamen non illud dicitur , in quo terminata eſt controverſia illa , tametſi ut Plenarium ventiletur . Igitur nec dicendum eſſe Arelatenſe .

Inſiſtes : S. Epiphanius in expoſitione Catholicæ fidei , ſic loquitur : " Alii qui „ audaciores videntur ex Catholicorum „ partibus , privata ſibi factione conflata, „ citra generalis Concilii decretum , ite„ rum baptizare non verentur, cum non„ dum ea res, ut dixi , judicio Synodi „ deciſa ſit . „ Atqui illud non dixiſſet , ſi Nicæna Synodus omnium Hæreticorum, demptis ſolis Pauliniſtis, Baptiſma , approbaſſet . Ergo &c.

Reſpondeo, S. Epiphanium id unum ibi intendere, nullam Synodum præcepiſſe , ut Ariani rebaptizarentur; hinc arguit temeritatem eorum , qui eos iterata vice tingebant . Quod autem hæc ſit iſtius Patris mens , ejuſdem verba ibidem ſcripta declarant : " Alii, *inquit* ,qui audaciores „ videntur ex Catholicorum partibus , „ privata ſibi factione conflata , præter „ Eccleſiæ conſuetudinem , ac citra gene„ ralis Concilii decretum , eos , qui ab „ Arianis ad ſuas partes tranſeunt , ite„ rum baptizare nihil vereantur . „

Perſiſtes : S. Athanaſius oratione 3. contra Arianos, & S. Cyrillus in præfatione Catecheſeon, aſſerunt Baptiſma ab Hæreticis collatum eſſe irritum : Sed dubioprocul illud non dixiſſent, ſi quæſtio fuiſſet in Concilio Nicæno finita ; noverant quippe, quid in eo actitatum fuerat : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : SS. Athanaſius & Cyrillus volunt irritum eſſe Arianorum Baptiſma quoad effectum pro adultis, qui cum eis communicabant, concedo : Quoad Sacramentum & characterem , nego : De ſolo effectu Patres illi loquuntur, vel etiam de Baptiſmo , cujus formam quidam inter Arianos decurſu temporum defloravere.

Perſiſtes : Concilium Nicænum, nullum compoſuit canonem, in quo ſtatuit Hæreticorum Baptiſma eſſe validum : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : In quo ſtatuit in particulari, & explicite , tranſeat : Illative & implicite , nego . Habemus duos canones, ex quibus eruere licet , Baptiſma collatum ab Hæreticis ſub legitima forma , validum a Patribus fuiſſe Nicænis declaratum .

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Divus Auguſtinus, Concilium Nicænum primum, contra Donatiſtas rebaptizantes, videtur urgere.

Primo : Quia ſanctus Doctor loquitur de Concilio cunctarum gentium , totius orbis Chriſtiani & univerſæ Eccleſiæ : Atqui non Arelatenſe ſed ſolum Nicænum primum has habet dotes . Ergo &c.

Secundo : Quia omnes hæreſes dicuntur a SS. Patribus proſtratæ in Concilio Nicæno I. Igitur & Donatiſtarum perduellium hominum ibi proſcriptus eſt de rebaptizatione error.

Tertio : Illud ex eo claret, quod Arelatenſe I. non fuerit pro iſto negotio adunatum, ſed dumtaxat ad cauſam ordinationis Cæciliani terminandam , ut aſſerit vel ipſe Conſtantinus, qui pro illo tantum momento dedit Arelatenſe judicium.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

Primo quidem falſum eſt , quod ex omnibus mundi partibus Arelatem convenerint Epiſcopi, cum nulli fuerint ex Aſia, duo dumtaxat ex Hiſpania, pauci ex Italia, ceteri vero forent ex Gallia. Igitur non ex infinitis prope locis convenerant . Hoc ipſum ſubindigitare videtur Conſtantini Magni ad Chreſtum Epiſtola; in ea enim ſolum legitur, *ex diverſis compluribus locis*.

Secundo : Urbs Nicæna æque eſt tranſmarina reſpectu Africæ, ac Arelatis , hinc licet in iſto Concilio factus ſit canon de recipiendo Baptiſmate Hæreticorum , non inde ſequitur controverſiam de non rebaptizandis indiſcriminatim Hæreticis in Arelatenſi I. Synodo fuiſſe eliquatam, adeoque nec eam eſſe, quam urget contra Donatiſtas Auguſtinus.

Tertio : Tametſi dicat Auguſtinus totum orbem conſenſiſſe judicio Arelatenſi , non inde concluditur quæſtionem juris ab eo definitam eſſe , ſed loquitur tantum ſanctus Præſul de judicio dato in gratiam Cæciliani, qui ut innocens poſtea ab omnibus habitus eſt.

PUNCTUM QUINTUM.

Num de facto probitas Miniſtri requiratur ad Sacramenti confectionem?

Hæc quæſtio duplicem habet reſpectum, alterum ad conferentem , alterum ad ſuſcipientem . Primo quæritur, num ad validitatem Sacramenti neceſſaria ſit fides, vel etiam morum puritas? Secundo, Num ſanctitas ad decentiam , & conferentis utilitatem requiſita ſit? Iſtam eſſe in ſuſcipiente neceſſariam , ut Sacramenti effectus percipiat nemo negat ; unde tota controverſia eſt de conferente , & utrum fides ejus ac probitas ad validitatem Sacramenti ita abſolute requirantur, ut his ſeclusis , nullum ſit Sacramentum ? Uno verbo, num Sacramentum a malo Miniſtro confectum, ſit validum , vel ſaltem licitum? Pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Fides & probitas non requiruntur abſolute ad validitatem Sacramenti.

MULTIS PROBATUR ARGUMENTIS.

Primo ex Scriptura ſacra.

Legitur in paginis ſacris I. Num. 22. Balaam, tametſi peſſimum , attamen prophetaſſe : II. Idem ſcribit auctor librorum Regum de Saule; ſic enim habetur 1. Reg. cap. 11. 12. *Numquid Saul inter Prophetas?* III. S. Joannes cap. 11. dicit de Caipha, *Cum eſſet Pontifex anni illius prophetavit* : IV. Demum Matthæi 7. Quidam alii peccatores Chriſtum ſic alloquuntur : (*Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia ejecimus.*) Ex quibus omnibus hoc efformatur ratiocinium. Non requiritur abſolute probitas; immò nec fides pro gratia gratis data ſuſcipienda, cum teſte D. Thoma, cedat non in utilitatem proprii ſubjecti præciſe, ſed aliorum. Et certe nec Balaam fidem callebat, utpote idololatra, nec ipſe Caiphas Chriſti hoſtis inſenſiſſimus. Atqui confectio Sacramentorum eſt veluti gratia gratis data , maxime cum Miniſter ſit ſolum inſtrumentum Chriſti,

qui

Digitized by Google

qui operatur in Sacramentis, juxta illud Joannis 1. (*Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*.) Et iſtud 1. Corinth. 3. 7. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*.) Ergo &c.

Secundo ex ſummis Pontificibus.

STEPHANUS Papa I. in ſuo decreto jamjam laudato, Baptiſmum ab Hæreticis juxta verba Evangelica datum, recipit, ut refert Euſebius Lib. 7. Hiſt. cap. 2. Eumdem recipit Siricius Epiſtola ad Hymerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 1. Eundem Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum cap. 8. Eumdem Leo, Epiſt. 77. ad Nicetam. Eumdem & Anaſtaſius II. Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorum: eumdem & alii plurimi. Non abs re erit, hic aliqua Syricii & Innocentii verba texere, Prior ſic loquitur: " Prima paginæ tuæ „ fronte ſignaſti baptizatos ab impiis „ Arianis plurimos ad fidem Catholi- „ cam feſtinare, & quoſdam de fratri- „ bus noſtris eoſdem denuo baptizare vel- „ le, quod non licet. „ Alter vero de „ Novatianis & Montenſibus ſermonem habens, ait: " Si reſipiſcentes, & rui- „ nam ſuam cogitantes redire voluerint, „ ſub longa Pœnitentiæ ſatisfactione ad- „ mittendi ſunt. „ Ibi altum eſt de rebaptizatione ſilentium. Porro illæ Decretales ab univerſali Eccleſia fuerunt acceptæ. Ergo &c.

Tertio ex Conciliis.

QUOD Concilia definiere, non ſine temeritate abnegatur. Atqui veritatem aſſertionis non ſemel definiere Concilia: Ergo &c. Probatur minor variis canonibus.

Mitto Canonem 8. Concilii primi Nicæni prælaudatum, quo Novatiani pœnitentes cum ſola manuum impoſitione ſuſcipiuntur. Mitto & Arelatenſem utique octavum, quo Patres, quoſdam ab hæreſi venientes abſque rebaptizatione ad Chriſti pacem admittunt, modo fuerint in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis tincti. Laodicenum idem ſtatuit can. 7. & eoſdem, omiſſo novo Baptiſmo, Eccleſiæ Chriſti adunat his verbis primæ Edit. Binii Coloniæ Agrippinæ: " Novatianos, vel etiam „ Quatuordecimanos ...... non recipi, „ priuſquam condemnent omnem hære- „ ſim, in qua detinebantur. Et nunc, „ qui apud eos fideles dicantur, ſymbo- „ lum fidei doceantur, atque ita unctos „ etiam ſancto chriſmate divino Sacra- „ mento communicare convenit. „ Juxta 2. Edit. ejuſdem Binii: " De his, „ qui ab Hæreticis convertuntur, id eſt, „ Novatianis .... uncti ſancto chriſmate, „ ſic Myſteriis communicent. „

Suffragantur Arelatenſe II. can. 17. Capuanum anno 289. celebratum, & refertur can. 38. Concilii III. Carthaginenſis, his verbis: " Placuit, quod etiam in „ Capuenſi Plenaria Synodo videtur ſta- „ tutum, quod non liceat fieri rebapti- „ zationes, & recordationes, vel trans- „ lationes Epiſcoporum. "

His omnibus accedit definitio Concilii Tridentini, quod Seſſ. 7. can. 12. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit*. Et Seſſ. 7. can. 4. de Baptiſmo differens, ait: *Si quis dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum; anathema ſit*. Ergo &c.

Quarto, ex Traditione.

HÆC eſt pro cognoſcenda Traditione Apoſtolica tradita a ſancto Auguſtino Regula Lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. n. 31. Edit. nov. " Quod univerſa tenet Ec- " cleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed „ ſemper retentum eſt, non niſi auctori- „ tate Apoſtolica traditum certiſſime & „ rectiſſime creditur. „ Sed ex iſta traditione liquet non rebaptizandos eſſe eos, qui ab Hæreticis forma Evangelica tincti ſunt, juxta illud B. Stephani, *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*: Porro, ſanctus ille Pontifex adhærebat Traditioni Apoſtolicæ, minime vero Cyprianus, cum Agrippinum laudet ſolum pro ſuæ conſuetudinis auctore: qua quidem ratione S. Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo cap. 9. n. 14. ejus refellit opinionem, & morem, his verbis: " Ubi certe quid fie- „ ri

,, ri ſoleret, & ſi non fieri vellet, ſatis
,, oſteodit, & eo ipſo quo Coocilium A-
,, grippini commemorat, aperte indicat
,, fuiſſe aliam conſuetudinem Eccleſiæ. ,,
Ergo &c. Probatur mioor ulterioribus S.
Auguſtini auctoritatibus.

S. Doctor L. 2. de Baptiſmo, c. 7. n. 12.
ſic loquitur: " Nolite ergo nobis aucto-
,, ritatem objicere Cypriani ad Baptiſnii
,, repetitionem; ſed tenete nobiſcum exem-
,, plum Cypriaoi ad unitatis conſervatio-
,, nem; nondum enim erat diligenter illa
,, Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen
,, ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Ec-
,, cleſia; in ipſis quoque Schiſmaticis &
,, Hæreticis, corrigere quod pravum eſt,
,, non iterare quod datum eſt, ſanare
,, quod vulneratum eſt, oon curare quod
,, ſanum eſt: Quam conſuetudinem, cre-
,, do, ex Apoſtolica traditiooe venieo-
,, tem, ſicut multa, quæ non inveniuo-
,, tnr in litteris eorum, oeque in Coo-
,, ciliis poſteriorum: Et tamen, quia per
,, uoiverſam cuſtodiuntur Eccleſiam, oon
,, niſi ab ipſis tradita, & commendata
,, creduotur. Hanc ergo ſaluberrimam
,, conſuetudinem per Agrippinum præde-
,, ceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi
,, cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligeutius
,, inquiſita veritas docuit, quæ poſt ma-
,, gnos dubitationis fluctus ad Plenarii
,, Concilii confirmationem perducta eſt,
,, verius creditur per Agrippinum cor-
,, rumpi cœpiſſe, non corrigi. ,,

Eamdem traditionem, veluti Apoſtolicam urget idem S. Auguſtinus, contra Cyprianum & Dooatiſtas Lib. 4. de Baptiſmo cap. 6. n. 9. & multis aliis in locis, ubi eorum ſententiam, ea ſuffultus auctoritate, debellat; ſubditque ad excuſandum tantum Præſulem, quod Concilio Plenario ceſſiſſet, ſi temporibus ſuis, pro iſta quæſtione eliquanda, fuiſſet adunatum; quod quidem, ut probatum eſt, fuit Arelatenſe, cui ſummus Pontifex, per ſuos Legatos præfuit, cuique etiam acceſſit totius Eccleſiæ conſenſus.

Hanc Traditionem roborant SS. Patres: in primis Optatus Milevitanus, & S. Hieronymus. Prior Lib. 5. contra Parmeoianum, ſic loquitur: " Cujus de Sa-
,, cramento non leve certamen innatum
,, eſt; & dubitatur an poſt Trioitatem in
,, eadem Trinitate, iterum hoc liceat fa-
,, cere; vos dicitis, licet; nos dicimus,
non licet. ,, Poſterior dialogo adverſus Luciferianos, Tom. 1. pag. 53. col. 2. de-
,, bellat Rebaptizaotes his verbis " Eſt
,, præterea aliud quod inſeremus, adver-
,, ſum quod, ne mutire quidem audeat
,, Hilarius Deucalion orbis; ſi enim Hæ-
,, retici Baptiſma non habent, & ideo
,, rebaptizandi ab Eccleſia ſuot, quia in
,, Eccleſia oon fuerunt, ipſe quoque Hi-
,, larius non eſt Chriſtianus; in ea quippe
,, Eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab
,, Hæreticis Baptiſmum recepit . . . Syno-
,, dus quoque Nicæoa, cujus paulo ante
,, fecimus mentionem, omnes Hæreti-
,, cos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſa-
,, teni diſcipulis. " Ibi, ut claret, Hieroaymus ſententiam ſuam definitione Concilii Nicæni roboratam oſtendit: Ergo &c.

Quinto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA ſic exponitur: Tametſi Presbyter, & Epiſcopus ſuam poſt ordinationem evadant Hæretici, oon ideo amittunt characterem & poteſtatem conficiendi Sacramenta, ſicut nec juſti Sacerdotes, cum in aliquod grave peccatum prolabuntur. Igitur nec probitas Miniſtri, nec ipſa fides requiruntur ad validitatem Sacramenti. Iſta ratio eſt ſancti Auguſtini, qui L. 1. de Bapt. cap. 1. n. 2. ait: " Sic &
" illi qui per ſacrilegium ſchiſmatis ab
,, Eccleſiæ communione diſcedunt, ha-
,, bent utique Baptiſmum, quem prius
,, quam diſcederent, acceperunt; nam &
,, ipſis, ſi redeant, non eis iterum datur
,, unde oſtenduntur illud, quod accepe-
,, rant in unitate poſiti, non potuiſſe amit-
,, tere, ab uoitate ſeparati. ,, Et, paucis interjectis, ita concludit. " Nulli
,, enim Sacramento injuria facienda eſt:
,, ſi diſcedit a malis, utrumque diſcedit:
,, ſi permaoet in malis, utrumque per-
,, manet; ſicut ergo acceptatur Bapti-
,, ſmus, quem non potuit amittere qui ab
,, unitate diſceſſerat, ſic acceptandus eſt
,, Baptiſmus, quem dedit ille, qui Sa-
,, cramentum dandi cum diſcederet, non
,, amiſerat poteſtatem. Nam ſicut redeun-
,, tes, qui prius quam recederent baptizati
,, ſunt, non rebaptizantur; ita redeun-
,, tes, qui prius quam recederent ordina-
,, ti ſunt, non utique rurſus ordinantur;
,, ſed aut adminiſtrant quod adminiſtra-
bant,

„ bant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtu-
„ lat. „

Hanc validiſſimam rationem confirmat ſanctus Doctor, duobus momentis; primo quidem oſtendendo Lib. 3. de Bapt. cap. 18. n. 23. Epiſcopos, qui poſt ordinationem in fide pervertuntur, habere ab Apoſtolis poteſtatem indelebilem conferendi Sacramenta, cum vel ipſi Apoſtoli habuerint virtute ſuæ miſſionis, eam aliis conferendi: Secundo retorquendo argumentum contra Donatiſtas Lib. 1. de Bapt. cap. 1. & 5. ubi eis exponit Felicianos a Maximianis & aliis Donatiſtis in communione divulſos, ipſos tamen poſtea miſericordiæ forte affectu, in ſuam recepiſſe communionem, abſque Baptiſmi, Confirmationis & Ordinationis reiteratione.

Secunda ratio hæc eſt: Scriptura ſacra eadem eſt ubique; non tamen in eodem ſenſu recepta eſt ab omnibus. Igitur a ſimili cum ſit ubique unum Baptiſma, non obſtante Miniſtri improbitate, remanet idem & optimus Baptiſmus. Iſta quoque ratio eſt ejuſdem S. Auguſtini L. 3. de Bapt. cap. 15. Tom. 7. pag. 47. ubi ſic loquitur: “ Quamobrem ſi Evange-
„ licis verbis, in nomine Patris, & Fi-
„ lii, & Spiritus ſancti Marcion Bapti-
„ ſmum conſecrabat, integrum erat Sacra-
„ mentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem
„ verbis aliud opinantis, quam Catholi-
„ ca veritas docet, non eſſet integra,
„ ſed fabuloſis falſitatibus inquinata....
„ Sacramenta tamen, ſi eadem ſunt, ubi-
„ que integra ſunt, etiamſi prave intel-
„ liguntur, & diſcordioſe tractantur: Sic-
„ ut Scriptura ipſius Evangelii, ſi ea-
„ dem ipſa eſt, ubique integra eſt, et-
„ iamſi innumerabili falſarum opinionum
„ varietate aſſeratur. „

Sanctus Doctor eamdem urget rationem, Lib. 2. de Bapt. cap. 3. n. 4. ubi probat contra Cyprianum, qui contendebat ſe pro ſua opinione habere ſacras Scripturas, genuinum earum ſenſum non niſi ab Epiſcoporum, & Conciliorum determinatione haberi, adeoque pro ſua potius ſententia illas militare, cum & ex Traditione & ex Conciliis conſtaret, non eſſe rebaptizandos eos, qui, tametſi ab hæreſi redeuntes, forma tamen Evangelica ſacrum ſuſceperant lavacrum.

Tertia: Frumentum etiam inter zizania ereſcit, & eadem pluvia utrumque irrigat; immo ficte accedentes ad Baptiſmum, recedente fictione, non rebaptizantur: Igitur & a pari, qui ab inimico diſſeminante zizania acceperunt Baptiſma verum, accepere Sacramentum. Hæc complexa ratio eſt quoque S. Auguſtini L. 4. de Bapt. c. 9. n. 13. “ Sicut ipſe, Do-
„ minus ait, *inimicus homo hoc fecit*, *qui*
„ *ſuperſeminavit zizania*. Sicut ergo &
„ intus quod diaboli eſt, arguendum eſt,
„ ſic & foris quod Chriſti eſt, agnoſcen-
„ dum eſt . . . . Nec quiſquam dixerit:
„ Quid enim frumenti habent zizania?
„ Si enim hoc ita eſt, & intus, & foris
„ ad hoc dumtaxat par conditio eſt. Ne-
„ que enim in zizaniis exterioribus non
„ inveniuntur grana frumenti, & in in-
„ terioribus inveniuntur. De Sacramen-
„ to autem cum quæritur, non utrum
„ habeant aliquid frumenti zizania quæ-
„ ritur, ſed utrum habeant aliquid cœli:
„ & exterioribus enim & interioribus
„ zizaniis cum ipſo tritico eſt pluvia com-
„ munis, quæ cœleſtis & dulcis eſt ipſa,
„ etiamſi ex ea zizania ſteriliter creſcunt:
„ ſic & Evangelicum Chriſti Sacramen-
„ tum divinum & ſuave eſt; neque pro-
„ pter eorum ſterilitatem quos etiam fo-
„ ris compluit improbandum. “ Rurſus Lib. 1. de Bapt. cap. 12. fuſo calamo probat num. 18. & 19. quod ſicut recedente fictione, non reiteratur Baptiſma, ita quoque, cum idem a malo Miniſtro collatum eſt.

Quarta: Cingulum militiæ etiam a deſertoribus confertur: Igitur & a pari verum Sacramentum ab Apoſtata fidei dari poteſt; ita idem ſanctus Auguſtinus Lib. 1. de Bapt. cap. 4. num. 5. his verbis:
„ Jam vero, ſi quis non intelligit quomodo
„ fieri poſſit, ut quod ibi eſſe confite-
„ mur, non ibi recte dari dicamus, il-
„ lud attendat: quia nec recte ibi eſſe di-
„ cimus, quod & illi dicunt in his qui
„ ab eorum communione diſcedunt. In-
„ tueatur etiam ſimilitudinem notæ mi-
„ litaris, quia extra militiam a deſerto-
„ ribus & haberi, & accipi poteſt, ſed
„ tamen extra militiam nec habenda,
„ nec accipienda eſt, & reducto, vel
„ perducto ad militiam, nec mutanda,
„ nec iteranda eſt.

Quinta: Sacramentum eſt opus Dei: Sed opus Dei non pendet ab homine, cum Mini-

Digitized by Google

Miniſter agat tantum in perſona Chriſti, qui ſolus incrementum dat : Ergo &c. Hæc eſt ratio Catechiſmi Romani parte 2. n. 25. ubi hæc habentur : " Atque hi quidem Miniſtri ,[quoniam in ſacra illa functione , non ſuam , ſed Chriſti perſonam gerunt, ea re fit , ut ſive boni, ſive mali ſint, modo ea forma & materia utantur, quam ex Chriſti inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, idque facere proponant, quod Eccleſia in adminiſtratione facit, vere Sacramentum conficiant , & conferant .... Quod ſi etiam Scripturæ teſtimonia quærimus , ipſum Apoſtolum , his verbis loquentem , audiamus : *Ego*, inquit , *plantavi* , *Apollo rigavit* , *ſed Deus incrementum dedit* : *Neque enim qui plantat*, *eſt aliquid* , *neque qui rigat*, *ſed qui incrementum dat* , *Deus* . Ex quo loco ſatis intelligitur , quemadmodum arboribus nihil obeſt , eorum improbitas , quorum manu ſatæ ſunt : ita nihil vitii aliena culpa contrahi illis poſſe , qui malorum hominum miniſterio Chriſto inſiti ſunt . Quare , ut ex D. Joannis Evangelio SS. Patres noſtri docuerunt , Judas etiam Iſcariotes plures baptizavit : ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuiſſe legimus: ita ut præclare D. Auguſtinus ſcriptum reliquerit : Dedit Baptiſmum Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam: Dedit Joannes, & poſt Joannem baptizatum eſt , quia quod datum eſt a Juda, Baptiſma Chriſti erat ; quod autem a Joanne datum eſt , Joannis erat: Non Judam Joanni ; ſed Baptiſmum Chriſti etiam per Judæ manus datum, Baptiſmo Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus. ,,

Sexta : Miniſter agit tantummodo ut inſtrumentum, adeoque non virtute propria: ſed ſicut non refert , aquam per canalem plumbeum , aut argenteum tranſire, ut refrigeret ſubjectum ad quod tranſmittitur ; non abſimili ratione parvi intereſt , ut gratia , quæ eſt pluvia voluntaria quam ſegregat Deus hæreditati ſuæ , per malum aut probum Miniſtrum deducatur ad animam : Ergo &c. Hæc ratio traditur a S. Thoma hic q. 64. art. 9. his verbis : " Quia Miniſter in Sacramentis inſtrumentaliter operatur , non agit in virtute propria , ſed in virtute Chriſti. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis charitas , ita & fides . Unde ſicut non requiritur ad perfectionem Sacramenti , quod Miniſter ſit in charitate , ſed poſſunt etiam peccatores Sacramenta conferre, ut ſupra dictum eſt ; ita non requiritur ad perfectionem Sacramenti fides ejus . ,,

CONCLUSIO SECUNDA.

Sanctitas requiritur in Miniſtro ad conficienda licite Sacramenta , alias peccat mortaliter .

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA hæc eſt . Quod Scriptura præcipit, quod Patres , & ipſa exigunt Concilia, citra dubium ad licitam Sacramentorum confectionem prærequiritur . Atqui ſanctitatem ſeu juſtitiam in Miniſtris exigunt omnes iſtæ auctoritates, dum de Sacramentis peragendis agitur : Ergo &c. Probatur minor quo ad ſingulas partes.

Primo quidem : Exodi 19. ver. 22. legitur : *Sacerdotes autem & populus non tranſeant terminos , nec aſcendant ad Dominum , ne forte interficiat illos* . Rurſus Levitici 22. v. 3. *Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia , peribit coram Domino*. Quæ quidem perditio juxta interpretes intelligitur de amiſſione gratiæ ;hinc Deus Pſal. 49. ſic increpat impium : *Quare tu enarras juſtitias meas , & aſſumis teſtamentum meum per os tuum ?* Apoſtolus vero 1. Corinth. cap. 4. ſic loquitur de Miniſtris Altaris : *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei , hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur* . Quæ fidelitas in eo potiſſimum ſita eſt , ut ſancta ſancte tractentur . Et certe non ſine cauſa Sacerdos Malach. 2. *Angelus Domini* dicitur , ut intelligant Miniſtri ſe puritate morum debere eſſe Angelos.

Secundo : Patres idem paſſim aſtruunt ; inſtar omnium ſit Dionyſius , qui apud D Thomam Lib. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 1. ait " Malis non eſt fas tangere Symbola , id eſt , *inquit S. Doctor hic q. 64. art. 6.* ſacramentalia ſigna . ,,

Digitized by Google

„ gna. „ Suffragatur Auguſtinus Lib. 1. de Bapt. cap. 1. n. 2. ubi ſic loquitur. " „ Non recte foris datur, ſed tamen datur. „ Quibus verbis docet Sacramentum Baptiſmi valide quidem dari a malis, ſed neque licite, neque recte: Ergo &c.

Tertio: Eamdem veritatem ſuo muniunt calculo Concilia. Illiberitanum celebratum eo tempore quod fluxit a ſedata Decii perſecutione ad eam quam Diocletianus commovit, & in Miniſtro Baptiſmatis vel ipſam baptiſmalem innocentiam exigit. Præſules vero Africani, tertio declinante ſæculo, ſingularem in Epiſcopis Sacramentum Ordinis conferentibus, ſanctitatem expoſtulabant: namque Secundus in Numidia Epiſcopus, in Concilio, cui poſt ſedatam in Chriſtianos perſecutionem præerat, Epiſcopos Comprovinciales monuit, ut ſedulo diſcuterent, num ſacrorum Codicum traditionis criminis reus foret ille, quem Epiſcopum electum ſciebant, antequam manus ei imponerent.

Audiendum eſt ſpecialiter pro hoc momento Concilium Tridentinum, quod quidem Seſſ. 13. cap. 7. puras admodum exigit diſpoſitiones, nedum in ſuſcipiente, ſed & in conficiente Euchariſtiam: Recenſita enim Apoſtoli ſententia, *probet ſeipſum homo*, &c. ſubdit: " Eccleſiaſti„ ca autem conſuetudo declarat eam pro„ bationem neceſſariam eſſe, ut nullus „ ſibi conſcius mortalis peccati, quan„ tumvis ſibi contritus videatur, abſque „ præmiſſa Sacramentali confeſſione ad „ ſacram Euchariſtiam accedere debeat: „ Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab „ iis Sacerdotibus, quibus ex officio in„ cubuerit celebrare, hæc ſancta Syno„ dus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, „ modo non deſit illis copia Confeſſoris; „ quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos „ abſque prævia confeſſione celebraverit, „ quam primum confiteatur. „

Altera ratio eſt D. Thomæ q. 64. art. 6. ubi ſic diſcurrit ad probandum quod mali miniſtrantes Sacramenta, peccent: „ Miniſtri Domino debent conformari, „ ſecundum illud Levitici 19. *Sancti eri„ tis, quoniam ego Sanctus ſum*: & Eccle„ ſiaſtici 10. *ſecundum Judicem populi, ſic „ & Miniſtri ejus*: Et ideo non eſt du„ bium, quin mali exhibentes ſe Mini„ ſtros Dei, & Eccleſiæ in diſpenſatio„ ne Sacramentorum peccent: & quia „ hoc peccatum pertinet ad irreveren„ tiam Dei, & contaminationem Sacra„ mentorum, quantum ex parte ipſius „ peccatoris, licet Sacramenta ſecundum „ ſe ipſa incontaminabilia ſint, conſequens „ eſt, quod tale peccatum ex genere ſuo „ ſit mortale. „

Tertia: Sacramenta non niſi quibuſdam cæremoniis a Deo, & ab Eccleſia inſtitutis conferuntur, ita ut illis ex contemptu omiſſis, incurritur peccati reatus, juxta illud Tridentini Seſſ. 7. can. 13. *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe; Anathema ſit*. Atqui eo fine inſtitutæ ſunt cæremoniæ, ut intelligant Miniſtri & populi, res divinas, ea qua par eſt reverentia erga ſacro-ſancta Myſteria tractanda eſſe. Igitur Miniſtri charitate flagrare debent, ut ſancta ſancte perficiant.

Ex iſta concluſione ſequitur, Diaconos & Subdiaconos graviter peccare, ſi in peccato mortali degentes, ſuo fungantur officio. Concinit D. Thomas, qui Lib. 4. ſent. diſt. 24. q. 1. art. 3. Quæſtiuncula 5. ad 2. ait: " Dicendum, quod „ lex præcipit, ut homo juſte ea quæ „ ſunt juſta exequatur: Et ideo, qui„ cumque homo, quod ſibi competit ex „ ordine, facit indigne, quod juſtum eſt, „ injuſte exequitur, & contra præceptum „ legis facit, ac per hoc mortaliter pec„ cat. „ Quidam tamen excipiunt Subdiaconos, eo quod non ſit de fide, Subdiaconatum eſſe Sacramentum: ſed hæc ſententia non videtur ſententiæ D. Thomæ conſona: legere enim ex officio Epiſtolam, & toto ſacrificii tempore inſervire altari, ſicut magnam exigit extrinſecus reverentiam, ita & animæ munditiam.

Doctor Angelicus ibid. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 2. quæſtione 2. contendit Sacerdotem, qui aliquo gravi peccato, & quidem notorio reus concionem habet ad populum, peccare mortaliter, ea ductus ratione, quod legem Dei irreverenter tractet, cum infamia Miniſtri nonnihil redundet in ipſum Dei verbum, quod non ſine ſcandalo a peccatore notorio

torio diſſeminatur. Revera quidem, quomodo prævaricatores a peccatis abſtinebunt, ſi compertum habeant Miniſtrum ipſum multis detentum eſſe peccatis? Fruſtra enim ille Pœnitentiam prædicat, qui ipſe notorie impœnitens ſit. Hanc ſanam doctrinam annuntiat ipſe Deus Pſal. 49. ubi ſic alloquitur malum Miniſtrum. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Hanc docet Chriſtus, qui paſſim, maxime Matth. 23. inſectatur Phariſæos, qui legem zelo vehementi prædicabant, cum tamen cor eorum longe foret a Deo; gravia ceteris imponentes onera, quæ vel ipſi ne digito quidem volebant movere.

S. Thomas ibidem ad 4. de hoc momento ita loquitur: " Dicendum, quod docere ſacram Scripturam dupliciter contingit. Uno modo ex officio prælationis, ſicut qui prædicat, docet: Non enim licet alicui prædicare, niſi officium prælationis habeat, vel ex auctoritate alicujus prælationem habentis, Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Alio modo, ex officio Magiſterii, ſicut Magiſtri Theol. docent. Dicunt ergo quidam, quod ille qui primo modo docet, peccat mortaliter, ſi ſit in peccato mortali notorio, non autem ille, qui ſecundo modo docet. Sed hoc eſt falſum, quia eorum, qui docent ſacram Scripturam, eſt idem finis, & eorum, qui ſacram Scripturam edideruut: Unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut ad vitam æternam homo perveniat, ut patet Joan. 20. Quicumque impedit finem doctrinæ docendo, peccat: Impedit autem qui ſacram Scripturam in peccato docet, qui ore ſe profitetur noſſe Deum, factis autem negat. Et dicendum, quod ille qui eſt in peccato notorio, peccat, ſive ſic, ſive ſic doceat: Sed ille qui eſt in peccato occulto, peccat, ſi primo modo doceat, non autem ſi ſecundo. "

Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.

OBJICIES: Quod Traditione firmatur debet admitti: Sed rebaptizare ab hæreſi redeuntes, roboratur traditione: Ergo &c. Probatur minor: Traditio habetur ex placito Patrum, qui primis floruere ſæculis: Atqui Cyprianus cum tota Africa, ſimiliter & Firmilianus cum Oriente definierunt in variis Conciliis rebaptizandos eſſe ab hæreſi prodeuntes & venientes. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem dico, incaſſum Cyprianum & Firmilianum laudare pro ſua ſententia traditionem, cum, teſte Auguſtino, vel ipſe Cyprianus ſolummodo initium habeat rebaptizandi ab Agrippino; hinc ſanctus Doctor ait, in hoc non eſſe adhærendum Cypriano alias ſanctiſſimo. Eadem ratione S. Thomas ſolvit argumentum hic q. 64. art. 9. ad 2. his verbis: " Cyprianus autem nullo modo Sacramentum conferre Hæreticos poſſe credebat: Sed in hoc ejus ſententia non tenetur. Unde Auguſtinus dicit Martyrem Cyprianum qui apud Hæreticos vel Schiſmaticos datum Baptiſmum nolebat cognoſcere, tanta merita uſque ad triumphum Martyrii ſecuta ſunt, ut charitatis, qua excellebat luce, obumbratio illa fugaretur, & ſi quid purgandum erat, paſſionis falce tolleretur. "

Inſtabis: Atqui traditio ab Epiſcopis Africanis celebrata, erat vera & Apoſtolica: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Can. 45. Apoſtolorum ita habetur: " Epiſcopum, vel Presbyterum, qui Hæreticorum Baptiſmum vel ſacrificium admiſerit, deponi jubemus. Quæ eſt enim conventio Chriſti cum Belial? Vel quæ pars eſt fideli cum infideli? " Rurſus can. 46. jubet Epiſcopum vel Presbyterum deponi, ut primum talem ſuſceperit Baptiſmum, quippe qui, inquit, " Irrideat mortem & crucem Domini, & non diſcernat Sacerdotes a falſis Sacerdotibus, " Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem dico, Canones vel loqui de his qui Baptiſmum in forma defloratum ſuſceperunt, vel qui oblatum ab Hæreticis recepere, cum a Catholicis abſque negotio accipere potuerint. Norunt enim omnes, licitum non eſſe ab Hæreticis ſuſcipere Sacramenta, quum adeſt Catholicorum Miniſtrorum copia.

Reſpondet Natalis Alexander Diſſ. 23. tertii ſæculi quæſtione unica, Canones laudatos non eſſe Apoſtolorum fœtum, ſed

potius

potius Concilii Iconienſis: " In quo, in-
„ quit, ſuum & Africanorum, de reba-
„ ptizandis Hæreticis errorem vindica-
„ tum fuiſſe, Firmilianus in Epiſtola ad
„ S. Cyprianum teſtatur: Decreta autem
„ Synodi Iconienſis tranſcripſit, qui col-
„ lectionem eorum Canonum adornavit in
„ Oriente, quos inſcripſit Apoſtolicos.„
Sin minus eos laudaſſent Firmilianus & Cyprianus pro ſua opinione: Graviſſimi auctores ſuſpicantur illos eſſe fœtum 6. aut 7. ſæculi.

Urgebis: Ex traditione Apoſtolica colligitur intentionem requiri in Miniſtro ad validitatem Sacramenti. Ergo ſimiliter & fidem. Probatur conſequentia. Fides intentionem dirigit, ut Auguſtinus contra Julianum dicit, ſed Hæretici carent fide: Ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam: Ad probationem, conceſsa majore, diſtinguo minorem. Hæreticus conferens Sacramentum non habet fidem ſtricte ſumptam, qua firmiter credimus ea quæ revelata ſunt, ſive ſcripta ſint, ſive non ſint, concedo: Fidem late ſumptam, quæ in eo potiſſimum ſita eſt, ut intendat facere quod facit Eccleſia, nego: Sic ſolvit difficultatem S. Thomas hic q. 64. art. 9. ad 1. his verbis: " Si vero patiatur fidei de-
„ fectum circa ipſum Sacramentum,
„ quod exhibet, licet credat per id quod
„ agitur exterius, nullum ſequi interio-
„ rem effectum; non tamen ignorat
„ quod Eccleſia Catholica intendit per
„ hujuſmodi quæ exterius aguntur, præ-
„ bere Sacramentum; unde non obſtan-
„ te infidelitate, poteſt intendere facere
„ quod facit Eccleſia, licet æſtimet ni-
„ hil id eſſe, & talis intentio ſufficit
„ ad Sacramentum: quia, ſicut ſupra
„ dictum eſt, Miniſter Sacramenti agit
„ in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus
„ fide ſuppletur id quod deeſt fidei Mi-
„ niſtri.„

Inſiſtes: Hæretici ſunt excommunicati & ab Eccleſia ſeparati: Igitur defectu fidei Sacramentum non valent conficere. Unde non ſemel in primis ſæculis quædam Ordinationes vacuæ & prorſus nullæ declaratæ ſunt, eo quod factæ fuiſſent contra Canones præcipientes, ne quis ab Hæreticis ordinaretur. Sic prima ordinatio Photii perſtricta fuit, vel in ipſo 8. Concilio Generali.

Reſpondeo diſtinguendo: Hæretici ſunt ab Eccleſia ſeparati ratione hæreſis & inobedientiæ, concedo; Ratione characteris, nego: Igitur tametſi non valide, licite tamen Heterodoxi poſſunt Sacramenta conferre, quia, inquit paſſim Auguſtinus in libris de Bapt. non amiſerunt quod receperunt. Sic reſpondet S. Thomas ibidem ad 3. " Dicendum, quod
„ poteſtas miniſtrandi Sacramenta, per-
„ tinet ad ſpiritualem characterem, qui
„ indelebilis eſt, ut ex ſupra dictis patet:
„ & ideo per hoc quod aliquis ab Eccle-
„ ſia ſuſpenditur, vel excommunicatur,
„ vel etiam degradatur, non amittit po-
„ teſtatem conferendi Sacramentum, ſed
„ tamen peccat conferendo, & ſimiliter
„ ille, qui ab eo accipit Sacramentum.„

Ad probationem dico, Epiſcopum non habere intentionem ordinandi eum qui aliquo tenetur impedimento a ſacris Canonibus præſcripto; unde non mirum, ſi prima Photii ordinatio declarata ſit vacua, cum non haberet diſpenſationem.

Proponuntur objectiones D. Cypriani & Rebaptizantium, ſimiliter & B. Auguſtini reſponſiones.

OPPONIT I. Cyprianus: Core, Dathan & Abiron abſorpti ſunt a terra, eo quod ſacrificium mala & peſſima diſpoſitione detenti obtuliſſent. Sic enim habetur Num. 16. *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos.* Igitur argumentum eſt Sacramenta a malis collata, vacua eſſe; quod non leviter inſinuat S. Joannes 1. Epiſt. 2. dum ait Hæreticos alioſque malos eſſe Antichriſtos. Vel ipſe Chriſtus Luc. 11. ait, *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Ergo &c.

Reſpondeo: Ad iſtas & ſimiles objectiones unum tantummodo ex his ſequi, videlicet nedum Hæreticis & Schiſmaticis, verum etiam & impiis, ceteriſque malis non licere conficere Sacramenta, poſſe tamen abſolute & quidem valide, cum Chriſto conjungantur, ſi non per fidem & charitatem, ſaltem per intentionem. Ex quo liquet Africanos & Orientales attendiſſe non præciſe ad validitatem, ſed ad licentiam. Et certe neque ipſis ſuſcipientibus prodeſt Sacramentum, ſi ea, qua par eſt, reverentia, & diſpoſitione, illud

non

Digitized by Google

non ſuſcipiant. Iſtorum etiam argumentorum copiam, una falce metit B. Auguſtinus, retorquendo argumentum hoc modo: Impii Catholici, neque Sponſæ & Chriſto per charitatem conjunguntur, neque ſunt juſti; & tamen, non obſtante cordis pravitate, vera conficiunt Sacramenta: Quidni & conficerent tum Hæretici, tum Schiſmatici? Tertia quoque ſolutione, eaque generali fit ſatis objectionibus cum iſta diſtinctione: Mali reduplicative ut mali, hoc eſt, dum agunt contra Eccleſiæ & Chriſti intentionem, nullum conficiunt Sacramentum, concedo: ſi agant ut Miniſtri, & in nomine Chriſti operentur, nego.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Dathan, Core & Abiron impietatis ſuæ pœnas luiſſe graviſſimas, eo quod abſque miſſione ſacrificium obtulerant, concedo: Dictum eſt enim impios Sacramenta non licite conſerre: eo quod de facto ſacrificium ab eis oblatum, non fuerit verum ſacrificium, nego: Sic reſpondet S. Auguſtinus, Lib. 3. de Bapt. cap. 18. n. 24. „ Dathan vero, Core & Abiron, qui ſibi licentiam ſacrificandi uſurpare conati ſunt, contra unitatem populi Dei, & filii Aaron, qui alienum ignem altari impoſuerunt, novimus, quod impune non fecerint, nec nos talia ſcelera dicimus impunita remanere. " Non deſunt auctores qui propugnent iſtos homines non obtuliſſe verum ſacrificium, quippe qui uſi ſint igne alieno contra præptum Dei. Neque vero ex ipſo Scripturæ textu apparet, eoſdem habuiſſe facultatem offerendi ſacrificium. Sed eſto, habuerint, modo fecerunt inordinato; quocirca puniti ſunt.

Ad confirmationem diſtinguo: Mali ſunt Antichriſti & prophani, cum agunt reduplicative ut mali, concedo; ſic enim diſpergunt. Nullo modo vel per ipſam intentionem Chriſto conjunguntur; ſi agant ut Miniſtri, & cum intentione debita, nego. Ex his patet ad ulteriorem confirmationem ſolutio; quandoquidem mali Sacramentum Chriſti conficiunt, quod in ſe optimum eſt.

Solutio eſt D. Auguſtini Lib. 3. de Bapt. cap. 10. n. 15. his aureis verbis: " Non „ eſt autem aqua prophana & adultera, „ ſuper quam nomen Dei invocatur, etiamſi a prophanis & adulteris invocetur: quia nec ipſa creatura, nec ipſum „ nomen adulterum eſt: Baptiſmus vero „ Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, „ & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici & „ immundi; quia ipſa ejus ſanctitas pollui „ non poteſt, & Sacramento ſuo divina „ virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem bene „ utentium, ſive ad perniciem male „ utentium. An vero ſolis, vel etiam „ lucernæ lux, cum per cœnoſa diffundi„ tur, nihil inde ſordium contrahit, & „ Baptiſmus Chriſti poteſt cujuſquam ſce„ leribus inquinari? Si enim ad ipſas res „ viſibiles. „ &c.

Inſtat: Atqui Hæretici nullo modo pertinent ad Chriſtum, & Eccleſiam. Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis. Primo quidem, nec Chriſtum induere, nec Spiritum ſanctum dare potuerunt; adeoque nec conferre Sacramenta quæ ſanctificant, nemo quippe dat quod non habet; qua enim ratione mortuus, alterum exſuſcitaret mortuum? Immo nec illi jus habent ad Chriſti hæreditatem. Secundo: Eccleſia eſt ſponſa ſine macula, quocirca non niſi mundi ad eam pertinent, ideo Cant. 4. dicitur: *Hortus conclusus, fons ſignatus*. Quid plura? Octo tantummodo animæ erant in arca Noe, quæ erat Eccleſiæ figura, hoc eſt ſoli juſti. Ergo &c.

Reſpondet paſſim S. Auguſtinus, etiam impios Catholicos, per peccata, ab Eccleſia quodammodo divulſos eſſe, & tamen vera conficere Sacramenta; quidni & verum darent Baptiſmum Hæretici?

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo: Hæretici non habent Spiritum ſanctum per gratiam gratum facientem, & ad propriam ſanctificationem, concedo: Non habent per gratiam gratis datam, & ad aliorum utilitatem, nego. Solutio eſt D. Auguſtini L. 5. de Baptiſmo cap. 24. n. 34. his verbis: " Jam *de Templo Dei*, & quo„ modo accipiendum ſit, *Quotquot in* „ *Chriſto baptizati eſtis*, *Chriſtum indui*„ *ſtis*, ſatis diſſeruiſſe me memini: Ne„ que etiam avari Templum Dei ſunt, „ cum ſcriptum ſit, *quæ ſocietas Templo* „ *Dei cum Idolis*? Et avaritiam idolola„ triam eſſe, teſtimonium Pauli Cyprianus „ aſſumpſerit. Induunt autem homines „ Chriſtum, aliquando uſque ad Sacramenti

„ ti perceptionem, aliquando & uſque ad „ vitæ ſanctificationem;atque illud primum „ & bonis & malis poteſt eſſe commune, „ hoc autem alterum proprium eſt bonorum & piorum. Quapropter ſi *Baptiſma eſſe ſine Spiritu non poteſt*, habent & Spiritum Hæretici; ſed ad „ perniciem, non ad ſalutem, ſicut habuit Saul. „

Eamdem ſolvit difficultatem Lib. 3. cap. 13. n. 18. ubi ait vel ipſos Catholicos per hæreſim amittere gratiam & Spiritum ſanctum, eumdem tamen iterum recipere, quum ad pacem & Eccleſiæ concordiam redeunt. Ceterum idem eſſe Baptiſma apud Hæreticos, & apud Catholicos propugnat; tametſi non eadem ſit fides. Rurſus cap. 15. n. 20. ſic loquitur: “ Quamobrem ſi Evangelicis verbis, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus ſancti* Marcion Baptiſmum conſecrabat, „ integrum erat Sacramentum, quamvis „ ejus fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis quam Catholica veritas docet, „ non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. „ Rurſus Lib. 5. de Bapt. cap. 26. n. 37. explicans illa Apoſtoli verba Epheſiorum 4. *Una ſpes & fides una*, *& Eccleſia una*, *& Baptiſmum unum*, ait: “ Cum ergo ipſis Apoſtolorum „ temporibus inveniamus fuiſſe quoſdam, „ quibus una ſpes non erat, & unum Baptiſma erat; ex ipſo fonte ita in nos „ ducitur veritas, ut appareat nobis ſic „ fieri poſſe, ut cum ſit una Eccleſia, „ ſicut ſpes una, & Baptiſma unum, habeant tamen unum Baptiſma, qui non „ habent unam Eccleſiam: ſicut illis etiam temporibus fieri potuit, ut Baptiſma unum haberent, qui unam ſpem non „ haberent: Quomodo enim habebant „ unam ſpem cum Sanctis & Juſtis illi, „ qui dicebant, *Manducemus & bibamus*, *cras enim moriemur*, *dicentes quod non eſſet reſurrectio mortuorum*. „

Ad alteram confirmationem diſtinguo: Eccleſia eſt Sponſa immaculata, ſed ſpinis circum ſepta, concedo: Dicitur enim in eodem libro, lilium inter ſpinas, & in Evang. Matth. 25. conſtare ex fatuis & ſapientibus Virginibus. Et eſt abſque ſpinis, nego. Eccleſia ſecundum ſe, tum ratione auctoris, tum ratione legis ſuæ, immaculata eſt: ſæpe tamen ob putrida membra nigra dicitur. Audiendus eſt de hoc momento S. Auguſtinus Lib. 4. de Bapt. cap. 10. n. 16. “ Multi, *ait*, qui „ intus ſunt, contra Eccleſiam faciunt „ male vivendo, & in ſuam vitam infirmas animas traducendo: & nonnulli „ qui foris ſunt, in Chriſti nomine loquuntur, nec operari quæ Chriſti ſunt, „ ſed foris eſſe prohibentur, quando eos „ ut ſanentur, vel corripimus, vel arguimus, vel hortamur. Nam & ille foris „ erat, qui cum diſcipulis non ſequebatur Chriſtum, & in nomine Chriſti expellebat dæmonia, quod Dominus ne „ prohiberetur, admonuit; quamvis utique in quo ſaucius erat, curandus eſſet „ illis verbis Domini, ubi ait, *Qui non eſt mecum, adverſum me eſt*; *& qui mecum non colligit*, *ſpargit*. Et foris ergo „ fiunt aliqua in nomine Chriſti, non „ contra Eccleſiam; & intus ex parte diaboli contra Eccleſiam. „ Quibus ſententiis probat ſanctus Doctor adverſus Cyprianum, ea quæ objiciebat, ſicut Hæreticis, ſic & impiis Catholicis convenire; adeoque, ſicut Catholicos malos, ita ipſe admittebat, ſic & Hæreticos poſſe Sacramenta conficere.

Rurſus ibidem cap. 13. n. 19. illa 2. Corinth. 6. verba, *quæ eſt participatio juſtitiæ iniquitati*, ponderans, ſubdit hæc etiam dici de malis Catholicis, qui tametſi mortui & cæci, poſſunt tamen ratione Sacramentorum quæ ſancta ſunt, & alios illuminare & perficere: “ Quæro, *inquit*, quemadmodum vaſa illa, quæ non „ in honorem, ſed in contumeliam, domus magna continet, intra ipſam domum magnam, poſſint ſanctificandis hominibus miniſtrare quod ſanctum eſt, „ niſi quia illa ſanctitas Sacramenti, nec „ ab immundis pollui poteſt, ſive cum „ per eos datur, ſive cum ab eis qui corde & vita in melius non commutantur, accipitur? „

Similiter diſtinguo illas ſententias: Eccleſia eſt hortus concluſus, puteus aquæ vivæ, & Paradiſus, ratione Juſtorum, concedo: Ratione pecatorum quorumcumque, nego: Sic pronuntiat S. Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. cap. 27. ubi hæc Cant. 4. verba ſic refert: *Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, Paradiſus cum fructu pomorum*. Tum ſubjungit: “ Hoc intelligere non audeo, niſi in Sanctis & Juſtis, non in „ ava-

,, avaris & fraudatoribus .... In quantum ,, ergo lilium, in tantum & hortus con- ,, cluſus, & fons ſignatus : *Eccleſia* in il- ,, lis videlicet Juſtis &c. ,,

Denique in arca Noe erant animalia munda & immunda, & cuncta per aquam ſalvata ſunt. Igitur & mali, & Hæretici poſſunt habere Sacramenta Eccleſiæ. Solvit ſic difficultatem S. Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. c. 28. n. 39. " Poteſt ergo ,, fieri, ut & quidam foris baptizati, per ,, Dei præſcientiam, verius intus bapti- ,, zati deputentur. Quia illic eis aqua in- ,, cipit prodeſſe ad ſalutem : neque enim ,, aliter dici poſſunt ſalvi facti in arca, ,, niſi per aquam. Et rurſus quidam qui ,, videbantur intus baptizati, per eam- ,, dem præſcientiam Dei, foris baptizati ,, verius deputentur. Male quippe uten- ,, tes Baptiſmo, per aquam moriuntur, ,, quod nulli tunc accidit niſi qui præter ,, arcam fuit. ,,

Inſiſtes pro S. Cypriani opinione : Atqui Hæretici & Schiſmatici ne quidem ut inſtrumenta & Miniſtri poſſunt conficere Sacramenta : Ergo &c. Probatur antecedens. Eo ipſo quo ſunt externi, non poſſunt generare filios Eccleſiæ : Ergo &c. Confirmatur : Non habent ullum jus in Eccleſia, quocirca non poſſunt abſolvere a peccatis, eadem igitur ratione nec alia conficere Sacramenta.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo : Hæretici & Schiſmatici filios Eccleſiæ procreare non valent virtute propria, concedo : virtute Eccleſiæ, & in nomine Chriſti, nego. Sicut igitur Spiritus ſanctus quandoque vel ipſis utitur impiis ad prophetandum, ſic & Eccleſia nonnumquam utitur utero alieno ut filios procreet. Sicut Sara per Agar voluit habere Iſmaelem. Solutio eſt S. Auguſtini Lib. 1. de Bapt. cap. 16. n. 25. ,, Sed cum tales, *inquit*, a Spiritalibus ,, evangelizantur, & Sacramentis imbu- ,, untur, tamquam per ſe ipſam Rebec- ,, ca eos parit, ſicut Eſau : cum autem ,, per illos qui non caſte annuntiant E- ,, vangelium, tales in Dei populo gene- ,, rantur ; Sara quidem, ſed per Agar. ,, Item boni ſpiritales, quando Evangeli- ,, zantibus vel Baptizantibus carnalibus ge- ,, nerantur, Lia quidem vel Rachel ju- ,, re conjugali eos, ſed per ancillarum ,, uterum parit. Cum vero per ſpiritales in Evangelio generantur boni fideles, qui ,, vel evadunt in ſpiritalis ætatis affe- ,, ctum, vel eo tendere non deſiſtunt, ,, vel ideo non faciunt quia non poſſunt, ,, ſicut ex utero Saræ Iſaac, vel Rebec- ,, cæ Jacob, in novam vitam, & novum ,, Teſtamentum naſcuntur. ,,

S. Doctor ibidem ait, Cyprianum alteri adhæſiſſe opinioni, eo quod conſenſus Eccleſiæ per Concilium Plenarium nondum affulgeret, ſed in hoc a Traditione Apoſtolica diſceſſiſſe. Lib. vero 2. cap. 4. n. 5. ſubnotat multa inter Epiſcopos tunc temporis actitata fuiſſe, ut vix ſcriptis clareſcere potuerint : " Neque enim, ,, *ait*, omnia quæ illo tempore inter ,, Epiſcopus geſta ſunt memoriæ litte- ,, riſque mandari potuerunt, aut omnia ,, quæ mandata ſunt novimus. " Deinde vero hic & alibi ait Cyprianum purgaſſe ſanguine, quod potuit errare tum circa diſciplinam, tum circa obedientiam decreto B. Stephani Traditione Apoſtolica ſuffulto debitam.

Ad confirmationem diſtinguo : Extranei non habent jus in Eccleſia primario & per ſe, concedo : Secundario, & ipſa permittente Eccleſia, nego : Ita idem Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. cap. 7. n. 8. ,, Nos autem, *inquit*, Baptiſmum eos, non ,, juſte & legitime poſſidere concedimus ; ,, non poſſidere autem non poſſumus di- ,, cere, cum Sacramentum Dominicum ,, in Evangelicis verbis cognoſcimus : Ba- ,, ptiſmum ergo legitimum habent, ſed ,, non legitime habent. ,,

Ad exemplum de Sacramento Pœnitentiæ, nego paritatem. Nam vel ipſi Catholici exauctorati a peccatis abſolvere non poſſunt, eo quod in hoc Sacramento, Miniſter ſit Judex, & juriſdictione indigeat, ut pronuntiet ; iſti tamen degradati, ſi non licite ſaltem valide alia poſſunt conficere Sacramenta. Idem dicendum & de Hæreticis & Schiſmaticis.

Replicant Rebaptizantes : Hæretici aquam ſolummodo mendacem habent, juxta illud Jeremiæ 15. *Facta eſt quaſi mendacium aquarum infidelium*. Igitur Hæretici nullum habent Sacramentum, nec poſſunt facere.

Reſpondeo diſtinguendo : Infideles & Hæretici habent aquam mendacem, defectu fidei quæ requiritur, ut confectio Sacramentorum illis ipſis proſit ad ſalutem, con-

concedo : Habent aquam mendacem ratione validitatis Sacramenti , nego . Senſus Scripturæ eſt , Baptiſmum nec conficienti nec ſuſcipienti prodeſſe , ſi fidem & charitatem non habeant . Sic reſpondet S. Auguſtinus Lib. 3. de Bapt. cap. 14. n. 19. „ Nec intereſt , *ait* , cum de „ Sacramenti integritate , & ſanctitate „ tractatur , quid credat , & quali fide „ imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum . Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam , ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri enim poteſt, „ ut homo integrum habeat Sacramentum „ & perverſam fidem ; ſicut fieri poteſt, „ ut integra teneat verba Symboli , & „ tamen non recte credat , ſive de ipſa „ Trinitate , ſive de Reſurrectione . „

Tum idem ſanctus Doctor cap. 15. n. 20. explicat Jeremiæ verba , non de Sacramento, ſed de infidelitate populi : " Si „ figurate , *inquit* , atque allegorica locutione Prophetiæ , nuſquam poneretur „ aqua , niſi quæ Baptiſmum ſignificaret , „ laboraremus quærere quid ſibi velint „ hæc verba Jeremiæ : Nunc autem , cum „ apertiſſime in Apocalypſi exponantur „ aquæ pro populis poſitæ , cur non intelligam aquam mendacem & ſine fide , populum mendacem ac perfidum, „ neſcio ? „

Perſiſtunt : Baptiſmus flaminis vere eſt Baptiſmus : Atqui tamen , nullum prorſus eſt Sacramentum defectu fidei in Hæretico : Ergo a pari nec alia Sacramenta ?

Reſpondeo negando paritatem : Ratio diſcriminis eſt , quod Martyrium non ſit Sacramentum , niſi improprie , & quatenus includit Baptiſmi votum , quod , ſecluſa Chriſti charitate , non ſubſiſtit ; iſta vero admiſſa , non operatur ex opere operato , niſi ad ſummum paſſive , & ut eſt Paſſionis Chriſti realis imitatio : Sed Baptiſmus eſt merum Chriſti opus , nedum paſſivè , ſed & active cauſans gratiam ex opere operato , quocirca ab infideli dato etiam ſuſcipienti prodeſt , modo illud cum devotione ſuſcipiat . S. Auguſtinus Lib. 4. de Bapt. cap. 17. n. 24. difficultatem ita ſolvit : " Hoc veriſſimum „ eſt ; extra Eccleſiam quippe occiſus , „ charitatem non habuiſſe convincitur , „ de qua Apoſtolus dicit , *Et ſi tradidero* „ *corpus meum ut ardeam , charitatem autem non habeam , nihil mihi prodeſt* . . . „ Cyprianus exponit . . . Salus extra Eccleſiam non eſt . Quis negat ? Et ideo „ quæcumque ipſius Eccleſiæ habentur , „ extra Eccleſiam non valent ad ſalutem . Sed aliud eſt non habere , aliud „ non utiliter habere : Qui non habet , „ eſt baptizandus ut habeat ; qui autem „ non utiliter habet , ut utiliter habeat , corrigendus . Nec adultera eſt „ aqua in Baptiſmo Hæreticorum ; quia „ nec ipſa creatura, quam Deus condidit , „ mala eſt ; nec verba Evangelica in „ quibuslibet errantibus reprehendenda ſunt , ſed error illorum , in quo „ adultera eſt anima . „

Reponunt Rebaptizantes : Novatiani vel ipſos Catholicos rebaptizabant ; igitur & Catholici jure potiori rebaptizare poſſunt Hæreticos . Confirmatur : Joannes Baptiſta erat ſanctus , & tamen rebaptizati ſunt a Diſcipulis Chriſti , illi omnes , qui fuerant a Joanne tincti : Ergo a pari , &c.

Reſpondeo negando paritatem . Tametſi enim Cyprianus quaſi ad æmulationem provocatus a Novatianis voluerit ab hæreſi redeuntes rebaptizari , dubio procul Novatiani non ſunt pro rebaptizatione audiendi; cum & ullo abſque fundamento vel ipſos Catholicos in odium Eccleſiæ rebaptizarent . Talis eſt B. Auguſtini reſponſio Lib. 3. de Bapt. cap. 11. n. 16. „ his verbis : " Neque enim quidquid „ Hæretici perverſe fuerint imitati , „ propterea faciendum a Catholicis non „ eſt , quia illi ſimiliter faciunt . „ Hanc reddit rationem , quia Sacramentum quod datur in Eccleſia , non amittitur .

Reſpondeo ad alterum exemplum , negando paritatem cum beato Auguſtino , qui Lib. 5. de Bapt. cap. 15. n. 18. ait : " „ At enim multo magis poſt Hæreticum „ baptizandum eſt ; quia Joannes Hæreticus non erat , & tamen poſt eum baptizatum eſt ? Sic , dicit aliquis , multo magis poſt ebrioſum baptizandum „ eſt , quia Joannes ſobrius erat , & tamen poſt eum baptizatum eſt ; Et quid „ reſpondeamus ei , non habebimus , niſi „ baptizatis a Joanne Baptiſmum Chriſti „ non habentibus eſſe traditum : in quibus „ autem eſt Baptiſmus Chriſti , quibuslibet „ eorum perverſitatibus nullo modo fieri,

Digitized by Google

„ ri, ut ſit in eis Baptiſmus Chriſti. „ Cum autem Joannis Baptiſmus in pœnitentiam & non niſi ex opere operantis produxerit gratiam, non mirum ſi iteratus fuerit: At vero Chriſti Baptiſma producit gratiam ex opere operato, immo & characterem imprimit indelebilem, ex quo recte ſequitur non eſſe reiterandum.

Replicant: Cephas a Paulo reprehenſus eſt, eo quod judaizaſſet. Igitur & Romani reprehendi poſſunt, ex eo quod rebaptizare nolint.

Reſpondeo diſtinguendo: Et Cephas ab hoc ceſſavit, concedo: Secus, nego: Quia vero contra Traditionem rebaptizabat Cyprianus, ab iſto more ceſſare debuit, cum vel ipſe Cephas exemplum dediſſet non iis adhærere, quæ fidelium adverſantur perfectioni: Solutio eſt D. Auguſtini Lib. de Bapt. cap. 1. n. 2. "Quapropter *ait*, cum Petrus illud faciens, „ a Paulo poſteriore corrigitur, & pacis „ atque unitatis vinculo cuſtoditus, ad „ ad Martyrium provehitur, quanto facilius & fortius quod per univerſæ Eccleſiæ ſtatuta firmatum eſt, vel unius „ Epiſcopi auctoritati, vel unius Provinciæ Concilio præferendum eſt? Cum „ idem ipſe Cyprianus ita dixerit quod „ ei videretur, ut in pacis unitate eſſe voluerit. „

Mitto varias alias objectiones, quas S. Auguſtinus ex Conciliis rebaptizantium excerptas refert & ſolvit Lib. 6. & 7. de Baptiſmo, quippe quæ in ſuperiores coincidant. Et vero Africani opponunt illud Chiſti, Matth. 5. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur*, &c. Opponunt etiam, quod hæreſis non eſt Eccleſia, & quod beatus Joannes in ſua Epiſtola dicat: *Si quis venit ad vos, & doctrinam* Chriſti *non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis*. Ex quibus locis multis aliis non abſimilibus, Baptiſmum ab Hæreticis collatum, non valere inferunt.

S. Auguſtinus Lib. 6. de Bapt. reſpondet hoc unum ex allatis ſequi, ſcilicet Sacramenta non prodeſſe & conficientibus, & ſuſcipientibus, ſi ſint aliqua peccati pravitate detenti, e contra vero ſi ſuſcipientes a fictione recedant cap. 14. ad 1. Solvendum, ait: " Quaſi non dicamus „ homines ipſos foras projectos aliquid „ valere, vel ad ſuam, vel ad aliorum „ ſalutem. „ Lib. 7. cap. 8. ad 2. reſpondet aquas Paradiſi irrigare Ægyptum, tametſi Ægyptus non ſit Paradiſus. Tum ſubdit: " Item dicimus, aut petra Eccleſia eſt, aut arena Eccleſia. Porro quia „ non eſt Eccleſia arena, quomodo apud „ eos qui ſuper arenam ædificant, audiendo verba Chriſti, & non faciendo, eſſe Baptiſmus Eccleſiæ poterit? Et tamen eſt, ſic ergo & apud Hæreticos. Cap. 45. occurrit loco Joannis his verbis: „ De hoc teſtimonio Joannis, non eſt „ diutius differendum, quandoquidem ad „ quæſtionem Baptiſmi, quam modo tractamus, omnino non pertinet; ait „ enim, *Si quis ad vos venerit, & doctrinam Chriſti non habet*: Hæretici autem „ relinquentes doctrinam erroris ſui, ad „ Chriſti doctrinam convertuntur, ut incorporentur Eccleſiæ. „

Objicies denique plurimos Patres omni exceptione majores, qui Hæreticos rebaptizandos eſſe contendunt, ut Athanaſius oratione 3. Baſilius Magnus Epiſt. 1. ad Amphilochium can. 1. Cyrillus Hieroſolymitanus in Præfatione Catecheſeon, & Optatus Milevitanus L. 1. contra Parmenianum part. 38. Igitur rebaptizare Traditioni conſonum eſt.

Reſpondeo negando conſequentiam: Dictum eſt enim ſupra, Patres modo allatos non nihil adhæſiſſe opinioni Cypriani, quam veluti ut meram diſciplinæ quæſtionem habebant; quandoquidem Athanaſius abjiciebat Baptiſma omnium ferme Hæreticorum, ſicut & Cyrillus Hieroſolymitanus: Baſilius, multorum. Optatus Baptiſma quidem Schiſmaticorum admittebat, ſed Hæreticorum procul faciebat. Natal. Alexander Diſſ. 23. tertii ſæculi quæſtione unica contendit perilluſtres illos Patres eorum dumtaxat Hæreticorum, qui Sacramenti formam adulterabant, Baptiſmum rejeciſſe, qu[illegible] & defendi liquido poteſt.

Dices: Nemo dat quod non habet: Sed Miniſter improbus non habet gratiam ſanctificantem. Igitur cum Sacramenta ad ſanctificandam animam inſtituta ſint, requiritur in Miniſtro juſtitia. Sin minus Sacramentum non ſine magna irreverentia, vacuum & prorſus inane ſignum erit. Confirmatur: Idem eſt judicium de ceteris Sacramentis conficiendi ac de Pœnitentia. Atqui Miniſter iſtius Sacramenti,

menti, ſecluſa gratia ſanctificante nequit a peccatis abſolvere: Et probatur. Remittuntur peccata per Spiritum ſanctum in Miniſtro inhabitantem, juxta illud Chriſti Joan. 20. ad diſcipulos: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Miniſter improbus non habet gratiam ſanctificantem in ſe concedo: non habet ratione operis operati, ſcilicet Sacramenti quod præcontinet virtutem meritorum Chriſti per quam producitur, nego. Ceterum cum effectus aſſimiletur cauſæ principali, & non inſtrumentali, ſufficit ut gratia ſit in Chriſto, maxime cum juxta S. Thomam hic q. 60. art. 2. „ Virtus ſalutifera gratiæ productiva a divinitate per „ humanitatem, & ab humanitate per Sa„ cramenta derivetur? Eo ipſo igitur quo „ Miniſter movetur a cauſa principali cui „ per intentionem ut agens conjungitur, „ & ritum debite ſecundum regulas fa„ cit, jam ejus actio de ſe optima eſt, & „ conficit Sacramentum. „

Ad confirmationem nego minorem. Ad probationem diſtinguo: Remittuntur peccata per Spiritum ſanctum inhabitantem in Miniſtro ratione poteſtatis, concedo: Inhabitantem per gratiam ſanctificantem ſubdiſtinguo; ad melius, concedo: ita ut ſecluſa illa gratia, reus a peccatis non abſolvatur, nego. Spiritus ſanctus dicitur inhabitare in aliquo dupliciter, nimirum ratione gratiæ ſanctificantis, & ratione poteſtatis. Priori modo inhabitat in Juſtis: Poſteriori modo nonnumquam vel in ipſis malis, quum utilitas proximi exigit. Sic ratione doni prophetiæ fuit & in Balaam & in Caipha, quidni & adeſſet ratione poteſtatis conficiendi Sacramenta in Miniſtro improbo cuncta ad conficiendum Sacramentum obſervante, cum hæc poteſtas eatenus gratia gratuita dici poſſit, quatenus in aliorum utilitatem cedit?

Solvuntur objecta adverſus alteram concluſionem militantia.

OBJICIES: Qui in peccato mortali conſtitutus hoſtiam conſecratam tangit, rem ſupra modum ſanctam petractat, & tamen novi peccati mortalis reus non eſt, niſi adſit ex determinata malitia contemptus. Igitur & a ſimili nec Miniſter impius cum Baptiſmum v. g. conficit: ſicque citra peccatum Sacramenta poſſunt a malo Miniſtro confici. Confirmatur: Si hoc fiat in caſu neceſſitatis abſque peccato Miniſter etiam impius operatur, ut propugnat S. Thomas hic q. 64. art. 6. ad 3. ubi docet impium non peccare cum in caſu neceſſitatis Baptiſmum adminiſtrat. Igitur a pari & cum citra neceſſitatem baptizat.

Reſpondeo negando paritatem: non enim hoſtia conſecrata ſolo contactu ſanctificat. At conficere Sacramentum eſt actio conſecrationem in Miniſtro ſupponens; hinc peccat propter irreverentiam.

Ad confirmationem nego utique paritatem. Aliud enim eſt baptizare extra neceſſitatem, aliud in neceſſitate. Primum fit ex officio & vi conſecrationis; alterum vero ex charitate. Qui peccato mortali detentus priori modo conficit Sacramentum, peccatis ſuis novum addit; ſecus qui poſteriori modo. Solutio eſt D. Thomæ ibidem ad 3. ubi differens de Sacramenti Miniſtro, ait: " In articulo ta„ men neceſſitatis non peccaret baptizan„ do, in caſu, in quo etiam poſſet Lai„ cus baptizare: Sic enim patet, quod „ non ſe exhiberet Miniſtrum Eccleſiæ, „ ſed ſubveniret neceſſitatem patienti; „ ſecus eſt autem in aliis Sacramentis, quæ „ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut Ba„ ptiſmus. „

Repones: Malus quamvis malus poteſt citra peccatum opera charitatis exercere. Igitur & baptizare, cum hoc ipſum charitatis & miſericordiæ motivo poſſit facere.

Reſpondeo negando paritatem cum D. Thoma, qui ſic loquitur hic q. 64. art. 6. ad 1. " Opera charitatis non ſunt ali„ qua conſecratione ſanctificata, ſed ipſa „ pertinent ad juſtitiæ ſanctitatem, ſicut „ quædam juſtitiæ partes: & ideo homo „ qui ſe exhibet Deo Miniſtrum, in ope„ ribus charitatis, ſi ſit juſtus, amplius „ ſanctificatur: ſi vero ſit peccator per „ hoc ad ſanctitatem diſponitur: ſed Sa„ cramenta in ſe ipſis ſanctificationem „ quamdam habent, per myſticam conſe„ crationem, & ideo præexigitur in Mi„ niſtro ſanctitas juſtitiæ, ut congruat „ ſuo Miniſterio, & ideo incongrue agit & „ peccat, ſi in peccato exiſtens ad tale Mini-

niſterium accedat. „ Ex qua ratione D. Thomæ ſequitur Subdiaconum, qui gravi peccato detentus, ſuo in altari fungitur officio, peccare mortaliter propter ejus conſecrationem; ſecus vero Laicum, qui legit Epiſtolam in Miſſa, quippe qui hoc neque faciat ex officio, neque vi conſecrationis.

Inſtabis: Si mali Miniſtri peccant miniſtrando Sacramenta, peccarent utique illi qui Sacramenta ab eis acciperent, quatenus eorum peccato conſentirent: Sed falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Suſcipientes, ſi citra neceſſitatem a malis Miniſtris Sacramenta acciperent, peccarent, concedo: ſin minus, nego: In caſu neceſſitatis a malis recipere Sacramenta licitum eſt. Sic licitum eſt pauperi ad vitam alendam recipere pecuniam ab uſurario, aliquid ſupra ſortem exigente, ſi aliter non poſſit fieri.

Inſiſtes: Atqui non peccat qui recipit Sacramenta ab eo qui eſt excommunicatus, & uti talis cognoſcitur: Ergo &c. Probatur ſubſumptum ex conſtitutione Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda ſcandala*. In ea ſic loquitur ſummus ille Pontifex:" Ad evitanda ſcandala, & multa pericula quæ conſcientiis timoratis contingere poſſunt, Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus, Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis prætextu cujuſcumque ſententiæ aut Cenſuræ Eccleſiaſticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem evitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi cenſura vel ſententia ejuſmodi fuerit facta contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam perſonam, a judice publicata, vel denuntiata ſpecialiter, aut expreſſe Conſtitutionibus Apoſtolicis &c. aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque, niſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum in ſententiam latam, a Canone adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum nulla poſſit tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari; nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri, juxta canonicas ſanctiones. „Igitur, ſi excipias percuſſorem clerici publicum, licet ab aliis excommunicatis notoriis citra peccatum recipere Sacramenta.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Ex Martino V. aliquis poteſt communicare abſque peccato cum Miniſtris impiis & excommunicatis, ſi non fuerint denuntiati, concedo: & in hoc Martinus a jure antiquo receſſit. Si ſint denuntiati, ſicut intelligit D. Thomas modo laudatus, qui de degradatis & ſpecialiter interdictis loquitur, nego. De his quippe tantummodo ſermonem inſtituimus. Ad cautelam tamen melius eſt a bonis & fidelibus Miniſtris ſuſcipere Sacramenta.

Replicabis: In Concilio Baſileenſi Seſſ. 20. n. 2. Edit. Labbei. Tom in V. Lateranenſi, in Pragmatica Sanctione, & in Concordatis inter Leonem X. & Franciſcum I. renovatur Conſtitutio Martini V. cum hac repetita clauſula, quod quiſque abſtineat ab eis qui notorie in aliquam cenſuram prolapſi ſunt. Non abs re erit in medium hic proferre verba Synodi Baſileenſis.

„ Ad vitandum ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, ſtatuit etiam quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis, vel extra, prætextu cujuſcumque ſententiæ aut Cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis, ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura hujuſmodi, fuerit in vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum aut certam, a Judice publicata, vel denuntiata ſpecialiter, aut expreſſe: aut ſi aliquem ita notorie in excommunicationis ſententiam conſtiterit inciſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo modo juris ſuffragio excuſari, nam a communione illius abſtinere vult juxta canonicas ſanctiones. Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis

„ quomo-

„ quomodolibet ſuffragari. „ Ergo &c.

Obſerves velim excommunicatos, de quibus fit mentio in diplomate Martini, eos eſſe qui aliquod ſcelus aut prorſus occulte, aut coram paucis teſtibus patrarant, propter quod jura *ipſo facto* excommunicationis pœnam infligebant.

Reſpondent multi Theologi, decreta Concilii, tum Baſileenſis, tum Lateranenſis, ac Concordati ſuum non habuiſſe effectum, cum apud Gallos, Hiſpanos, vel etiam apud Italos Conſtitutio Martini V. obſervetur abſque exceptione, immo in Francia Clerici percuſſor notorius etiam non vitetur niſi poſt ſententiam excommunicationis a Judice Eccleſiaſtico in eum ſpecialiter latam.

Inferes I. Non licere extra caſum neceſſitatis ab impio Miniſtro, & ut tali agnito, Sacramenta recipere. Ratio ea eſt, quod exigens Sacramentum per hoc illum ad peccandum induceret, ſicque ejus prævaricationis foret particeps: & vero malus ille Miniſter vel eſt accinctus ad diſpenſandum Sacramentum, vel non; ſi primum, præbetur illi materia ut actu peccet: ſi ſecundum, jam ad peccandum ſtimulatur, ſed neutrum citra peccatum fieri poteſt, cum nuſquam licitum ſit ad peccatum alicujus concurrere; hinc jura & delinquentes, & conſentientes, a fortiori & adjuvantes puniunt. Igitur ſecluſo neceſſitatis caſu, nullus a malo Miniſtro Sacramenta debet exigere. Dixi a malo ut tali cognito, ſiquidem minus licitum eſt, cum Eccleſia non judicet de internis, & cuique de proximo bene judicare incumbat.

Res in caſu neceſſitatis aliter ſe habet; quiſque enim ex jure tum naturali, tum divino propriæ ſaluti conſulere tenetur; ſic enim loquitur D. Thomas hic q. 64. art. 6. ad 2. " Dicendum quod ille qui ad Sacra„ mentum accedit, ſuſcipit Sacramenta a „ Miniſtro Eccleſiæ, non in quantum eſt „ talis perſona, ſed in quantum eſt Mini„ ſter Eccleſiæ. Et ideo quandiu ab Eccle„ ſia toleratur in Miniſterio, ille, qui ab „ eo ſuſcipit Sacramentum, non commu„ nicat peccato ejus, ſed communicat Ec„ cleſiæ, quæ eum tamquam Miniſtrum „ exibet.

Si tamen de Parocho ſermo ſit, communis eſt apud Theologos ſententia, quemlibet poſſe vel etiam extra neceſſitatis urgentis caſum, ab eo tametſi impio notorio conducentia ad ſalutem exigere; ea tamen conditione, quod non ſit copia boni & juſti Miniſtri; in hac quippe circumſtantia non debet Paſtori eſſe offenſionis petra. Quod ſi deficeret alius Sacramentorum Miniſter, accipiens a ſuæ Parochiæ Rectore Sacramenta, foret quidem ſcandalum, ſed tantummodo acceptum a Miniſtro impio, & non datum. Non una eſt Theologorum pro aſſertione ratio. Prima, eaque potiſſima eſt, quod Parochianus ſuo utatur jure, poſtulando paſcua ex ſe bona & utilia animæ ſuæ, qualia ſunt Sacramenta. Altera, licitum eſt exigere juramentum ab infideli, qui ſcitur deos ſuos falſos in teſtes vocaturus, eo quod res bona & debita juramenti expoſtulandi objectum ſit. Quidni igitur licitum foret Sacramenta petere ab eo cui ex officio illa miniſtrare incumbit? maxime cum ovis vel ab ipſo malo Paſtore, quando deeſt bonus, ad paſcua quibus vita ſua nutriatur & foveatur jus habeat. Tertia: Qui in extrema paupertate poſitus eſt, citra peccatum, ad ſublevandam ſuam miſeriam pecunias ad uſuram mutuare poteſt, ſi non adſit ei aliud eas obtinendi medium, quia ex jure avito cuilibet licitum eſt vitam naturalem fovere: Igitur & a fortiori vitam animæ Sacramentis alere. Quarta hæc ceteris adjungitur: Bonæ fidei poſſeſſor poteſt a debitore ſua coram Judice repetere, tametſi prævideat debitorem uſque ad furoris & vindictæ malitiam exacerbandum, quippe qui expoſtulando quod illi debetur, nulli faciat injuriam. Igitur & a ſimili qui bona ſpiritualia quæ illi ex jure contiugunt, repetit, nec Paſtori, nec vel ipſi Eccleſiæ irrogat injuriam.

Inferes ſecundo, nemini licere extra mortis periculum recipere Sacramenta a Miniſtro ab executione ſuorum ordinum ſuſpenſo, & excommunicato propter aut hæreſim, aut aliud nefandum crimen. Sic propugnat ſanctus Auguſtinus. Sic S. Thomas. Prior L. 1. de Bapt. cap. 2. ait: " Si quis, cum poſſit in ipſa Catholi„ ca Eccleſia accipere, per aliquam men„ tis perverſitatem eligit in Schiſmate „ baptizari.... procul dubio perverſus & „ iniquus eſt, & tanto pernicioſius, quanto „ ſcientius. " Alter vero 3. p. q. 64. art. 6. ad 2. concedit quidem ſuſcipientes Sacramenta a malis Miniſtris, abſolute loquendo non peccare, quia Eccleſiæ &

non Miniſtro ut malus eſt, communicant. Tum ſubdit de Miniſtro differens: " Si ,, vero ab Eccleſia non toleratur, puta ,, cum degradatur, vel excommunica- ,, tur, vel ſuſpenditur, peccat qui ab eo ,, accipit Sacramentum: quia communi- ,, cat peccato ipſius. ,, Nec deſunt veteris diſciplinæ exempla, quibus aſſertio illuſtrari queat. Inſtar omnium ſit factum S. Hermenegildi, qui mortem potius, quam communicare cum Arianis, ſacram Euchariſtiam ab hujus ſectæ Præſule recipiendo, ſubire maluit, propter quod ab Eccleſia ut Martyr colitur. Ergo &c.

Jamvero quod in extrema neceſſitate licitum ſit a quocumque non ſolum petere, ſed & de facto recipere Sacramentum ad ſalutem ſimpliciter & abſolute neceſſarium, vel ipſa determinat Synodus Tridentina Seſſ. 14. cap. 7. omnem prorſus reſcindens pro abſolutione peccatorum in hoc caſu recipienda reſervationem. Loquens enim de caſuum reſervatione, ait: ,, Pie admodum, ne hac occaſione aliquis ,, pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſem- ,, per fuit, ut nulla ſit reſervatio in ar- ,, ticulo mortis; atque adeo omnes Sacer- ,, dotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis ,, caſibus & cenſuris abſolvere poſſunt. ,, Porro quod de uno Sacramento in gratiam ſuſcipientis profertur, pari & conſimili ratione de ceteris ſuſcipiendis dicendum eſt. Ergo &c.

Concinit S. Auguſtinus. Namque L. 1. de Bapt. cap. 2. ait: " Si quem forte coe- ,, gerit extrema neceſſitas, ubi Catholi- ,, cum per quem accipiat non invenerit: ,, & in animo pace catholica cuſtodita, ,, per aliquem extra unitatem catholicam ,, poſitum acceperit quod erat in ipſa ca- ,, tholica unitate accepturus, ſi ſtatim et- ,, iam de hac vita migraverit, non eum ,, niſi Catholicum deputamus. Si autem ,, fuerit a corporali morte liberatus, cum ,, ſe Catholicæ Congregationi etiam cor- ,, porali præſentia reddiderit, unde num- ,, quam corde diſceſſerat, non ſolum non ,, improbamus quod fecit, ſed etiam ſe- ,, curiſſime veriſſimeque laudamus. ,, Ratio eſt, quia hac ſecluſa indulgentia ſæpius ſalus animæ impoſſibilis evaderet. Sed Deus, ait idem Tridentinum Seſſ. 6. cap. 11. *impoſſibilia non jubet*. Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Non requiritur ad validitatem Sacramenti abſolute loquendo, probitas Miniſtri; peccat tamen qui peccato gravi detentus conficit Sacramenta.

PRIMUM patet, cum non ſemel peccatores dono prophetiæ inſigniti ſint: Porro Sacramentorum confectio eſt gratia veluti gratis data ad ſalutem proximi, quocirca Miniſtri improbitas, ſi omnia requiſita adhibeantur, non impedit Sacramenti validitatem. Hoc ipſum ex traditione conſtat, tum ex decreto Stephani I. adverſus Africanos & Orientales rebaptizantes eos qui tincti forma Evangelica ab hæreſi ad Eccleſiam pœnitentes redibant. Quid plura, ſacra Synodus Tridentina, definivit Miniſtri improbitatem, non impedire Sacramenti confectionem.

Secundum utique caput non eſt minus certum, juxta illud adagium ex Scriptura deſumptum, (*Sancta Sanctis.*) Non unum Concilium declaravit ſanctitatem prærequiri in Miniſtro. In primis Tridentinum Seſſ. 13. cap. 7. ubi explanans illa 1. Cor. 11. verba: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, ait. " Qua- ,, re communicare volenti revocandum ,, eſt in memoriam ejus præceptum: Pro- ,, bet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem ,, conſuetudo declarat, eam probationem ,, neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi con- ,, ſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi ,, contritus videatur, abſque præmiſſa ſa- ,, cramentali confeſſione, ad ſacram Eu- ,, chariſtiam accedere debeat. ,,

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO QUIDEM: Rebaptizantes opponunt varia Scripturæ loca, qualia ſunt iſta: *Ab immundo quis mundabitur? Qui non eſt mecum, diſpergit*. Laudant etiam pro ſua ſententia quaſdam Apoſtolorum canones. Cyprianus ait vel ipſum Martyrium nihil prodeſſe impio, quia impius eſt, ex quo concludit Hæreticum non poſſe conficere & habere verum Chriſti Sacramentum.

Ad

Ad primum : Verum eſt malos reduplicative, ut malos, maxime vero ſi careant intentione faciendi quod facit Eccleſia, nullum conficere Sacramentum; e contra vero ſi omnes adhibeant conditiones; cum experimento comprobetur quotidiano, peccatores Catholicos tametſi peccatorum pondere gravatos, vera conficere Sacramenta : hinc S. Auguſtinus ad omnes Africanorum & Orientalium objectiones reſpondet, unum dumtaxat inde ſequi, Sacramentum neque danti, neque accipienti prodeſſe, ſi ille peccato hæreſis detineatur, iſte vero ſi in aliquo alio peccato verſetur.

Ad ſecundum : Non ignoti nominis auctores propugnant Canones, qui inſcribuntur Apoſtolici, non eſſe Apoſtolorum fœtum, alias eſſent Scriptura ſacra, nec omiſſi fuiſſent a Cypriano pro ſua propugnanda ſententia; ſed opus eſſe auctoris ignoti, qui exeunte ſexto ſæculo eos ex variis Conciliis collegit. Quicquid ſit, omnes conveniunt duos Canones pro rebaptizatione laudatos, eſſe ſuppoſititios, & a Rebaptizantibus inter alios appoſitos fuiſſe.

Ad tertium : Non eſt paritas; namque Martyrium eſt opus operantis; quocirca deficiente motivo, & charitate, non eſt proprie dictum Martyrium; at vero Sacramentum eſt opus Chriſti, quod improbitate Miniſtri non deletur.

Contra alteram concluſionem reponi poteſt, quandoque Miniſtrum etiam malum peccare, ſi non conferat Sacramenta; ſed hoc intelligitur de caſu neceſſitatis, in quo poſitus Paſtor, cui ex officio incumbit baptizare & audire confeſſiones, non haberet ipſe copiam Confeſſoris, ut ſua primitus deponeret peccata; in hac quippe hypotheſi, poteſt ſuo fungi officio, ſed ante omnia actum contritionis elicere tenetur.

ARTICULUS ULTIMUS.

De numero Sacramentorum.

BELLARMINUS hic Lib. 2. p. 23. de Sacramentis in genere, dicit non unam fuiſſe circa numerum Sacramentorum Proteſtantium opinionem, cum alii duo, alii tria, quidam quatuor, nonnulli etiam ſeptem admiſerint. Inter Catholicos vero diſceptatur de lotione pedum. Duo igitur occurrunt enucleanda pro præſenti de numero Sacramentorum controverſia. Primo quidem, num lotio pedum inter Sacramenta annumerari debeat, & quid ſenſerint in primis D. Ambroſius & D. Bernardus? Deinde vero num de fide ſit nec plura nec pauciora eſſe, quam ſeptem Sacramenta? Unde ſit

SECTIO PRIMA.

Utrum lotio pedum inter Sacramenta annumerari debeat?

CONCLUSIO.

Lotio pedum non eſt Sacramentum.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Quod factum eſt ſolummodo in humilitatis & charitatis exemplum, & ut diſpoſitio ad ſacram Euchariſtiam digne ſumendam, citra dubium non eſt Sacramentum : Atqui talis eſt lotionis pedum inſtitutio, ut ex ipſius Chriſti verbis liquet, qui quidem completa lotionis pedum cæremonia, dixit diſcipulis Joan. c. 13. v. 15. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Secunda : Sacramentum ut quid permanens, fuit a Chriſto inſtitutum : Sed lotio pedum nonniſi ad tempus inſtituta eſt, quandoquidem non fuit ab ipſa Romana Eccleſia veluti ritus perpetuo, & ab omnibus frequentandus recepta, ut obſervat Ambroſius Lib. 3. de Sacramentis cap. 1. Sin minus omnes deberent alternata vice ſuos ſæpius lavare pedes, quod certe non eſt in uſu : quin immo lotio pedum nonniſi ex opere operantis ſicut alia ſacramentalia, qualis eſt aqua benedicta, remittit peccata, & hæc tantummodo Venialia, quod ex iſtis Chriſti verbis conſtat ibidem, *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*; cum igitur ipſi juſti totaliter mundi, lotionem ſuſcipiant, argumentum eſt ipſam non eſſe Sacramentum.

Tertia : Certum eſt lotionem pedum inter Sacramenta non eſſe annumerandam, cum de fide definitum ſit a Concilio Tridentino nec plura nec pauciora eſſe in

nova

nova lege quam ſeptem Sacramenta. Immo contrarium probari non poteſt ex cæremonia a Chriſto pridie quam pateretur erga diſcipulos obſervata, cum nihil aliud ſpiret præter humilitatis & charitatis exemplum. Neque vero deſunt rationes, quibus abſque negotio demonſtratur lotionem pedum Sacramenti eſſentiam ſeu naturam non induere. Inter conditiones ad Sacramentum prærequiſitas ea potiſſimum eſt, ut annexam habeat gratiam: ſed iſta deficit in lotione pedum; non enim inſtituta eſt ſaltem primario niſi ad humilitatis & charitatis exercitium, ut expreſſe habetur Joan. 13. Ergo &c. Immo non deſunt qui affirment ne quidem venialia peccata lotione pedum abſtergi, ſi eam quæ a Chriſto factam Apoſtolis excipias. Ita Bellarminus L. 2. de Sacr. in genere cap. 24. p. 237. Juvat hic texere, totum lotionis pedum ritum, ut legenti pateat non eſſe ſacramentalem.

Surgit a cœna Chriſtus, *& ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum. . . . Dicit ei Petrus, non lavabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Jeſus, ſi non lavero te, non habebis partem mecum . . . . . . Poſtquam ergo lavit pedes eorum, accepit veſtimenta ſua: Et cum recubuiſſet iterum, dixit eis, ſcitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter & Domine: & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter: Et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Cuncta hic ſunt ponderanda. Primo quidem, reſiſtit Petrus nolens præ humilitate quod Rex Regum ad ſuos proſtratus pedes, eos ipſos lavaret. *Non lavabis*, inquit, *mihi pedes in æternum*. II. *Reſpondit ei Jeſus, ſi non lavero te, non habebis partem mecum*. Iſta verba in ſenſu obvio non gratiæ promiſſionem, ſed pœnam tantum aliquam, quam Chriſtus Petro ſibi reſiſtenti minatur, privationem ſcilicet Euchariſtiæ, ut quidam autumant, continent. III. Abſoluta pedum lotione Chriſtus pandit myſterium diſcipulis, & in eo ſitum eſſe dicit, ut ſe mutuo & diligant, & beneficiis ad humilem uſque famulatum præveniant. Cujus quidem præcepti hanc egregiam profert rationem. *Si ergo lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter: Et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*.

Quarto: Ubi eſt Sacramentum ibi adeſt & illud frequentandi præceptum: Sed nullibi reperies de lavandis pedibus legem. Igitur lotio pedum non eſt Sacramentum. Iſta ratio eſt Bellarmini ibidem pag. 237. " Non habemus, *ait*, mandatum ſeu in- ,, ſtitutionem hujus ritus frequentandi, ,, quod requiritur in omni Sacramento: ,, alioqui peccarent fere omnes homines, ,, qui non utuntur iſta cæremonia. Et li- ,, cet fuerit hæc cæremonia uſitata olim ,, in quibuſdam Eccleſiis ſtatim poſt Ba- ,, ptiſmum, tamen non fuit umquam ab ,, omnibus recepta, nec ab ipſa Romana ,, Eccleſia. ,,

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Ritus a Chriſto inſtitutus, eſt Sacramentum, maxime ſi accedat, illam cæremoniam obſervandi præceptum. Atqui talis eſt lotio pedum: Igitur rationem Sacramenti obtinet. Probatur minor. Joan. 13. Chriſtus Dominus, completa lotionis pedum cæremonia, ſic alloquitur Apoſtolos: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Si ritus ille ad gratiam conferendam per ſe primo ordinatus ſit, concedo: ſi ſolum præceperit Chriſtus illam cæremoniam ad ciendos tum humilitatis, tum charitatis affectus, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Ad probationem, Chriſtus ipſe hunc prodit ſenſum his verbis: " *Si ergo lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis*, ſcilicet & humilitatis & charitatis, *ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Bellarminus ibidem pag. 237. eamdem dat explicationem: " Neque obſtat, ,, *inquit*, illud mandatum: *Exemplum dedi* ,, *vobis*. Item: *Et vos debetis alter alterius* ,, *lavare pedes*. Et: *Quod ego facio, tu neſcis* ,, *modo, ſcies autem poſtea*. " Nam hoc man- ,, datum, præcipit humilitatem, & cha- ,, ritatem, ut exponunt Chryſoſtomus & ,, Cyrillus, non autem ipſum materia-

,, lem

„ lem lotionem pedum, ut patet ex praxi „ Eccleſiæ; numquam enim Chriſtiani putarunt ſe habere ſpeciale mandatum de „ lotione pedum. „

Inſtabis: Atqui ritus lotionis pedum annexam habet gratiæ promiſſionem: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Chriſtus, inter celebrandum ritum, Petro lotioni pedum obnitenti dixit, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Sed habere cum Chriſto partem, eſt gratiam habere vi inſtitutionis lotionis pedum; qui enim privationem doni cœleſtis comminatur alicui lotionem pedum abjicienti, ipſam gratiam hujuſmodi cæremoniæ annectit. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et Chriſtus comminatus eſt Petro gratiæ privationem in pœnam inobedientiæ, ſi in ea perſeveraſſet, concedo: & lotioni annectit gratiam, ſubdiſtinguo: pro iſta tantum vice, concedo: pro ſemper, nego. Non enim illum ritum inſtituit ut Sacramentum, & quid permanens ad gratiam conferendam. Igitur Dominus non omni præſtito ſervitio famulis promittit gratiam; attamen inobedientes puniendi ſemper jus habet. Potuit igitur Petro reſiſtenti comminari pœnam, tametſi lotionem pedum non inſtituerit ut ſignum gratiæ practicum. Solutio ex ipſis Chriſti verbis colligitur: Petro enim ita obedienti ut vel ipſum totum corpus offerret lavandum, reſpondit Jeſus: *Qui lotus eſt, non eget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*. Igitur lotio pedum non ad gratiam producendam ordinabatur, quippe quæ eam in ſubjecto ſupponeret.

Reſpondet Bellarminus ibidem p. 236. diſſerens enim de lotione pedum, ait: " Non „ fuiſſe Sacramentum proprie dictum, „ patet. Primo, quia non habemus pro- „ miſſionem gratiæ juſtificantis; illud „ enim: *Niſi lavero te, non habebis partem* „ *mecum*, ad litteram non promittit gra- „ tiam, ſed minatur pœnam ob inobedien- „ tiam, ut exponunt hoc loco Chryſoſtomus, „ & Cyrillus, & Baſilius c. 1. de Bapt. cap. „ 2. ſi enim Petrus obſtinate recuſaſſet „ illam lotionem, periiſſet in æternum: „ non quia illi deerat lotio pedum, ſed „ quia peccaverat contra Chriſtum, & „ deerat illi obedientia. „

Replicabis: Atqui lotio pedum ordinatur per ſe primo ad gratiam conferendam iis qui illa carent. Ergo &c. Probatur ſubſumptum variis multiſque rationibus. Primo quidem, lotio conceſſa eſt ipſi Judæ proditori: habetur enim Joan. 13. de Chriſto quod indiſcriminatim, nulla præmiſſa exceptione, Apoſtolorum laverit pedes. *Miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum*: Sed quo quæſo fine vel ipſius proditoris laverit pedes? Niſi ut hac ſimili cæremonia a crimine ſupra modum horribili patrando illum deterreret, quod ſecluſa gratia eaque efficaciſſima fieri actu non poterat. II. Patres, ut Cyprianus Serm. de ablut. pedum, paſſim aſſerunt lotionem pedum annexam habuiſſe gratiam, ad abſtergenda peccata venialia, qualem ſolum ſaltem primario producunt Sacramenta vivorum. Unde ex illis Chriſti ad Petrum verbis: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*; colligitur clare, lotionem pedum non mortuorum, ſed vivorum eſſe Sacramentum; maxime cum iſta augmentum gratiæ, præter venialium remiſſionem operentur, ſic & ritum lotionis pedum operari dicendum eſt: nam & venialia ipſo charitatis augmento curantur III. 3. Lotio pedum eſt ſignum ſacrum, & quidem gratiæ, immo & Sacramentum, ait Bernardus Serm. de ablut. pedum. IV. Demum eſt ritus permanens, obſervatur enim quotannis in cœna Domini in Eccleſiis matricibus, & aliis. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum Ad primam probationem, diſtinguo: Lotio pedum conceſſa eſt vel ipſi Judæ ut hoc humilitatis Domini exemplo, ad Euchariſtiam digne ſuſcipiendam diſponeretur, concedo: ut per eam veluti per Sacramentum juſtificaretur, nego. Non enim ad gratiam producendam niſi ex opere operantis, ratione ſcilicet & humilitatis & charitatis exercendæ ordinata eſt. Neque vero negamus potuiſſe Judam a patrando Deicidii crimine, per lotionem pedum deterreri; ſed non inde ſequitur eam fuiſſe Sacramentum; nam comminationes quæ paſſim leguntur in Scriptura ſacra per Chriſtum factæ idem operatæ ſunt. Ergone fuerunt Sacramenta? Abſit dicere.

Ad ulteriorem probationem ſimiliter diſtinguo: Patres aſſerunt lotionem pedum indiſcriminatim a quocumque factam,

ctam, annexam habere gratiam, nego: a Chriſto vel ab Eccleſia factam ſubdiſtinguo; ut illam ex opere operantis lotio conferat, concedo: virtute propria & ex opere operato ſicut verum Sacramentum, nego. Neque enim lotio hæc humilitatis exercendæ tranſcendit limites, cum ab ipſo Chriſto, nomine documenti tantæ virtutis cauſa, celebretur. *Exemplum enim*, ait ad diſcipulos, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*.

Ad tertiam probationem utique diſtinguo: Lotio pedum eſt ſignum ſacrum & Sacramentum late ſumptum, concedo. Stricte uſurpatum, nego. Omne ſignum ſacrum dicitur & Sacramentum, & myſterium, quatenus rem occultam quæ ad ſalutem conducit, indigitat. In hoc ſenſu ait Bellarminus ibidem pag. 235. " Alexander I. Papa in Epiſt. I. vocat aquam benedictam Sacramentum. Auguſtinus L. 19. contra Fauſtum cap. 14. Et in Pſalm. 141. ſignum crucis vocat Sacramentum. Et in Pſal. 65. ac L. 4. de Symbolo cap. 1. vocat Sacramenta cæremonias, quæ fiunt ante Baptiſmum, ſicut exorciſmos, & ſimilia, & L. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 26. vocat Sacramentum, panem quemdam benedictum, qui dabatur Catechumenis." Subdit in eadem ſignificatione Cyprianum Serm. de ablutione pedum, & D. Bernardum Serm. in Cœna Dom. ipſam pedum lotionem nomine Sacramenti celebrare. De mente D. Bernardi fuſiori calamo dicetur infra.

Ad quartam probationem diſtinguo: Cæremonia lotionis pedum ad hunc uſque diem perſeverat in quibuſdam Eccleſiis, & hoc ad libitum, devotionis motivo, tum ad memoriam illius a Chriſto factæ recolendam, concedo: in omnibus, nego. Hæc reſponſio colligitur ex D. Ambroſio, qui L. 3. de Sacr. cap. 1. ait: " Non ignoramus quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, ut pedes lavet.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Lotio pedum inter Sacramenta non annumeratur.

Primo: A Chriſto Domino ſolum ad humilitatis & charitatis exemplum inſtituta eſt; quippe quæ foret ad Euchariſtiam tunc digne ſuſcipiendam præparatio.

Secundo: Non habet ex promiſſione annexam gratiam cum hoc nullibi in Evangelio legatur. Ad ſummum eſſe quid ſacramentale remittens peccata venialia ex opere operantis dici poteſt.

Tertio: Neque ritus ille eſt quid permanens, ad libitum quippe obſervatur. Igitur non eſt Sacramentum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

Primo: Tametſi Chriſtus dixerit Petro, lotionem pedum ſuorum abnuenti, *Niſi lavero te, non habebis partem mecum*, non inde ſequitur ritum illum annexam habuiſſe gratiam ſacramentalem, cum ibi de mera comminatione reſiſtenti facta, eo loci agatur. Sed dato quod pro iſta vice aliquam gratiam lotioni pedum Chriſtus affixerit, non inde ſequitur fuiſſe Sacramentum, cum etiam abſque Sacramento ratione potentiæ & excellentiæ illam conferre potuerit.

Secundo: Ex ipſo Evangelii textu lotio pedum nihil aliud ſpirat præter humilitatis & charitatis exemplum.

Tertio: Sacramentum eſt quid permanens, & fidelibus incumbit ex præcepto illud frequentandi obligatio; ſed nullus dixerit aliquem ſive Laicum, ſive Clericum teneri ritum lotionis pedum ſubire. Igitur lotio illa inter Sacramenta nuſquam annumeranda eſt.

Hanc tamen humilitatis & charitatis mutuæ cæremoniam ita commendant nonnulli Patres, maxime ſanctus Ambroſius, & D. Bernardus, ut nedum myſterium, ſed & veluti Sacramentum lotionem pedum habere videantur. Num in hoc uterque fidem numeri ſeptennarii Sacramentorum tentaverit? explicandum eſt. Unde ſit

SEC-

SECTIO SECUNDA.

Num ſanctus Ambroſius Lotionem pedum ut Sacramentum habuerit?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur variis rationibus.

PRIMA : Ille non habuit lotionem pedum ut Sacramentum, qui Sacramenti rationem illi abnegat : Atqui ſanctus Ambroſius rationem Sacramenti lotioni pedum abnegat. Et probatur : Sacramentum eſt ſignum practicum gratiæ, & quidem permanens : ſed iſtis conditionibus lotionem pedum nudatam eſſe agnoſcit. Et probatur : Primo quidem, non habere annexam gratiam affirmat, cum eos ferme omnes quorum lavit pedes Chriſtus jam eſſe in gratia conſtitutos dicat. Et vero inter Sacramenta quædam primam, quædam vero ſecundam producunt gratiam, neutrum tribuit Ambroſius lotioni pedum, ſed ad ſummum peccatorum venialium abſterſionem & concupiſcentiæ minutionem, quos quidem effectus aqua luſtralis, & alia ſacramentalia producunt. Demum verbis expreſſis docet S. Doctor lotionem pedum non eſſe quid permanens, cum ex eo in Eccleſia Latina antiquitus fuerit ignota. Ecce pro utroque momento verba L. 3. de Sacr. cap. 1. pag. 1245. : " Re-
,, ſpondit illi Dominus, *ſcilicet Petro*,
,, quia dixerat manus & caput : qui la-
,, vit, non neceſſe habet iterum lavare,
,, niſi ut ſolos pedes lavet. Quare hoc ?
,, quia in Baptiſmate omnis culpa dilui-
,, tur. Recedit ergo culpa. ,, Audis Ambroſium agnoſcere Petrum jam in gratia conſtitutum. Lotio igitur pedum ad gratiam ſanctificantem illi dandam, ei non proponebatur. Jam vero quod eadem lotio non ſit quid permanens, ibidem pag. 1244. aſſerit : " Eccleſia Romana... conſue-
,, tudinem, *inquit*, non habet, ut pedes
,, lavet. ,,

Altera : Qui nihil aliud in lotione pedum agnoſcit, quam quod in Scriptura habetur, lotionem pedum inter Sacramenta non annumeravit ; nam in locis queis aliquod ſuboritur dubium ipſum laudat, immo explanat Evangelium : ſed ſanctus Joannes non niſi de humilitatis exemplo loquitur, ſilet vero per omnia ibi nomen Sacramenti. Igitur & Ambroſius, cujus hæc ſunt verba pag. 1244. " Suc-
,, cinctus inquam ſummus Sacerdos pedes
,, tibi lavit. Quid iſtud myſterium? Au-
,, diſti utique quia Dominus cum laviſſet
,, diſcipulis aliis pedes, venit ad Petrum,
,, & ait illi Petrus : Tu mihi lavas pe-
,, des? Hoc eſt, tu Dominus Servo lavas
,, pedes. ,,

Tertia : Sacramentum gratiam vi propria & ex opere operato producit : ſed Ambroſius agnoſcit lotionem pedum non producere gratiam hoc modo, ſed ſolum ex opere operantis, videlicet ratione devotionis & humilitatis : ſic enim loquitur pag. 1245. " Ipſe Petrus ait : Domi-
,, ne non ſolum pedes, ſed etiam manus
,, & caput. Vide fidem. Quod ante ex-
,, cuſavit, humilitatis fuit, quod poſtea
,, ſe obtulit, devotionis & fidei.., la-
,, vas ergo pedes, ut laves venena ſerpen-
,, tis. Ad humilitatem quoque proficit,
,, ut in myſterio non erubeſcamus quod
,, non deſignamur in obſequio. ,,

Quarta : Sanctus Ambroſius ibidem teſtatur fidem Eccleſiæ Romanæ ſe per omnia tenere, ita pag. 1244. " In omnibus
,, cupio ſequi Eccleſiam Romanam ait. ,,
Sed Eccleſia Romana nuſquam habuit pro Sacramento lotionem pedum, cum nullum determinet ritum ad illam obſervandam : nec inter ipſa ſacramentalia, quæ peccata venialia remittunt, eam annumeret : nam ſi ad hoc lotio pedum foret inſtituta, quotidie alterius lavare pedes quiſque deberet ; quod tamen nec præcipitur, nec conſuetudo tenet. Ergo &c.

Quinta : Sanctus Ambroſius nullius circa Sacramenta nævi inſimulatur : ſed ſi lotionem pedum uti Sacramentum haberet, labem erroris ei Scriptores ſacri inurerent, cum Eccleſia nec plura, nec pauciora quam ſeptem uſquam agnoverit Sacramenta : quod tamen nemo facere aggreſſus eſt. Quin potius Ambroſium uti magnum Doctorem in fide purum & celebrat, & ſemper celebravit Eccleſia. Ergo &c.

RESPONDETUR DIFFICULTATIBUS.

OBIJCIES : Qui dicit lotionem pedum omnem tum virtutum, tum juſtitiæ & gra-

gratiæ apparatum, ac ipſam ſanctificationem producere, eam ut Sacramentum habet; nihil enim ultra importat Sacramenti eſſentia: Atqui ſanctus Ambroſius ſic loquitur de lotione pedum: & probatur. L. 3. de Sacr. cap. 1. pag. 1244. Primum enarrat Petri obnitentiam, qui præ humilitate erubeſcens quod ipſe Dominus ad ſuos proſtratus pedes, eos ipſos vellet lavare: Tum ejuſdem Apoſtoli & ceterorum reverentialem obedientiam, ac ipſum lotionis peractum ritum enarrat: Quibus abſolutis mirabundus exclamat: " Vide om„ nem juſtitiam, vide humilitatem, vide „ gratiam, vide ſanctificationem! „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Conſtat enim ex locis Ambroſii ſupra laudatis ſanctum Doctorem omnem gratiarum ſupellectilem lotioni pedum non tribuere, ſed ad ſummum reliquiarum peccati originalis abſterſionem, & hoc ex opere operantis, videlicet propter exercitas tum humilitatis, tum charitatis virtutes. Ibidem enim ſic loquitur; " Qui lavit non ne„ ceſſe habet iterum lavare, niſi ut ſo„ los pedes lavet. Quare hoc? quia in Ba„ ptiſmate omnis culpa diluitur. Recedit „ ergo culpa. Sed quia Adam ſupplantatus „ a diabolo eſt, & venenum ei effuſum „ eſt ſupra pedes, ideo lavas pedes, ut „ in ea parte in qua inſidiatus eſt ſer„ pens, majus ſubſidium ſanctificationis „ accedat . . . . . . Ad humilitatem „ quoque proficit, ut in myſterio non eru„ beſcamus, quod non dedignamur in ob„ ſequio. „

Ad probationem diſtinguo: Et verba Ambroſii ad Chriſtum referuntur, cui ineſt ut primigenio fonti omnis & juſtitia & gratia, concedo. Et intelliguntur de Apoſtolis, quibus lotio pedum omne genus gratiæ & ſanctificationis contulerit, nego. Quod hæc ſit genuina ſancti Doctoris mens liquet ex antecedentibus, queis cohærere debent verba laudata. Eo igitur loci exaltat Ambroſius Chriſti humilitatem, qui tametſi omnium Dominus, pedes tamen diſcipulorum lavare non dubitavit: quocirca ſtupens, hæc exclamando profert: *Vide humilitatem!* Cujus? niſi Chriſti, qui eo humilitatis gradu ſe abjecerat, ut vel ipſorum diſcipulorum pedes lavaret. *Vide omnem juſtitiam!* Cujus? niſi Chriſti, quem ipſe Joannes cap. 1. plenum gratiæ & veritatis prædicat. *Vide ſanctificationem!* ſcilicet Chriſti, qui omnes ut cauſa efficiens ſanctificat peccatores, cuique, ut cauſæ tum Phyſicæ, ut Deus eſt, tum morali, ut mediator exiſtit, & mediatoris fungitur munere, ſanctificatio tribuitur.

Textum Ambroſii hic texere non pigebit: " Quid, *ait ibidem pag.* 1244. iſtud „ myſterium? Audiſti utique quia Domi„ nus cum laviſſet diſcipulis aliis pe„ des, venit ad Petrum, & ait illi Pe„ trus: Tu mihi lavas pedes? Hoc eſt, tu „ Dominus, Servo lavas pedes? Tu im„ maculatus mihi lavas pedes? Tu au„ ctor cœlorum, mihi lavas pedes? Ha„ bes hoc & alibi: venit ad Joannem, „ & ait illi Joannes: Ego a te debeo „ baptizari, & tu venis ad me? Ego ſum „ peccator, & tu venis ad me peccatorem, „ ut tua quaſi peccata deponas, qui pecca„ tum non feceris, „ Huc uſque humilitatem Chriſti celebrat Ambroſius: Tum immediate ſubdit, & concludit ſuam ad Lectorem convertens orationem: " Vide „ omnem juſtitiam, vide humilitatem, „ vide gratiam, vide ſanctificationem. „ Quæ verba ad priora veluti eorum concluſio referuntur; unde niſi de ſolo Chriſto intelligerentur, dubio procul non cohærerent cum priora, quod dici non poteſt, ſin minus nihil ſanctus Doctor probaret.

Inſtabis: Atqui verba laudata interpretanda ſunt etiam relative ad eos, quorum pedes lavantur, ita ut lotione pedum gratiam ſanctificationis aſſequantur. Ergo &c. Probatur ſubſumptum duobus momentis. Primo quidem, licet denotent omnem juſtitiam in Chriſto eſſe, eo tamen dicta ſunt ſcopo, ut lectores intelligerent ritum laudatum operari ſanctificationem in eis quorum pedes lavantur; non enim Chriſto qui ex natura ſanctus eſt, tribuitur ſanctificatio, quippe quæ ſupponat in aliquo temporis ſpatio gratiæ privationem. II. Clare admodum lotioni pedum tribuit ſanctificationem Ambroſius, ut effectum ab ea productum; ſic enim loquitur ibidem pag. 1245. " Ideo lavas pe„ des, ut in ea parte in qua inſidiatus eſt „ ſerpens, majus ſubſidium ſanctificatio„ nis accedat, quo poſtea te ſupplantare „ non poſſit. „ Certe hic annuntiatur gratia per lotionem pedum efficaciſſima; ea ſcilicet quæ tantum confert animæ ſubſidium,

dium, ut a diabolo veterno ſerpente ſuperari non queat. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo: Ritus non denotat ſanctificationem formalem fieri in Chriſto; & hoc probat argumentum per modum inſtantiæ propoſitum, concedo: ſanctificationem effectivam, nego. Ambroſius tamquam diſertus Orator exaltat immenſam Chriſti in lavandis diſcipulorum pedibus humilitatem, quæque ita ſublimis apparet, ut ab homine Deo juſtitiæ & ipſius gratiæ principio promanet; hinc merito ait: *Vide omnem juſtitiam*, *vide humilitatem*, *vide gratiam*, *vide ſanctificationem*, hoc eſt, ipſum & ſanctitatis & ſanctificationis auctorem ad pedes diſcipulorum proſtratum & humiliatum.

Ad alteram probationem ſimiliter diſtinguo: Lotio pedum quæcumque ſanctificationem operatur, nego. Lotio ab ipſo Chriſto diſcipulis facta ſubdiſtinguo; aliquam, & hæc ex opere operantis, concedo: habitualem & juſtificativam, nego. Ambroſius eſt ſui ipſius interpres, cum eo loci loquatur de lotione, non quæ juſtificationem produceret, ſed potius venialium peccatorum remiſſionem, & hoc ratione humilitatis, adeoque ex opere operantis: " Qui lavit, *inquit ibidem*, non „ neceſſe habet iterum lavare, niſi ut „ ſolos pedes lavet. Quare hoc? quia in „ Baptiſmate omnis culpa diluitur. „ Audis ſanctum Doctorem non intelligere lotionem pedum omnem producere juſtitiam in iis quorum pedes lavantur. Quia tamen quidquid Chriſtus ipſe operabatur, cedebat in ſalutem ſuſcipientium, recte potuit Ambroſius dicere lotionem pedum a Domino factam aliquem ſanctificationis gradum ad præcavenda peccata, vel etiam ad abſtergenda venialia contuliſſe. Quod autem ceteræ lotiones ab aliis factæ gratiam non operentur, liquido conſtat ex probationibus, & ex ipſo Ambroſio ibidem dicente, lotionem ſolum prodeſſe ratione humilitatis. " Ad humilitatem quo„ que proficit, ut in myſterio non eru„ beſcamus, quod non dedignamur in ob„ ſequio. „

Bellarminus L. 2. de Sacr. in gen. cap. 24. pag. 237. hanc objectionem, quam nonnulli auctoritate ſancti Cypriani & ſancti Bernardi ſuffultam proponunt, ſic ſolvit. " Porro Cyprianus & Bernardus ſi at„ tente legantur, non dicunt ipſam lo„ tionem pedum materialem eſſe Sacra„ mentum, quo homines ſanctificentur: „ ſed ſolum dicunt illam unicam lotio„ nem pedum Apoſtolorum a Chriſto fa„ ctam, fuiſſe Sacramentum; quia per „ eam ſignificabatur aliquid ſacrum, quod „ in nobis quotidie fieri debet, id eſt ex„ piatio peccatorum venialium, quæ fit „ in nobis quotidie a Chriſto per oratio„ nem, jejunia, humilitatem, & exerci„ tia pietatis erga proximos, quibus va„ camus. Et ſane ſi putarent lotionem „ pedum eſſe Sacramentum, oporteret „ nos quotidie ex eorum ſententia lavare „ invicem pedes: id enim ipſi dicunt, „ hoc Sacramentum eſſe quotidianarum „ culparum expiationem. „

Inſiſtes: Qui ad aliud quam ad humilitatem in animabus promovendam, ſed & ad ſanctificationem, lotionem pedum inſtitutam aſſerit, certe ritum illum uti Sacramentum habet; ratio enim a priori cur e numero Sacramentorum illam expungimus ea eſt, quia per ſe primo ad humilitatis exercitium ordinatam propugnamus: ſed Ambroſius hoc ſibi proponit per modum objectionis argumentum, quod & ſolvit diſtinguendo id quod humilitatis eſt, ab eo quod ſanctificationem operatur; & principaliter ad ſanctificationem attendit: Igitur agnoſcit ritum lotionis pedum ut cæremoniam per ſe primo ad ſanctificationem inſtitutam, adeoque ut verum Sacramentum. Probatur minor. Ibidem ſic diſcurrit: " Sunt tamen qui di„ cant, & excuſare conentur, quia hoc „ in miniſterio faciendum eſt, non in „ Baptiſmate, non in regeneratione, ſed „ quaſi hoſpiti pedes lavandi ſint. Aliud „ eſt humilitatis, aliud ſanctificationis. „ Denique audi quia myſterium eſt & „ ſanctificatio. Niſi lavero tibi pedes non „ habebis mecum partem. Hoc ideo di„ co, non quod alios reprehendam, ſed „ mea officia ipſe commendem. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et eo loci Ambroſius eos ſolum vult impugnare qui lotionem pedum ut quid commune habebant, concedo: Et contendit eſſe Sacramentum ſtricte ſumptum, nego. Triplex diſtinguenda eſt lotio pedum: Prima quidem eaque a Chriſto er-

ga diſcipulos celebrata eſt : Altera quæ in quibuſdam Eccleſiis matricibus & parochiis in memoriam prioris annuatim fit. Tertia quæ hoſpitibus ex charitate & ad corporis ſublevamen conceditur : Primam aliquam ſpecialem gratiam ex contactu mundiſſimæ & vivificatricis carnis Chriſti contuliſſe omnes ultro cum Ambroſio affirmant. Sed non fuiſſe Sacramentum non ex uno conſtat capite. Cui enim contuliſſet gratiam illa lotio? Numquid Chriſto, qui lavit ad documentum humilitatis diſcipulorum pedes? Nequaquam. Et tamen ex Ambroſio potiſſimum prodeſt propter humilitatem, ſed cui? Niſi ſoli puro homini qui ſe humiliat, & non ſuſcipienti qui ex cæremonia glorificatur. Et hoc invictiſſime probat nullum e Patribus habuiſſe lotionem pedum ut Sacramentum; alias dicendum foret ſoli Miniſtro prodeſſe. Non negamus ſecundam lotionem eſſe, ut ajunt quidam Patres, quid ſacramentale, quod eatenus venialia remittit, quatenus charitatem excitat & promovet: hoc unum velle Ambroſium liquet, quippe qui eam ſecernat a lotione communi hoſpitibus exhibita, eo quod ſit quid ſacrum, altera vere quid mere naturale ad corporis ex via peracta vel labore admodum laſſi ſublevamen.

Replicabis: S. Doctor ea ratione propellit objectionem ex lotione hoſpiti conceſſa, quod cæremonialis & Eccleſiaſtica producat ſanctificationem, & quidem ex opere operato. Igitur iſtam exiſtimat Sacramentum. Probatur antecedens quoad utramque partem. Primo quidem quod Ambroſius contendat lotionem Eccleſiaſticam producere gratiam, & quidem ſanctificantem patet ex eo quod verba Chriſti ad Petrum directa ſubjiciat ibidem: " Denique audi quia myſterium ,, eſt & ſanctificatio. Niſi lavero tibi pe- ,, des, non habebis mecum partem. ,, Obſerves velim Ambroſium illam lotionem myſterium vocare, non igitur eſt quid commune. Audis quod nedum myſterium, ſed & ſanctificationem eam appellet. Igitur ut Sacramentum illam habet: maxime cum ex eo, vel in ipſo ſuſcipiente producat illam ſanctificationem. Igitur ſanctificatio ex opere operato, ſcilicet lotione facta producitur. Quod autem lotio illam in ſuſcipiente producat, patet ex duobus; videlicet ex illis Chriſti verbis ad Petrum, quæ ſic ab Ambroſio referuntur: " Niſi ,, lavero tibi pedes, non habebis me- ,, cum partem. ,, Tum ex aliis iſtius ſancti Doctoris ſermonibus ibidem: " Quia ,, Adam ſupplantatus a diabolo eſt, & ve- ,, nenum ei effuſum eſt ſupra pedes, ideo ,, lavas pedes, ut in ea parte in qua inſidia- ,, tus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctifi- ,, cationis accedat, quo poſtea te ſupplan- ,, tare non poſſit. ,, Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Unum aut alterum ſufficit Ambroſio ad ſecernendam lotionem pedum Eccleſiaſticam a communi, ſcilicet quod illa ſit myſterium & Sacramentum late ſumptum, hoc eſt tum humilitatis, tum charitatis ſignum & argumentum, quæ quidem omnia indigitant lotionem illam eſſe quid ſacramentale, aliquam ex opere operantis vel in ipſo ſuſcipiente producens gratiam. Habet quidem cæremonia vim utramque excitandi virtutem ex opere operato paſſive ſeu objective; ad actus pietatis promovet quidem, ſed non gratiam ex opere operato active, ſeu vi propria producit. Quod autem S. Doctor exiſtimet lotionem ſacram, ſacramentalium limites non pertranſire, ipſe teſtis eſt ibidem, ubi poſt ultima verba pro confirmatione allata ſubdit: " Ad ,, humilitatem quoque proficit, ut myſte- ,, rio non erubeſcamus quod non dedigna- ,, mur in obſequio. ,, Et ſic patet ſolutio ad reliqua.

Perſiſtes: Cæremonia ſacra annexam habens gratiam, immo & mandatum illam perpetuo obſervandi, non poteſt aliam ſubire notionem, quam Sacramenti. Atqui ex Ambroſio lotio pedum annexum habet mandatum, juxta illud Chriſti Jo. 13. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Ex eodem ad hæc uſque tempora in multis Eccleſiis perſeverat. Quia vero quidam objiciebant non ſervari in Eccleſia Romana, eos debellat Ambroſius propugnando ſervari debere, & in hoc magis adhærendum eſſe Petro, quam iſti Eccleſiæ. Ibidem enim ita loquitur: " Non ignora- ,, mus quod Eccleſia Romana hanc conſue- ,, tudinem non habeat ... In omnibus cupio ,, ſequi Eccleſiam Romanam. Sed tamen ,, & nos homines ſenſum habemus. Ideo ,, quod alibi rectius ſervatur, & nos recte ,, cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum ,, Petrum, ipſius inhæremus devotioni. ,, Ergo &c.

Re-

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Si mandatum ſit rigoroſum, concedo: ſecus nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Mandatum, fuit exhortatio, & non præceptum, ſaltem ſub pęna peccati omnes ligans fideles. Ambroſius non aliud intendit. Vult igitur cæremoniam obſervari ad humilitatem fovendam.

Tametſi in Eccleſia Romana quandoque omittatur, quia ut perſeveret in quibuſdam aliis Eccleſiis ſufficit Petri exemplum: quocirca illud antiquæ diſciplinæ punctum in ſua Diœceſi ſervari æquum ducit. Quod autem ritum illum niſi ad humilitatem & charitatem ex inſtitutione proficere arbitretur, ipſe docet L. de iis qui myſteriis initiantur cap 6. " Mundus erat Petrus: ſed plantam lavare debebat. Habebat enim primi hominis de ſucceſſione peccatum, quando eum ſupplantavit ſerpens, & perſuaſit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur. Noſtra enim propria per Baptiſmum relaxantur. Simul cognoſce myſterium. ipſum humilitatis conſiſtere in miniſterio. Ait enim: Si ego lavi vobis pedes Dominus & Magiſter, quanto magis & vos debetis lavare pedes invicem vobis? Cum enim ipſe auctor ſalutis per obedientiam nos redemerit, quanto magis nos ſervuli ejus, humilitatis & obedientiæ exhibere debemus obſequium."

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Ambroſius Lotionem pedum inter Sacramenta non annumeravit.

PRIMO: Quia conditiones ad eſſentiam Sacramenti requiſitas, lotioni pedum abnegat. Neque enim exiſtimat illam eſſe quid permanens, cum fateatur in Eccleſia Romana non retineri, neque annexam habere gratiam, cum primario, ipſo teſtante, ſit inſtituta ut humilitatis documentum.

Secundo: Tametſi ſanctus Doctor lotionem pedum ad ſanctificationem conducere poſſe putet, non tamen vi propria, & ut loquuntur Theologi, ex opere operato.

Tertio: Nullus hunc nævum tribuit Ambroſio.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Quando Ambroſius omnem juſtitiam lotioni pedum affingit, loquitur in ſenſu cauſali, videlicet de Chriſto, cum diſcipulorum pedes lavit.

Secundo: Eſto quod lotio pedum ex mente Ambroſii aliquam producat gratiam, verum hoc debet intelligi ex opere operantis; ſicut enim aqua luſtralis, & alia ſacramentalia excitando devotionem, gratiam aliquam quodam modo producunt, ſic & ratione humilitatis, lotio pedum.

Tertio: Neque verò negamus lotionem pedum Eccleſiaſticam, eſſe myſterium. Sed intellige, late ſumptum, quatenus adhibitis Eccleſiæ cæremoniis, deſignat, inquit Bellarminus L. 2. de Sacr. in gen. cap. 24. ſummam animæ puritatem cum qua fideles ad ſacram Euchariſtiæ menſam debent accedere.

SECTIO TERTIA.

Utrum divus Bernardus Lotionem pedum habuerit ut Sacramentum?

CONCLUSIO.

NON HABUIT.

Probatur multis momentis.

PRIMO QUIDEM, Omnibus rationibus quibus oſtenſum eſt ſanctum Ambroſium inter Sacramenta non annumeraſſe lotionem pedum. Sicut enim iſte docet lotionem pedum inſtitutam fuiſſe ſolum ad humilitatis & charitatis exemplum, & hoc in ſenſu obvio Evangelii, ſic & divus Bernardus, ut ex tota Sermonis ejus de Cœna Domini compage liquet.

Secundo: Neque in eodem ſermone reperies S. Bernardum lotionem hanc habere ut ritum ſacramentalem permanentem, atque gratiam ex opere operato producentem. Bellarminus de hoc momento audiendus eſt. Sic loquitur hic L. 2. de Sacram. in genere cap. 24. pag. 237. " Cyprianus & Bernardus, ſi attente legantur, non dicunt ipſam lotionem pedum materialem, eſſe Sacramentum,

„ quo homines ſanctificentur : ſed ſolum „ dicunt illam unicam lotionem pedum „ Apoſtolorum a Chriſto factam, fuiſſe „ Sacramentum ; quia per eam ſignificabatur aliquid ſacrum, quod in nobis „ quotidie fieri debet, id eſt, expiatio „ peccatorum venialium, quæ fit in nobis quotidie a Chriſto per orationem, „ jejunia &c. „ Scilicet ex opere operantis. Sicque lotionem pedum nonniſi ut Sacramentum ſecundum quid, & latiſſime ſumptum ventilat divus Bernardus. Ergo &c.

Tertio demum : Divus Bernardus in ſermone de ablutione pedum loquitur de Sacramento in quadruplici ſenſu : Primo quidem quatenus eſt ſacrum ſecretum : „ Sacramentum, *inquit*, dicitur ſacrum „ ſignum ſive ſacrum ſecretum. „ Secundo prout idem eſt ac myſterium, juxta quam acceptationem Patres, omne ſacrum, myſterii nomine celebrant; ſic Paſſio Chriſti & alia hujuſmodi a D. Bernardo Sacramenta dicuntur. Tertio ut eſt quid ſacramentale remittens peccata venialia, eo prope modo quo aqua luſtralis. Quarto, quatenus idem eſt ac ſignum ; ait enim : “ Ut de uſualibus ſumamus exem„ plum, datur annulus abſolute propter „ annulum, & nulla eſt ſignificatio; da„ tur ad inveſtiendum de hæreditate ali„ qua, & ſignum eſt. „ Atqui S. Bernardus lotionem pedum nonniſi ut ſignum ſacrum habet, & ut myſterium & Sacramentum late ſumptum, velutique aliquod ſacramentale remittens ex opere operantis venialia. Igitur lotionem pedum non habet ut Sacramentum proprie dictum. Sic loquitur ille Pater, ponderans enim Chriſti verba : “ *Qui lotus eſt, non indiget niſi* „ *ut pedes lavet*. . . . . *Subdit*, lotus eſt „ qui gravia peccata non habet, cujus ca„ put, id eſt intentio, & manus, id eſt „ operatio & converſatio munda eſt; ſed „ pedes qui ſunt animæ affectiones, dum „ in hoc pulvere gradimur, ex toto mun„ di eſſe non poſſunt, quin aliquando va„ nitati, aliquando voluptati, aut curio„ ſitati pluſquam oportet ſe dat animus „ vel ad horam; in multis enim offendi„ mus omnes. „ Ex his verbis luce clarius affulget divum Bernardum de lotione pedum loqui tantummodo ut de quadam cæremonia ſacra ad humilitatis, & charitatis exemplum inſtituta, ut ex ipſis Chriſti verbis conſtat : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. S. Bernardum autem a ſenſu Chriſti diſceſſiſſe, quis dicet ? cum ex profeſſo eo loci iſtam explicet cæremoniam.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Sacramentum eſt ſignum gratiæ, ſed talis eſt lotio pedum ex D. Bernardo. Igitur ut Sacramentum proprie dictum illam habet. Probatur minor : Sic loquitur Sermone 1. de Cœna Domini pag. 187. Edit. vet. “ In hunc itaque modum „ appropinquans Paſſioni Dominus, de „ gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut „ inviſibilis gratia ſigno aliquo viſibili „ præſtaretur. Ad hæc inſtituta ſunt om„ nia Sacramenta, ad hæc Euchariſtiæ „ participatio, ad hæc pedum ablutio, „ ad hæc denique Baptiſmus ipſe. „ Confirmatur. Eodem modo loquitur D. Bernardus de lotione pedum ac de ceteris Sacramentis; maxime de Baptiſmo & Euchariſtia, ſed iſta ſunt vera Sacramenta. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo : D. Bernardus vocat lotionem pedum Sacramentum in quadam generali acceptione ſumptum, & quatenus idem eſt ac ſignum ſacrum ſeu ſecretum, concedo : ſtrictiori modo acceptum, nego. Hoc ipſum patet ex verbis immediate antecedentibus ubi ſic loquitur: “ De tribus itaque Sacramentis quæ ſatis „ congrua ſunt huic tempori, dicendum „ erit quod Dominus ipſe donaverit. Sa„ cramentum dicitur ſacrum ſignum ſive „ ſacrum ſecretum. Multa ſiquidem fiunt „ propter ſe tantum : alia vero propter „ alia deſignanda, & ipſa dicuntur ſigna, „ & ſunt. Ut enim de uſualibus ſuma„ mus exemplum, &c. „

Ad confirmationem diſtinguo : Divus Bernardus eodem modo loquitur de lotione pedum ac de Baptiſmo & Euchariſtia expreſſe, quæ tria ſunt Sacramenta de quibus pertractat, prout Sacramentum accipitur in quadam univerſaliori ſignificatione, concedo : in ſtrictiſſima acceptatione, nego. Alias Baptiſmus in mente divi Bernardi non magis foret Sacramentum quam vel ipſa pedum ablutio, quod eſt prorſus a genuino ſenſu divi Bernardi alienum.

Inſt.

Digitized by Google

Inſtes : Sacramentum eſt ſignum practicum gratiæ. Atqui ex divo Bernardo lotio pedum hoc etiam privilegio donatur : Igitur eſt Sacramentum ſtricte ſumptum : Probatur minor. Poſt priora objectionis verba nempe *ad hæc ablutio pedum*, ſubdit : " Sicut enim in exterioribus diverſa ſunt ſigna, & ut cœpto immoremur exemplo, variæ ſunt inveſtituræ ſecundum ea de quibus inveſtimur. Verbi gratia inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per baculum & annulum ſimul : ſicut inquam in hujuſmodi rebus eſt, ſic & diviſiones gratiarum, diverſis ſunt traditæ Sacramentis. " Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo : S. Bernardus loquitur de Sacramento prout eſt ſignum, & aliquid interius ſignificat, abſtrahendo quod producat gratiam ex opere operato vel non, concedo : De ſigno reduplicative ut practico, cui ineſt efficacia producendi gratiam, nego. Divus Bernardus eſt ſui ipſius interpres, cum eodem modo loquatur de ſigno ſacramentali, ac de annulo, ſcilicet ut ſolum ſignificat gratiæ inveſtituram. Ait enim de ipſo Baptiſmo : " Quæ eſt gratia, unde per Baptiſmum inveſtimur ? Utique purgatio delictorum. "

Replicabis : Sacramenta vivorum dumtaxat remittunt peccata venialia ; ſed ex D. Bernardo ablutio pedum per ſe primo remittit hujuſmodi peccata, tamquam Sacramentum, ergo &c. Ibidem pag. 188. ſic habet : " Nam ut de remiſſione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem. " Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Sacramenta vivorum per ſe primo ordinantur ad delenda peccata venalia ex opere operato, immo etiam & ſecundario, atque per accidens ad delenda lethalia, concedo : ſecus, nego. Similiter diſtinguo minorem : lotio pedum remittit venalia, & hoc ex opere operantis, nuſquam vero mortalia, concedo : & inſtituta eſt ad iſta delenda ex opere operato, nego. Priori modo ſacramentalia remittunt venialia, hinc & quandoque Sacramenti nomine donantur ; verum modo quodam generali, ut dictum eſt ſupra. D. Bernardus in iſto prorſus ſenſu loquitur de lotione pedum, velut ſcilicet de quadam cæremonia ſolummodo tranſitoria, cui Chriſtus non conjunxit gratiam, ut ex verbis inſtitutionis liquet; & ſic patet ſolutio ad confirmationem.

Perſiſtes: Atqui lotio pedum eſt Sacramentum omnibus modis ſicut Sacramenta alia, juxta divi Bernardi mentem. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Primo quidem, ex eo quod non fuit inſtituta mere in exemplum, adeoque nec ut quid dumtaxat ſacramentale. Secundo, quia etiam ad delenda peccata mortalia ordinatur, quandoquidem qui illam renuerit accipere pœna æterna dignus eſt. Utrumque probatur ex divo Bernardo ; eodem quippe loco pag. 188. ſic loquitur redarguens eos qui negant ablutionem pedum eſſe Sacramentum : " Quæris forte unde ſciam quod Sacramentum ſit hujus remiſſionis, maxime cum ipſe Dominus promiſerit Petro dicens : *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*, nihil autem de Sacramento locutus eſt : ſed tantum, *exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut & vos ita faciatis*. Verum multa habebat illis dicere, ſed tunc portare non poterant. Ideoque nec ex toto voluit eos anxios & ſuſpectos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem noſſe quia pro Sacramento illud eſt, non pro ſolo exemplo factum ? Illud attende quod Petro dictum eſt : *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Aliquid igitur latet quod neceſſarium eſt ad ſalutem, quando ſine eo nec ipſe Petrus partem haberet in regno Chriſti & Dei. "

Reſpondeo primo retorquendo argumentum. Si lotio pedum foret ad deletionem peccatorum venialium quotidianorum, ea in praxi eſſet quotidie obſervanda, quod nuſquam tamen a Chriſto ad noſtra uſque tempora in uſu fuit.

Reſpondeo ſecundo negando ſubſumptum. Ad primam probationem dico, mellifluum Doctorem docere lotionem pedum a Chriſto per ſe primo ad humilitatis & charitatis exemplum inſtitutam fuiſſe. Neque tamen negamus fuiſſe etiam quodam modo Sacramentum, ſeu potius myſterium, & non merum humilitatis exercitium, ſed ratione diſpari a Sacramento ſtricte ſumpto.

Ad ulteriorem probationem, nego lotio-

Digitized by Google

nem pedum fuiſſe ullo modo ad peccati mortalis deletionem, cum ipſe Chriſtus dicat: *Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet*: Quæ verba ponderans eo loci Bernardus, ſubdit: “ Lotus eſt qui gra„ via peccata non habet. “ Igitur juſtis data eſt tantum ad exemplum. Porro Petrus ſi reſtitiſſet, non habuiſſet quidem partem cum Chriſto, ſed propter inobedientiam, ut exponit ſanctus Baſilius Lib. de Bapt. cap. 2. Demum quo ſenſu D. Bernardus lotionem pedum habeat ut Sacramentum, ſufficienter liquet & ex probationibus, & ex reſponſionibus ad objectiones. Ne miremini, ſi ſanctus ille Pater lotionem pedum exempli pertranſire metam doceat, quippe qui illam ut ſacramentale remittens peccata venialia, habeat; ſed nihil ultra.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Lotio pedum non annumeratur a divo Bernardo inter Sacramenta.

PRIMO: Quia ſanctus Bernardus loquitur de lotione pedum in ſenſu Scripturæ, quam quidem non ſemel laudat Serm. 1. de Cœna Domni: Claret autem ex verbis inſtitutionis lotionis, eam ipſam fuiſſe ad humilitatis, & charitatis exemplum, ut habetur Joan. 13.

Secundo: Eamdem lotionem ſolummodo ut ſignum ſacrum habet ſanctus Bernardus, cum illam & baculo quo Abbas inveſtitur, & baculo ſimul & annulo quo Epiſcopus inſtituitur, aſſimilet.

Tertio: Ut ſacramentale tantum eam ventilat; nuſquam vero ut Sacramentum proprie dictum, quod quidem gratiam ex opere operato producit.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Concedimus ſanctum Bernardum vocare lotionem pedum Sacramentum, ſed in lata ſolum ſignificatione.

Secundo: Eodem modo explicandum eſt divus Bernardus, dum loquitur de lotione pedum ſicut de Baptiſmo & Euchariſtia, quandoquidem apud Concilia & apud utriuſque Eccleſiæ Occidentalis ſcilicet, & Orientalis Patres, modo longe efficaciori & celebriori Baptiſmus & Euchariſtia ipſa lotione pedum, ſint Sacramenta; quod tamen non foret verum, ſi iſta lotio eſſet Sacramentum ſicut & Baptiſmus & Euchariſtia.

Tertio: Nec ullum faceſſit negotium cum D. Bernardus aſſerit lotionem pedum non eſſe tantummodo in exemplum; non enim negamus eſſe quid ſacramentale; immo ſi de lotione pedum Apoſtolorum ſit ſermo, eam fuiſſe myſterium prædeſtinationis, ſaltem pro his qui pio corde illam a Chriſto ſuſceperunt, multi Patres autumant.

SECTIO SECUNDA.

Utrum in nova Lege ſeptem Sacramenta admitti debeant?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

INTER omnes de Sacramentis diſſertationes, illa quæ de numero Sacramentorum agit, celeberrima eſt, maxime adverſus Proteſtantes, qui ab utero errantes, nimirum vel in ipſa Sacramenti definitione, quod merum divinarum promiſſionum ſigillum eſſe prædicant, falluntur, cæcutiunt quoque nedum in aſſignanda efficacia, quam in ſolam refundunt fidem, ſed & in ipſis Sacramentis enumerandis: Namque inter eos alii duo tantum admittunt; alii tria, quidam quatuor, nonnulli etiam ſeptem. Quocirca demonſtrandum eſt omni argumentorum genere, nec plura, nec pauciora eſſe, quam ſeptem Sacramenta; quo dogmate ſicut firmiter, ita & irrefragabiliter probato, evaneſcit fucatum Calviniſtarum & Lutheranorum de Sacramentis ſyſtema. Sed ut ordine procedamus, tria veniunt pro hoc momento demonſtranda. Primoquidem, numerum prædictum eſſe in Scriptura, in Conciliis, in Traditione, & in ratione Theologica fundatum. Deinde vero in hoc Eccleſiam Orientalem tum veterem, tum recentiorem, omneſque Chriſtianas nationes de hoc momento convenire, & ſemper conveniſſe. Tertio, idem dilucide probatur ex ipſo Hæreticorum teſtimonio, ſed potiſſimum ex priſca fide Eccleſiarum antiquarum Proteſtantium, quæ ante prætenſam Reformationem, eamdem cum Eccleſia Romana de numero Sacra-

Sacramentorum ſeptenario coluere & habuere ſententiam. Unde ſit

PUNCTUM PRIMUM.

Probatur numerus ſeptenarius Sacramentorum novæ Legis ex Scriptura, ex Conciliis, ex Patribus, & ratione.

Primum argumentum ex Scriptura ſacra depromitur.

SACRAMENTUM eſt ſignum practicum gratiæ a Chriſto inſtitutum, cui ipſius gratiæ promiſſio annexa eſt; vel, ut quidam alii Theologi volunt, eſt cæremonia ſacra cui annexa eſt gratia. Atqui hujuſmodi ſignum ſecundum Scripturam ſacram ſeptuplex diſtinguitur & recenſetur. Ergo &c. Probatur minor quoad ſingulas partes.

Primo quidem: De Baptiſmo habetur Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Rurſus Marci c. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Ecce manifeſta gratiæ promiſſio annexa ſigno ſenſibili. Apoſtolus etiam Epheſ. 5. de ejuſdem gratiæ collatione ſic loquitur: *Mundans Eccleſiam lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Secundo: De Confirmatione eodem prope modo loquendum incumbit; promiſſio enim gratiæ facta eſt per Joelem his verbis c. 2. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*. De iſta autem promiſſione hunc locum interpretantur Patres: de collatione vero gratiæ Actum c. 8. magnifice loquitur S. Lucas his verbis: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.*

Tertio: De Euchariſtia promiſſio gratiæ habetur Joan. c. 8. *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Rurſus ibidem: *Caro mea eſt pro mundi vita*. In iis poſtremis verbis Chriſtus Dominus promittit vitam æternam eis qui ſuum manducant panem, id eſt, ſuam carnem.

Quarto: Joan. 20. ſic ait Chriſtus, pro Penitentiæ Sacramento: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Hanc vero promiſſionem ſuum ſortiri, per abſolutionem ſacramentalem, effectum, nemo Catholicus negabit, neque vero vel ipſi Proteſtantes id negare valent, cum Chriſtus ſit infallibilis, & in promiſſis exequendis fideliſſimus.

Quinto: In Extrema-Unctione Jacobi 5. deſignatur gratiæ promiſſio, & ejuſdem collatio his verbis: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Sexto: De Ordine apertus eſt Scripturæ ſacræ textus, & quidem non in uno loco 1. ad Thimoth. 4. Apoſtolus ſuum ſic alloquitur diſcipulum: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii*. Rurſus 2. ad eumdem: *I. Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quas quidem ſententias cuncti Theologi cum ſanctis Doctoribus de gratia per Sacramentum Ordinis collata intelligunt.

Denique pro Matrimonio habetur Matth. 19. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Epheſ. vero 5. promiſſio gratiæ iſtis deſignatur verbis: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*. Triplex diſtinguitur ibi conjunctio: una Chriſti cum Eccleſia: altera ejuſdem Chriſti cum natura humana, cui Verbum hypoſtatice conjunctum eſt: tertia ſecundum gratiam & charitatem; & iſtius vinculi virtute Eccleſia dicitur ſponſa Chriſti, & viciſſim Chriſtus ejus ſponſus. Porro Matrimonium utramque ſignificat conjunctionem; priorem quidem quatenus eſt conjunctio viri cum femina ad prolem debite procreandam; poſteriorem vero in quantum ſponſus & ſponſa eodem fidei, & charitatis vinculo copulantur in Chriſto. Hoc eſt quatenus ſe mutuo amant propter Chriſtum. Ergo &c.

Secundum argumentum ex Conciliis petitur.

ECCLESIA adunata in Conciliis, ea quæ ſunt fidei tenenda proponit & determinat, & hoc innixa verbo Dei ſcripto vel non ſcripto. Sed per Traditionem perpetua ſucceſſione ad nos uſque tranſmiſſam Concilia non ſemel definiunt ſeptem eſſe novæ legis Sacramenta. Ergo &c.

Mitto innumera prope Concilia quæ de quolibet Sacramento in particulari loquuntur, quæque ſuo loco tractando de Sacramentis in particulari adducentur in teſtimonium. Duo impræſentiarum ſeligimus, quæ ſunt veluti ceterorum appendices, ſcilicet Florentinum & Tridentinum. Primum in inſtructione Armenorum ſic loquitur: " Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium.... Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur; ſpiritualiter etiam & corporaliter, (prout animæ expedit) per Extremam-Unctionem: Per Ordinem vero Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter: Per Matrimonium corporaliter augetur. ,,

Tridentinum Seſſ 7. can. 1. numerum ſeptenarium Sacramentorum de fide definit his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe vere & proprie Sacramentum; anathema ſit*. Ergo &c.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex Traditione ſanctorum Patrum ſumitur.

QUOD eſt a Chriſto Domino emanatum, hoc ipſum ſub pœna ſupplicii æterni incurrendi teneri debet: Atqui ſeptem Sacramenta laudata a Chriſto auctore promanaverunt. Ergo &c. Probatur minor, nimirum quod hæc inſtitutio ſucceſſione habeatur, adeoque a Traditione fluat; quidquid in contrarium garriant Proteſtantes, os eorum obtundit Tertullianus L. de Præſcript. adverſus hæreſes c. 21. p. 238. his verbis " Hinc igitur dirigimus præſcriptionem, ſi Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos Prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit..... Quid autem prædicaverint, id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſis eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde, omnem doctrinam quę cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, Matricibus & Originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit: Omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. ,, Jam vero ſic ſubſumere juvat. Atqui talis eſt ſeptenarius Sacramentorum numerus: Et probatur proferendo in medium Patrum teſtimonia.

Patres primorum ſæculorum, ut D. Ignatius, Irenæus, Dionyſius, Præſules Concilii III. Carthaginenſis, & alii præter Scholaſticos Doctores, paſſim loquuntur de ſeptem Sacramentis. Inſtar omnium ſit S. Auguſtinus, quem vel ipſi Proteſtantes in ſuas partes trahere non dubitant.

S. Doctor Libro 5. de Bapt. cap. 20. agnoſcit Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam & Extremam-Unctionem veluti tot novæ legis Sacramenta: " Si, *inquit*, ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio, *Deus peccatorem non audit*, quo modo audit homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur? ,,

Rurſus Lib. 2. contra litteras Petiliani c. 104. his verbis commemorat Confirmationem: " In hoc unguento Sacramentum chriſmatis vultis interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacro-ſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus. ,,

Rurſus Lib. 2. contra Epiſtolas Parmeniani cap. 13. eodem prope modo loquitur de Ordine ac de Baptiſmo: " Utrumque enim, *ait*, Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, iſtud

,, cum

,, cum ordinatur, ideoque in Catholi-
,, ca Eccleſia utrumque non licet ite-
,, rari. ,,

Sed ne quid deſit ad iſtam probationem, quinam de Sacramentis, & de quibus locuti fuerint Patres, juvat aperire. De Baptiſmo quidem ſcripſit multa Dionyſius, Lib. de Eccl. Hier. Tertullianus, librum integrum; multo plura de ejus materia & forma Cyprianus; maxima & pene innumera S. Auguſtinus contra Donatiſtas. His accedit auctoritas omnium ritualium Eccleſiæ Occidentalis, maxime ab anno 1425. ad noſtra uſque tempora, quæ aſſervantur in noſtra Bibliotheca Pariſienſi ex dono Domini Launoii, quæ infra iterum atque iterum laudabuntur. In his agitur de Baptiſmo maſculorum & feminarum, de Pœnit. de Euchariſtia, de Extrema-Unctione, de Ordine & Matrimonio. Idem pertractant Euchologia, ſive Ritualia omnium Eccleſiarum Orientalium.

De Baptiſmi Sacramento vix quidem aliqua circumfertur controverſia inter Hæreticos & Catholicos, ſaltem de ejus exiſtentia.

De Confirmatione multa ſcribunt Clemens Romanus Epiſt. 4. S. Urbanus in Epiſtola ſua decretali. Beatus Cornelius Papa Epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſebium Lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 33. S. Melchiades Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quippe qui interrogatus an Baptiſmus majus eſſet Sacramentum quam Confirmatio: " Scitote, *inquit*, utrumque Ma-
,, gnum eſſe Sacramentum. ,, Subſcribunt Concilium Eliberitanum can. 38. Arelatenſe I. canon. 8. & alia permulta.

Patres Græci de iſto Sacramento non ſemel loquuntur, ut Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. Juſtinus quæſtione 137. Clemens Alexandrinus apud Euſebium Lib. 3. Hiſt. cap. 17. Origenes Homilia in Leviticum, ubi ſic loquitur in fine: " Donum autem, gratia Spiri-
,, tus per olei imaginem deſignatur, ut
,, non ſolum purgationem conſequi poſſit
,, is qui convertitur a peccato, ſed a Spi-
,, ritu ſancto repleri. ,, Idem aſtruunt Sacramentum Cyrillus Jeroſolymitanus, Gregorius Nazianzenus.

Patres Latini eidem ſubſcribunt dogmati, videlicet Tertullianus Lib. de reſurrectione carnis cap. 8. " Caro, *inquit*, ungi-
,, tur ut anima conſecretur: Caro ſigna-
,, tur ut anima muniatur. ,, Similia proferunt Cyprianus Lib. 1. Epiſtola ultima, Hieronymus Dialogo adverſus Luciferianos, Auguſt. lib. 15. de Trinitate cap. 26. &c.

Pro exiſtentia Sacramenti Euchariſtiæ ſupervacaneum eſt Patrum auctoritates hic texere, cum a primo præſertim ſæculo ad nonum uſque, multos ſcripſerint de hoc momento tractatus; legitur autem in Apologiis beati Juſtini pro Chriſtianis ad Imperatores directis, ubi ſanctus ille Martyr demonſtrat Catholicos non eſſe Deicidas, ſed quotidie immolare Agnum, qui tametſi a ſuis ſumatur, integer tamen perſeverat. Nec prætereunda ſunt pro eodem dogmate innumera prope Patrum opera, de quibus infra fuſe tractabitur.

De Pœnitentiæ Sacramento multus eſt quoque ſermo apud ſanctos Patres, videlicet apud Cyprianum in ſermone de ablutione pedum, Tertullianum Lib. de Pœnitentia, ubi hoc Sacramentum vocat ſecundam poſt naufragium tabulam; & Ambroſium Lib. de Pœnitentia cap. 7. Hieronymus Epiſt. 1. ad Heliodorum de Sacerdotibus ita loquitur: " Claves regni cœ-
,, lorum habentes, quodammodo ante
,, diem judicii judicant. ,,

De Extrema-Unctione multa etiam ſcripſere utriuſque Eccleſiæ Patres, explicantes verba divi Jacobi ſuperius laudata de iſto Sacramento: in primis Origenes Hom. 2. in Leviticum, Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio. Aug. Serm. 215. de tempore, veteris editionis, &c.

Pro Ordine habemus teſtium nubem, ſcilicet Innocentium Epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochiæ Epiſcopum cap. ultimo Magnum Leonem Epiſt. 81. ad Dioſcorum Alexandrinum cap. 1. Anaſtaſium I. Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem cap. 7. Gregorium Magnum Lib. 4. in libros Regum cap. 5. Chryſoſtomum Lib. 3. de Sacerdotio &c.

Denique Matrimonium eſſe Sacramentum docent utique Patres, ut S. Leo I. Epiſt. 92. in reſponſis ad quæſita Ruſtici Narbonenſis Epiſcopi cap 4. ubi ſic habet: " Cum ſocietas nuptiarum ita ab
,, initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum
,, conjunctionem, haberet in ſe Chriſti &
,, Eccleſiæ Sacramentum, dubium non

N 4 ,, eſt,

„ eſt, eam mulierem non pertinere ad „ Matrimonium, in qua non docetur nu„ ptiale fuiſſe myſterium. „ Suffragantur Chryſoſtomus, Hieronymus; maxime vero Auguſtinus Lib. de bono conjugali cap. 18. & 24. rurſus Lib. 1. de nuptiis cap. 10.

QUARTUM ARGUMENTUM

Rationibus Theologicis innititur.

Prima ſic proponitur. Sicut ſeptem requiruntur in vita humana, ſcilicet ut homo naſcatur, ut creſcat, ut alatur, ut ſanetur, ſi forte in ægritudinem prolapſus ſit; ut a reliquiis infirmitatum liberetur, ut ſit regimen, & ſpeciei per multiplicationem individuorum conſervatio; iſta non abſimili ratione neceſſaria ſunt pro vita ſpirituali; ſed hæc a Sacramentis præſtantur: Igitur ſeptem admittenda ſunt. Hanc rationem delibat Concilium Florentinum ſupra laudatum, tradit Divus Thomas hic q. 65. art. 1. explanat vero mirum in modum Catechiſmus Romanus Parte ſecunda n. 19. de Sacram. in gen. his verbis: " Catholicæ igitur Eccleſiæ „ Sacramenta, quemadmodum ex Scri„ pturis probatur & Patrum traditione „ ad nos pervenit, & Conciliorum teſta„ tur auctoritas, ſeptenario numero de„ finita ſunt. Cur autem neque plura, „ neque pauciora numerentur, ex his et„ iam rebus quæ per ſimilitudinem a na„ turali vita ad ſpiritualem transferuntur, „ probabili quadam ratione oſtendi pote„ rit. Homini enim ad vivendum, vi„ tamque conſervandam, & ex ſua, rei„ que publicæ utilitate traducendam, hæc „ ſeptem neceſſaria videntur: Ut ſcilicet „ in lucem edatur, augeatur, alatur: ſi „ in morbum incidat, ſanetur: imbecil„ litas virium reficiatur: deinde, quod „ ad rempublicam attinet, ut Magiſtra„ tus numquam deſint, quorum auctorita„ te & imperio regatur: ac poſtremo, „ legitima ſobolis propagatione ſeipſum & „ humanum genus conſervet. Quæ om„ nia quoniam vitæ illi, qua anima Deo „ vivit, reſpondere ſatis apparet, ex iis „ facile Sacramentorum numerus collige„ tur. Primus enim eſt Baptiſmus, velu„ ti ceterorum janua, quo Chriſto renaſci„ mur: deinde Confirmatio, cujus virtute „ fit ut divina gratia augeamur, & robo„ remur. Baptizatis enim jam Apoſtolis, „ ut D. Auguſtinus teſtatur, inquit Do„ minus, *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Tum Euchariſtia, „ qua, tamquam cibo vere cæleſti, Spi„ ritus noſter alitur & ſuſtinetur. De ea „ enim dictum eſt a Salvatore: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Sequitur quarto loco Pœnitentia, „ cujus ope ſanitas amiſſa reſtituitur, „ poſtquam peccati vulnera accepimus. „ Poſtea vero Extrema-Unctio, qua pec„ catorum reliquiæ tolluntur, & animi „ virtutes recreantur: ſiquidem D. Ja„ cobus, cum de hoc Sacramento loque„ retur ita teſtatus eſt: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Sequitur Ordo, quo pu„ blica Sacramentorum miniſteria perpe„ tuo in Eccleſia exercendi, ſacraſque „ omnes functiones exequendi poteſtas „ traditur. Poſtremo additur Matrimo„ nium, ut ex maris & feminæ legi„ tima & ſancta conjunctione filii ad „ Dei cultum, & humani generis con„ ſervationem procreentur, & religioſe „ educentur. „

Altera ratio petitur ex remediis contra peccatum. Non enim Sacramenta inſtituta ſunt ſolummodo ad Deum colendum, verum etiam ad hominum ſanctificationem, quæ fit per peccatorum remiſſionem: atqui pro iſto quoque fine ſeptem requiruntur Sacramenta. Ergo &c. Hæc ratio eſt D. Thomæ q. 65. art. 1. ubi ſic loquitur: " Ex his etiam patet Sacra„ mentorum numerus, ſecundum quod „ ordinantur contra defectum peccati. „ Nam Baptiſmus ordinatur contra caren„ tiam vitæ ſpiritualis: Confirmatio con„ tra infirmitatem animi, quæ in nuper „ natis invenitur: Euchariſtia contra la„ bilitatem animi ad peccandum: Pœni„ tentia contra actuale peccatum poſt Ba„ ptiſmum commiſſum: Extrema-Unctio „ contra reliquias peccatorum, quæ ſci„ licet non ſunt ſufficienter per pœniten„ tiam ſublatæ, aut ex negligentia, aut „ ex ignorantia: Ordo, contra diſſolutio„ nem multitudinis: Matrimonium, in „ remedium contra concupiſcentiam per„ ſonalem, & contra defectum multitu„ dinis, qui per mortem accidit. „

Tertia: Deus multa patravit myſteria per numerum ſeptenarium. Igitur & con-

conveniens erat ut Chriſtus Dominus eodem numero noſtram operaretur & compleret ſalutem. Iſta ratio eſt Javelli qui 5. parte Philoſophiæ Chriſtianæ tractatu 1. cap. 5. ſic habet: " Nam Deus ſex „ diebus mundum fabricavit, & in ſeptimo quievit. Geneſis 1. Septem diebus „ præcepit azima comedi; Exodi 12. Septem agnos anniculos præcepit immolari, Levitici cap. 23. Septem lucernas „ præcepit poni ſuper candelabrum in „ Sanctuario; Numerorum 8. Solemnitatem tabernaculorum præcepit celebrari „ Septem diebus, Deuteromii 16. Septem „ inſtituit tubas jubilæi; Joſue 6. In Septem capillis locavit Samſonis fortitudinem, Judicum 16. Septem vicibus præcepit Eliſeus Naaman Syrum lavari in „ Jordane, & ſanatus eſt a lepra ſua, 4. „ Regum 2. Sapientia excidit columnas „ ſeptem; Proverbiorum 9. Septem panibus ſatiavit Chriſtus quatuor millia hominum, Matth. 15. Septem dæmonia „ ejecit a Maria Magdalena, Marci 16. „ Septem Spiritus in conſpectu throni ejus „ ſunt, Apocalypſis 1. Septem candelabra „ aurea vidit Joannes ibidem; ſeptem ſtellas in dextra filii hominis, id eſt Chriſti, ibidem. Si ergo divina bonitas in „ effectibus ſuis, in obſervantiis, in cæremoniis, in miraculis ſeptenarium numerum adeo magnificat, ſapientiſſime „ certe diſpoſuit ſeptem Sacramenta in „ Eccleſia ſua, ut ſeptem rivulos ex fonte charitatis filii ſui pro nobis paſſi effluentes. „

Solvuntur Heterodoxorum objectiones.

OBJICIUNT: Ex Scriptura ſacra eſt unica redemptio, juxta illud Hebræorum 10. *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Igitur unicum quoque eſt Sacramentum, cum & de facto una ſit virtus divina ſanctificans homines.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Unum eſt reconciliationis Sacramentum, concedo: hoc quippe nomine celebratur a S. Leone Chriſti redemptio, id eſt myſterium, & Sacramentum late ſumptum dicitur. Eſt unum proprie dictum, nego. Tametſi enim una ſit virtus divina, unaque redemptio, & unica cauſa principalis ſalutis, eſt tamen multiplex inſtrumentalis; ſic reſpondet D. Thomas ad argumentum hic q. 65. art. 2. his verbis: „ Ad primum ergo dicendum, quod idem „ agens principale utitur diverſis inſtrumentis ad diverſos effectus ſecundum „ congruentiam operum: & ſimiliter „ virtus divina & Paſſio Chriſti operantur in nobis per diverſa Sacramenta „ quaſi per diverſa inſtrumenta. „

Inſtant: Ad ſummum ex Scriptura ſacra duo tantummodo numerantur Sacramenta, nimirum Baptiſmus, & Euchariſtia: namque Joannis 19. ex Chriſti latere fluxerunt ſanguis & aqua, hoc eſt Baptiſmus & Euchariſtia, ut interpretantur hunc locum Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophilactus; In primis Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 10. & Auguſt. Lib. 2. de Symbolo cap. 6. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico, non unam eſſe loci B. Joannis Patrum interpretationem. Quidam intelligunt duo baptiſmata, alterum ſcilicet ſanguinis, alterum vero fluminis. Ita Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 3. & Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum. Alii per ſanguinem intelligunt redemptionis pretium, per aquam vero redemptionis applicationem, quæ potiſſimum fit per Baptiſmum. Iſte ſenſus eſt Ambroſii Lib. 10. In Lucam cap. 10. S. Leonis Epiſt. 4. Auguſtini & Bedæ in hunc locum; quæ quidem explicatio admodum naturalis & ad mentem Evangeliſtæ videtur: Non enim Joannes dixit, Exivit aqua & ſanguis, ſed ſanguis & aqua; alias Euchariſtiam ante Baptiſmum deſignaſſet, quod eſt contra ordinem, cum Baptiſmus ſit omnium Sacramentorum janua. Propheta Evangelicus de redemptione ſe fuiſſe locutum indigitat Epiſt. 1. cap. 5. his verbis: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem*; quibus quidem verbis oſtendit eatenus copioſam eſſe redemptionem, quatenus nos docet Baptiſmum Chriſti, Baptiſmo Joannis eſſe multo efficaciorem.

Reſpondeo ſecundo, ad eamdem confirmationem ſic diſtinguendo: Et ſancti Patres interpretes, alia non excludunt Sacramenta, concedo: & excludunt, nego. Duo principaliter commemorant e latere Chriſti fluxiſſe, ſcilicet Baptiſmum & Euchariſtiam: Baptiſmum quidem ut ceterorum januam, Euchariſtiam vero ut omnium

omnium finem, & totius cultus divini conſummationem.

Urgent: Patres Baptiſmum & Euchariſtiam tantummodo ut Sacramenta agnoſcunt: Ita Juſtinus Apologia II. Iræneus Lib. 1. cap. 9. Tertullianus Lib. 1. & 4. contra Marcionem, & Lib de corona militis, Cyrillus Lib. de Catecheſibus, Ambroſius paſſim in Libris de Sacramentis, Aug. Lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 9. rurſus Epiſt. 118. Ergo &c.

Reſpondeo primo diſtinguendo ut ſupra: Et dum Patres loquuntur de aliquibus Sacramentis, aliis omiſſis, cetera non excludunt, concedo: alia rejiciunt, nego. Juxta propoſitum locuti ſunt Patres; hinc quandoque de Baptiſmo tantum contra Donatiſtas, quandoque de Euchariſtia & Baptiſmo contra impugnantes, & ſic de ceteris ſermonem inſtituunt. Ergone cetera non admiſerunt? Contrarium conſtat ex probationibus.

Jam reſpondeo ad ſingula cum Bellarmino hic Lib. 2. de Sacr. in gen. cap. 27. Ad primum quidem Juſtinum in apologia laudata meminiſſe duorum dumtaxat Sacramentorum, eo quod ſic exigeret operis ſcopus. Duo quippe momenta habebat probanda adverſus malignantes Paganos, qui fideles criminis Deicidii eatenus inſimulabant, quatenus improperabant eos ſui Dei vorare carnes, quocirca tractat de Euchariſtia, utique & de Batiſmo tamquam de ceterorum Sacramentorum janua.

Ad Irenæum facilis eſt quoque reſponſio, namque ſpecialem nuſquam inſtituit diſputationem de ſeptem Sacramentis; ſed prout tempus exigebat, de aliquo tractabat. Sic Lib. 1. cap. 9. commemorat Euchariſtiam, ut refellat commenta cujuſdam Marci circa iſtud venerabile Sacramentum, cap. 18. agit de Baptiſmo ut quoſdam circa illud Sacramentum perſtringat errores: Lib. 4. cap. 32. 33. & 34. agit de ſacrificiis veteris legis, & rurſus de Euchariſtia. L. 1. cap. 2. de Penitentia diſſerit, & Lib. 3. cap. meminit Confeſſionis. Neque mirum cuiquam videri debet, ſi ipſam Penitentiam non vocet Sacramentum, cum iſto nomine neque etiam Baptiſmum & Euchariſtiam celebret.

Eodem prorſus modo fit ſatis objectioni ex Tertulliano deductæ. Porro Lib. de Reſurrectione carnis quatuor nominat Sacramenta, videlicet Baptiſmum, Chriſma, hoc eſt Confirmationem, Euchariſtiam, & Ordinationem. Ceterum Lib. 1. adverſus Marcionem probandum habebat creaturas ſenſibiles a Deo bono promanare, hinc commemorat aquam, panem & oleum, quæ ſunt materia quinque Sacramentorum. Ex quo manifeſte ſequitur neceſſe non fuiſſe nominare Penitentiam, & Matrimonium; cum ad propoſitum iſta duo nihil facerent, denique in Lib. de corona militis, mentionem facit dumtaxat de Baptiſmate & Euchariſtia, quia eo loci tractat de cæremoniis Eccleſiæ; quæ quidem non ex Scriptura, ſed ex Traditione habentur, quocirca varias laudat traditiones pro iſtis duobus Sacramentis celebrandis: Sed ne lector aliquis falſo exiſtimaret non eſſe alia Sacramenta aliaſque cæremonias, ſubdit: " Harum, „ & aliarum hujuſmodi diſciplinarum, ſi „ legem expoſtules Scripturarum, nullam „ invenies; traditio tibi prætendetur au„ ctrix, conſuetudo confirmatrix, & fi„ des obſervatrix. „

Ad Cyrillum & Ambroſium ſolutio generalis recte adhibetur. Quid enim mirum, ſi iſti Patres de tribus tantum Sacramentis agant; cum in operibus laudatis ſcribant ex profeſſo ad Catechumenos edocendos, ut digne ſuſciperent ſanctum Baptiſma, Confirmationem, & Euchariſtiam quæ tunc temporis ſolemniter conferebantur: ut dicit Amphilochius in vita ſancti Baſilii, de cujus Baptiſmo ſic loquitur: " Baptizavit Epiſcopus Maximia„ nus Baſilium, & Eubulum, atque un„ gens eos ſancto Chriſmate, tradidit eis „ vivificam Communionem. „

Neque magis proficiunt Proteſtantes nobis opponendo Auguſtinum, cum ex probationibus conſtet ſanctum Doctorem cuncta admiſiſſe novæ legis Sacramenta: Et vero Lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 9. non dicit eſſe tantum duo Sacramenta, ſed duo commemorat pro exemplo; ſic enim loquitur: " Pauca pro multis ea„ demque factu facillima, & intellectu „ auguſtiſſima, & conſervatione caſtiſ„ ſima ipſe Dominus, & Apoſtolica tra„ didit diſciplina, ſicut eſt Baptiſmi Sa„ cramentum & celebratio corporis & „ ſanguinis Domini. „ Quæ quidem particula, *ſicut*, denotat non pro ceterorum Sacramentorum excluſione, ſed ſolum pro exem-

exemplo Auguſtinum ſic loqui. Quando vero ait noſtra Sacramenta eſſe pauciora, intelligit relative ad Sacramenta veteris legis, nuſquam vero reſtringit numerum ad duo aut tria. Ipſe eſt ſui ipſius interpres Lib. 19. contra Fauſtum, ubi ait Sacramenta novæ legis eſſe Sacramentis veteris legis numero quidem pauciora, ſed virtute majora.

Perſiſtunt: Eſto quod poſſint eſſe alia Sacramenta præter Baptiſmum & Euchariſtiam, nuſquam tamen compleri poteſt ſeptenarius eorum numerus: Ergo &c. Probatur antecedens. Primo quidem ex Dionyſio, qui in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia ſolum meminit Baptiſmi, Euchariſtiæ, Confirmationis & Ordinis. Secundo, ex Gregorio qui canone, *multi ſæculorum* 1. q. 1. apud Gratianum nominat Baptiſmum, Chriſma & Euchariſtiam: ita & Rabanus, Paſchaſius Lib. de corpore & ſanguine Domini, ſimiliter auctor incerti nominis apud Cyprianum Lib. de operibus Cardinalibus Chriſti, qui quidem in ſermonibus tum de Cœna Domini, tum de Ablutione pedum, & de Chriſmate, pauciora quam ſeptem commemorat Sacramenta. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem reſpondet ibidem Bellarminus, Dionyſium eo loci tractare tantum de Eccleſiaſtica Hierarchia, adeoque de ſolis ſolemnibus actionibus Hierarchæ, ſcilicet Epiſcopi; quocirca ſermonem facit dumtaxat de Baptiſmo, Confirmatione & Euchariſtia, quæ quondam ritu ſolemniori conferebantur; ſic & de Ordinatione Clericorum, quæ a ſolis Epiſcopis fieri poſſunt. At dubio procul cetera non abnegat, quandoquidem meminit Pœnitentiæ Epiſt. ad Demophilum.

Ad Gregorium reſpondetur, verba canonis laudati non eſſe germanum hujuſce Patris fœtum, cum in ejus operibus non inveniantur: extant tamen apud Iſidorum Lib. 6. Etimologiarum cap. 19. ſed cujuſcumque ſint, non ponit ille auctor, niſi quædam exempla, quæ certe pro hoc momento ne minimum quidem faceſcunt negotium.

De Rabano nulla eſt difficultas, quippe qui in libris de inſtitutione Clericorum, de omnibus tractet Sacramentis quæ Clericis competunt. Namque Lib. 1. cap. 6. agit de Ordine cap. 24. de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia, Lib. 2. cap. 29. de Pœnitentia. Ibidem cap. 11. de Extrema-Unctione: ſolum omiſit Matrimonium eo quod non ſpectet Clericos.

Neque etiam mirum videri debet ſi Paſchaſius nonniſi de Euchariſtia ſcribat, cum hic ſolus ſit operis finis, ut ex inſcriptione libri patet, cujus titulus eſt, *De corpore Domini*.

Ceterum Auctor anonymus apud Cyprianum mentionem non facit de omnibus Sacramentis; nec debuit facere, quandoquidem ea tantummodo explicat Sacramenta quæ Dominus inſtituit in Cœna, nimirum Euchariſtiam, Chriſma, ſeu Confirmationem, & Clericorum Ordinationem, ut claret ex ejuſdem ſermonibus de Cœna Domini, de Ablutione pedum, & de Chriſmate.

Pergunt: Sacramenta pertinent ad actiones Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ex Dionyſio: ſed ex eodem tres ſunt ſolum actiones Hierarchiæ, ſcilicet Purgatio, Illuminatio, & Perfectio: igitur tria tantum admittenda ſunt Sacramenta.

Reſpondeo diſtinguendo: Sacramenta pertinent ad actiones ſimul & ad recipientes, concedo: Ad agentes tantum, nego. Actiones ſpectant quidem miniſtros, qualis eſt Ordinatio, ſed multi ſunt recipientes, quocirca omnibus Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio & Confirmatio neceſſaria ſunt; Matrimonium vero quibuſdam: ſolutio eſt divi Thomæ, qui hic q. 65. art. 1. ad 3. ſic ſolvit objectionem: " Dicendum, quod „ in actionibus Hierarchicis conſiderantur & agentes, & recipientes, & „ actiones. Agentes autem ſunt miniſtri „ Eccleſiæ, ad quos pertinent Ordinis Sa„ cramentum. Recipientes autem ſunt „ illi qui ad Sacramentum accedunt, qui „ producuntur per Matrimonium. Actio„ nes autem ſunt purgatio, illuminatio, „ & perfectio: ſed ſola purgatio non „ poteſt eſſe Sacramentum novæ legis, „ quod gratiam confert: ſed pertinet ad „ quædam ſacramentalia quæ ſunt Cate„ chiſmus & exorciſmus. Purgatio autem „ & illuminatio ſimul, ſecundum Dio„ nyſium pertinent ad Baptiſmum; & pro„ pter recidivum ſecundario pertinent ad „ Pœnitentiam, & Extremam-Unctio„ nem. Perfectio autem quantum ad vir„ tutem quidem, quæ eſt quaſi perfectio „ for-

Digitized by Google

„ formalis, pertinet ad Confirmationem: „ quantum autem ad conſecutionem finis, pertinet ad Euchariſtiam. „

Reponunt: Sacramenta veteris legis correſpondent Sacramentis novæ legis: Sed in veteri lege non erat aliquod Sacramentum Confirmationi, & Extremæ-Unctioni correſpondens. Igitur iſta duo, inter Sacramenta non annumeranda ſunt.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Non erat in veteri lege aliquod Sacramentum rigoroſe ſumptum correſpondens Confirmationi & Extremæ-Unctioni, concedo: late ſumptum, nego. Et vero datur plenitudo Spiritus ſancti ejuſque robur ac ſuavitas per Confirmationem & Extremam-Unctionem; quos quidem effectus mirabiles non ſubobſcure ſignificabant & donum Prophetiæ multis in veteri lege conceſſum, & feſtum Pentecoſtes apud Judæos celeberrimum. Sanctus Thomas ibidem ad 4. ſic reſpondet ad difficultatem: " In Sacramento confir" mationis datur plenitudo Spiritus ſan„ cti ad robur: in Extrema autem un„ ctione præparatur homo, ut recipiat „ immediate gloriam: quorum neutrum „ competit veteri Teſtamento. „ Quibus verbis oſtendit figuras de iſto utroque Sacramento non fuiſſe tam explicatas quam pro ceteris.

Replicant: Sacramenta ordinantur ad animæ ægritudines propellendas: Sed præter peccatum originale & actuale mortale, datur etiam veniale. Igitur vel ſunt tria tantum Sacramenta; alterum ſcilicet contra peccatum originale; alterum contra actuale lethale, alterum denique contra veniale: Aut ſunt tantum duo. Ergo &c.

Reſpondeo primo retorquendo argumentum. Si pro quolibet peccato requiratur Sacramentum, cum diverſa ſint ſpecie peccata mortalia, eaque pene innumera, numerus Sacramentorum nullis ut ita dicam terminis comprehenderetur.

Reſpondeo ſecundo, dari Baptiſmum contra peccatum originale, Pœnitentiam contra omnia mortalia actualia, & ſecundario etiam contra venialia: immo & iſta delent cuncta vivorum Sacramenta.

Urgent: Virginitas ab ipſo Chriſto præfertur Matrimonio, ſicut & ab Apoſtolo; & tamen non niſi ex opere operantis confert gratiam. Igitur Matrimonium inter Sacramenta non annumerandum eſt, alias vel ipſi præemineret virginitati, cum Sacramenta ex opere operato producant gratiam.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Virginitas præfertur Matrimonio conſummato, concedo: Matrimonio rato & reduplicative ut eſt Sacramentum, nego. Matrimonium duplici modo ſpectari poteſt: Primo quidem, ut eſt Sacramentum, & ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, & ejuſdem cum noſtra natura humana: Secundo penes uſum. Priori modo ſpectatum virginitati prævalet, poſteriori vero modo per accidens res non ita ſe habet, cum actus Matrimonii ut plurimum paſſionem habeat adjunctam; ſed res non ita ſe habuiſſet in ſtatu innocentiæ, cum enim tunc temporis nulla fuiſſet mala concupiſcentia, & pars inferior perfecte fuiſſet ſuperiori ſubdita, Matrimonium & quoad ſe, & quoad actum vel ipſi præponderaſſet virginitati.

Reſpondetur quibuſdam circa Ordinem difficultatibus.

OBJICIES: Videtur quod ſint pluſquam ſeptem Sacramenta. Ergo &c. Probatur antecedens. Ordo dividitur in multa Sacramenta; quinimmo juxta multorum Theologorum placita, Epiſcopatus eſt Ordo ſpecie diſtinctus a Presbyteratu, cum ſpecialem habeat poteſtatem, puta conficiendi ſacrum Chriſma, conſecrandi Eccleſias, altaria, benedicendi & Sacerdotes ordinandi, quæ quidem omnia officia ſimplici Sacerdoti non conveniunt. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Ordo dividitur in multa Sacramenta ſibi ad invicem ſubordinata, concedo: non ſubordinata, nego: Inferiores Ordines, immo & Subdiaconatus ac Diaconatus veluti gradus ſunt, quibus aſcenditur ad Presbyteratum: Epiſcopatus vero eſt totius Ordinis conſummatio, cum vel ipſa Papalis dignitas non niſi juriſdictionem univerſaliorem, & majorem dignitatem importet ſupra Epiſcopatum; hinc Summus Pontifex appellatur & merito: ratio enim Chriſti Vicarii & totius Eccleſiæ capitis ac Primatis, non menſuratur præciſe penes officium Sacerdotis, ſed poteſtatis & juriſdictionis, tum

tum ad inſtituendas diœceſes, tum ad conſecrandos magnos Præſules &c. Igitur tametſi Diaconatus ſit verum Sacramentum ſicut & Epiſcopatus, manet ſemper Ordinem conſtituere unicum totale & adæquatum Sacramentum.

Inſurges: Licet omnia Sacramenta contineantur ſub illo ſupremo genere Sacramenti, attamen ideo ſunt ſeptem Sacramenta, quia diverſimode contrahitur ſupremum genus a ſingulis Sacramentis: namque, ut ait Concilium Florentinum, Baptiſmus eſt quidem Sacramentum, ſed regenerationis: Confirmatio utique, ſed ad robur &c. Atqui ſimiliter inferiores Ordines, nimirum Subdiaconatus & Diaconatus diverſis modis a Presbyteratu ſunt Ordines; Epiſcopatus vero longe eminentiori modo ipſo Presbyteratu eſt Ordo. Igitur a ſimili ſunt multa Ordinis Sacramenta.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod ſingula Sacramenta contrahant ſupremum genus per rationes ſpecie diverſas, & non ſibi ad invicem ſubordinatas; ſolus quippe Baptiſmus dat regenerationem ſpiritualem: ſola Confirmatio eſt ad robur, ut fidelis propellat fidei perſecutorum impetus &c. At vero cuncti Ordines ſunt in eadem linea, adeoque veluti gradus ad unum adæquatum Ordinem.

Inſtabis: Omnia Sacramenta ordinantur ad Euchariſtiam ſicut ad finem; & tamen conſtituunt Sacramenta adæquate diverſa. Igitur & Ordines tametſi ordinentur ad unum totalem Ordinem.

Reſpondeo, negando paritatem: Cetera enim Sacramenta ad Euchariſtiam referuntur ut ad finem, & totius cultus divini conſummationem ratione præſentiæ realis Chriſti, qui eſt teſte Joanne Alpha & Omega, ſeu principium & omnium finis: e contra vero ordines veluti gradus in eadem Sacerdotii linea concluduntur; hinc & relationem dicunt ad unum adæquatum Ordinem non præciſe ut ad finem, ſed ut ſpecies incompletæ & potentiales ad unum adæquate Sacramentum Ordinis, ſub quo veluti ſub genere ſpeciali comprehenduntur.

Dices: Eccleſia ab Adamo ad nos uſque eadem eſt: ſed in lege naturæ indefinitus erat Sacramentorum numerus: In lege Moſaica multa, abſque ut ita dicam nomine & numero erant. Igitur & in nova lege, ut ſervetur unitas, & cum aliis ſtatibus conſormitas, plura quam ſeptem debent eſſe Sacramenta.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Eccleſia ad nos uſque una & eadem eſt quoad fidem & cultum unius veri Dei, concedo: quoad modum tum colendi Deum, tum homines ſanctificandi, nego. Et conceſſa minore, diſtinguendum eſt conſequens ad ſenſum majoris; debent ſicut in aliis legibus ſic & in nova, eſſe eadem Sacramenta, quoad ſignificationem & finem, concedo: quoad ſe, nego. Eccleſia unum ſemper verum Deum coluit, hinc ſecundum hoc una eſt; ſed diverſos eumdem colendi Deum & ſanctificandi homines habuit modos, hinc & diverſa tum ſacrificia, tum Sacramenta, nedum in ſe, ſed & juxta efficaciam ſpectata adhibuit. Pauciora quidem in lege & Eccleſia Chriſti, ſed, ut ait Auguſtinus, virtute & dignitate ceteris præſtantiora. S. Doctor Tract. 45. in Joan. de his ſic diſcurrit:
„ *Bibebant enim de ſpiritali conſequente eos*
„ *Petra: Petra autem erat Chriſtus*. Vide-
„ te ergo, fide manente, ſigna variata.
„ Ibi Petra Chriſtus, nobis Chriſtus, quod
„ in altari Dei ponitur. Et illi pro ma-
„ gno Sacramento ejuſdem Chriſti bibe-
„ runt aquam profluentem de Petra, nos
„ quid bibamus, norunt fideles: ſi ſpe-
„ ciem viſibilem intendas, aliud eſt: ſi
„ intelligibilem ſignificationem, eumdem
„ potum ſpiritalem biberunt. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sunt ſolum Septem novæ Legis Sacramenta.

PRIMO: Quia ex Scriptura ſacra ſunt tantum ſeptem ritus ſancti gratiam ex opere operato producentes, quorum Chriſtus ſolus eſt auctor.

Secundo: Ita de fide definierunt Concilium Florentinum, & Tridentinum. Illud in Decreto unionis, iſtud Seſſ. 6. can. ſupra laudato. Subſcribunt Patres tum Græci, tum Latini.

Tertio: Ratio congrua ſuffragatur: ſicut enim ſeptem requiruntur ad vitam humanam, inquit D. Thomas, hic q. 65. art. 8. videlicet, ut homo habeat eſſe & vivere, deinde creſcere, poſtea nutriri, exinde ſanari ſi in morbum inciderit, tum

& ab

& ab infirmitatis reliquiis abſolvi, habeatque vitæ rectorem, deinde & propagatorem; pari & conſimili modo eadem prærequiruntur ad vitam ſpiritualem; quo circa per Baptiſmum regeneratur, per Confirmationem roboratur in fide &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi Patres quandoque de duobus Sacramentis, quandoque etiam de tribus, omiſſis aliis, tantum loquantur, non inde ſequitur, Sacramentorum numerum duobus aut tribus concludi, cum in ſuis Operibus, prout eſt controverſiæ impetus & materia, tractent de quibuſdam tantum Sacramentis; quandoquidem ex aliis eorum locis compertum habemus ſeptenarium numerum.

Secundo: Neque vero idem numerus reſtringitur ad tres actiones Hierarchicas, ſcilicet purgationem, illuminationem, & perfectionem, cum ex D. Thoma non ſolum actiones, ſed & agentes, & recipientes in hoc momento ſpectari debeant. Quibus ponderaris, abſque negotio exurgit ſeptenarius Sacramentorum numerus.

Tertio: Eſto quod ſint ſeptem Ordines, immo & octo, ſi addatur Epiſcopatus, hi autem omnes non niſi adæquatum Ordinis Sacramentum conficiunt, cum ſub Ordinis genere cuncti veluti ſpecies incompletæ, ſeu partes potentiales concludantur.

PUNCTUM SECUNDUM.

Utrum Orientales ſeptem agnoſcant Sacramenta?

NIHIL non tentarunt Proteſtantes ut ſeptenarium numerum Sacramentorum exſufflarent; Miniſtri Hottingerius, Legerius, Ludolphus, maxime vero Smythus Anglus, qui omnibus audacior quædam conſcripſit opera in quibus, ſed incaſſum, conatur oſtendere nullam eſſe apud Orientales pro iſto numero traditionem.

Priores qui iſtas Miniſtrorum novitates impugnavere, fuerunt Eraſmus, Gregorius, Caſſandrus, Cardinalis Oſius, & multi alii, qui luce meridiana clarius oſtenderunt, ab omni Chriſtianitatis ævo fuiſſe ſeptem Sacramenta, & totidem ritus ſacros a ſolo Chriſto inſtitutos, qui conferunt ex opere operato gratiam. Quia vero nonnulli Orthodoxi diſciplinam & Eccleſiæ poſſeſſionem, rationibus Theologicis dumtaxat firmarunt, immo vanas quæſtiones ſubtiles ſed inutiles inſtituerunt, ita ut ſcholaſtico dumtaxat modo hanc pertractantes materiam, vanos, ſuppoſititioſque errores Græcis recentioribus, zelo certe non ſecundum ſcientiam abrepti, affixerunt, & hoc in periculum non ſolum charitatis, ſed & Traditionis, inter quos, inquir Allatius Græcus in notitia rerum Orientalium nulli ſecundus Lib. 3. de conſenſione Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali, cap. 16. ac veluti omnium audacior ſulget Antonius Caucus Archiepiſcopus Corcyreoſis, qui hæreſi tertia, de Græcis illis ſic loquitur: „ Ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis duo „ negant Græci, Confirmationem ſcili„ cet & Extremam-Unctionem „. Quem perſtringens Allatius ſubdit: " Si quæras „ ab ipſo undenam ipſe habeat Græcos „ hæc duo Sacramenta negare, reſpon„ det, ab ipſis ſæpiſſime ſe audiſſe, & „ de Extrema-Unctione teſtem adducit „ Guidonem Carmelitam. „ Qua falſa ſententia fretus Miniſter Smythus, audacter propugnat doctrinam de numero Sacramentorum ſeptenario eſſe mere humanam. Iſtum & alios doctiſſime impugnant, Allatius L. 3. maxime capite mox laudato, Arcudius in toto ſuo libro de conſenſu Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali, & poſt eos non abſimili eruditione Renaudotius in variis operibus Liturgicis, maxime vero Tomo 4. & 5. perpetuitatis fidei.

Quia vero iterum atque iterum de Sacramentis etiam in particulari redibit ſermo de Orientalibus, operæ pretium eſt hic iſtorum breviter texere hiſtoriam, qualis fuſo calamo refertur Tomo 4. perpetuitatis fidei toto libro 1. ſed potiſſimum a capite primo uſque ad ſextum incluſive, ubi auctor variorum Codicum Græcorum calculo munitus, mira, & certa pro hoc momento propalat.

Sum-

Digitized by Google

Summa Hiſtoria Critica recentiorum Orientalium.

VIX aliquæ hæreſes, ſi Neſtorianos & Dioſcoritanos Hæreticos excipias, nunc in Oriente graſſantur. Nulli quippe ſunt Ariani, nulli Macedoniani, omnes & Filium, & Spiritum Sanctum, ut æterno Patri conſubſtantiales habent; Orientales iſti vix ac ne vix quidem Donatiſtas, & Novatianos agnovere, aliquid Manicheiſmi in Perſide, ſed non inter Chriſtianos animadvertitur. Quin immo a mille circiter annis omnes ferme Orientales ſunt Chriſtiani.

Ergo nomine Eccleſiarum & Communionum Orientalium intelliguntur vel Melchitæ, vel Jacobitæ, vel Neſtoriani, qui omnes Græcum ſuo modo obſervant ritum. Melchita idem ſonat ac Orthodoxus, & iſto inſignuntur nomine omnes qui nullum habent & circa Trinitatem, & circa Incarnationem ceteraque Religionis myſteria errorem.

Illi autem ſunt in duplici differentia; quidam ſunt ſcilicet Schiſmatici, & illi ab Eccleſia Romana ſchiſmate divelluntur; quidam vero Vicario Chriſti adhærent, inter quos eminent Maronitæ Montis Libani incolæ, qui a ſexcentis annis Eccleſiæ reconciliati ſunt.

Jacobitæ hoc nomine donati ſunt a quodam Jacobo, cujus nomen Zanzal vel Bardæi ſecundum Arabes; quippe qui præ omnibus alacrior fuerit ad diſſeminandam in Oriente Dioſcori hæreſim. Iſte Archiepiſcopus inauguratus eſt ab Epiſcopis Monophyſitis, hoc eſt unicam in Chriſto naturam admittentibus; quique edicto Imperatorum propter ſuam in errore pertinaciam in carcerem fuerant detruſi.

Jacobitæ non Eutychetem, a quo abhorrent eo quod Apollinari adhæſerit, carnem cœleſtem Chriſto affingendo, ſed Dioſcorum quondam Alexandrinum Patriarcham ducem ſequuntur; qui Dioſcorus ad noſtra uſque tempora ſicut in errore, ſic & in Patriarchatu ſucceſſores habuit.

Jacobitæ duplicis ſunt generis: alii ſunt Syriæ, ſeu Syri, & ſimpliciter vocantur Jacobitæ: Alii vero Ægyptii a voce *Ægypti* dicti Coptitæ: Priores ab ipſis ſolum diſcrepant quod in pane conſecrando admiſceant paululum & ſalis & olei: Et hoc ægre quidem ferunt poſteriores. Iſti celebrant Officium lingua Ægyptiaca, a tempore quo excuſſo Græcorum jugo, liberi evaſerunt. Æthiopes ſeu Abyſſini ſunt populi Imperii Æthiopum: hi non niſi Metropolitanum habent qui a Patriarcha Coptitarum dependet. Porro nomine Metropolitani intelligitur quandoque Archiepiſcopus, quandoque Primas; quandoque etiam inſignis Metropolitanus qui nedum Epiſcopos, ſed & Archiepiſcopos creare poteſt.

Neſtoriani a Neſtorio nuncupantur, variiſque circa Incarnationem Dominicam laborant erroribus.

De Patriarchatibus.

PRIMUS inter Patriarchas, etiam non diſſitentibus Græcis recentioribus, eſt totius Occidentis Patriarcha, ſcilicet ſummus Pontifex, cui adhærent Melchitæ Orthodoxi, nempe Græci qui majores Mediterranei maris inſulas incolunt, & multi in Calabria, & Sicilia demorantur; Maronitæ ſunt illi qui lingua Syriaca divinum perſolvunt officium; Melchitæ Schiſmatici Epiſcopos & Metropolitanum Venetiis habent, & Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjiciuntur. Iſte præter illos omnes Chriſtianos qui partim in Occidente, ut in Moldavia & Valachia, partim in Septemtrione, ut qui ſunt in vaſtiſſimo Moſcorum Imperio, & plures alios qui Orientem habitant, ſuæ Juriſdictioni ſubditos habet.

Patriarcha Alexandrinus ordine ſequitur Conſtantinopolitanum, ejuſque Exarchus ſeu Vicarius eatenus dicitur, quatenus multas cauſas de diſciplina, eius nomine & diſcutit & dirimit; atque vacante Conſtantinopoleos Sede, iſtum regit Patriarchatum; ipſi olim tota Ægyptus, & multæ aliæ Regiones & Provinciæ ſubjiciebantur, ſed Coptitæ, diſrupto Græcorum jugo, in eadem Alexandriæ civitate, ſuum etiam peculiarem habere voluerunt Patriarcham, qui omnem fere Ægyptum occupat, ſuamque uſque ad Ethiopiam, & Africæ confines extendit Juriſdictionem.

Patriarchatus Antiochenus quondam late diffundebatur, & per Antonomaſiam Diœceſis Orientis vocabatur; ad Indias uſque

uſque pertingebat. Præter Patriarcham Græcum eſt alter Jacobitarum Syriæ, apud eamdem Antiochiæ civitatem; qui litteris velut amicus, communicat cum Patriarcha Coptitarum. Ille Patriarchatus in ſua ditione quondam obtinebat totam Syriam, Meſopotamiam & Perſidem; nunc vero pauciſſimas habet Eccleſias. Tertius, ibidem eſt Patriarcha pro Maronitis, qui ſunt in parvo numero, & quorum Eccleſiæ ſunt penes Montem Libani.

Patriarcha Neſtorianus primitus ante Mahumetanorum invaſionem, in Meſopotamia multas habebat Eccleſias; vincentibus poſtea Romanis pauciores numeravit; ſed tandem prævalentibus Saracenis, Græci ejecti ſunt, & in eorum Eccleſiis ſuffecti fuere Neſtoriani. Iſta Secta habet in ſua Juriſdictione ſuperioem Aſiam & Indias; immo ad Sinarum uſque Imperium pervadit, nuſquam tamen ſupremi Eccleſiæ capitis nomen ſibi arrogavit; ſed ſolum retinuit titulum Metropolitani, qui creandi & Epiſcopos, & Archiepiſcopos, immo & Metropolitanos alios inferiores jus ſibi vindicat. De Patriarcha Jeruſalem nihil dicendum incumbit, niſi quod ex omni terrarum orbe huc conveniant Chriſtiani, qui & ibi ſingula habent Oratoria, in quibus juxta ritum ſibi proprium celebrant divinum officium. Tom. 4. perp. fidei l. toto 1.

Obſervandum eſt Cyrillum Lucarem primo Patriarcham Alexandrinum, deinde vero Conſtantinopolitanum, pecunia numerata, vel alio pravo abreptum motivo adoptaſſe Calvinianam Confeſſionem, quam quidem Latinam anno 1629. edit. Geneveniſis, deinde Græco-Latinam anno 1633. nomine totius Eccleſiæ Græcæ, ſed perperam juris publici fecit. Ante ipſum Theologi Vitembergenſes cuncta moliti fuerant ut Græcos ad ſuas traherent partes, ita refertur Tomo quinto perpetuitatis fidei toto libro 1.

Quamvis Græci in fide ſeptem Sacramentorum ſemper extiterint; nihilominus ex fabulis & Cauchi., & Guidonis, & ſcandali a Cyrillo præſtiti, Miniſtri Proteſtantes inde ſumpſere argumentum, ut ſeptenarium numerum Sacramentorum exploderent, quocirca ad eos debellandos ordo rerum, & ipſa expoſtulat neceſſitas, ut omni argumentotum genete oſtendamus perpetuitatem fidei de ſeptem novæ legis Sacramentis, illibatam apud Orientales ad noſtra uſque tempora perduraſſe: his prælibatis ſit

CONCLUSIO.

Orientales a Chriſto nato ad præſentem uſque diem Septem admiſere Sacramenta.

Probatur iſto efficaci ratiocinio.

GRÆCI, in triplici tempore ſpectari poſſunt: Primo quidem ab Apoſtolis uſque ad Concilium Florentinum incluſive, deinde a Florentino uſque ad diem qua Cyrillus vocatus eſt ad ſedem Conſtantinopolitanam; denique a Cyrilli morte ad noſtra uſque tempora. Atqui in his omnibus temporibus apud Græcos affulget fidei perpetuitas de ſeptem Sacramentis. Ergo &c. Probatur minor quoad ſingulas partes.

Teſtimonia ab Apoſtolis uſque ad Concilium Florentinum.

DE Sacramentis Baptiſmi & Euchariſtiæ non eſt controverſia, cum illa ut Sacramenta habeant Proteſtantes; de ceteris convenit Eccleſia Græca antiqua.

De Confirmatione quidem aſtipulantur Dionyſius Lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. parte ſecunda, Clemens Alexandrinus apud Euſebium Lib. 3. Hiſt. cap. 17. Origenes Hom. 9. in Leviticum, Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 3. Gregorius Nazianzenus Orat. de ſancto Lavacro; Theodoretus Commentario in primum caput Canticorum, Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 10. & alii permulti. De Pœnitentia non eſt ambigendi locus apud Eccleſiam Græcam; Clemens Alexandrinus ibidem apud Euſebium cap. 17. Epiphanius hæreſi 59. Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio, Cyrillus Lib. 12. in Joannem cap. 56. Theodoretus in Epitome divinorum Decretorum cap. de Pœnitentia; Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 10. & alii Patres hanc docent, & ut Sacramentum habent.

Suum quoque addunt calculum pro Sacramento

mento Extremæ-Unctionis; in primis Origenes Hom. 2. in Leviticum, Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio, & alii permulti; idem patet pro Ordine maxime ex Patribus Concilii Chalcedonenſis ex Dionyſio Lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 5. Chryſoſtomo Lib. 3. de Sacerdotio; Tharaſio Epiſt. ad Adrianum Papam, Theodoreto in primam Timothei 5. Theophilato & Oecumenio in illud ſecundæ ad Timotheum 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam*, &c.

Denique Eccleſia Græca Matrimonium ſemper habuit ut Sacramentum, ut patet ex variis Conciliis, maxime ex Florentino, ubi aſtantibus Græcis, dixit: " Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, „ quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & „ Eccleſiæ. „

Verum omni exceptione validius argumentum illud eſt, quod Eccleſia Græca in Concilio Florentino ne minimam quidem propoſuit circa ſeptenarium Sacramentorum numerum difficultatem, nec ulla mota fuit inter Græcos & Latinos de hoc momento controverſia; Immo ut obſervat Allatius L. 3. cap. 16. de Conſenſione Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, jam Græci a Concilio diſceſſerant, cum factum eſt decretum pro inſtructione Armenorum circa Sacramenta. Idem ibidem cap. 9. n. 6. ſic loquitur de Græcis: " Septem Eccle„ ſiæ Sacramenta agnoſcunt, eaque ab Epi„ ſcopis & Sacerdotibus ſolemni ritu „ accipiunt. „ Rurſus, n. 7. " Tenent „ ex antiqua Patrum & Conciliorum in Ec„ cleſia ſua propagata ac conſtabilita tra„ ditione, alium eſſe fuiſſeque, idque de „ jure divino non humano Epiſcopatum. „ n. 8. pergit. „ Synodos Oecumenicas ſe„ ptem agnoſcunt ..... Nicænam ſecun„ dam ſub Conſtantino & matre ipſius „ Irene ... Quidam Florentinam ſub Eu„ genio IV. ſeptem itaque Synodorum „ univerſalium quas jam diximus, decre„ ta, tamquam inviolabilia venerantur, & „ Canones ad corrigendos mores ample„ ctuntur conſtantiſſime religioſiores ſer„ vant; quemadmodum & particularium „ Synodorum, Anciranæ, Gangrenſis, An„ tiochenæ, Laodicenæ, Sardicenſis, „ &c. „ Porro in his omnibus nihil uſquam adverſus ſeptem Sacramenta actitatum eſt; quin immo in Laodicena, in Epheſina, & quibuſdam aliis, prout & tempus & materia exigebant, mira de quibuſdam Sacramentis ſcripta ſunt.

Allatius ibidem cap. 16. ſic perſtringit Caucum n. 3. ut probet & Confirmationem & Extremam-Unctionem eſſe de Sacramentorum numero apud Græcos; & ſic loquitur: " Liber ritualis Græ„ corum, in quo modus adminiſtrandi „ Sacramenta deſcribitur, horum quoque „ Sacramentorum ordinem & ritum, non „ clanculum, & per latebras, ſed palam „ & apertiſſimis verbis proponit. „ Tum n. 4. ſic argumentatur: " Si apud Græ„ cos Confirmatio & Extrema-Unctio „ inter Sacramenta non recenſentur, vel „ quinque tantum Sacramenta erunt, vel „ recitet Caucus, ſi poteſt alia quæ horum „ locum ſuppleant, ut ſeptenarius nume„ rus ſalvus ſit: Sed non recitabit unquam. „ Ergo hæc duo inter alia Sacramenta cen„ ſentur. „

Deinde auctoritate Jobi antiqui Monachi, cujus verbis illum probat numerum: " Septem Sacramenta ait Chriſti Eccle„ ſiæ myſteria. Hoc ordine ſunt: pri„ mum Baptiſmus, ſecundum Chriſma: „ Tertium participatio vivifici corporis „ & ſanguinis Chriſti: Quartum Sacer„ dotium: Quintum honorabiles nuptiæ: „ Sextum ſanctus Habitus: Septimum „ oleum cum oratione, hoc eſt Pœniten„ tia. „

Teſtimonia a Concilio Florentino uſque ad Cyrillum Lucarem.

SIMON Theſſalonicenſis Archiepiſcopus qui ante ipſum Concilium Florentinum vivebat, in Dialogo de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis ſic loquitur: " Septem „ ſunt Dona Spiritus, teſte Iſaia; ſe„ ptem Eccleſiæ Sacramenta quæ ab eo„ dem Spiritu ſancto vim operandi habent, „ quæ nimirum ſunt Baptiſma, Chriſma, „ Communio; manus impoſitio, Matri„ monium, Pœnitentia, & ſanctum „ oleum. „

Subſcribit Joannes Paleologus Andronici II. filius, Imperator Conſtantinopolitanus in profeſſione fidei: " Ad hæc cre„ do, quemadmodum tenet & docet ſan„ cta Eccleſia Romana, ſeptem eſſe „ Sacramenta Eccleſiaſtica; unum, ſci„ licet Baptiſmus de quo diximus: aliud „ Sacramentum Chriſmatis ſancti un-

,, guenti quod per impoſitionem manuum
,, Epiſcopi ungentis, eis qui regenerantur exhibetur. Aliud eſt Pœoitentia:
,, Aliud eſt Euchariſtia: Aliud eſt Sacramentum Ordinis, ſive manuum impoſitio: Aliud ouptiarum: Aliud Extrema-Unctio, nempe ευχέλαιον quod ſecundum doctrinam B. Jacobi Apoſtoli infirmis traditur. ,,

Concinit Gregorius Proto-Cyncellus, qui fuit a confeſſionibus Imperatoris Joanois Paleologi, & in Concilio Floreotioo locum teouit Patriarchæ Alexandrioi, tum tandem creatus eſt Conſtantinopolitanus Patriarcha. Io Apologia adverſus Marcum Eugenium Epheſinum, eumdem commemorat numerum his verbis: “ Verum
,, etiam Latioi baptizatos unguot unguento, atque ut nos unum ex ſeptem Sacramentis Eccleſiæ ritum unguenti aſſerunt. ,,

Jeremias Patriarcha CP. qui Wittembergenſes debellavit triplici eruditiſſima reſponſione; in prima parte 77. art. 7. auctoritate & ſcripturæ, & Traditionis ſeptenarium Sacramentorum numerum probat, eorumque materiam & formam eleganti calamo delineat. In ſecunda eadem repetit. In tertia rogat Wittembergenſes oe iterum reſcribaot, quippe qui nolit ulteriorem habere congreſſum cum his, qui numerum ſepteoarium ab Eccleſia receptum ſubvertebant.

Idem in cenſura cooſeſſionis Auguſtanæ cap. 7. ita loquitur: “ Quæ in ea ipſa
,, Catholica Eccleſia juxta ſententiam Chriſtianorum tradita ſunt nobis myſteria,
,, utique ſeptem ſunt. Videlicet Baptiſma,
,, Chriſma divini unguenti, ſacro-ſancta Commuoio, Maous impoſito, Matrimonium, Pœniteotia, & Sanctum oleum. ,,

Gabriel Severus Philadelphienſis Epiſcopus Tractatum de ſacris myſteriis edidit, in quo quidem eumdem prædicat Sacramentorum numerum. Item & Syoodus Cypria ſub Germano Amathuntis Epiſcopo. Eo loci ait: “ Scieodum eſt,
,, ſeptem eſſe Sacramenta Eccleſiæ Chriſti. ,, Quibus & ſimilibus auctoritatibus claret, vel ipſos recentiores Græcos a doctrina ſeptem Sacramentorum nuſquam diſceſſiſſe, cujus tot argumeota habemus, quot Libros Eccleſiæ Orientalis Eccleſiaſticos, qualia ſunt Ritualia, Pontificalia, Menologia in lucem Græci ediderunt.

Teſtimonia a morte Cyrilli ad noſtra uſque tempora.

CELEBERRIMUM eſt teſtimonium Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Cyrillo Beroeoſi anno 1639. adverſus Cyrillum Lucarem adunata: In ea quippe adderaot Metrophanes Alexandriæ Patriarcha, Theophanes vero Hieroſolymæ; unus ſupra vigioti Metropolitani ſeu Epiſcopi, viginti tres magnæ Eccleſiæ Officiarii, qui una voce proſcribunt Hæreticum his verbis: “ Cyrillo dogmatizaoti &
,, credenti oon eſſe ſeptem Sacrameota
,, Eccleſiæ, id eſt Baptiſma, Chriſoia,
,, Pœnitentia, Euchariſtia, Sacerdotium, Extrema-Unctio, & Matrimonium juxta Cooſtitutionem Chriſti,
,, Apoſtolorum Traditionem atque cooſuetudioem Eccleſiæ; ſed mentienti non
,, eſſe tradita a Chriſto in Evangelio niſi
,, ſolum Baptiſma, & Euchariſtiam, ut
,, videre eſt in decimo quarto ejus capite;
,, aoathema. ,,

In altera Synodo ſub Parthenio Patriarcha CP. anoo 1642. idem numerus veluti & ex Chriſto, & ex Traditione promanans definitur. In eadem Synodo approbata eſt confeſſio orthodoxa, quæ juſſu Eccleſiæ Orieotalis ſcripta & ad noſtra uſque tempora tamquam genuina fidei regula ab oomibus habetur. Meletius Syrurgus Theologus in eroditione oulli ſecundus illam compoſuit; eamdem ſuo calculo munivit Dionyſius Patriarcha CP. deinde Nectarius Hieroſolymæ Præſul. Poſtea ipſam adoptavit omnis Eccleſia Orientalis, & ad nos uſque tamqoam genuina fidei regula ab omnibus habetur: Meletius io reſponſione ad quæſtionem 98. pag. 154. mirum in modum explanat & probat ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta. Rurſus in reſponſione ad quæſtionem 100. tractat de materia & forma ac de effectu Sacramentorum. Idem Theologus ex commiſſione accepta confeſſionem Cyrilli Calvinianam eruditiſſimo opuſculo anno 1640. 28. Novembris confutavit. Exemplar ex origioali manuſcripto ipſius Syrurgi confectum eſt, quod quidem Panagioti dedit Domino de Nointel Ludovici XIV. apud Imperatorem

Tur-

Digitized by Google

Turcarum Oratori, ex quo varia hic afferenda excerpta ſunt; inprimis Syrurgus probat eo loci auctoritate Scripturæ ſeptem eſſe novæ legis Sacramenta, eorum verba non eſſe mere concionatoria, & eadem prorſus ac Latini Theologi tum de materia, tum de forma, tum etiam de efficacia ſcribit.

Gregorius Jeromooachus Chius. anno 1635. in Synopſi dogmatum Eccleſiaſticorum capite 4. apud Allatium, ibidem capite 16. n. 4. eodem prorſus modo loquitur de ſeptem Sacramentis ac ipſum Concilium Florentioum: " Deus noſtrum, „ *inquit*, ſpiritualem ſtatum gubernat quo „ modo corporalem. Hinc primo, nos „ regenerat ſpiritualiter, idque efficit „ medio Baptiſmate. 2. Auget nos in „ gratia ſua & in pietate ſtabilit; quod „ operatur, perficitque medio Sacro un„ guento. 3. Nos alit ſpiritualiter; id„ que facit & monſtrat media Commu„ nione. 4. Sanat nos a multis infirmi„ tatibus animæ, quod efficit oſtenditque „ media Pœoitentia. 5. Sanat nos & in „ anima ut utilius eſt animæ noſtræ; & per„ ficit hoc media Extrema-Unctione. 6. „ Totam Eccleſiam gubernat & ſpiritua„ liter illam multiplicat; idque operatur „ media ordinatione. 7. Auget, multi„ plicatque pari ratione corporaliter; & „ hoc operatur medio Matrimonio. „ Neque vero aliter ſtatuunt Damaſceous Theſſalonicenſis Jeremonachus concione in Epiphania Domini; Gabriel Severus Philadelphienſis de ſeptem Sacramentis; Neophitus Rhodinus in Panoplia, & Tractatu de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ.

Eccleſia Græca, expoſtulante Domino de Nointel ſub finem anni 1670. Conſtantinopolim appulſo, actum circa fidem omoi exceptione majorem exhibuit. Hanc Confeſſionem compoſuit Dionyſius Patriarcha Conſtantinopolitanus menſe Januarii anno 1672. cujus originale in Bibliotheca Regia aſſervatur, quodque ſubſignatum apparet a Dionyſio, Bailio, Dionyſio & Methodio, antea Conſtantinopoleos Patriarchis, Paiſio vero Alexandriæ; item & a quadraginta Metropolitanis. In primo articulo ſic habetur: " Habemus ſeptem Sacramenta, & vene„ rabilia quæ ab omni antiquitate ſerva„ mus a tempore quo ſeminatum eſt no„ bis & datum Evangelium. „

Iiſdem atteſtationibus acceſſerunt aliæ plurium Eccleſiarum particularium fidei teſtimonia, quæ quidem verſus illa tempora hanc confeſſionem ſuo calculo libentiſſime munierunt. Inter eas atteſtationes apparent ſubſignationes ſeptem Metropolitanorum, & aliorum, quos refert Renaudotius Tomo 5. perpetuitatis fidei Lib. 1. capite ſexto.

Eminet quoque Synodus Jeroſolymæ iiſdem ferme temporibus adunata, cui præfuit Doſiteus, in qua quidem hæc habentur: " Credimus ſeptem eſſe in Eccleſia „ Sacramenta Evangelica, nec plura nec „ pauciora. „

Idem Doſiteus eximium compoſuit tractatum anno 1694. In civitate Jaſſienſi in Moldavia contra Ioannem Carriophilum Laicum ignarum, qui & flagitioſa proditione adhæſerat Cyrillo Lucari. In iſto opere, fuſo calamo perſtringit & Calvini & Lutheri errores. Tum viginti anathematiſmos parte 63. opponit hæreſibus Carriophili.

Primus: " *Si quis dixerit ſeptem Sacra„ menta novi Teſtamenti non fuiſſe a Domi„ no noſtro Jeſu Chriſto inſtituta; Ana„ thema ſit.* „

Secundus: *Si quis dixerit ſeptem Sacramenta non eſſe ad ſalutem neceſſaria, nihil aliud eſſe præter quadam ſignacula fideles diſtinguentia, quorum efficacia penes ſolum fidem eſt, & Baptiſmum verbis Evangelicis ab Hæreticis confectum non eſſe genuinum .... anathema ſit.*

Cœtera Eccleſiæ Orientales cum Græcis in hoc conveniunt; & Myſteria, hoc eſt, Sacramenta admittunt, ſic Melchitæ, ſic Jacobitæ tum Syriæ, tum Alexandriæ: ſic Neſtoriani, ſic Moſcovitæ, & ceteri populi Ruſſiæ, Moldaviæ, Valachiæ, qui omnes cooſeſſionem orthodoxam de Sacramentis per omnia ſequuntur. Ergo. &c.

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium.

OBJICIUNT, Græcos Baptiſmum, & Euchariſtiam tantummodo ſuſcipere; cetera vero Sacramenta nonniſi veluti quædam ſacra ſigna & habuiſſe, & nunc adhuc habere. Igitur fruſtra recurritur ad Græcos pro ſeptenario Sacramentorum numero aſtruendo.

Reſpondes, incaſſum Proteſtantes præfa-

O 2 tum.

tum debellare numerum uſu quatuordecim ſæculorum firmatum; nec minus errare, & a veritatis tramite diſcedere in ipſa definitione Sacramenti, quod ſolummodo veluti fidei & promiſſionum Dei ſignaculum atque pignus vocant, cum vel ipſi Græci, nedum veterni, ſed & recentiores propugnent Sacramenta producere gratiam ex opere operato, ut patet in miro Sacramentorum tractatu Meletii Syrurgi quem ſupra laudavimus.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Græci eodem modo, eodemque ſenſu vocant Confirmationem, quæ apud eos vocatur *μύρον* Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinationem & Matrimonium, Sacramenta, ſicut & Baptiſmum ac Euchariſtiam, concedo; vocant in alio ſenſu, nego.

Etvero ſeptem Sacramenta, cæremonias ſacra a Chriſto immediate inſtitutas appellant, quæque vim ſanctificandi animas habent. In Eucologiis antiquiſſimis habetur ritus conficiendi & adminiſtrandi Confirmationem, Pœnitentiam, Matrimonium, quod ab eis Coronatio appellatur, & Extremam-Unctionem ſeu *εὐχέλαιο*. Tum ordo cum cæremoniis conferendi Baptiſmum & Euchariſtiam in omnibus refertur Pontificalibus. Neque vero iſtorum librorum auctoritatem abjicere quiſquam poteſt, cum omnibus & ſingulis Eccleſiis communes ſint: nec magis proficiunt Heterodoxi negando hujuſmodi libros non eſſe pervetuſtos, quandoquidem in antiquis manuſcriptis adinveniuntur. Similiter & in libris Juris Canonici Græcorum habentur reſponſiones Patriarcharum contra impugnantes: his accedunt permulti alii actus publici prælo mandati in collectione Leonclevivi, quod ſane argumentum eſt, non aliam fuiſſe a multis ſæculis Græcorum circa Sacramentorum numerum fidem. Quin immo Græci contendunt ſeptem Sacramenta fuiſſe immediate a Chriſto inſtituta.

Inſiſtunt: Cyrillus Lucaris nomine totius Eccleſiæ Græcæ confeſſionem Genevenſem ſuſcepit, & ipſi adhæſit Joannes Carriophilus: Sed in iſta confeſſione duo tantummodo recenſentur Sacramenta. Ergo &c

Reſpondeo primo: Fidem non eſſe habendam & Cyrillo & Joanni, quippe qui ambo ſuos propter errores, ille in Synodo Conſtantinopolitana, iſte in Hieroſolymitana proſcripti fuerint; tum a Meletio Syrurgo, a Doſiteo in variis tractatibus confutati ſint.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Cyrillus nomine totius Eccleſiæ Græcæ verbo tenus, & abſque Epiſcoporum aliorumque Patriarcharum conſenſu ſuſcepit confeſſionem Genevenſem, concedo: adhibitis juris ſolemnitatibus, ut actus ille vim omnes obligandi ſortiretur, nego. Ut tota Orientalis Eccleſia aliquid ſuſcipere dicatur, non ſufficit unum ſolum Patriarcham ſolo ſuo ſubſignationis chyrographo amplecti, ſed prærequiritur ut omnes Præſules conſentiant: Et quæ de more & conſuetudine ſunt, ſerventur. Hoc ipſum Jeremias adamuſſim obſervavit in reſponſione triplici, quam adverſus Witembergenſes dedit. Namque hujuſmodi reſponſiones in ſcriniis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ inſcribi curavit, ut intelligerent omnes ſe nihil novi pro Eccleſia Orientali prædicare. Quod certe non fecit Cyrillus, ut ſubnotavit Doſiteus in Synodo Hieroſolymitana, & in ſuo Enchiridio: Quocirca Græci omnes non Cyrillum Apoſtatam, ſed Jeremiam ſecuti ſunt. Gabriel Metropolitanus Philadelphiæ in ſuo de Sacramentis Tractatu Venetiis in lucem edito anno 1600. tum Pariſiis anno 1671. ſeptem propugnat Sacramenta; ipſe vero fuerat a Jeremia ordinatus. Nectarius, Doſiteus, Gallinicus & Syrurgus magnis efferunt laudibus Meletium Piga Patriarcham Alexandrinum, qui duas egregias juris publici fecit Epiſtolas de Euchariſtia anno 1607. quarum una dirigitur ad Gabrielem Philadelphiæ, quem veluti ſuum Magiſtrum habebat. Alia multa de ſeptem Sacramentis opera recentiores Græci ſcripſere, ut videre eſt Tomo 5. perpetuitatis fidei cap. 3.

Urgent: Jobus ſupra laudatus Tractatu de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis ab iſto numero eliminat Extremam Unctionem, & ſic loquitur: " Septem ſacro-ſancta Chri-
" ſti Eccleſiæ Myſteria hæc ordine
" ſunt. Primum Baptiſmus, ſecundum
" Chriſma, tertium participatio vivifici
" corporis & ſanguinis Chriſti; quartum
" Sacerdotium, quintum honorabiles nu-
" ptiæ, ſextum ſanctus Habitus, ſepti-

" mum

„ mum εὐχέλαιον hoc eſt Pœnitentia. „ Immo Caucus propugnat Græcos recentiores etiam Confirmationem e numero Sacramentorum expungere; namque Æneas Epiſcopus Pariſienſis, Ratramus, Anſelmus, Avelburgenſis, & Cardinalis Umbertus, inprimis Guido Carmelita, & Prateolus multiplicis erroris inſimulant Græcos: maxime quod Confirmationem & Extremam-Unctionem non admittant, Ergo &c.

Reſpondeo I. Iſtos auctores ullo abſque fundamento id negare, & certe erga Græcos incaleſcente odio multos fictitios errores eis affinxerunt, quod etiam forſan fieri contigit vel defectu notiæ ritualium Græcorum, vel etiam non ſatis ſecernendo cæremonias Græcorum ferme innumeras in rebus ſacramentalibus, ipſis Sacramentis affines: ſed in hoc cæcutiunt, cum Simeon Theſſalonicenſis in Concilio Florentino egregie admodum probaverit ſeptem eſſe novæ legis Sacramenta, quæque diſtinxit a rebus quæ apud Latinos ſacramentalia nuncupantur, qualis eſt aqua luſtralis, & benedictio Epiſcopalis. Hoc utique patet ex omnibus probationibus jam laudatis; ſed non prætereundum eſt Urbanum VIII. & Leonem X. hanc demandaſſe Theologis diſciplinæ Græcorum non ignaris Provinciam, ut cæremonias Græcorum diſcuterent, quo facto, declararunt eos ſeptem cum Eccleſia Latina tenere Sacramenta.

Reſpondeo II. opponendo dictis ipſa Græcorum teſtimonia. Simeon Theſſalonicenſis apud Allatium Lib. 3. de conſenſ. Eccleſ. Græcæ cum Latina cap. 16. non leviora de ſeptem Sacramentis dicit; in primis ſic loquitur de Confirmatione: “ A Philippo baptizati tamquam qui ſolum „ Baptiſma ſuſcepiſſent, Petro ac Joanne imponentibus manus Spiritum ſanctum accipiebant, quod ſane hoc Sacramentum eſt. „ Idem profert Synodus Cypria ſub Germano. Idem Nicolaus Cabaſila oratione 3. & 4. apud Arcudium Lib. 2. cap. 4. Protocincellus Apologia adverſus Marchum Epheſinum.

De Extrema-Unctione Emmanuel Caleca apud Allatium ibidem ait: “ Manifeſtatum „ eſt eſſe hoc poſtremum Sacramentum „ tamquam ſigillum totius ſpiritualis curationis, illudque infirmis adhibendum; „ præſertim iis, qui ob ægritudinem, „ quem debuerunt ſubire canonem non adimpleverunt. „

Subſcribit Simeon Theſſalonicenſis apud eumdem Allatium ibidem, & ſic loquitur: “ Sacrum oleum traditum eſt veluti ſacrum „ myſterium, divinæ miſericordiæ typus, „ quod in redemptionem ac ſanctificationem præbetur his qui ſe a peccatis convertunt. „

Gabriel Philadelphienſis ibidem ait: “ εὐχέλαιον eſt unctio ex puro oleo conſtans, „ pro iis qui morbo decumbunt. „ Rurſus ibidem Joannes Nathanael Epiſtola ad Epiſcopum Anagninum: “ De ſancto „ vero oleo, *inquit*, deinceps dicemus; „ quippe oleum quod & εὐχέλαιον plerique „ appellant, a ſeptem Sacerdotibus conſecratum, & eſt, & dicitur ſeptimum „ myſterium, propterea quod in ultima „ hominis hora fieri concedatur ad delenda peccata, & dimittenda delicta; ſæpe etiam ad obtinendam corporis ſanitatem, ſecundum divum Jacobum Apoſtolum. „

Reſpondeo tertio diſtinguendo: Græci recentiores, duo omittunt Sacramenta, juxta falſam quorumdam auctorum opinionem, concedo: revera, nego. Dato & non conceſſo quoſdam e Græcis recentioribus omittere Confirmationem & Extremam-Unctionem, non inde ſequitur eamdem eſſe in Eccleſiis Orientalibus ſententiam, ut ex auctoritatibus, & probationibus modo adductis liquet.

Demum, ad Jobi verba abſque negotio reſpondetur, iſtum monachum admittere ſeptem ſacroſancta myſteria ſeu Sacramenta, inter quæ habitus Monachalis non habet locum niſi reductitie, quatenus quidam dum ſacros ſuſcipiebant Ordines caſtitatis votum emittebant. Neque vero magis laborandum eſt ut mens Jobi explicetur, cum vocat εὐχέλαιον Pœnitentiam; duo enim Sacramenta ſimul conjungit, ſcilicet Pœnitentiam & Extremam-Unctionem, priorem quidem ut diſpoſitionem ad alteram.

Replicabis: Atqui & Chriſma & Extrema Unctio non annumerantur a Græcis inter ſeptem Sacramenta: Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Græci rebaptizabant Latinos ad ſe redeuntes; baptizatos vero a Græcis Latini quondam inungebant, ut colligitur ex Allatio ibidem Lib. 3. cap. 16. vel ipſe Dionyſius in li-

bro de Eccleſiaſtica Hierarchia quatuor tantum commemorat Sacramenta ; videlicet Baptiſmum , Confirmationem , Euchariſtiam , & Ordinem ; tum demum addit Monaſticam conſecrationem , & ea quæ pro defunctis peragi ſolent ; quæque ad quatuor prima revocat Myſteria. Confirmatur , nec aliam fuiſſe Dionyſii mentem liquet ex Theodori Studitæ Epiſtola ad Gregorium filium, apud Allatium ibidem n. 10. ubi ſic loquitur : " Monachorum habitus virginitatis eſt profeſſio , myſteriumque Monaſticæ perfectionis . . . . . . & fieri Monachum non aliud eſt , quam undenam traditum eſt fieri aliquem Chriſtianum ? Qui enim primum inſtituit Apoſtolica traditione, tradidit & ſecundum ; ſex Sacramenta exponens , primum illuminationis, ſecundum Synaxeos ſive Communionis , tertium conſecrationis unguenti , quartum ſacrorum Ordinum , quintum Monaſticæ perfectionis , ſextum eorum qui ſancte obierunt. „ Ergo &c.

Reſpondeo primo objecta ne vel minimum urgere ; dum enim omittitur Chriſmatio ab uno , celebratur ab altero , nempe a Dionyſio .

Reſpondeo ſecundo , negando Græcos e numero Sacramentorum expungere & Confirmationem , & Extremam-Unctionem . Ad probationem dico , Græcos , incaleſcente diſputatione & æmulatione , quandoque in odium rebaptizaſſe Latinos, atque chriſmaſſe , & alternata vice Latinos idem reſpectu Græcorum feciſſe . Sic reſpondet Allatius ibidem n. 8. " Non itaque , *ait* , Græci rebaptizant , ſed Chriſmate ungunt Latinos ; Latini Hæretici non ſunt, Chriſma ſemel datum non iteratur ; & Latini in ſuis ritibus Chriſmate inunguntur : quare Græci ſive baptizent Latinos ad ſe revertentes, ſive inungant , iiſdem ſubjaceant pœnis neceſſe eſt, & vix hæreſeos notam effugiunt . . . . . potuit aliquando a nonnullis audacia & temeritate projecta , hominibus in ea Eccleſia, violatis divinis atque humanis legibus , dum ſchiſmatis rabies magis ac magis incaleſceret , attentari : id tamen uſu communi acceptum non eſt . „ Quibus verbis probat ex conſuetudine , nuſquam a Græcis rebaptizatos fuiſſe Latinos . Hoc ipſum aſſerit Gregorius Protocincellus contra Marcum Epheſinum his verbis ibid. apud Allatium n. 7. " Cum autem alumnus Eccleſiæ ſit , numquam vidit Latinos iterum baptizari a nobis . " Chriſmatio tamen baptiſmalis quandoque omiſſa vel a Græcis, vel a Latinis, puta cum a ſimplici Sacerdote aliquis baptizabatur, ſupplebatur ab Epiſcopo , eo quod antiquitus , & Baptiſmus cum Unctione , & Confirmatio & Euchariſtia ſolemniter conferebantur .

Ad Dionyſium diſtinguo : Et eo loci non niſi Sacramenta quæ magnas Hierarchiæ actiones ſpectant , omiſſis aliis Sacramentis , quæ a ſimplici Sacerdote conficiuntur , commemorat , concedo : & cetera abnegat , nego . Sic reſpondet Allatius ibidem n. 14. Revera quidem commemorat profeſſionem Monaſticam non veluti Sacramentum ſtricte ſumptum , ſed ut magnum perfectionis argumentum , quod multum commendat Hierarcha ; tum quia etiam ut plurimum vota ſolemnia coram Epiſcopo emittebantur ; adjungit etiam & defunctorum ſepulturam , quatenus mors ſactorum eſt pretioſa in conſpectu Domini & perfectionis corona. Quod autem Dionyſius non loquatur de Sacramentis rigoroſe ſumptis , ſed tantum de rebus ſacris , claret ex eo quod vel ipſe Dionyſius ibidem tractet de imaginibus &c. Nam apud eum ſacra dicuntur & veluti Sacramenta : " Imagines , ſymbola , characteres, ſimulacra , operimenta , ænigmata , formæ , ſpecula , ſimilitudines , imagines , velamina , figurationes, typi &c. „

Eadem eſt reſponſio ad Theodorum Studitam , qui certe, inquit Allatius ibidem , non conſideravit Sacramenta in rigore ; ſic enim loquitur : " Ad auctoritatem Theodori Studitæ , eum non conſideraſſe Sacramenta in tota ſua latitudine , ſecundum quod eſſent collativa gratiæ practice , ſed quatenus vel diſponebant ad Hierarchiam Eccleſiaſticam , vel peculiariter aliquo modo diſtinguebant fideles ab infidelibus, & juxta utrumque modum Monaſticam profeſſionem congruo quodam modo vocaſſe Sacramentum . . . . . hinc poſt ſacros Ordines quinto loco numerat Monaſticas perfectiones , quia maxime diſponebant ad ſacros Ordines, qui ſunt Sacramentum, „ . . . . Et

Digitized by Google

,, ... Et plane cum Theodorus ſua habeat ex Dionyſio, non alio modo intelligendus eſt ipſe quem ſequitur; neque ,, enim dicit, Sacramenta Eccleſiæ eſſe ,, ſex, ſed a Dionyſio ſex Sacramenta eſſe expoſita. ,,

Replicabis, Duo, primum quidem ea quæ a Dionyſio laudato referuntur, nedum ad Epiſcopos qui ſunt Hierarchæ, verum etiam & ad ſimpliees Sacerdotes pertinere, cum iſti & baptizent & conſecrent oleum Extremæ-Unctionis, & chriſment baptizatos, & ſepeliant defunctos, & Monachos ordinent. Igitur male ſolvitur auctoritas Dionyſii, dicendo eum ſolummodo loqui de actionibus Hierarchicis quæ ſolos ſpectant Epiſcopos. Alterum quoque momentum urgent pro Monachatu, quem inter Sacramenta etiam ſtricte ſumpta videntur annumerare & Dionyſius & Theodorus Studita, cum vel ipſe D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3. ſic loquatur de Monachis: " Unde legitur ,, in vitis Patrum, quod eamdem gratiam ,, conſequuntur religionem intrantes, ,, quam conſequuntur baptizati. ,, Concinit D. Bernardus Libro De præcepto & diſpenſatione.

Reſpondeo primo, fruſtra Proteſtantes numerum ſeptenarium Sacramentorum tentare, cum ſaltem ſex eſſent Sacramenta juxta Græcos, quod vel ipſi non concedunt: Deinde multa ſequerentur abſurda. Primo quidem, plura quam ſeptem exiſtere Sacramenta, cum multa ſint ſacramentalia, quæ potiori jure quam profeſſio religioſa, & mortuorum ſepultura dici poſſent Sacramenta; quis autem ſanæ mentis dixerit mortuos eſſe Sacramentorum capaces: Jam vero ſi Extrema-Unctio, inquid Arcudius, hic Lib. 1. cap. 2. juxta ſententiam Jobi: " Sit idem quod Pœ- ,, nitentia, eſſe de neceſſitate ſalutis poſt ,, Baptiſmum peccantibus, *dicendum erit*, ,, cum peccatores pęnitentia juſtificen- ,, tur, & ut plurimum bene valeant; ,, bene valentes Pęnitentes neceſſario inun- ,, gi debere per modum Sacramenti oleo ,, Extremæ-Unctionis, quæ ambo abſur- ,, diſſima, & falſiſſima ſunt. ,, Igitur verba Jobi juxta diſtributionem accommodam explicanda ſunt. Idem ibidem cap. 12. ſic loquitur contra alteram objectionem de Confirmatione abroganda allatam, his verbis: " Sancti Patres ideo baptiza- ,, tos ab Hæreticis ſolum ungebant, ,, quod illi Hæretici non eſſent ſoliti ,, ungere ſuos baptizatos unguento Con- ,, firmationis, ut teſtatur Theodoretus ,, Lib. 3. de fabulis Hæreticorum. ,, Sed veniamus ad inſtantias modo propoſitas.

Reſpondeo ſecundo ad primam diſtinguendo: Ad ſimplices Sacerdotes pertinet etiam baptizare & conſecrare dependenter ab Epiſcopis ſeu Hierarchis, concedo: independenter ab eis, nego: Neque enim chriſmare poſſunt baptizandos, niſi prius Chriſma ſit ab Epiſcopo confectum; neque etiam ad eos ſpectat alias actiones Hierarchicas, quales ſunt altarium conſęcrationes exercere. Oleum Extremæ-Unctionis ab eis quidem benedicitur, ſed hoc non eſt conſecratio rigoroſe ſumpta. Sic reſpondet Allatius ibidem Lib. 3. cap. 16. n. 18. his verbis: " Occurritur his ,, & ſimilibus, functiones Sacerdotales, ,, de quibus hic tractat Dionyſius, ita pon- ,, dere ab Hierarchicis, ut Sacerdotales ,, ipſæ, ſi Hierarchicæ defuerint, nullæ ,, eſſe cenſeantur, quare omnes ad Hie- ,, rarchicas referri; ideoque de Hierar- ,, chicis agentem, de illis etiam, ut ea- ,, rum ſurculis, & genuinis fœtibus per- ,, tractaſſe. Quod nec ipſe Dionyſius tacuit. ,, Lib. de cæl. Hier. cap. 5. his verbis. *Licet enim a Sacerdotibus veneranda quadam Sacramenta conficiantur, numquam tamen Sacerdos divinam illam regenerationem ſine diviniſſimo illo unguento conſummabit; neque divina Communionis myſteria conſecrabit, niſi communionis Sacramenta diviniſſimo altari fuerint impoſita: quin nec Sacerdos quidem erit, niſi Pontificis initiationibus ad ſortem iſtam fuerit promotus.*

Dionyſius ibidem hoc ipſum confirmat: *Quapropter*, ait, *lex divina Hierarchicorum Ordinum ſanctificationem & unguenti divini conſecrationem, ſacramque altaris benedictionem perficientibus divinorum Pontificum virtutibus ſingulariter attribuit*. Tum Allatius ibidem n. 17. pro eodem momento laudat ſanctum Maximum, qui ſic habet: *Nota, Presbyteris, quos & Sacerdotes vocat, non eſſe conſecrandum & conficiendum unguentum, quin nec altare dedicandum, ut in eo offerant, uti nec Ordinandum. Hoc enim ſolus Pontifex facit*. Sic ille Abbas explicat Dionyſium.

Reſpondeo ad alteram inſtantiam, etiam diſtinguendo: Profeſſio religioſa eſt veluti

uti Baptiſmus novus quantum ad aliquid, concedo: adæquate, nego: Quia vero per indulgentiam plenariam profitentibus Religionem conceſſam, ab omni reatu & culpæ & pœnæ liberi evadunt Monachi, ideo quodammodo baptizantur in remiſſionem peccatorum, ſed hoc Profeſſio ex opere operato non producit, quocirca a ratione Sacramenti deficit; audiendus eſt de hoc momento Allatius ibid. n. 24.
" Verumtamen, *ait*, cum alias inter ipſos
,, Græcos hæc controverſia de monachatu
,, baptiſmati aſſimilato agitata ſit, ne nos
,, eadem repetere cogamur, audiamus
,, Michaelem Glicam Epiſtola ad Eſaiam
,, monachum, hæc eadem examinan-
,, tem & reſutantem, ex meo manuſcri-
,, pto, ecce verba Glicæ. ,, *Me autem fugit, an eadem in omnibus ejuſdem & baptiſmatis ſit facultas, aut illico veniam peccatorum illum acceptantibus impertiatur. Nam divinum lavacrum, & ſine lacrymis & abſque alio vitæ instituto laborioſo, peccata dimittere valet; neque hoc ſolum, ſed & Spiritus ſancti participes eos, qui illuminantur, ſtatim efficit. Etenim ſi id non eſſet, baptizati non ſubito linguarum donum habuiſſent.*

Urgebis: Sæculo decimo tertio Græci ritus a Latinis acceperunt, quippe qui tunc temporis eis ſubjecti & ſervi eſſent. Igitur ab iſtis, & non a ſuarum Eccleſiarum traditione numerum ſeptenarium Sacramentorum receperunt.

Reſpondeo diſtinguendo: Ritus quoſdam Græci a Latinis acceperunt quantum ad majorem explicationem, concedo: quantum ad ſubſtantiam, nego: Non Cauco Archiepiſcopo Inſulæ Corcyræ, & Guidoni credendum eſt; ſed neque Æneæ Epiſcopo Pariſienſi, & Cardinali Umberto, qui abſque fundamento, ſicut & Prateolus Græcos multiplicis erroris, maxime circa Sacramenta inſimulant; quippe qui ex falſa relatione & ignorantia rituum Græcorum id egerint. Eadem ratione nec Miſſionariis qui tempore belli a crucis nomine dicti Conſtantinopolim appulſi ſunt, qui cum & linguam Græcam ut plurimum, & Orientalium etiam neſcientes diſciplinam atque ritus, hunc excogitaverunt ad eos reconciliandos Eccleſiæ Romanæ modum, ut formas Sacramentorum, ſicut volebant, explicarent. Quinimmo eo devenit præ æmulatione controverſia, ut Latini objicerent Græcis eorum Baptiſma vacuum eſſe: Iſti vero vim vi repellentes, idem & improperaverunt Latinis; ſed certe invariatam fuiſſe ſeptem Sacrameutorum doctrinam ſaltem quoad ſubſtantiam apud Græcos, ex triplici potiſſimum liquet capite. Primo quidem, ex auctoritatibus ſupra laudatis. Secundo ex Concilio Florentino, ubi nulla controverſia de Sacramentis inter Græcos & Latinos mota eſt, quod certe argumentum evadit, nihil in hoc immutatum fuiſſe, cum ibi doctrina & fides Græcorum adamuſſim explanata ſit. Et vero pro regula habendum eſt in examine rerum fidei non auctoritas fortuiti auctoris, & in diſciplina Græcorum prorſus hoſpitis, ſed ipſa traditio Synodorum definitionibus, & Theologorum Eccleſiæ Græcæ ſententiis firmata. Tertio, Leo X. & Clemens VII. qui duobus Apoſtolicis brevibus, ſeu conſtitutionibus prohibuere ne quiſquam aliquid in fide Græcorum circa Sacramenta redarguere auderet, noſtram concluſionem prorſus aſtruunt, maxime vero cum Orientales in ſuis Ritualibus ſecernant Sacramenta a reliquis rebus ſacris & benedictionibus. Verum quidem eſt, nec negamus Orientales uti oleo lampadis ad Sacramentum Extremæ-Unctionis exhibendum infirmis; ſed iſtud oleum prius a ſeptem Sacerdotibus cum magnis precibus benedicitur, & plures aliæ cæremoniæ cum forma debita ungendo ægrotos, obſervantur. Denique ſi quis poſt hæc in critica nimis auſterus propter quaſdam diſcrepantias jejunas & ſolum accidentales, numerum ſeptenarium Sacramentorum a Græcis tentari contendit, neque vel apud ipſam Eccleſiam Latinam perſeverabit ille numerus, cum materia & forma Sacramentorum non eadem ſit numero & individualiter qualis erat antiquitus, & non ſint iidem abſolute ritus, eædemque per omnia cæremoniæ.

Repones: Jeremias Patriarcha, & Gregorius Protocincellus non niſi duo Sacramenta a Chriſto inſtituta fuiſſe ſcribunt: Igitur ex ipſo Græcorum teſtimonio ſunt tantum duo Sacramenta.

Reſpondeo diſtinguendo: Sunt tantum duo Sacramenta in materia & forma a Chriſto etiam in individuo determinata, concedo: ab eodem in genere & ſpecie inſtituta, nego. Verum quidem eſt, & ultro fatemur ſolius Baptiſmi & Euchari-

ſtiæ

ſtiæ tum materiam tum formam in individuo eſſe a Chriſto determinatas : Attamen ſicut nos, ita & Græci ſupra laudati propugnant ſeptem Sacramenta fuiſse a Domino noſtro inſtituta . Hoc ipſum contendit Jeremias Patriarcha reſp. 2. ad Theologos Witembergenſes , alias nihil probaſſet adverſus Lutheranos, qui quinque exſufflabant Sacramenta.

Replicant : Synodus in Moldavia celebrata anno 1642. & in Conſtantinopolitano Concilio confirmata ſub Partenio ſeniore nullam facit de Cyrillo Lucari mentionem, qui tamen adhærebat Calviniſtis : Igitur conſentiebant Proteſtantibus Græci in binario Sacramentorum numero.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Nulla fit mentio Cyrilli explicite , eo quod deficientibus teſtimoniis ſufficientibus ejus perſonæ pepercerunt Præſules , concedo: nulla fit mentio de doctrina ejus profligata , nego . Sic enim inſurgunt adverſus ejus confeſſionem , quia : " In arti-
,, culo decimo quinto quinque rejicit Sa-
,, cramenta Eccleſiæ, Sacerdotium , ſan-
,, ctum Chriſma , Extremam-Unctionem",
,, Confeſſionem, qua Pœnitentia confici-
,, tur, & Matrimonium honorabile, quæ
,, Traditio tamquam res ſacras gratiam di-
,, vinam conſerentes exhibet ... proſcri-
,, bitur. ,,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Eccleſiæ Orientales ad hæc uſque tempora Septem Sacramenta agnovere .

PRIMO QUIDEM , hoc patet ex venerabili Patrum Græcorum cœtu , qui ſucceſſione perpetua ad Florentinum uſque Concilium ſuo calculo muniere iſtum ſeptenarium numerum, prout locus & neceſſitas affulſit ſcribendi de Sacramentis.

Secundo : Idem patet a Concilio Florentino incluſive uſque ad Cyrillum Lucarem , cum vel inter Græcos recentiores & Latinos nulla ſit mota controverſia de Sacramentis. Suffragatur Jeremias Patriarcha, qui alternata reſponſione ad Witembergenſes Theologos Proteſtantium circa ſeptenarium numerum Sacramentorum confutavit errores , & in tertia aſſerit ſe nullum Epiſtolarum commercium cum eis amplius habiturum eſſe , eo quod nedum tentarent , ſed & prorſus everterent fidem, illud inficiando numerum.

Tertio : Hoc iterum clarius patet a morte Cyrilli Lucaris ad noſtra uſque tempora , cum iſte perfidus in Synodo Conſtantinopolitana, & iterum in Hieroſolymitana proſcriptus ſit; maxime vero quia ſeptem Chriſti abnegabat Sacramenta ; quem numerum Ritualia, Euchologia, & alii libri Eccleſiaſtici per omnia indigitant & oſtendunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM CUM RESPONSIONIBUS.

PRIMO : Mirum videri non debet , ſi quandoque Dionyſius quatuor tantum commemoret Sacramenta in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia , cum ea ſolum explicet, quæ Hierarcham potiſſimum ſpectant.

Secundo : Nec quemquam etiam movere debet ſi ipſe Dionyſius , & poſt ipſum Theodorus Studita inter Sacramenta annumerent & habitum Monachalem , & defunctorum ſepulturam ; quandoquidem habitus Monachalis non niſi per modum diſpoſitionis ad perfectionem Hierarcham conducit; ſepultura vero eſt ut argumentum perfectionis ſummorum Sacerdotum, quatenus pretioſa mors , eſt Sacramentorum finis & corona.

Tertio : Verum quidem eſt Caucum, Guidonem Carmelitam , alioſque auctores nonnullos Græcis tribuere errores circa Confirmationem & Extremam-Unctionem, ſed certe abſque fundamento , cum in tractatibus Theologicis Meletii Syrurgii adverſus Proteſtantes elucubratis ; in confeſſione Orthodoxa , & in variis Synodis contra flagitioſam Cyrilli Lucaris proditionem adunati , laudata Sacramenta , ſicut alia habeantur ut vera & genuina. Ceterum etſi aliqua ſuboriatur diſcrepantia inter Orientales & Occidentales circa materiam & formam Sacramentorum , ſolummodo accidentalis eſt , cum Leo X. & Clemens VII. maturo prævio examine , prohibuerint ne quidquam moleſtiæ afferretur Græcis propter materiam & formam, quibus in conficiendis Sacramentis utuntur.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

Utrum Eccleſia a Proteſtantibus detenta, ante ſuppoſititiam reformationem habuerint eamdem nobiſcum circa numerum Sacramentorum fidem?

Ad dicendorum intelligentiam, prænotandum eſt primo, ante ſecundum ſæculum, fidei benignum lumen Gallis noſtris illuxiſſe: id conſtat ex ſancto Irenço, qui Libro adverſus hæreſes cap. 3. varias enumerans Eccleſias, in quibus eadem fidei traditio vigebat, hæc habet: " Neque hæ quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ aliter credunt, neque hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis. " Igitur tempore ſancti Irenæi fides Chriſtiana jam erat per Gallias propagata; Celtarum enim nomine Galli deſignantur.

Idem tradit Tertullianus, Libro adverſus Judæos cap. 7. ubi ſic loquitur: " Getulorum varietates; & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum. "

Ita pariter ſanctus Cyprianus Epiſtola 67. ad ſanctum Stephanum data anno 258. his verbis: " Quapropter facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne ultra Marcianum . . . . . collegio noſtro inſultare patiantur. "

Eadem veritas claret ex eo, quod primum Trophimus in Gallias venerit primo ſæculo, ut ex Epiſtola quinta Zoſimi ad Epiſcopos Galliæ liquet: " Ad quam, *inquit*, *Arelatenſem urbem*, primum ex hac ſede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus eſt. " Ille autem erat diſcipulus Apoſtolorum, ut teſtantur AdoViennenſis, & venerabilis Beda in Martyrologio.

Similiter ſanctus Creſcens primo nominis Chriſtiani ſæculo, in Gallias venit, & Viennenſem fundavit Eccleſiam; ſic ſcribit Theodoretus in cap. 4. Epiſtolæ ad Timotheum: " Creſcens, in Galatiam, Gallias venit, *inquit*, ſic appellavit, ita enim appellabantur antiquitus &c. " Ita pariter ſanctus Epiphanus hæreſi quinta.

His accedit ſanctus Martialis, qui primo etiam ſæculo Lemovicas venit, ut teſtantur Synodus Lemovicenſis ann. 1032. habita, Innocentius III. extra *de ſacra unctione*, & vetus Martyrologium manuſcriptum Bibliothecæ Corbejenſis.

Sanctum Paulum Apoſtolorum diſcipulum Narbonenſem Eccleſiam fundaſſe, Uſuardus, Beda, & Ado in Martyrologiis aſſerunt.

Sanctum Dionyſium Areopagitam in Gallias veniſſe, & Pariſienſem erexiſſe Eccleſiam affirmat Viſbius, illius martyrii teſtis oculatus in actis ſancti Dionyſii, quæ acta, vetuſtate pene conſumpta, Hilduinus Sandionyſianus Abbas ab interitu vindicavit in Areopagiticis ſuis. Sic propugnat venerabilis Beda, ſic Methodius Patriarcha C. P. & Martyr in vita ſancti Dionyſii, ſic & alii multi ſcriptores Eccleſiaſtici, quos nominat Nat. Alexander in Diſſ. 16. primi ſæculi.

Obſervandum eſt ſecundo, fidem a S. Eleutherio ſummo Pontifice tranſmiſſam fuiſſe in Angliam, Hoc ipſum ſcribit V. Beda L. 1. Hiſt. Angliæ, cap. 4. " Cum Elutherius vir ſanctus, *ait*, Pontificatui Romanæ Eccleſiæ præeſſet, miſit ad eum Lucius Britannorum rex epiſtolam, obſecrans ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur; & mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt, ſuſceptamque fidem Britanni uſque in tempora Diocletiani Principis inviolatam, integramque, quieta pace, ſervabant. " Sub Diocletiano, teſte eodem Beda, tunc in Anglia, Martyrium paſſus eſt ſanctus Albanus; ſubdit, quieta fuiſſe pro religione tempora uſque ad hæreſim Arianam. Ibidem cap. 17. aſſerit ſanctos Germanum & Lupum purgaſſe Britanniam ab erroribus Pelagii. Tradit etiam S. Gregorium magnum miſiſſe Auguſtinum cum aliis Monachis, qui fidem Chriſti in inſulis Britannicis, quas devictas Angli ſuæ adjunxerant ditioni, diſſeminarent.

Notandum tertio, Monaſticum Anglicanum, tribus Tomis in folio, ab ipſis Heterodoxis juris publici factum, mira pro religione Chriſtiana, eaque Romana complecti, In Præfatione, fidei ab Apoſto-
lis

lis propagatio habetur. Tum totus delineatur Hierachicus Ordo, per ſummos Pontifices, Patriarchas, Primates, Metropolitanos, Epiſcopos, Presbyteros atque Monachos. Deinde vero Epiſcoporum ſicut & Monachorum majoris Britanniæ immenſus numerus, tum in genere, tum in particulari deſcribitur. Quod quidem fuſiori calamo pro Galliarum Eccleſiis, noſtri fecerunt, in libris qui inſcribuntur, *Gallia Chriſtiana*.

Quod ſpectat Germaniam, ex citatis Patribus claret, primis ſæculis in ea Chriſtianam floruiſſe Religionem. Verum ſanctus Bonifacius id unum effecit, ſcilicet ſæculo octavo; ibi miſſus a Gregorio II. Paganos multos Chriſto peperit, diſciplinam Eccleſiaſticam labefactatam reſtauravit, Hæreticos debellavit, & multa celebravit Concilia. Iſta referunt Scriptores ſacri, præſertim vero Pater Wandinge in Annalibus Minorum. Demum Regna Daniæ, & Sueciæ anno circiter 829. fidem per ſanctum Anſcharium ſuſcepere; Polonia vero Chriſtiana facta eſt anno 966. his poſitis, ſit

CONCLUSIO.

In Regnis hæreſi, tum Lutherana, tum Calviniana labefactatis, ante Lutherum & Calvinum, fides de Septenario numero Sacramentorum florebat.

Probatur unica, ſed irrefragabili argumento.

ANTE Lutherum & Calvinum, regna Angliæ, Daniæ, & Sueciæ, Provinciæ ſeptem Belgicæ a Batavis in Rempublicam erectæ, quotquot ſunt tum in imperio Germanico ditiones, quæ tenent doctrinam vel Lutheri vel Calvini: Proteſtantes Genevæ, Galliæ, Hungariæ, Poloniæ, ceteræque hujus furfuris Eccleſiæ, erant ante ſchiſma & hæreſim cum Eccleſia Romana, ut ultro fateri debent Heterodoxi, Communione fidei conjunctæ: Sed iſta Eccleſia, quam fidem nunc tenet de ſeptenario Sacramentorum numero, eamdem ſemper habuit a Chriſto Domino, ad noſtra uſque tempora. Igitur & illi etiam hunc numerum agnoſcebant.

Minor propoſitio, in qua totum difficultatis pondus incumbit, quamque negant Proteſtantes, contendendo Eccleſiam Romanam decurſu temporum nova in numerum rituum ſacramentalium invexiſſe Sacramenta, multis momentis probatur. Enimvero, vel illa fidei defloratio contigit ante ſextum ſæculum, vel poſt: Atqui nec ante ſæculum ſextum, nec poſt, Eccleſia Romana nova adinvenit Sacramenta, nec credenda propoſuit. Et probatur. Septenarius ille numerus agnitus fuit & ante ſæculum ſextum, & ab illo ſæculo ad nos uſque. Ergo &c.

Non difficile foret veritatem illam probare ex auctoritate Patrum a primo ſæculo ad nos uſque ſine interruptione ulla, oſtendendo illos omnes ſeptem Sacramenta agnoviſſe; ſed quoniam illud jamjam diſerte peractum eſt, & de eodem capite redibit ſermo, cum ſcilicet de ſingulis Sacramentis in particulari agemus, juvat nunc hoc ipſum oſtendere ex oraculis Eccleſiæ in Conciliis adunatæ. Quod ut methodice peragatur, quid Concilia ſive Generalia, ſive Nationalia, & Provincialia de Sacramentis aut definierint, aut quid & pronunciaverint Pontifices in medium proferemus.

A primo Sæculo ad ſextum uſque, Septem Sacramenta fuerunt in Eccleſia agnita.

PRIMO Sæculo ſeptem Sacramenta agnoverunt Apoſtoli; omnes enim baptizaverunt Geotes, in Samariam miſſi ſunt Petrus & Joannes, Confirmationis collaturi Sacramentum. Expreſſis verbis mentionem facit divus Paulus de præſentia reali, & de ſacro-ſancto Miſſæ ſacrificio: abſolvit inceſtuoſum, ut habetur 1. Cor. 5. ordinavit Timotheum: 2. Tim. 1. vocat matrimonium magnum Sacramentum Epheſ. 5. de Extrema Unctione aperte loquitur ſanctus Jacobus cap. 5.

In Canonibus qui nomine Apoſtolorum circumferuntur, alias antiquiſſimi, fit mentio de Ordine can. 2. his verbis: „ Presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur, „ & Diaconus, & reliqui Clerici. „ Can. 3. de Baptiſmo: “ Si quis Epiſco„ pus aut Presbyter juxta præceptum Do„ mini non baptizaverit in nomine Pa„ tris, & Filii, & Spiritus ſancti.... „ abjiciatur. „ De Penitentia can. 52. „ Si quis Epiſcopus aut Presbyter eum qui „ a peccato revertitur, non recipit, ſed „ rejicit „

„ rejicit, deponatur. „ In Epiſtola tertia Anacletii III. ſummi Pontificis, de Sacerdotio & Epiſcopatu, affirmat a Domino conſtitutos eſſe iſtos duos Ordines: „ Epiſcoporum & Sacerdotum, & amplius quam iſti duo, *inquit*, nec nobis „ a Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt. „

Evariſtus Papa, in ſua 1. ad Epiſcopos Africanos epiſtola loquitur de Matrimonio, his verbis: " Quale debet eſſe legitimum conjugium fidelium, ut a Patribus & Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus traditum invenimus. Non fit conjugium niſi ab his qui ſuper ipſam feminam dominationem videntur habere. „ Uxor petatur, & a parentibus propinquioribus ſponſetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus „ & orationibus a Sacerdote benedicatur. „

Anno 112. Alexander III. Epiſtola ad omnes Orthodoxos, hæc habet de Miſſa: „ In ſacrificio Miſſarum, panis tantum „ & vinum aqua permixtum offeratur. Habetur de conſecratione diſt. 2. cap. *In Sacramentorum*.

Anno 129. Sixtus Papa conſtituit ſacra Miſteria & miniſteria, id eſt ſacrata vaſa non tangi niſi a Miniſtris ſacratis: Quorſum hæc niſi Ordinem & Miſſam agnoviſſet?

Pius II. notat Pœnitentiam ejus, ex cujus negligentia, aliquid de ſanguine Domini diſtillat: & refertur de Conſecratione diſt. 2. cap. *Si per negligentiam*, ubi Euchariſtiam, & Pœnitentiam memorat, ut patet.

Statuit Anacletus in decreto ſuo, quod Archiepiſcopi ab omnibus Epiſcopis ſuffraganeis ordinentur, & legitur 66. cap. *Archiepiſcopus ab omnibus*; adeſt Ordo.

Anno 163. Soter in Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, præcipit ut ſacrificans habeat ſecum adjutorem Sacerdotem, ut ſi aliquo caſu, officia impleturus turbatus fuerit.... officium inceptum adimpleat. Injungit præterea, ut nullus Presbyterorum Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, & refertur de conſecratione diſt. 1. cap. *Hoc quoque*. En Miſſa & Ordo. De Pœnitentia vero; poſtquam dixit Euchariſtiam non dandam iis quibus propter graviora crimina inhibetur: " Ab omnibus aliis percipiendam „ eſſe, *ait*, Eccleſiaſticus uſus demonſtrat, cum & pœnitentes eadem die „ ad percipienda corporis & ſanguinis „ Dominici Sacramenta reconcilientur. Refertur de Conſecratione diſt. 2. cap. *In cæna*.

Anno 217. Calixtus Papa in ſua ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola, commonet delinquentes Pœnitentiam agere.

Anno 221. Urbanus Papa in ſuis Decretalibus loquitur de Confirmatione & Baptiſmo: " Omnes fideles, *inquit*, per „ manuum impoſitionem Epiſcoporum, „ Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur: quia cum Spiritus ſanctus „ infunditur, cor fidele ad prudentiam „ dilatatur. „ Legitur de Conſecratione diſt. 5. cap. *Omnes fideles*.

Anno 242. Fabianus Papa in Epiſtola prima præcipit univerſis Eccleſiis, ut ad officia divina peragenda ordinarent Diaconos ſeptem, cum Subdiaconis & Acolythis, qui diebus Dominicis & Feſtivitatibus ſolemnibus, divina peragant miniſteria; ibi Ordo & Miſſa delineantur.

In ſecunda Epiſtola ad Epiſcopos Orientales, ſic habet: " Sicut ipſius diei „ ſolemnitas (Cœnæ Domini) per ſingulos annos eſt celebranda: ita ipſius „ ſancti chriſmatis confectio per ſingulos „ annos eſt agenda, & de anno in annum renovanda, & vetus chriſma in ſanctis „ Eccleſiis cremandum. „

Anno Chriſti 253. Sede vacante, habitum eſt Romæ Concilium, in cujus Decreto hæc leguntur: " Eorum autem quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia & profeſſa frequenter ſuorum „ deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac vere „ pœnitentiis animi ſigna prodiderint... „ ita demum caute & ſollicite ſubveniri. „ Adeſt Pœnitentia.

Anno 258. Lucius Papa Decretum fecit, ut Miniſtri altaris, Presbyteri & Diaconi tales eligantur, qui continentiam ſervent; habetur 81. diſt. cap. *Miniſt. &c.* En mentio de Ordine.

Stephanus I. in ſua ad Hilarium Epiſcopum Epiſtola pronuntiat quod non ſint admittendi ad gradus Eccleſiaſticos omnes illi, qui propter crimen aliquod infamia

mia notantur. Ita 6. q. 1. c. *Infames*.

Gajus Papa an. 284. conſtituit, ut omnes Ordines in Eccleſia ſic ſervarentur: ,, Si quis Epiſcopus fieri mereretur, pri- ,, mo fiat Oſtiarius, Lector, Exorciſta, ,, Acolythus, deinde Subdiaconus, Dia- ,, conus, Presbyter, & exinde Epiſco- ,, pus ordinetur. ,,

In Concilio Ancyrano, anno 308. habito, varii gradus Pęnitentiæ, quos luſtrandos injungunt Patres iis qui Idolis immolaverunt, in variis Canonibus illi referuntur; unde liquet eos agnoviſſe Pęnitentiam. Habentur autem a primo Canone ad ſeptimum.

Anno 309. Euſebius Papa ſic loquitur de Sacramento Confirmationis: " Manus ,, impoſitionis Sacramentum, magna ve- ,, neratione tenendum eſt, quod ab aliis ,, perfici non poteſt, niſi a ſummis Sa- ,, cerdotibus, nec tempore Apoſtolorum, ,, ab aliis quam ab ipſis Apoſtolis legi- ,, tur, aut ſcitur eſſe peractum. ,, Legitur de Conſecratione diſt. 5. *Manus quoque*.

Anno 311. Melchiades Papa in ſua ad Epiſcopos Hiſpaniæ Epiſtola reſpondet ad quæſtionem, ſcilicet utrum ſit majus Sacramentum manus impoſitio Epiſcoporum, an Baptiſmus, his verbis: " Sci- ,, tote utrumque magnum eſſe Sacramen- ,, tum. ,, Ibidem utriuſque Sacramenti fuſe refert effectus: Legitur de Conſecratione diſt. 5. cap. *Spiritus ſanctus*.

In Concilio Neocæſarienſi habito anno 311. hæc leguntur can. 9. " Qui admi- ,, ſerit corporale peccatum, & hic poſtea ,, Presbyter ordinatus eſt, ſi confeſſus ,, fuerit, quod ante Ordinationem ſuam ,, peccaverit, non quidem offerat, ma- ,, neat tamen in aliis officiis, propter ejus ,, ſtudii utilitatem. ,, En Pœnitentia.

Conſtituit Sylveſter Papa, ut ſacrificium altaris non in ſerico, nec in panno tincto conſecraretur, niſi tantum in lineo ex terra procreato, ſicut corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, in ſindone linea & munda ſepultum fuit: Statuit ſimiliter chriſma ab Epiſcopo confici. Ibi adſunt duo Sacramenta, ſcilicet Euchariſtia ut ſacrificium, & Confirmatio.

In quarto Canone Concilii Nicæni fit mentio de Ordine, his verbis: " Epiſco- ,, pum oportet, ab omnibus Epiſcopis, ,, ſi fieri poteſt, qui ſunt in Provincia ejus, ordinari. ,, Canone undecimo ſermo eſt de Pęnitentia. Loquentes enim Patres de lapſis, tempore perſecutionis, hæc pronuntiant: " Si quos ergo ex ani- ,, mo pęnitet, tribus annis inter pęni- ,, tentes habeantur. ,,

In Concilio Romano habito ſub Sylveſtro Papa dictum eſt de Confirmatione, can. 5. his verbis: " Conſtituit etiam ,, clara voce, idem Sylveſter Epiſcopus ,, urbis Romanæ, ut nemo Presbytero- ,, rum chriſma conficeret. ,, En materia hujus Sacramenti. Concilium Eliberitanum hæc de Pœnitentia tradit can. 22. " Si quis de Catholica Eccleſia ad ,, hæreſim tranſitum fecerit, rurſuſque ,, ad Eccleſiam recurrerit, placuit huic ,, pęnitentiam non eſſe denegandam, eo ,, quod cognoverit peccatum ſuum. ,,

Concilium Arelatenſe ſecundum, de Ordine ait can. 1. " Ordinari ad Diacona- ,, tus, vel Sacerdotii officium Neophy- ,, tum non debere. ,, Can. 9. qui eſt de Pœnitentia; ſtatuit enim: " Novatianum in ,, Communionem recipi non debere, niſi ,, ſuſcepta Pœnitentia, incredulitatis præ- ,, teritum damnet errorem. ,,

In Concilio Antiochenſi habito circa annum 338. hæc de Ordine habentur can. 13. " Nullus Epiſcopus ex alia Provin- ,, cia, audeat ad aliam tranſgredi, & ad ,, promotionem miniſterii aliquos in Ec- ,, cleſiis ordinare. ,,

In Concilio Sardicenſi ſub Julio I. habito, can. 9. de Ordine hæc pronuntiata ſunt: " Oſius Epiſcopus dixit, ex hoc ,, univerſi conſtituimus, ut quicumque ,, ex alia Parochia voluerit alienum Mi- ,, niſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius, ,, & ſine voluntate ordinare, non ſit ra- ,, ta ordinatio ejus. ,,

Concilium Laodicenum circa finem Pontificatus Liberii celebratum, hæc memorat de Ordine, can. 3. " Non oportet ,, Neophytum promovere ad Ordinem Sa- ,, cerdotalem. ,,

Inter ea quæ Siricius Papa conſtituit in ſua 4. Epiſt. florebat autem an. 389. hæc duæ habentur regulæ, ſcilicet n. 2. " Si ,, quis poſt remiſſionem peccatorum, cin- ,, gulum militiæ ſæcularis habuerit, ad ,, Clerum admitti non debet. ,, N. quinto: " Ut de aliena Eccleſia ordinare ,, Clericum nullus uſurpet. ,, En duo Sacramenta, nempe Ordo, & Pęnitentia...

Tum

Tum ſic proſequitur : “ Abſtinete vos ut
,, vacetis orationi , ſi ergo Laicis abſti-
,, nentia imperatur , ut poſſint deprecan-
,, tes audiri , quanto magis Sacerdos uti-
,, que , omni momento paratus eſſe debet ,
,, munditiæ puritate ſecurus , ne aut ſa-
,, crificium offerat , aut baptizare coga-
,, tur . ,, Adeſt præſentia realis , Miſſæ
Sacrificium , & Baptiſma .

In reſcripto Epiſcoporum ad eumdem
Syricium , hæc de Matrimonio dicuntur :
,, Neque vero nos negamus , ſanctificatum
,, a Chriſto eſſe conjugium , divina vo-
,, ce dicente , Erunt ambo in una carne ,
,, & in uno ſpiritu . ,,

Concilium II. Carthaginenſe anno 428.
habitum , de Chriſmate & Pœnitentia
loquitur . Can. 5. ubi præcipit : “ Ut
,, Chriſma & conſecratio puellarum &
,, reconciliatio pœnitentium a Presbyteris
,, non fiant . ,, Can. 4. “ Placuit univer-
,, ſis Epiſcopis , ut Presbyter periclitan-
,, tem pœnitentem , de præcepto Epiſco-
,, pi abſentis , reconciliet . ,, De Sacri-
,, ficio , can. 8. “ Placuit ut ſi Presbyter
,, excommunicatus a ſuo Epiſcopo , ſacri-
,, ficare præſumat , anathematizetur . ,,

Concilium III. Carthaginenſe ſic habet
can. 4. de Ordine : “ Placuit ut ante vi-
,, ginti quinque annos ætatis , nec Dia-
,, coni ordinentur &c. ,, Can. 24. hæc
de Miſſa tradit : “ Ut in Sacramentis
,, corporis & ſanguinis Domini , nihil
,, amplius offeratur , quam ipſe Dominus
,, tradidit , hoc eſt , panis & vinum aqua
,, mixtum . ,, Can. 31. de Pœnitentia ſic
ſtatuit : “ Ut pœnitentibus , ſecundum
,, peccatorum differentiam Epiſcopi arbi-
,, trio , Pœnitentiæ tempora decernantur .
Can. 36. de Chriſmate hæc declarat : “
,, Ut Presbyter inconſulto Epiſcopo , Vir-
,, gines non conſecret ; Chriſma vero
,, numquam conficiat . ,,

In Concilio IV. Carthaginenſi habito
anno 436. ſequentia legimus de Ordine ,
can. 3. “ Presbyter cum ordinatur , Epi-
,, ſcopo eum benedicente , manum ſuper
,, caput ejus tenente , etiam omnes Pre-
,, sbyteri qui præſentes ſunt , manus ſuas
,, juxta manus Epiſcopi , ſuper caput il-
,, lius teneant . ,, Can. 4. 5. 6. habetur
ordinatio Diaconorum , Subdiaconorum ,
& Acolythorum &c. De Matrimonio
can. 13. “ Sponſus & ſponſa cum be-
,, nedicendi ſunt a Sacerdote , a paren-
,, tibus ſuis , vel paranymphis offeran-
,, tur . ,,

De Pœnitentia ſermo eſt in can. 76.
Concilii quarti Carthaginenſis , his ver-
bis : “ Qui Pœnitentiam in infirmitate
,, petit , dum ad eum Sacerdos invitatus
,, venit , oppreſſus infirmitate obmutue-
,, rit , vel in phreneſim verſus fuerit ,
,, dent teſtimonium qui eum audierunt ,
,, & accipiat Pœnitentiam .

Concilium Toletanum primum , hæc de
Chriſmate ſtatuit can. 20. “ Quamvis pe-
,, ne ubique cuſtodiatur , ut abſque Epi-
,, ſcopo Chriſma nemo conficiat , tamen
,, quia in aliquibus locis vel Provinciis
,, Presbyteri dicuntur Chriſma conficere ,
,, placuit ex hac die nullum alium niſi
,, Epiſcopum chriſma conficere . ,,

Canone tertio Innocentius I. qui flore-
bat anno 408. hæc de Confirmatione tra-
dit : “ De conſignandis vero infantibus
,, manifeſtum eſt non ab alio quam ab
,, Epiſcopo fieri licere . Nam Presbyteri
,, licet ſint Sacerdotes , Pontificatus ta-
,, men apicem non habent . Hæc autem
,, Pontificibus ſolis deberi , vel ut conſi-
,, gnent , vel Paracletum Spiritum tra-
,, dant , non ſolum conſuetudo Eccleſia-
,, ſtica demonſtrat , verum & illa lectio
,, Apoſtolorum , quæ aſſerit Petrum &
,, Joannem eſſe directos , qui jam baptiza-
,, tis traderent Spiritum ſanctum . ,,

De Pœnitentia can. 7. hæc ſcripſit :
,, Ceterum de pondere æſtimando deli-
,, ctorum Sacerdotis eſt judicare , ut at-
,, tendat ad confeſſionem pœnitentis , &
,, ad fletus atque lacrymas corrigentis , ac
,, tum jubere dimitti , cum viderit con-
,, gruam ſatisfactionem . ,,

De Extrema-Unctione hæc tradit can.
8. “ Adjecit etiam filius meus Cœleſti-
,, nus Diaconus in Epiſtola ſua , eſſe a
,, tua dilectione poſitum , illud quod in
,, beati Apoſtoli Jacobi Epiſtola conſcri-
,, ptum eſt ; *infirmatur quis in vobis in-*
,, *ducat Presbyteros* , quod non eſt dubium
,, de fidelibus ægrotantibus accipi vel in-
,, telligi debere , qui ſancto oleo chri-
,, ſmatis perungi poſſunt , quo ab Epi-
,, ſcopo confecto , non ſolum Sacerdoti-
,, bus , ſed omnibus uti Chriſtianis licet .
Habentur hæc in Epiſt. ejus ad Decen-
tium Epiſcopum .

In Concilio Rhegienſi an. 472. habi-
to . Can. primus vult , ut perverſi ordina-

tores ,

Digitized by Google

tores, nullis denuo Ordinationibus interſint. In IV. ut Epiſcopus benedicat & confirmet Neophytos. Adſunt hic Sacramenta Ordinis & Confirmationis.

Obſerves velim neminem in variis controverſiis de fide motis a Chriſto nato, omnibus illis prioribus Eccleſiæ ſæculis adverſus iſtam de ſeptem Sacramentis doctrinam inſurrexiſſe, quod argumentum eſt ab omnibus uti dogma irrefragabile ſuſceptum fuiſſe.

Idem numerus ſeptenarius a ſexto Sæculo ad nos uſque perſeveravit.

Probatur teſtimoniis omni exceptione majoribus.

TESTIMONIUM venerandæ antiquitatis ex manuſcriptis vetuſtiſſimis optime colligitur: Atqui manuſcripta vetuſtiſſima ſeptenarium Sacramentorum numerum adſtruunt. Ergo &c.

Primo: Liber Sacramentorum Gelaſii Papæ ex manu ſcripto codice Bibliothecæ Colbertinæ n. 1343. annorum circiter 900. numerum ſeptenarium Sacramentorum indigitat. In primis multa de Baptiſmo diſſerit. De eodem Sacramento eximia habentur in manuſcripto Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum circiter 500.

Secundo: Gregorius Magnus qui ſexto florebat ſæculo in libro Sacramentorum, cuncta in particulari diſcutit Sacramenta, qualia nunc retinemus, & cujus textum tractando de Sacramentis in particulari ſuppeditabimus. Multa quoque de Confirmatione, veluti de Sacramento novæ legis in manuſcripto Gelaſii ſupra laudato habentur, & in manuſcripto Pontificali Cadurcenſi ab annis circiter 800. ſcripto, & in manuſcripto Pontificali Eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania annorum circiter 500.

Tertio: De Euchariſtia, ut eſt Sacrificium fuſe agit beatus Gregorius in libro Sacramentorum, ubi Miſſæ totius anni referuntur. Miſſa ab Illyrico Lutherano ex manuſcriptis vetuſtiſſimis data eſt a 7. ſæculo. Miſſa Mozarabica verſus ſancti Iſidori tempora in Hiſpaniis uſitata. Expoſitio Miſſæ Romanæ, auctore Anonymo, ante annos 900. ſcripta, altera ex manuſcripto Prudentii Trecenſis Epiſcopi, qui nono florebat ſæculo, ex manuſcripto Pontificali Saliſburgenſi. Ita etiam ex manuſcripto Pontificali Eccleſiæ Moguntinæ, rurſus ex manuſcrito Eccleſiæ Bajocenſis.

Quarto: De Euchariſtia ut eſt Sacramentum habetur in omnibus antiquis ritualibus Domini Launoii ab anno 550. ad annum 1649. ubi ritus conferendi Baptiſmum, communicandi & ungendi infirmos, atque benedicendi ſponſos & ſponſas, cum Canone Miſſæ noſtro non abſimili referuntur; Immo & ritus confitendi peccata, & de iis accipiendi abſolutionem. In libro Sacramentorum divi Gregorii multus eſt ſermo de danda & accipienda ſacra Euchariſtia.

Quinto: De Pœnitentiæ Sacramento mentionem facit Pontificale Ecberti Eboracenſis Epiſcopi Litteris Saxonicis ſcriptum. Idem commemorat Sacramentum, Manuſcriptum Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis, cujus character eſt anni circiter 900. Idem aſtruitur Sacramentum ex duobus manuſcriptis Eccleſiæ ſancti Gatiani Turonenſis ante annos 800. exaratis. Item ex manuſcripto Pontificali Eccleſiæ Biſuntinæ anni circiter 600.

Sexto: De Extrema-Unctione habetur in manuſcripto Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis annorum 900. quod ſicut Sacramentum, ſicut & in manuſcripto Pontificali Prudentii Epiſcopi ante annos 850. exarato, item ex antiquo libro Sacramentorum Eccleſiæ ſancti Gatiani Turonenſis jam laudato, ſicut ex manuſcripto libri Sacramentorum ſancti Gregorii Papæ, Bibliothecæ Colbertinæ num. 1927. ex ſexto ſæculo. Rurſus ex manuſcripto Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Rhemenſis annorum circiter 800. & iterum ex Pontificali manuſcripto Eccleſiæ Saliſburgenſis annorum circiter 600.

Septimo: De ritu Sacramenti Ordinis habetur in Pontificali Ecberti Eboracenſis Archiepiſcopi jam citati; idem ritus legitur in Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis iterum atque iterum laudato; item in tribus Sacramentorum libris manuſcriptis Morionenſis B. Mariæ Bibliothecæ Regiæ num. 3866. & Gellonenſis annorum 900. Rurſus in manuſcripto Pontificali Cadurcenſi annorum 800. Saliſburgenſi annorum 600. Eccleſiæ Biſuntinæ

Digitized by Google

ſuntinæ etiam annorum 600. ad uſum Eccleſiæ Turonenſis accommodato; denique & in duobus manuſcriptis Pontificalibus Monaſterii Beccenſis ante annos 500. delineatis.

Octavo: Pro Matrimonii Sacramento aſtruendo neque deſunt vetuſtiſſima monumenta; ordo illud Sacramentum conferendi habetur in Gelaſiano Miſſali; in manuſcripto Rhemenſi, ſicut & Gellonenſi annorum 900. Item in manuſcripto Miſſali Rhedonenſi annorum circiter 700. Rurſus in manuſcripto Pontificali Monaſterii Lyrinenſis annos 600. referente. Rurſus in manuſcripto codice Victorino num. 9914. annorum 500. Demum in manuſcripto Pontificali Eccleſiæ Arelatenſis ante annos 400. facto. Alia manuſcripta pro ſingulis Sacramentis aſtruendis referuntur, & leguntur in tribus libris exaratis a Domno Marten Benedictino, quorum tutulus eſt, *De divinis officiis*.

His ſuppoſitis manifeſte claret dogma catholicum de ſeptem novæ legis Sacramentis ad noſtra uſque tempora intemeratum perſeveraſſe; quandoquidem manuſcripta habent certitudinem omni exceptione majorem, cum typographia nonniſi tribus circiter ab hinc ſæculis adinventa ſit, & illa libros Patrum Polemicos & morales tum Eccleſiaſticos pro confectione Sacramentorum referant; Quid plura? Habemus uſum & poſſeſſionem; vel ipſæ Proteſtantium Eccleſiæ ubi & altaria & baptiſteria remanent, fidem non modicam faciunt de Sacramentis; maxime fundationes Miſſarum, & acta conſecrationis Epiſcoporum, Presbyterorum, aliorumque Sacramentorum, non ſemel in ſcriniis deprehenſa fuere.

Teſtimonium ex inimicis noſtris pro eodem momento.

SEPTEM eſſe novæ Legis Sacramenta inter omnes Heterodoxos probat Henricus VIII. in libro, cujus titulus (Aſſertio ſeptem Sacramentorum adverſus Martinum Lutherum, Henrico VIII. Angliæ Rege auctore) Pariſiis prælo mandato apud Sebaſtianum Nivellium anno 1562. Quod quidem teſtimonium, tametſi ab Henrico Catholico & nondum Schiſmatico promanatum, omni tamen acceptione dignum eſt adverſus hæreticam pravitatem, cum ex hoc argumento clareat Hæreticos in fide titubantes non niſi exulcerato corde, & ullo abſque fundamento temeraſſe divinum Sacramentorum numerum.

Jamvero ſi Proteſtantium omnium diſcutiamus placita, abſque negotio, noſtrum adinveniemus numerum; quocirca cum Bellarmino Lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 23. juvat hic breviter texere, tum Lutheranorum, tum etiam Calviniſtarum, & ceterorum Proſtentantium erroneas opiniones.

Prima ſententia eſt ipſius Lutheri, qui in Lib. de captivitate Babylonica, unum dicit eſſe Sacramentum; eo ſucato innixus fundamento, quod non crederet ſeptem Sacramenta poſſe probari ſacræ Scripturæ auctoritate; cujus erroris ne quidem unum habuit aſſeclam.

Altera, Duo tantummodo numerat Sacramenta proprie dicta, videlicet Baptiſmum & Euchariſtiam, quæ vel ipſe Lutherus in libro mox laudato ſubindigitat; Philippus Melancton in locis anni 21. & 22. cap. de ſignis; Illiricus in confeſſione Auguſtana cap. 11. Kemnitius in 2. parte examinis cap. de numero Sacramentorum pag. 12. & ſequentibus non alia admittunt.

Tertia opinio eorum eſt, qui tria ſolum admittunt Sacramenta, nimirum Baptiſma, Euchariſtiam, & Pœnitentiam, & hæc apud Lutheranos vulgo recipitur; immo ipſe Lutherus, qui ut Proteus diverſas ſæpius induit ſpecies, hunc numerum ſuo munivit calculo, maxime in Lib. ad Pragenſes de miniſtris inſtituendis, & ſub finem vitæ in aſſertionibus contra Lovanienſes; eumdem habent numerum omnes fere Catechiſmi Lutheranorum.

Quarto loco nominatur Zuinglius, qui Lib. de vera & falſa religione, numeratis Baptiſmo & Cœna pro Sacramentis, cap. de Matrimonio ſubdit Matrimonium juſta de cauſa vocari Sacramentum, tametſi Sacramenti definitio illi ſicut prioribus non conveniat.

Calvinus tria etiam admittit Sacramenta, Baptiſmum quidem & Cœnam Domini Lib. 4. inſtitutionum cap. 8. deinde Ordinationem cap. 19.

Quidam alii, iſtis tribus addunt Pœnitentiam, & hæc opinio eſt Philippi Melanctonis,

ctonis, qui licet cum Luthero, primo poſuerit duo tantum eſſe Sacramenta, in locis tamen poſtremo editis, Ordinationem & Pęnitentiam Sacramentum eſſe variis multiſque comprobat argumentis.

Altera opinio ex Lutheraniſmo, Calviniſmo & Zuinglianiſmo complexa, eſt eorum qui præter Baptiſmum, Cœnam Domini, Pęnitentiam & Ordinationem, agnoſcunt Matrimonium.

Quædam etiam fuit Proteſtantium ſecta, quę ſex admiſit Sacramenta; hanc tribuit Lindanus in tabulis analiticis Guillelmo Poſtello in ſua panthenoſia, qui tamen vir, poſtea Catholice obiit.

Denique nonnulli Lutherani ſeptem admittunt Sacramenta, maxime eo quod Lutherus in Lib. de captivitate Babylonica cap. de Confirmatione dicat, ſe non damnare ſeptem Sacramenta, ſed tantum negare ea ex Scripturis ſacris poſſe probari. Poſt Lutheri obitum in quadam Synodo Lipſenſi proteſtantium, definitum eſt Confirmationem & Extremam-Unctionem eſſe ritus gratiam conferentes, atqui adeo ſeptem Sacramenta recipienda eſſe; in iſto conventu adfuere multi Theologi Wirtembergenſes & Lipſenſes, immo & Philippus Melancton; ac tum primum cepiſſe iſtos, molles Lutheranos appellari, ſcribit Surius in ſua hiſtoria, item & Illiricus in Lib. cujus titulus, Adhortatio Illirici ad conſtantiam in agnita Jeſu Chriſti religione & Auguſtana confeſſione.

Ex his iſta ſequitur argumentatio: Ille numerus Sacramentorum admittendus eſt, quem e medio tollere non valent Hæretici, quem vel ipſi confitentur; quem rex Angliæ non ſolum ante ſchiſma, tamquam pro aris & ſocis propugnavit contra negantes, ſed nec quamdiu vixit ullo prorſus modo temerari permiſit: atqui res ſic ſe habet, & ita referunt hiſtorici ſacri, qui de Schiſmate & Hæreſi Proteſtantium ſcripſere: Igitur ſeptem admittenda ſunt Sacramenta; nec aliam habuere fidem de hoc momento Eccleſiæ a Proteſtantibus detentę ante ſupoſititiam reformationem; non aliam omnes totius orbis Eccleſiæ, non aliam tandem eorum & Patres noſtri habuere. Ergo &c.

CONVELLUNTUR

Objectiones quas Heterodoxi adverſus iſtam intemeratam fidem proponunt.

OBJICIUNT: Numerus Sacramentorum repeti debet ex jure divino, cum hoc fidei dogma ſpectet. Sed numerus ille nuſquam in jure divino reperitur; & probatur. Nulla ex cæremoniis ſacris Sacramenti nomine celebratur in Scriptura, ſi Matrimonium excipias, quod tamen vel ipſe Durandus, qui ſæculo 14. florebat ex ſignorum ſacrorum Albo expunxit. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem, diſtinguo: Et Scriptura non penes rerum nomen præciſe, ſed penes ſubſtantiam intelligi debet, concedo: penes ſolum nomen, nego. Nomine Sacramenti intelligitur ſignum practicum gratiæ, porro ſeptem ritus gratiam producentes exhibet ſacra Scriptura, hinc ſeptem admittuntur Sacramenta, tametſi non omnes illæ cæremoniæ ibi nomine Sacramenti donentur. Prætereundum non eſt argumentum nimis probare; inde enim ſequeretur ipſum Baptiſma, & Euchariſtiam non eſſe Sacramenta, cum in ſacris Scripturis non ita nominentur: quod tamen nemo vel ex ipſis Proteſtantibus concedet.

Ad id quod ex Durando contra Matrimonium ut Sacramentum profertur, diſtinguo: Et Durandus in hoc ab ipſa receſſit Traditione, concedo: & non receſſit, nego. Quia vero tunc temporis Eccleſia numerum ſeptenarium Sacramentorum nondum de fide definierat explicite, poteſt ab hæreſi vindicari Durandus.

Inſtabis: Atqui oſtendi non poteſt numerum laudatum a jure divino profluere. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Hoc non niſi Patrum traditione poſſet probari; ſed nullus Patrum ex prioribus ſæculis Sacramentorum catalogum contexuit, cum Magiſter Sententiarum ſub finem ſæculi decimi hanc primus adimpleverit Provinciam. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem dico, non unum, ſed multos Patres numeraſſe ſeptem Sacramenta, ut ex eorum ſcriptis & Conciliorum adductis Canonibus liquet. Quidam ex Patribus unum Sacramentum, quidam alterum, prout exi-

exigebat Eccleſiæ utilitas, pandebat, ſed non omnia ſimul, & hoc œconomiæ cauſa, ne omnibus indiſcriminatim aperiendo, ſacra religionis myſteria ad Paganorum uſque aures pervenirent, ſicque ſancta canibus darentur: Quocirca ſubobſcure in Homiliis, in Epiſtolis & Catechesibus loquebantur: quinimmo vix tribus prioribus ſæculis ſcriptas hac ratione invenies Catecheſes.

Ad id vero, quod ſubjungitur, Magiſtrum Sententiarum fuiſſe primum qui catalogum novæ legis Sacramentorum digeſtum tradidit, diſtinguo; quantum ad ordinem, concedo: quantum ad realitatem, nego. Jamjam a Patribus numerata eatenus fuerant Sacramenta, quatenus quodlibet alternata vice annuntiaverant: Magiſter vero facta ex omni parte tranquillitate, & tota Eccleſia in pace compoſita cuncta ſimul catalogo & ordinavit & clauſit.

Unum pro coronide adjiciam, omnia ab ipſa vagiente Eccleſia ad nos uſque Sacramenta eſſe quid unum ſignificatione, diverſa vero & ſpecie & virtute, addo & utilitate. Ita Auguſtinus Tract. 45. in Joan. ubi explicans iſta S. Pauli verba. *Bibebant de ſpirituali ſequente petra*, ait: " ,, Illi pro magno Sacramento ejuſdem Chriſti biberunt aquam. ,,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Septem, in Eccleſiis a Proteſtantibus nunc occupatis, ante ſuppoſititiam eorum reformationem, fuere Sacramenta.

PRIMO QUIDEM hoc ipſum patet, cum nec plura, nec pauciora habuerit Eccleſia Latina, eaque Romana, a qua Proteſtantes, tum ſchiſmate, tum hæreſi divulſi ſunt. Namque cuncta Concilia a primo Chriſtianitatis ævo, ad ſextum uſque ſæculum intemeratam ſervavere de Sacramentorum numero ſeptenario fidem; cum autem Paſtorum menſuretur ſucceſſio, maxime penes prima ſæcula; dubio procul perſeverantia in eadem fide ſex priorum ſæculorum ſpatio mirum in modum iſtud aſtruit dogma.

Secundo: Neque vero eadem fides in ſubſequentibus infirmatur ſæculis, cum manuſcripta libri Sacramentorum Gelaſii & divi Gregorii, aliaque vetuſtiſſima mentionem faciant de ſeptem novæ legis Sacramentis percelebrem.

Tertio: Idipſum aſtruunt vel ipſi adverſarii Eccleſiæ; nedum Henricus VIII. Angliæ rex, verum etiam & multi Lutherani, qui eumdem intactum ſervant numerum; immo & ex aliis Proteſtantibus, quorum alii duo, tria alii, multi quatuor, quidam quinque, & ſex etiam admittunt Sacramenta.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

Primo: Tametſi Sacramenti vocabulum omnibus Sacramentis non detur quoad ſyllabas, ſufficit quod definitio ſingulis conveniat: ſicut de facto, ut liquet ex probationibus, convenit.

Secundo: Patres de illis ſolum Sacramentis tractaverunt quæ habebant aut defendenda, aut explicanda juxta tempo. rum exigentiam, unde non mirum ſi ab eis per ordinem cuncta digeſta non ſint.

Tertio: Magiſter texuit Sacramentorum catalogum penes ordinem, ſed ſupponebat cujuſcumque realitatem.

Juvat hunc de Sacramentis in genere tractatum Decreto Eugenii pro inſtructione Armenorum claudere.

DECRETUM

EUGENII PAPÆ IV.

Juxta Edit. Binii.

EUGENIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. *Exultate Deo adjutori noſtro*, &c.

In primis ergo damus eis ſanctum ſymbolum, a centum quinquaginta Epiſcopis in œcumenico Conſtantinopolitano Concilio editum, cum illa additione, FILIOQUE, &c.

Secundo tradimus eis definitionem quarti univerſalis Concilii Chalcedonenſis, in quinto poſtea & ſexto univerſalibus Conciliis renovatam de duabus naturis in una Chriſti perſona, cujus tenor talis eſt, &c.

Pre-

Propter illos autem qui moliuntur corrumpere diſpenſationis myſterium,& impudenter delirant, dicentes purum hominem eſſe illum, qui ex ſancta Maria Virgine natus eſt, ſuſcepit epiſtolas ſynodicas beati Cyrilli quondam præſulis Eccleſiæ Alexandrinæ ad Neſtorium, & ad Orientales, congruas exiſtentes ad convincendas Neſtorii veſanias, & ad interpretationem eorum qui ſalutaris ſymboli mentem pio zelo noſſe deſiderant, &c.

Tertio, definitionem de duabus voluntatibus, duabuſque Chriſti operationibus in prædicto ſexto Concilio promulgatam, cujus tenor talis eſt, &c.

Quarto, quoniam hactenus ipſi Armeni præter has tres, Nicænam, Conſtantinopolitanam & Epheſinam primam, ſynodos, nullas alias univerſales poſtea celebratas, nec ipſum beatiſſimum hujus ſanctæ ſedis antiſtitem Leonem, cujus auctoritate ipſa Chalcedonenſis ſynodus extitit congregata, ſuſceperunt, aſſerentes eiſdem fuiſſe ſuggeſtum, tam ſynodum ipſam Chalcedonenſem, quam memoratum Leonem, ſecundum damnatam Neſtorii hæreſim definitionem feciſſe; inſtruximus eos & declaravimus, hujuſmodi falſam fuiſſe ſuggeſtionem, ipſamque ſynodum Chalcedonenſem, & beatiſſimum Leonem ſancte & recte veritatem de duabus in una perſona Chriſti naturis ſuperius deſcriptam definiviſſe, contra impia Neſtorii & Eutychetis dogmata: injunximuſque, ut ipſum beatiſſimum Leonem, qui veræ fidei columna fuit, & in omni ſanctitate & doctrina refertus, tamquam ſanctum & in Catalogo ſanctorum merito deſcriptum, de cetero reputent & venerentur, atque non ſolum dictas tres Synodos, ſed & omnes alias univerſales auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, ſicut & ceteri fideles reverenter ſuſcipiant.

Quinto, Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem, pro ipſorum Armenorum tam præſentium quam futurorum faciliori doctrina, ſub hac breviſſima redigimus formula: Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima, ad ſpiritualem unjuſcujuſque hominis in ſe ipſo perfectionem: duo ultima, ad totius Eccleſiæ regimen multiplicationem ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem & roborati, nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur, ſpiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam-Unctionem: per Ordinem vero Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter, per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum a ceteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt. Per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in univerſos, niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus (inquit Veritas) in regnum cœlorum introire. Materia hujus Sacramenti, eſt aqua vera & naturalis: nec refert, frigida ſit an calida. Forma autem eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: vel, Baptizatur manibus mei talis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, verum perficiatur Baptiſma: quoniam cum principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter qui tradit exterius Sacramentum, ſi ex-

Digitized by Google

ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum. Miniſter hujus Sacramenti eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia. Hujus Sacramenti effectus, eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum, & Dei viſionem perveniunt.

Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus; & cum ceteras unctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant, quemadmodum Actuum Apoſtolorum c. 8. lectio manifeſtat. *Cum autem audiſſent* (inquit) *Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno crucis ſignatur.

Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia ſanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhibita, creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde, quia convenit Dominicæ paſſionis repræſentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro: In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum, in ſacrificium offeruntur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque, id eſt, ſanguis & aqua, ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tum etiam quod convenit ad ſignificandum hujus Sacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, ſecundum illud Apocalypſis: *Aquæ multæ populi multi*. Et Julius Papa ſecundus poſt beatum Sylveſtrum, ait: Calix Dominicus juxta canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in calice vinum & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur & jungitur. Cum ergo tam ſancta Romana Eccleſia a beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis Regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia.

Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis obla-

latione paululum aquæ (prout dictum eſt) admiſceant vino. Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur: ita tamen, quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur; conſequens eſt, quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quo ad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quo ad vitam operatur ſpiritualem, in quo (ut inquit Urbanus Papa) gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, conſortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.

Quartum Sacramentum, eſt Pœnitentia cujus quaſi materia ſunt actus pęnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium ſacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium & eleemoſynam. Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cum dicit: Ego te abſolvo &c. Miniſter hujus Sacramenti eſt ſacerdos, habens auctoritatem abſolvendi vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. Effectus hujus Sacramenti, eſt abſolutio a peccatis.

Quintum Sacramentum eſt Extrema-Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus eſt: in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti eſt hæc: Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi DOMINUS quicquid per viſum, &c. deliquiſti, videtur deeſſe. Et ſimiliter in aliis membris. Miniſter vero hujus Sacramenti eſt ſacerdos: Effectus vero eſt mentis ſanatio, & in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc Sacramento inquit beatus Jacobus Apoſtolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.*

Sextum Sacramentum eſt, Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem, Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; & ſic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius miniſter hujus Sacramenti, eſt Epiſcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis ſit idoneus miniſter.

Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Cauſa efficiens Matrimonii, regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum eſt proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium indiviſibilitas matrimonii, propter hoc quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ, quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparatio-

nem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.

Sexto, compendioſam illam fidei regulam, per beatiſſimum Athanaſium editam, ipſis præbemus Oratoribus, cujus tenor talis: Quicumque vult ſalvus eſſe &c.

Septimo, Decretum unionis cum Græcis conſummatæ pridem in hoc ſacro Oecumenico Florentino Concilio promulgatum, cujus tenor talis eſt: Eugenius &c. Lætentur cœli &c.

Octavo, cum inter alia ſit etiam cum ipſis Armenis diſputatum, quibus diebus feſtivitates Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis Joannis Baptiſtæ, & conſequenter Nativitatis & Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Præſentationis ejuſdem in templo, ſeu Purificationis beatæ Virginis Mariæ celebrari debeant, ſatiſque dilucide veritas patefacta fuerit, tam ſanctorum Patrum teſtimoniis, quam conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, & omnium aliarum univerſaliter apud Latinos & Græcos: ne igitur in tantis celebritatibus diſpar ſit Chriſtianorum ritus, unde perturbandæ charitatis occaſio poſſit oriri, decernimus tamquam veritati & rationi conſentaneum, & juxta totius reliqui orbis obſervantiam, ut ipſi etiam Armeni feſtum Annunciationis beatæ Mariæ, die vigeſimaquinta Martii; Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ vigeſima quarta Junii; Nativitatis vero ſecundum carnem Salvatoris noſtri vigeſimaquinta Decembris; Circumciſionis ejuſdem, primo Januarii; Epiphaniæ ſexto ejuſdem Januarii; Præſentationis Domini in templo, ſeu Purificationis Dei Genitricis, ſecundo Februarii debeant ſolemniter celebrare. His omnibus explicatis, prædicti Armenorum Oratores nomine ſuo & ſui Patriarchæ & omnium Armenorum, hoc ſaluberrimum ſynodale decretum eum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſa deſcriptum, necnon quicquid tenet & docet ſancta ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni devotione & obedientia acceptant, ſuſcipiunt, & amplectuntur. Illos quoque Doctores & ſanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, ipſi reverenter ſuſcipiunt: quaſcumque vero perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia damnat & reprobat, ipſi pro reprobatis & damnatis habent, profitentes, tamquam veri obedientiæ filii, nomine quo ſupra, ipſius ſedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiæ in publica ſeſſione ſynodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, X. Calend. Decembr. Pontificatus noſtri anno nono.

PARS

PARS SECUNDA

DE

SACRAMENTORUM ESSENTIA ET NUMERO

In Particulari continens ea quæ ſpectant eſſentiam Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ.

EODEM prorſus ordine, quo ſupra de Sacramentis in genere, etiam de eorumdem eſſentia & numero in particulari pertractare aggredimur.

Lutherani & Calviniſtæ, ut non ſemel ſubnotavimus, cujuslibet Sacramenti evacuant eſſentiam, dum Sacramentum quodlibet, ut merum fidei ſignum & ſignaculum promiſſionis Dei prædicant. Inprimis Calviniſtæ poſt Pelagianos Baptiſmi neceſſitatem abnuentes; illi negando peccatum originale, iſti contendendo cunctos fidelium filios eſſe prædeſtinatos, ideo independenter a Baptiſmo ſalvandos, ſicque eſſentiam illius funditus evertunt; eorum inhærent veſtigiis Anabaptiſtæ, qui Baptiſmum pueris negant, & ſolis concedunt adultis, quippe qui ſoli ſint doctrinæ capaces; namque doctrinam a Baptiſmo inſeparabilem eſſe autumant, in pravum detorquentes ſenſum iſta Chriſti ad Apoſtolos verba, Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti.* Alii nihil præter figuram in ſacra Euchariſtia adinveniri propugnant, fere omnes Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, & Ordinem non habent ut Sacramenta, ſed ſolum ut quaſdam cæremonias ab hominibus adinveutas. Denique non pauci Matrimonium veluti contractum naturalem & mere civilem tantummodo ſpectant, quod prorſus adverſatur iſti Scripturæ Proverbiorum 9. v. 1. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*, quæ verba indigitant quodlibet Sacramentum in particulari eſſe ſignum gratiæ practicum ad ſalutem neceſſarium.

Septem igitur de Sacramentis in particulari, ad confirmandum eorum numerum, adverſus hæreticam pravitatem habemus oſtendenda; cetera deinde dicturi.

Primo quidem, eſſentiam & neceſſitatem Baptiſmi.

Secundo, Confirmationem non eſſe ritum mere humanum, ſed verum Sacramentum.

Tertio, Euchariſtiam continere realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, & eamdem eſſe proprie dictum novæ legis Sacrificium.

Quarto, Penitentiam ſtrictam habere Sacramenti rationem.

Quinto, Extremam-Unctionem eſſe de numero Sacramentorum.

Sexto, Ordinem eamdem ſibi vindicare naturam.

Septimo, Matrimonium benedictione Eccleſiæ munitum, ſacramentalem conferre gratiam. Jam ſit

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA

DE BAPTISMI ESSENTIA ET NECESSITATE.

AD refellendos Hereticos duo pertractare debet Theologus, ſcilicet demonſtrare quænam ſit Baptiſmi natura & eſſentia; deinde vero quænam ejus neceſſitas, ne iſto omiſſo momento, exſufflent Heterodoxi vel ipſam Sacramenti regenerationis eſſentiam.

Non defuere prioribus & ſubſeqnentibus ſæculis qui Proteſtantibus in erroribus circa Baptiſmum præluſerint; cum Manichei ante ipſos, ſi fides adhibeatur Bernardo Luxemburgenſi, quidam Jacobitæ, tum & Flagellantes modo eſſentiam, modo etiam neceſſitatem Baptiſmi tentare auſi ſint; ſed contra, quod dicitur Matth. 28. *Baptizantes eo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: Rurſus Joannis 22. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intraire in regnum Dei*.

Dogma de Baptiſmi eſſentia duobus potiſſimum momentis explicatur.

PRIMO QUIDEM probando per Baptiſmum hominem in Chriſto regenerari.

Secundo, iſtud Sacramentum eſſe abſolute ad ſalutem conſequendam neceſſarium. Unde ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Num Baptiſmate abluantur peccata?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ſic proponitur. Nomine Baptiſmi intelligitur Sacramentum ſpiritualis regenerationis: Sed hoc fit per ablutionem aquæ ſub præſcripta verborum forma. Igitur Baptiſmus aluit animam ab omni peccati reatu. Probatur minor: Hoc ipſum indigitant figuræ Baptiſmi quas Spiritus ſanctus per os Sanctorum veteris legis delineavit. Porro figuræ ad veritatem terminantur, cum & ei ſint correlativæ.

Catechiſmus Romanus parte 2. n. 9. de tanto Sacramento loquens, poſtquam ejus ſubnotavit inſtitutionem, figuras ſic refert: "Verum idem quoque a Domi-
„ no tum figuris, tum Prophetarum ora-
„ culis ſignificatum eſſe ex divinis Scri-
„ pturis animadvertimus; diluvium enim,
„ quo mundus purgatus eſt, quod multa
„ malitia hominum eſſet in terra, &
„ cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad
„ malum, hujus aquæ figuram & ſimili-
„ tudinem geſſiſſe, Apoſtolorum Princeps
„ in priori Epiſtola oſtendit, & maris
„ rubri tranſitum ejuſdem aquæ ſignifica-
„ tionem habuiſſe, D. Paulus ad Corinth.
„ ſcribens expoſuit. Ut interim omitta-
„ mus tum Naaman Syri ablutionem,
„ tum probaticæ Piſcinæ admirabilem
„ vim, & alia id genus multa, in qui-
„ bus hujus myſterii ſymbolum ineſſe fa-
„ cile apparet."

Pergit referendo oracula Prophetarum:
„ De prædictionibus autem nemo dubi-
„ tare poteſt, quin aquæ illæ ad quas
„ tam liberaliter Iſaias Propheta omnes
„ ſitientes invitat, vel quas e templo
„ egredientes Ezechiel in ſpiritu vidit,
„ tum præterea fons ille domui David,
„ habitantibus Jeruſalem paratum in ab-
„ lutionem peccatoris, & menſtruatæ
„ Zacharias prænuntiavit, ad ſalutarem
„ Baptiſmi aquam indicandam atque ex-
„ primendam pertineant."

Altera ratio hæc eſt: Nomina ſignificant rerum naturas: Atqui nomina quibus ſancti Patres celebrant Baptiſmum denotant illum animam interius a peccatis abluere. Ergo &c.

Dicitur

Digitized by Google

Inter omnes Patres audiendus eſt Gregorius Nazianzenus qui Tom. 1. Orat. 4. in ſanctum Baptiſma ſic loquitur : " Quemad-
,, modum Chriſtus etiam hujus dator mul-
,, tis ac diverſis nominibus appellatur ,
,, ita ipſum quoque donum varia nomina
,, ſortitur . . . . Donum dicitur, quia iis,
,, qui nihil prius eontulerunt, datur; gra-
,, tia, quia etiam debentibus; Baptiſmus,
,, quia peccatum in aqua ſepelitur ; Un-
,, ctio, quia ſacer, & regius ; hujuſmodi
,, enim ea erant quæ ungebantur ; illumi-
,, natio porro, quia ſplendor & elaritas;
,, indumentum , quia ignominiæ noſtræ
,, velamen eſt; lavacrum, quia abluit; ſi-
,, gillum, quia conſervatio eſt, ac domi-
,, nationis ſignificatio. ,,

Non prætereunda ſunt quæ Catechiſmus ibidem num. 4. profert, & probat auctoritate tum Scripturæ, tum Patrum de hujuſmodi nominibus : " Sacramentum,
,, *inquit loquendo de Baptiſmo* fidei appel
,, lari, quod illud ſuſcipientes univer-
,, ſam Chriſtianæ religionis fidem profi-
,, teantur , divus Auguſtinus teſtatur.
,, Alii vero quia fide corda illuminan-
,, tur , quam in Baptiſmo profitemur ,
,, hoc Sacramentum illuminationem vo-
,, earunt : nam & Apoſtolus ita inquit,
,, *Rememoramini priſtinos dies , in quibus*
,, *illuminati magnum certamen ſuſtinui-*
,, *ſtis paſſionum* ; tempus nimirum , quo
,, baptizati erant, ſignificans. Chryſoſto-
,, mus præterea in oratione quam ad ba-
,, ptizatos habuit, tum expurgationem, qua
,, per Baptiſmum expurgamus vetus fer-
,, mentum, ut ſimus nova conſperſio, tum
,, ſepulturam , tum plantationem , tum
,, crucem Chriſti nominat ; quarum om-
,, nium appellationum cauſam ex Epiſtola
,, ad Romanos ſcripta licet colligere. ,,

Tertia ratio ſubminiſtratur a divo Joanne, eap. 3. dum ait hominem per Baptiſmum regenerari : ſed iſta regeneratio fit per ablutionem, quippe quæ abſtergat animam a peccato : Ergo &c.

Catechiſmus ibidem num. 5. hanc explanat rationem his verbis : " Quod autem
,, ad definitionem rei attinet, etſi multæ
,, ex ſacris Scriptoribus afferri poſſunt,
,, illa tamen aptior & commodior eſſe vi-
,, detur, quam ex verbis Domini apud Joan-
,, nem , & Apoſtoli ad Epheſ. licet in-
,, telligere ; nam eum Salvator dicat,
,, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*
,, *ſancto , non poteſt introire in regnum*
,, *Dei* ; & Apoſtolus eum de Eccleſia
,, loqueretur , *Mundans eam lavacro aquæ*
,, *in verbo vitæ* ; ita fit, ut recte & appoſite
,, definiatur Baptiſmum eſſe Sacramen-
,, tum regenerationis per aquam in ver-
,, bo. Natura enim ex Adam filii iræ na-
,, ſcimur ; per Baptiſmum vero in Chriſto
,, filii miſericordiæ renaſcimur ; ſiquidem
,, *dedit hominibus poteſtatem filios Dei fie-*
,, *ri iis qui credunt in nomine ejus , qui*
,, *non ex ſanguinibus , neque ex voluntate car-*
,, *nis , neque ex voluntate viri , ſed ex Deo*
,, *nati ſunt* , &c. ,,

Quarta hæc eſt : Tria ſunt in Baptiſmo diſtinguenda, videlieet id quod eſt Sacramentum tantum , id quod eſt res Sacramenti, deuique id quod eſt ſimul res & Sacramentum : Porro ſignum gratiæ practicum eſt id quod ſignificat, & in quo potiſſimum ſita eſt Sacramenti eſſentia : res Sacramenti illa eenſetur, quæ ſignificatur; tertio loco res & Sacramentum illud ipſum eſt quod ſignificat & ſignifieatur : Sed in Baptiſmo ablutio eſt Sacramentum ; regeneratio res Sacramenti, eharacter vero res & Saeramentum. Igitur ablutio eſt eſſentia Baptiſmi. Sic cenſet divus Th. hie q. 66. art. 1. his verbis : " Sa-
,, cramentum non perficitur in ipſa aqua,
,, ſed in applicatione aquæ ad hominem,
,, quæ eſt ablutio ; & ideo Magiſter in di-
,, ſtinctione tertia quarti Sententiarum di-
,, cit, quod Baptiſmus eſt ablutio corporis
,, exterior facta ſub forma præſcripta ver-
,, borum ; res autem & Sacramentum eſt
,, eharacter baptiſmalis, qui eſt res ſigni-
,, ficata per exteriorem ablutionem, & eſt
,, ſignum ſacramentale interioris juſtifica-
,, tionis, quæ eſt res tantum hujus Sacra-
,, menti, ſeilicet ſignificata, & non ſigni-
,, ficans. ,,

Diluuntur objectiones.

OBJICIES primo : Catechiſmus ſupra laudatus ait, inter omnes definitiones Baptiſmi illam eſſe præcipuam, qua dicitur regeneratio. Igitur non bene dieitur peccatorum ablutio,

Reſpondeo diſtinguendo : Et eo loci Catechiſmus defineat Baptiſmum per effectum interiorem , & quidem primarium concedo : per cauſam, Nego. Namque id quod producit gratiam , eſt ſignum ſenſibile

Digitized by Google

ſibile practicum, adeoque & ipſa ablutio; auctor Catechiſmi eſt ſui ipſius interpres: ſubdit enim ibidem n. 6. " Sed quibuſcumque tandem verbis Baptiſmi „ naturam explicari contigerit, docendus erit populus hoc Sacramentum „ confici ablutione, cui ex Domini Salvatoris inſtituto, certa & ſolemnia verba „ neceſſario adhibentur, quemadmodum „ ſancti Patres docuerunt, quod apertiſſimo divi Auguſtini teſtimonio demonſtratur, *Accedit verbum ad elementum*, „ *& fit ſacramentum*.

Inſtabis: Dionyſius cap. 2. de cœleſti Hierarchia, vocat Baptiſmum, principium mandatorum Dei: Ergo non eſt ablutio peccatorum.

Reſpondeo diſtinguendo ſimiliter antecedens: Et Dionyſius definivit Baptiſmum per ordinem ad ſuum effectum, concedo: & definivit per cauſam, nego. Sic reſpondet S. Thomas ibidem ad iſtam inſtantiam, quam quidem eo prope modo ſolvit Cathechiſmus Romanus ibidem n. 3. his verbis: " Cur autem Divus Dionyſius principium ſanctiſſimorum mandatorum vocaverit, perſpicuum eſt, „ cum hoc Sacramentum veluti janua „ fit, qua in Chriſtianæ vitæ ſocietatem ingredimur, atque ab eo divinis „ præceptis obtemperandi initium facimus. „

Urgebis: Baptiſmus eſt ipſa aqua; Igitur per ablutionem definiri non debet. Probatur antecedens, primo quidem ex Auguſtino dicente, " Accedit verbum ad „ elementum, & fit ſacramentum „; deinde ex Hugone a ſancto Victore, qui de Baptiſmo loquens ait, aquam eſſe ad diluenda crimina ſanctificatam per verbum Dei. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Aqua eſt Baptiſmi ſacramentum materialiter, concedo: formaliter & effective, nego. Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum ait, Sacramenta rebus tamquam materia conſtare: verbis vero tamquam forma; ſed iſtorum omnium uſus & applicatio eſt id quod producit gratiam, quocirca & Sacramentum eſt formaliter.

Ad primam probationem reſpondet D. Thomas ibidem his verbis: " Ad tertium dicendum, quod accedente verbo ad „ elementum fit ſacramentum, non quidem in ipſo elemento, ſed in homine cui adhibetur elementum per uſum „ ablutionis; & hoc etiam ſignat verbum, „ quod accedit ad elementum, cum dicitur: Ego te baptizo, &c. „

Alteri probationi eo loci facit etiam ſatis Divus Thomas: " Ad ſecundum, *ait*, „ dicendum, quod ſicut dictum eſt, opinionem Hugonis de ſancto Victore in „ hac parte ſequi non oportet, poteſt tamen verificari, ut baptiſmus dicatur aqua „ eſſe, quia aqua eſt materiale Baptiſmi „ principium. "

Inſiſtes: Baptiſmus valet per immerſionem: ſed tunc non eſt ablutio, quippe quæ tranſeat, immerſio vero permanet, & uti vas concludit baptizandum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et immerſus in aquis ab eiſdem per patrinos levatur, ut ſicut iterata immerſione, etiam iterata levatione abluatur, concedo: & non levatur, nego. Jamvero quid dicendum ſit ſi infantem aliquis projiceret in mare ut illum perderet, eum tamen baptizare vellet, ne pœna æterna donaretur, & pronuntiaret formam, incertum eſt num infans baptizaretur, cum non ablutio, ſed potius immerſio tantummodo fieret, ſi tamen qui projicit, habeat intentionem baptizandi puerum, poſſet dici ablutionem quodammodo fieri per immerſionem, cum impoſſibile ſit corpus immergi & non ablui.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Baptiſmus eſſentialiter eſt ablutio interior animæ. Primo hoc clamant & figuræ & prophetiæ veteris Teſtamenti, ut cum Ezechiel in ſpiritu vidit aquam miraculoſe egredientem de templo.

Secundo: Hoc etiam cuncta nomina, quibus Patres celebrant Baptiſmum, indicant.

Tertio: Hoc denique Sanctus Thomas docet, quandoquidem lavacrum, in quo ſitus eſt principalis Baptiſmi effectus, fit per ablutionem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Quandoque Patres vocant Baptiſmum

mum modo aquam, modo etiam Dei mandatorum principium; ſed eos deſcribere Sacramentum per ſuos effectus conſtat.

Secundo: Tametſi Baptiſma valeat per immerſionem, ab aquis tam levatur baptizandus, ut deſignetur ablutio.

Tertio: In caſu quo aliquis projiceret infantem in mare, ad illum quidem occidendum, ſed tamen cum intentione eum prius baptizandi, & pronuntiaret formam, probabile eſt iſtud baptiſma valere.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Baptiſmus ſit abſolute ad ſalutem neceſſarius?

ALIQUID dicitur neceſſarium neceſſitate medii tripliciter; videlicet ſtrictiſſime, ſtricte, & lato modo. Strictiſſime quidem, cum finis intentus ſine hujuſcemodi medio eſſe non poteſt: v. g. homo ſine animæ unione cum corpore non eſt homo; ſtricte vero, cum de potentia ordinaria aliquid eſſe non poteſt: ſecus de potentia extraordinaria: cujus rei iſtud accipe exemplum: Sine pœnitentia peccator non juſtificatur, attamen per condonationem extrinſecam, juxta aliquorum Theologorum placita, ejus peccatum deleri poteſt, puta ſi Deus ſuo cederet juri; denique late, cum finem ſine medio determinato nemo quidem aſſequitur, poteſt tamen per aliquid aliud tale ſuppleri medium, v. g. per votum.

Certum eſt Baptiſma non eſſe neceſſarium ad ſalutem priori & poſteriori modo: quandoquidem aliquis vel per votum hujus ſacramenti, vel per martyrium ſalvari poteſt. Caput igitur controverſiæ eſt, utrum Baptiſmus ita ſit ad ſalutem neceſſarius, ut ſecluſo ejus voto, quod quidem in martyrio concluditur, ſalvari poſſit. Cajetanus contendit Baptiſmum poſſe ſuppleri in pueris per preces & ſacrificia oblata. Michael Servetus, lib. de regeneratione ait eſſe abominationem. Contra quos ſit

CONCLUSIO

Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem.

Probatur multis momentis hæc Concluſio.

Primo, ex Scriptura ſacra.

CHRISTUS Dominus præceptum poſuit, & non præteribit, his verbis Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba explanans auctor libri de Vocatione Gentium cap. 8. ſic loquitur: " Non eſt ſis credere, eos parvu„ los qui regenerationis non ſunt adepti „ ſacramentum, ad ullum pertinere Bea„ torum conſortium, cum Dominus dixe„ rit Joan. 3. *Niſi quis, &c.* „

Concinit Auguſtinus Lib. 3. De peccatorum meritis cap. 4. " Nonne veritas, *in„ quit*, ſine ulla ambiguitate procla„ mat, non ſolum in regnum Dei non ba„ ptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed „ nec vitam æternam poſſe habere, præter „ Chriſti corpus, cui ut incorporentur, „ Sacramento baptiſmatis induuntur. „ Rurſus Lib. 3. de Origine animæ cap. 9. " Noli credere, *ait*, noli dicere, noli „ docere infantes, antequam baptizen„ tur, morte præventos pervenire poſſe „ ad peccatorum indulgentiam, ſi vis eſſe „ Catholicus. „

Non abſimili modo ſeſe explicat Fulgentius Lib. de fide ad Petrum cap. 26. alias 27. ubi ſic loquitur: " Firmiſſime „ tene, & nullatenus dubites, non ſolum „ homines jam ratione utentes, verum „ etiam parvulos, qui ſive in uteris ma„ trum vivere incipiunt, & ibi moriun„ tur, ſive jam de matribus nati, ſine Sa„ cramento baptiſmatis quod datur in no„ mine Patris, & Filii, & Spiritus ſan„ cti, de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æter„ ni ſempiterno ſupplicio puniendos. „ Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis.

CONCILIUM Milevitanum ſub Innocentio I. adunatum, Can. 2. ſic pronuntiat: *Placuit ut quicumque parvulos recentes ab*

ab uteris matrum baptizandos negat . . . . anathema ſit .

Florentinum in Inſtructione Armenorum, eamdem veritatem ſuo munit calculo, his verbis : " Primum omnium Sacra-,, mentorum locum tenet ſanctum Bapti-,, ſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt; per ,, ipſum enim membra Chriſti de cor-,, pore efficiuntur Eccleſiæ : & cum per ,, primum hominem mors introierit in uni-,, verſos, niſi ex aqua & & ſpiritu renaſca-,, mur, non poſſumus, ut inquit Veritas, ,, in regnum cęlorum introire . ,, Egregia ſane ratio, quia naſcimur filii iræ: ideo per Baptiſmum renaſci, ut introeamus in regno cęlorum, neceſſe eſt.

Tridentinum Seſſ. 7. Can. 5. rem de fide ita definit: *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

Non prætereundus ejuſdem Concilii Catechiſmus, qui de neceſſitate Baptiſmi n. 31. ſic habet: " Sed cum ceterarum ,, rerum cognitio quæ hactenus expoſitæ ,, ſunt, fidelibus utiliſſima habenda ſit: ,, tum vero nihil magis neceſſarium vi-,, deri poteſt, quam ut doceantur, omni-,, bus hominibus baptiſmi legem a Domi-,, no præſcriptam eſſe, ita ut niſi per ,, baptiſmi gratiam Deo renaſcamur, in ,, ſempiternam miſeriam & interitum a ,, parentibus, ſive illi fideles, ſive infi-,, deles ſint, procreentur . Igitur ſæpius ,, a Paſtoribus explicandum erit, quod apud ,, Evangeliſtam legitur, *Niſi quis renatus*, ,, &c. ,,

Subdit vero : " Quam legem non ſo-,, lum iis qui adulta ætate ſunt, ſed etiam ,, de pueris infantibus intelligendam eſ-,, ſe, idque ab Apoſtolica traditione Ec-,, cleſiam accepiſſe, communis Patrum ,, auctoritas confirmat. Præterea creden-,, dum eſt noluiſſe Chriſtum Dominum ,, Baptiſmi Sacramentum & gratiam pue-,, ris denegari, de quibus dicebat: *Sini-,, te parvulos, & nolite prohibere eos ad ,, me venire: talium eſt enim regnum cœlo-,, rum*; quos amplexabatur, ſuper quos ,, manus imponebat, & quos benedicebat. ,, Deinde cum legimus Act. 10. totam ,, familiam a Paulo baptizatam eſſe, ſatis ,, apparet, pueros etiam, qui in illorum ,, numero erant, ſalutari fonte ablutos ,, eſſe. ,,

Tertio, ex ſanctis Patribus.

PRÆTER jam recenſitas auctoritates, in medium proferre Patres eidem veritati aſtipulantes non injucundum erit. Irenæus agmen ducet Lib. 3. cap. 19. cum Origenes in cap. 6. Epiſtolæ ad Romanos: deinde vero Cyprianus Lib. 3. Ep. 8. ad Fidum : Gregorius Nazianzenus Oratione in ſanctum Baptiſma: Baſilius Oratione 13. de exhortatione ad Baptiſmum, Ambroſius Lib. 2. de Abraham cap. ultimo, Hieronymus Lib. 3. contra Pelagianos, ac demum Bernardus Serm. 66. in Cantica n. 9. ubi ſic loquitur: " Irrident nos, ,, quia baptizamus infantes . . . quid enim ,, ſi infans pro ſe loqui non poteſt, pro ,, quo vox ſanguinis ſui, fratris ſui, & ,, talis fratris, *Chriſti*, clamat ad Deum ,, de terra? Aſtat, & clamat nihilomi-,, nus mater Eccleſia, quid tamen infans? ,, nonne & ipſe videtur tibi inhiare quod-,, ammodo de fontibus Salvatoris vociferari ,, ad Deum, ſuiſque vagitibus clamitare: ,, Domine vim patior, reſponde pro me? ,, flagitat auxilium gratiæ, quia vim ,, patitur ab origine : clamat innocentia ,, miſeri, clamat ignorantia parvuli, ,, clamat addicti infirmitas . . . nemo mihi ,, dicat, quia non habet fidem, cui mater ,, Eccleſia impendit ſuam . Ergo &c. ,,

Quarto, ex Eccleſiis Orientalibus.

CUNCTI Orientales iſtam Chriſti ſententiam Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* intelligunt de neceſſitate medii; ſic docet Jeremias q. 102. adverſus Theologos Witembergenſes; ſic Confeſſio Orthodoxa; quinimmo multi Canones graviſſimas imponunt pęnitentias parentibus, quorum negligentia pueri abſque Baptiſmo e vita migrant, ut legitur in Nomo-Canone Domini Cotelier 12. 116. 419. &c. 494. Joannes Jejunator tres Pęnitentias pro iſta culpa imponit, ut refert Morinus de Pęnitentiæ Appendice parte 99. 119. ſic docet Partenius Senior contra decimum ſextum Cyrilli Lucaris articulum, ſic Syrurgus eumdem perſtringit Lucarem, dicens in errorem Calvini illum impegiſſe, eo quod in genuino ſenſu non intellexerit iſta Chriſti verba: *Niſi quis &c.*

Eo-

Digitized by Google

Eadem prorſus modo intelligunt Chriſti ſententiam, cum Eccleſia Latina, Græci omnes, Melchitæ, Jacobitæ tum Syriæ, tum Alexandriæ, Neſtoriani, & Æthiopes.

Ebnaſſal Theologus inter Copticas celeberrimus in opere cujus titulus, *Appendix fundamentorum fidei*, par. 2. c. 24. manuſcripto Armeniæ, ſic loquitur: " Baptiſmus eſt generale præceptum omnibus fidelibus datum hominibus & feminis, ætate provectis & parvulis. Eſt regeneratio ſpiritualis, qua ſecluſa, nullus intrabit in regnum cœlorum. ,,

Alter ejuſdem nominis Theologus in collectione canonum lingua Arabica cap. 2. idem propugnat; ſimiliter Ferye-Allach Echmimi e civitate Echmimi Oriundus in Thebaide aliis duobus ſenior, exquiſitam collectionem Canonum ſecundum traductiones Arabicas dedit, cap. 5. autem ait, " Baptiſmus unicuique neceſſarius eſt; dictum eſt enim a Domino, Niſi quis &c. Hinc ſi adeſt periculum, omnia tentanda ſunt, ut cito citius conferatur. ,,

Eadem diſciplina ſubnotatur in collectione conſtitutionum Eccleſiaſticarum ſub titulo Canonum imperialium, quæ quidem adinvenitur in manuſcriptis Arabicis Jacobitarum, & Melchitarum poſt Canones Concilii Nicæni, ubi hæc habentur: " Cum nihil periculi eſt, Baptiſmus pueri tranſmittitur poſt matris purificationem, ſin minus cito deportetur ad Eccleſiam. ,, In tractatu vero per modum reſponſionum Canonicarum a Joanne Patriarcha Jacobitarum Alexandriæ elaborato, manuſcripto Armeniæ, in quæſtionem propoſitam circa ea quæ contingunt animæ, ut primum a corpore ſolvitur, idipſum confirmatur his verbis: " Anima Chriſtiana primum ſiſtitur in tribunali Chriſti; verum ſi abſque Baptiſmo diſceſſit, miniſterio Angelorum projicitur in pœnas æternas. ,,

Quid plura proferam? Idem comprobatur ex Catechiſmo, ubi per modum Dialogi auctoris Ægyptii qui decimo circiter ſæculo florebat, eo loci diſcipulus expoſtulat: " Cur Baptiſmus regeneratio vocetur. ,, Magiſter reſpondet: ,, Cum omnis homo naſcens ſuo aſſimiletur Patri ſecundum naturam & ſubſtantiam; & primæva nativitatis corporalis radix concupiſcentia ſit, certum eſt infantem naſcentem eſſe mortis reum.... Deus dedit nobis vitam iſti oppoſitam, quæ quidem promanat a Deo Patre in Spiritu ſancto per Jeſum Chriſtum Filium unicum Patris; eſt opus ſanctæ Trinitatis, & generatio. ,, Manuſcriptis Armeniæ.

Amrou Neſtorianus in ſuo tractatu de Baptiſmo cap. 3. Manuſcriptis Armeniæ, Bibliothecæ Colbertinæ Vaticanæ, & Seguier, fuſo Calamo probat neceſſitatem Baptiſmi: Probant & omnia Grecorum Ritualia. Quod ſi periculum contigerit pro vita pueri, abbreviatur officium, ut præcipiunt Canones Jacobitarum Syriæ, ſicut habetur in Nomo-Canone Syriæ, & legitur in manuſcriptis Armeniæ; quod ſi contigerit dubium circa Baptiſmum, Orientales ſub conditione baptizant juxta can. 75. Concilii Carthaginenſis ab eis receptum. Rurſus can. 84. Concilii in Trullo habiti qui eſt in uſu apud Orientales, ſcilicet Syrios, Melchitas, Neſtorianos, Copticas &c. Nomo-Canon Syriorum Jacobitarum in manuſcriptis ſic habet: " Si quis adinvenitur de quo dubitatur num ſit baptizatus, neceſſe eſt ut Presbyter illum baptizet dicendo, talis eſt baptizatus, ſi jam jam non fuerit in nomine Patris &c. Namque ſanctus Cyrillus ſic baptizavit duos pueros illi oblatos a femina, quæ ignorabat quiſnam ex duobus fuerat tinctus. ,, Ergo &c.

Quinto, ex ratione Theologica.

JUXTA Chriſti effatum Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; & iſtud Apoſtoli ad Tit. 3. *Salvos non fecit per lavacrum regenerationis*. Sed hæc regula neminem excipit, ſicut & iſta: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et hoc ipſum traditione conſtat. Ergo &c. Probatur minor variis momentis.

Primo quidem: Non valet opinio Pelagii dicentis pueros ſine peccato naſci, nam Pſalmo 50. habetur: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, & iſtud Romanorum 5. *In quo omnes peccaverunt*; incaſſum igitur dicit Baptiſmum eſſe tantummodo neceſſarium ad introitum in regnum cœlorum.

rum. Et vero ſi infans abſque peccato naſceretur, etiam abſque Baptiſmo penetraret cęlos; hinc Auguſtinus Lib. de natura & gratia cap. 8. ſic loquitur: " Abſolvat ,, ergo eum Pelagius, & aperiat ei, contra ,, ſententiam Domini regnum cęlorum, ,, ſed non eum abſolvit Apoſtolus qui ait, ,, Per unum hominem peccatum intra- ,, vit in mundum, & per peccatum ,, mors. ,,

Falſo profert Wicleſus dum ait, puerum Baptiſmo non indigere, eo ipſo quo eſt prædeſtinatus, cum talis non ſit niſi per Chriſtum, neque Chriſto incorporetur niſi per Baptiſmum.

Calvinus contradictoria quoque loquitur cum propugnat filios Chriſtianorum eſſe ex natura ſanctos, idque vi fęderis in quo concluduntur; nam Apoſtolus Epheſiorum 2. ſic pronunciat: *Eramus & nos natura filii iræ ſicut & ceteri*.

Os Anabaptiſtis occluditur quando Patres & Concilia præcipiunt vel ipſos pueros baptizandos eſſe.

Denique Cajetanus cæcutit in ſua opinione, hinc e commentariis in divum Thomam juſſu Pii V. expuncta fuit ejus ſententia; gratis quippe aſſerit parentes poſſe in nova lege per preces & vota ſupplere Baptiſmum: quidni & Deus in neceſſitate etiam cæremonias Baptiſmi juxta ejuſdem Doctoris placitum aliquo ſigno ſuppleret; ceterum ſanctus Thomas hic q. 78. art. 2. ex profeſſo probat Baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii, niſi ſuppleatur per votum.

Inferes I. Baptiſmum in re vel in voto eſſe neceſſarium neceſſitate medii omnibus adultis ad ſalutem. Lex enim eſt pro omnibus, nec datur ſalus abſque incorporatione cum Chriſto, quæ quidem ſit per realem Baptiſmi ſuſceptionem, aut ſaltem per votum explicitum Baptiſmi, quod ad ipſum terminatur Baptiſmum: at vero ſi fides explicita tum de Trinitate, tum de Incarnatione ad vitam æternam aſſequendam neceſſaria ſit, pari & conſimili ratione votum Baptiſmi explicitum prærequiritur, cum ſit omnium Sacramentorum janua.

Inferes II. dari & Baptiſmi præceptum, quatenus lex generalis pro ſingulis facta eſt, quinimmo præceptum obligat omnes juſtificatos etiam ante Baptiſmi ſuſceptionem. Nicodemus quippe, ut obſervat S. Auguſtinus tractatu 11. in Joannem, ex his erat qui crediderat in nomine ejus &c. & tamen Chriſtus dixit illi: *Niſi quis &c.* Divus Thomas q. 68. art. 1. ad 3. docet vel ipſos in utero ſanctificatos ad Baptiſmum ſuſcipiendum teneri, " Illi, *inquit*, qui ſunt ſanctificati in ,, utero, conſequuntur quidem gratiam ,, emundantem a peccato originali, non ,, tamen ex hoc ipſo conſequuntur chara- ,, cterem, quo Chriſto configurentur, & ,, propter hoc ſi aliqui nunc ſanctificarentur ,, in utero neceſſe eſſet eos baptizari, ,, ut per ſuſceptionem characteris, aliis ,, membris Chriſti conformarentur. ,, In 4. diſtinctione 6. q. 1. art. 5. quæſtiuncula 3. triplicem affert rationem, qua probat ſanctificatos in utero eſſe baptizandos. Primo, ut per characterem nomen dent militiæ Chriſtianæ. Secundo, ut paſſioni Chriſti etiam corporaliter conformentur. Tertio, ut legi obediant. Ergo ne falſa Baptiſmi forma cum baptizatur juſtus? Minime. Licet enim a peccato originali non abſtergat animam Baptiſma tunc ſuſceptum, eſt per accidens. Alios enim habet effectus ſecundarios; poteſt etiam cum Chriſto incorporatio inter primarios annumerari, & hoc pro ſanctificatis in utero. Pro adultis vero dicimus, in tantum juſtificari per fidem & charitatem, in quantum Baptiſmi concipiunt votum & habent.

Inferes III. Baptiſma ad longum tempus, a fortiori uſque ad ultimum vitæ terminum non eſſe procraſtinandum. Hoc ipſum patet, ſi ad vitæ pericula, quibus homo ſæpius exponitur, attendamus, juxta illud Chryſoſtomi Homil. 13. ad Hebræos: " Multos novi qui hoc paſſi ſunt, ,, qui ſpe Baptiſmatis multum peccabant, ,, circa diem autem mortis, diſceſſerunt ,, vacui. ,, Poſt Chryſoſtomum vero divus Thomas in 4. diſtinctione 4. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 2. ad 2. ait: " In ,, Baptiſmo confertur gratia ad bene vi- ,, vendum, & peccata tolluntur præterita, ,, & impediuntur futura; & ideo quamvis ,, Baptiſmus in fine vitæ ſuſceptus, plu- ,, ra peccata præterita tolleret, tamen ,, pauciora impediret, & ad pauciora bona ,, promoveret, & ideo minus eſſet utilis. ,, Præterea multis caſibus ſubjacet humana ,, vita, & poſſet contingere, ut qui Ba- ,, ptiſmum in fine vitæ accipere expecta-

ret,

„ ret, morte ſubita præventus, expecta-
„ tione ſua fraudaretur. „

Ex his ſequitur, quod tametſi præceptum affirmativum non ſemper obliget, ſi tamen de Baptiſmate ſermo ſit, citra dubium obligat ſpecialiter, ita ut non ſit licitum illud differre ad finem uſque vitæ. Eccleſia quidem voluit quondam Catechumenis differri, ſed ſolum ad certum tempus pro inſtructione requiſitum; hinc in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes abſque ulteriori procraſtinatione eos abluebat.

Obſervat Baronius Tomo 4. anno Chriſti 377. num. 14. ſanctos Patres non ſemel inſurrexiſſe adverſus eos qui Baptiſmum ad ſenilem uſque ætatem remittebant: "
„ Ipſemet, *inquit*, Ambroſius factus Epi-
„ ſcopus in eo multus fuit, ut pravam
„ illam conſuetudinem, quæ tam in Oc-
„ cidente, quam etiam in Oriente, uſu
„ temporis invaluerat, qua fideles quam
„ plurimi uſque ad provectiorem ætatem
„ Baptiſmum different, penitus ut ma-
„ lum germen ex agro Dominico evelleret;
„ & quod ſe feciſſe doluit, ab aliis ne
„ in poſterum fieret, vehementer admo-
„ nuit; præſtiteruntque hoc ipſum Gre-
„ gorius Nazianzenus, necnon Gregorius
„ Nyſſenus, ut ipſorum de Baptiſmate edi-
„ tæ orationes ſignificant. „

Fit ſatis objectionibus Heterodoxorum.

OBJICIUNT 1. Calviniſtæ: Geneſ. 17. Deus promiſit Abrahæ & Semini ejus benedictiones nedum temporales, ſed & ſpirituales. Sed ſi Baptiſmus eſt de neceſſitate ſalutis, ita ut, illo ſecluſo, damnetur infans, jam non erit benedictio, ſed onus intolerabile. Igitur lex Baptiſmi ſuſcipiendi abſolute non obligat.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Deus promiſit benedictiones & Abrahæ, & ejus filiis per Chriſti merita conferendas, merita vero per Baptiſmum applicanda, concedo: abſque Chriſto & Baptiſmo, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Neque ipſi diffitentur Calviniſtæ abſque Chriſti meritis neminem ſalvari; ſed nullus præter Heterodoxos negabit hujuſmodi merita applicari per Baptiſmum vel in re, vel in voto ſuſceptum.

Inſtant: Joannis 6. pronuntiatur univerſim pro omnibus: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Sed juxta omnia Theologorum placita quiſque abſque Euchariſtiæ ſumptionn ſalvari poteſt: Igitur & abſque Baptiſmo.

Reſpondeo negando paritatem; quandoquidem pueri utpote in peccato concepti, ſpiritalis regenerationis capaces ſunt, & ea ipſa indigent. Sed cibi grandium quem in Euchariſtia exhibet Chriſtus nondum ſunt capaces, & hoc propter duo: Primo quidem, quia non valent diſcernere mirabilem illam eſcam. Secundo, augmentum gratiæ in eis non habet locum; ſicut enim peccare non poſſunt, ita nec proficere in gratia donec ad auroram rationis pervenerint.

Urgent: Qui vi prædeſtinationis æternæ ſanctus eſt, prorſus non indiget Baptiſmo ut ſanctificetur: Atqui filii Chriſtianorum virtute fœderis in quo comprehenduntur ſunt ſancti, juxta illud 1. Corinth. 7. *Filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*. Ergo &c.

Reſpondeo primo, nopponendo Scripturam Scripturæ. Pſalmo 50. legitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea*. Sed qui ab ipſa conceptione maculatur, non eſt ſanctus. Ergo &c.

Reſpondeo ſecundo cum S. Auguſtino Lib. 3. de peccatorum meritis & remiſſionibus cap. 12. ſanctitatem de qua loquitur Apoſtolus abſque Baptiſmo non poſſe intelligi; ibidem enim Paulus ait ſanctificari conjugem infidelem per fidelem, & tamen nemo cordatus dixerit, conjugem infidelem abſque converſione ad Deum & ſine Baptiſmo Chriſti, remiſſionem peccatorum habere poſſe, ea ſolum ratione quod adhæreret conjugi fideli.

Reſpondeo tertio diſtinguendo: Filii Catholicorum ſunt ſanctis ſanctitate quadam legali & extrinſeca, concedo: intrinſeca, ſubdiſtinguo: per Baptiſmum, concedo: citra Baptiſmum, nego. Sanctitas duplex diſtinguitur, una extrinſeca, altera vero intrinſeca: prior promanat a ſtatu quo homo profeſſus eſt legem Dei, & hoc ad diſtinctionem infidelium, qui nullam habentes ſpem, indiſcriminatim illecebrarum volupatum cœno lætantes inſigniuntur: poſterior convenit ratione gratiæ, quæ datur per Sacramenta, maxime vero per ſanctum regenerationis Lavacrum.

vacrum. Eatenus igitur filii Catholicorum dicuntur ſancti, quatenus per merita, & religionem parentum, quaſi conſignantur ut militiæ Chriſtianæ dent nomen: incumbit enim ex officio Parentibus onus & obligatio, ut per Baptiſmum cito citius Chriſto filios conjungant. Sic explicant Apoſtolum SS. Ambroſius, Thomas & Anſelmus.

Perſiſtunt: Tametſi Matrimonium duos inter infideles contrahatur, nihilominus quodammodo ſanctum dicitur, quatenus filii in eo procreati legitimi ſunt. Igitur ex mente Apoſtoli, filii Chriſtianorum majori ſanctitate donantur quam mere extrinſeca; adeoque & intrinſece ſanctificantur.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Filii Chriſtianorum magis ſunt ſanti quam infidelium proles, ratione principii a quo profluunt, concedo: ratione ſui, nego. Filii infidelium ne quidem ſancti ſunt extrinſece, quippe qui ſint ſolius naturæ ſœtus; & a Matrimonio juxta leges civiles, non ſpurii, ſed legitimi nominentur: at vero Chriſtianorum Matrimonium eſt Sacramentum in fide ſanctum; quocirca filii ex hac procedentes conjunctione, dicuntur ſancti ſanctitate extrinſeca per Matrimonium ſanctum; quia vero etiam in fide enutriuntur, ſub iſta ratione etiam ſanctitatis nomen ſibi vindicant; ſic exponit mentem Apoſtoli Tertullianus L. 2. ad uxorem. Hieronymus Lib. 1. adverſus Jovinianum, Auguſtinus Lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſionibus cap. 26. & juxta iſtorum patrum mentem, mulier fidelis eatenus ab Apoſtolo dicitur ſanctificare virum infidelem, quatenus fidem ei inſpirat ad quam non habet oppoſitionem, eo ipſo quo conſentit habitare cum ea, & ſuos ſinit filios fide rudimenta ſuſcipere.

Replicant: Parentes etiam infideles ſinunt ſuos filios etiam ſpurios enutriri in fide; ſic Auguſtinus filium ſuum quem habuit adhuc hæreſi Manichæorum detentus, in fide erudivit: ſed filii Chriſtianorum dubio procul majori ſanctitate donantur, quam filii ſpurii: Igitur ſancti dicendi ſunt, non ſolum propter fidei doctrinam, ſed & propter legitimam procreationem, conſequenter & intrinſece.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Filii Chriſtianorum præ ceteris dicuntur magis ſancti ſanctitate legali, concedo: ſanctitate intrinſeca, nego: Ea enim per ſolum Baptiſmum datur. Et vero latum eſt diſcrimen inter iſtos & filios ſpurios; quandoquidem ex conjunctione culpabili procedunt ſpurii, alii vero ex copula per leges tum divinas, tum Eccleſiaſticas, immo & civiles approbata.

Opponunt 2. Hæretici: Iſta Chriſti verba Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* non intelliguntur pro omnibus. Igitur nec iſta Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Confirmatur: Eccleſiæ Doctores ſenteutiam iſtam Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* de neceſſitate abſoluta Baptiſmi non explicant; & probatur: Hugo Victorinus Lib. 1. de Sacramentis cap. 3. non niſi de adultis illam intelligit, Magiſter ſententiarum in 4. lib. 4. dicit verba Chriſti pertinere ad eos ſolum qui poſſunt baptizari, & illud negligunt. Sanctus Bonaventura in 4. diſt. 4. idem aſſerit. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens; non enim eodem modo locutus eſt Chriſtus de neceſſitate Baptiſmi, ſicut de neceſſitate Euchariſtiæ; ait enim: *Niſi quis renatus fuerit &c.* Et ſic omnes & ſingulos ad Baptiſma ſuſcipiendum obligat, ſolos vero adultos ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, quippe qui loquatur ſolummodo in plurali, niſi manducaveritis &c. Apoſtolus autem ſumentes corpus Domini vult ut ſeipſos antea probent, quæ quidem probatio non niſi adultis convenit.

Reſpondeo ad confirmationem opponendo Patres Doctoribus & Theologis. Etenim licet relati in objectione forent contrarii opinioni noſtræ, magis credendum eſt Traditioni. Ceterum illud dumtaxat intendunt ſcilicet adultos decedentes ſine Baptiſmo abſque ſua culpa non in hoc peccaſſe, ſed eſſe damnatos ſolummodo propter peccatum originale; immo Magiſter ſententiarum ibidem dicit quod parvuli abſque Baptiſmo defuncti damnentur. Neque vero diffitemur Ambroſium Lib. 2. de Abraham cap. 11. videri contrarium docere his verbis: " Habeant illam pœnarum opertam immunitatem, neſcio? an habeant regni honorem.,, Sed reſpondent Patres Benedictini in editione nova, illa Ambroſii verba eſſe aliena manu intruſa, quod patet

ex

ex verbis immediate præcedentibus, ubi explicans illam Chriſti ſententiam ; *Niſi quis renatus &c.* ſic pronunciat : " Utique „ nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate ; noli credere. „ Suffragatur Auguſtinus Lib. de anima cap. 9. " Noli, *inquit*, docere infantes, antequam baptizentur morte præventos pervenire poſſe ad originalem „ indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe „ Catholicus. „

Inſtans: Cyprianus in Concilio 3. Carthaginenſi fecit licentiam reiterandi vel non reiterandi Baptiſmum ab Hæreticis collatum juxta locorum conſuetudinem: ſed ſi Baptiſmum crediliſſet de neceſſitate ſalutis, voluiſſet juxta ſuam opinionem ſingulos baptizari : Igitur Baptiſmus non eſt de neceſſitate ſalutis. Confirmatur : Eccleſia non ſemel procraſtinavit Baptiſmum, quod argumentum eſt non crediliſſe eum de neceſſitate abſoluta ſalutis. Quid plura ? Ipſa orat pro Catechumenis abſque Baptiſmo vita functis: oravit & Ambroſius pro Valentiniano, quod recte probat Baptiſmum non eſſe neceſſarium neceſſitate abſoluta ad ſalutem.

Reſpondeo diſtinguendo : Et controverſia quam movet Cyprianus non erat de neceſſitate Baptiſmi, quam certe ex traditione ſupponebat, ſed de validitate Sacramenti ab Hæreticis collati, concedo : erat de neceſſitate baptiſmatis, nego. Porro, reſcripto Stephani dato, reliquit ad uniuſcujuſque arbitrium, Baptiſma ab Hæreticis verbis Evangelicis collatum reiterari, vel non.

Ad 1. Confirmationem diſtinguo : Eccleſia procraſtinabat Baptiſma pro pueris, nego : pro adultis, ſubdiſtinguo : ad tempus concedo : ita ut ad ſenilem uſque ætatem differi approbaret, nego. Verum quidem eſt Eccleſiam quandoque conceſſiſſe dilationem Baptiſmi pro adultis, ſed ſolummodo ad quoddam tempus, ſcilicet ut daretur inſtructioni locus, & hoc uſque ad vigilias vel Paſchatis, vel Pentecoſtes tantum. Ceterum cum pueri adoleverint, vult ut de promiſſis per Patrinos factis edoceantur, & fidem in Baptiſmo ſuſceptam indiſpenſabiliter teneant; ſic enim habetur in Concilio Tridentino Seſſ. 7. can. 14. *Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos cum adoleverint interrogandos eſſe an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine dum baptizarentur, polliciti ſunt ; & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.*

Ad alteram confirmationem diſtinguo : Eccleſia orat pro Catechumenis, eo quod fuerint baptizati interius per Sacramenti votum, concedo : abſque Baptiſmo etiam in deſiderio, nego : Sic reſpondet ſanctus Thomas hic q. 68. art. 2. Obſervat tamen ibi ad ſecundum, Baptiſmum in voto non ſolvere adultum ab omni reatu pœnæ temporalis, bene vero Baptiſmum aquæ & ſanguinis ; & ſic explicat quod in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus dicitur, videlicet nullum Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere, excepto martyrio, in quo totum Baptiſmi Sacramentum completur ; hoc eſt non ſtatim vitam conſequitur æternam : " Talis, *inquit ſanctus Doctor, in reſponſione ad ſecundum* decendens non ſtatim pervenit „ ad vitam æternam, ſed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipſe tamen „ ſalvus erit, ſic quaſi per ignem, ut dicitur 1. ad Corinth. 3. „ Ad factum Valentiniani in corpore articuli ſic reſpondet : " Talis ſine Baptiſmo actuali, ſalutem conſequi poteſt, propter deſiderium Baptiſmi, quod procedit ex fide „ per dilectionem operante, per quam Deus „ interius hominem ſanctificat, cujus „ potentia Sacramentis viſibilibus non „ alligatur ; unde Ambroſius dicit de Valentiniano qui Catechumenus mortuus „ fuit, quem regeneraturus eram amiſi, „ verumtamen ille gratiam quam popoſcit, „ non amiſit. „

Diluuntur Anabaptiſtarum objecta.

Opponunt : Baptiſma ſolis adultis concedendum eſt. Ergo &c. Probatur antecedens. Tertullianus cenſuit Baptiſma cito citius pueris non eſſe miniſtrandum : ergo &c. Probatur antecedens ; Lib. de ſancto Baptiſmate cap. 18. ſic loquitur : " Pro " cujuſque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio baptiſmi „ utilior eſt, præcipue tamen circa parvulos. „

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem dico primo, conſuetudinem Eccleſiæ prævalere auctoritati Tertulliani: ſecundo, diſtinguo; ſatius eſt & utilius cunctare baptiſmum, ſi non ſit periculum mortis, tranſeat: ſi ſit, nego antecedens & conſequentiam. Iam vero Tertullianus non putavit abſolute procraſtinandum eſſe Baptiſma pro pueris, quippe qui immediate ante verba in objectione citata, affirmat innuptis eſſe quoque differendum; quis autem dicat eum arbitratum fuiſſe baptiſma collatum innuptis nullum eſſe?

Inſtant: Non eſt dandum pueris niſi id quod expedit, ſed juxta Tertullianum ibidem Baptiſma pueris non expedit: “ Quid
„ enim neceſſe eſt, inquit, ſponſores pe-
„ riculo ingeri, qui reipſa per mortalita-
„ tem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt?
„ Ergo &c. „

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo minorem: Sponſores ingeruntur periculo non ſervandi præcepta, & illud periculum reos de facto per ſe illos non facit, concedo; & eſt verum peccatum quod eis tribuitur, nego minorem & conſequentiam. Porro ſponſores ſe ſe dumtaxat aſtringunt ad faciendum quod in ſe eſt, nempe ut infantes quos ſuſcipiunt, ſpondeanr imbuere Religionis Chriſtianæ principiis; quod ſi pueri e vita diſcendant, tunc ſponſorum ceſſant promiſſiones.

Inſiſtunt: Sic proſequitur Tertullianus:
“ Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant
„ dum diſcunt, dum quo veniant do-
„ centur; fiant Chriſtiani cum CHRI-
„ STUM noſſe potuerint; quid feſtinat
„ innocens ætas ad remiſſionem peccato-
„ rum? Cautius agetur in ſæcularibus,
„ ut cui ſubſtantia terrena non creditur,
„ divina credatur. Norint petere ſalu-
„ tem, ut petenti dediſſe videaris. „ Ibi duo docet Tertullianus: primum pueros, non niſi cum adoleſcunt, baptizandos eſſe; ſecundum, myſterium eis non eſſe credendum, quia terrena ſubſtantia eis non creditur. Ergo &c.

Reſpondeo ad primum diſtinguendo: In adoleſcentia tantum, ex Tertulliano, pueri ſunt baptizandi, ſi non majus bonum in eos ex ſuſceptione Baptiſmi redundaret, concedo: ſi majus inde bonum proveniat, nego antecedens. Bonum illud majus eſt ſecuritas & gratia Sacramenti, quæ illos corroborat adverſus dæmonis nequitias, tum & contra carnis illecebras. Ad ſecundum dico, latum eſſe diſcrimen inter Baptiſmi myſterium, & bona terrena: ideo autem iſta pueris non committuntur, quia ea dilapidarent; ſi autem eis bona ſpiritualia denegentur, æternæ ſalutis amittendæ periculum incurrunt: quod non ſemel probavit experimentum.

Urgent: Parentes non habent poteſtatem filios obligandi ad aliquod onus in iis quæ ſpectant ſalutem: v. g. non poſſunt eos aſtringere ad ſervandam continentiam, aut ad jejunandum, vel etiam ad emmittenda Religionis vota: Igitur pari & conſimili ratione nec eos præſentare ad baptiſmum ſuſcipieudum, anteqnam rationis uſum adepti ſint, ſcilicet ut conſenſum ad hoc præbeant.

Reſpondeo negando conſequentiam: Diſparitas eſt, quod priora illa vota, ſcilicet jejunii, continentiæ, & alia, ſint libera & de conſilio tantum, quare nec inducunt veram obligationem, niſi filiorum conſenſus acceſſerit: ſed Baptiſmi ſuſceptio ſimpliciter eſt ex præcepto divino omnibus ad ſalutem conſequendam neceſſaria.

Inſiſtunt: Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 40. de ſancto Baptiſmate ſic habet, loquendo de pueris: “ De reliquis
„ ita cenſeo, ut triennio expectato, aut
„ aliquanto breviori vel longiori tem-
„ poris ſpatio, nam tum & myſtici quid-
„ dam audire & reſpondere poſſunt, ac ſi
„ minus plene & exacte intelligunt, im-
„ buuntur tamen & informantur; ita de-
„ mum per magni baptiſmi Sacramentum,
„ & animos & corpora ſanctificent. Ete-
„ nim res ita ſe habet: vitæ quidem
„ actionibus referendis tum demum obno-
„ xii eſſe incipiunt, cum & ratio ad ple-
„ num accrevit, & myſterium didice-
„ runt. „ Sed qui dumtaxat baptizandi ſunt, cum quidam myſtici audire & reſpondere poſſunt, eis procul dubio non eſt neceſſarius baptiſmus neceſſitate medii: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Baptiſmus debet procraſtinari pueris, ſi inde incommodum non ſequeretur, concedo: ſi conſequatur, nego majorem: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Equidem ſi certum eſſet pueros uſque

ad

Digitized by Google

ad illud tempus poſſe vivere, quo & myſteria memoriæ valerent retinere, & aliquid myſtici audire ac reſpodere, ſatius profecto foret ad aliquod tempus differe Baptiſma. Sed quot caſu fortuito e vivis eripiuntur? Hinc juvat eos a macula originali purgare. Non diſſentit Gregorius eodem loco; nam propter incommoda cenſet illos eſſe tingendos; ſic enim proſequitur: " At propter inopinatos & repentinos periculorum impetus, quique nulla ope.... auxilio propulſari queant, lavacro communiri omnino conducibilius eſt. ".

Proponuntur & ſolvuntur objectiones Cajetani.

OBJICIT: Tametſi Circumciſio in veteri lege pro maſculis neceſſaria foret ad delētionem peccati originalis, ſi tamen adeſſet periculum ante octavum diem in quo urgebat Circumciſionis præceptum, remedium legis naturæ puero in vitæ diſcrimine conſtituto adhibebatur, videlicet fides per preces parentum manifeſtata; pari igitur & conſimili ratione, immo a fortiori, ait, iſtud remedium valebit pro parvulis in nova Lege, maxime vero cum fides nunc ſit præpollentior, & ſtatus legis reparatæ ſit priore efficacior.

Reſpondeo negando paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quod in veteri lege nemini licitum erat ante octavum diem quemquam circumcidere; ſed baptiſmus infanti etiam unius diei rite conferri poteſt, nec ad preces parentum ſit recurſus, cum lex Baptiſmi reſpiciat perſonam in mundo natam; ex quo ſit neque puerum in utero materno poſſe baptizari infundendo aquam ſuper matrem.

Ad confirmationem diſtinguo: Fides in lege nova eſt præpollentior, quia eſt & magis explicita, & in ſanguine Chriſti effuſo fundata, ſed primitus per Baptiſmum producta, concedo: hinc Baptiſmus à Sanctis Patribus ſacramentum lucis nuncupatur; non conferenda per regenerationis lavacrum, nego: nec inde ſequitur ſtatum præſentem eſſe veteri deteriorem, cum licitum ſit cuilibet baptizare, & aqua pateat omnibus. Et certe facilius eſt aquam infundere ſuper caput pueri, cum intentione generali ſaciendi quod facit Eccleſia, quam preces fundere, & fidem in Chriſtum venturum profiteri.

Inſtat: Si baptiſmus eſſet neceſſarius neceſſitate abſoluta, pueri in utero materno morientes unico ſalutis remedio privarentur, & ſua abſque culpa perirent in æternum; ſed hoc ipſum non eſt bonitati divinæ conſentaneum: Ergo: &c.

Reſpondeo retorquendo argumentum: Preces parentum valere non poſſunt niſi pro pueris in lucem editis, maxime vero cum ſæpius vel ab ipſis parentibus ignoretur num fœtus ſit animatus vel non; ſi animatus eſt, num ſit monſtrum vel homo: ergo ne accuſanda Dei bonitas? abſit vel etiam hoc cogitare.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Puer in æternum periret propter peccatum originale, concedo: ſecluſo omni peccato, nego. Sanctus Auguſtinus paſſim, maxime in libris *De prædeſtinatione Sanctorum*, & *De dono perſeverantiæ*, quod unus puer ante ſuſceptum Baptiſmum, etiam dum ad Eccleſiam defertur, migret e vita, alter vero baptizetur, refundit in profundum Dei judicium; ita quoque Epiſt. 28. ſub finem Tom. 2. antiquæ editionis, his verbis: " Quiſquis dixerit quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apoſtolicam prædeſtinationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio credicur aliter eos in Chriſto vivificari omnino non poſſe. ".

Urget: Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & iſtius voluntatis effectus eſt dare ſalutis media ſufficientia; ſed ſi preces parentum non ſufficiant eo potiſſimum tempore quo puer emoritur, cum feſtinatur ad Eccleſiam, jam non adeſt medium ſufficiens, nec adeſſe poteſt: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Voluntatis divinæ effectus eſt dare omnibus ad ſalutem media ab ipſo Chriſto determinata, concedo: alia gratis conficta, nego. Similiter & diſtinguo minorem: In caſu laudato non erit medium ſufficiens ad nutum hominis, concedo: a Deo ordinatum, nego. Media ſalutis ſunt in duplici differentia; quædam intrinſeca, ut gratiæ actuales pro adultis; quædam extrinſeca, & ſunt præparationes

Q 2 ad

ad Baptiſmum, quas certe ſtatuit miſericors providentia, videlicet ut Baptiſmus fieret in aqua communi, & a quolibet cujuſcumque ſexus vel etiam religionis conferri poſſet, quod certe ad ſalutem ſufficit. Neque vero de periculis reſpondendum eſt; nonne & ipſe adultus quandoque abſque confeſſoris copia, apoplexia correptus moritur? Nemo tamen, præter Heterodoxos, aſſeret illum catholicum non habuiſſe media ſufficientia ad ſalutem; ſinit enim providentia omnes creaturas ſuis ferri ponderibus, nec decet omnem univerſi & cauſarum ſecundarum ordinem præpedire atque ſubvertere, ut remedium ſalutis applicetur.

Perſiſtit: Pueris communicatur culpa originalis, etiam adhuc in utero materno degentibus. Igitur ſaltem ut primum nati ſunt, ſi Baptiſmus eis conferri non poſſit, ſufficiet fides & devotio parentum; quod etiam innuere videtur ſanctus Auguſtinus, dicendo matrem Eccleſiam accommodare & pedes & cor pueris, ut ſalventur; ſicut enim aliena voluntate peccaverunt, etiam, ut diſcurrit idem ſanctus Doctor, aliena voluntate ſalvari debent, quod iſto confirmari poteſt ulteriori argumento: Meritum Chriſti, Adæ demerito efficacius eſt: igitur ſicut & ipſa conceptione infantes ſunt filii iræ, ita & ex hoc momento per fidem & preces parentum ſalvari poſſunt.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ad probationem diſtinguo: Remedium ſalutis prodeſt pueris; ſed aliena voluntate applicatum per Baptiſma, concedo: non applicatum, nego. Baptiſmus eſt ipſum remedium a Chriſto determinatum; verum parentes puerum ad Eccleſiam deferre debent, patrini pro eo reſpondere, immo & vice illius actum fidei in unum Deum, & trinum, deinde & incarnatum elicere. In hoc ſenſu vult Auguſtinus pueros aliena voluntate ſalvari.

Ad confirmationem nego paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quod culpa originalis per ſeminalem propagationem præoccupet hominem, ſed gratia per ſpiritalem regenerationem eumdem ſalvat; hinc ejus efficacia ſimul & abundantia in eo collucet, quod Chriſtus mortuus ſit pro ſingulis hominibus, mortuos exſuſcitet, & immundum conceptum ſemine ſuper nivem dealbare queat; denique quod etiam adverſantibus carne & ſanguine, mundo & dæmone, filios adoptionis procreet, in æternum in gloria regnaturos.

Argumenta ex Orientalibus deſumpta cum reſponſionibus.

OPPONES: Quod eſt de neceſſitate ſalutis, uti tale ab omnibus Eccleſiis tenetur: Sed Orientales non propugnant Baptiſma eſſe neceſſarium ad ſalutem neceſſitate abſoluta: Ergo &c. Probatur minor: Thomas a Jeſu Lib. 7. cap. 51. refert Coptitas Baptiſmum a ſolo Presbytero collatum validum habere, ea cum circumſtantia, ut puer ad Eccleſiam deferatur, & non niſi, quadraginta diebus elapſis, baptizetur, ita ut pueros ante completum iſtum numerum morientes abſque Baptiſmo emori ſinant; quæ quidem conſuetudo maxime in Thebaide viget: Sed ſi Baptiſmum neceſſarium neceſſitate abſoluta eſſe autumarent, citra dubium abſque Baptiſmo multos e vita migrare non conſentirent. Ergo &c.

Reſpondeo primo, vix aliquam fidem hujuſcemodi relationibus adhibendam eſſe, quippe quæ ut plurimum fabuloſæ ſint, cum vel a populo inſcio, vel ab aliis in notitia Ritualium & librorum Eccleſiaſticorum peregrinis accipiantur; ſed judicium ex Synodis, ex confeſſione orthodoxa, & aliis inſtrumentis omni exceptione majoribus deſumendum eſt.

Reſpondeo ſecundo, gravi cum fundamento quemlibet poſſe erroris ſugillare Orientales, quippe qui immani Turcarum dominationi ſubditi, neque conventus inire ad traditionis conſervationem, neque Patriarchas in dubiis conſulere facile queant.

Reſpondeo tertio, controverſiam in objectione propoſitam non eſſe de Baptiſmo, quem ad ſalutem neceſſarium pro aris & focis defendunt Orientales, ſed dumtaxat de Miniſtro; hinc dicimus eos etiam cæcutire, qui ſolos Presbyteros apud Orientales poſſe baptizare affirmant; in hiſtoria quippe Patriarcharum Alexandriæ, & in MS. Armeniæ refertur in vita iſtorum Præſulum per Severum Epiſcopum Aſchoninum mulierem chriſtianam, ingruente tempeſtate, terrore periculi compulſam duos filios projeciſſe in aquas, pronunciando

do formam Baptiſmi, ne abſque ſacro regenerationis lavacro morerentur; deinde vero in dubio, eoſdem S. Petro Martyri præſentaſſe ad Baptiſmum, tunc vero non ſine magno miraculo aquas fontis baptiſmalis de repente gelu conſtrictas apparuiſſe, quod quidem portentum & ad Baptiſmi validitatem a quocumque collatum, & ad abſolutam ejuſdem neceſſitatem aſtruendam nonnulla Canonum collectio refert.

Inſtabis: Damianus de Goes Luſitanus Lib. de moribus Æthiopum aſſerit ſe accepiſſe a Jagazabo Æthiopum Presbytero, pueros in ipſo matris utero ſanctificari, eo ipſo quo mater ſacram ſuſcipiebat Euchariſtiam. Igitur Æthiopes Baptiſmum eſſe neceſſarium abſolute ad ſalutem non autumant.

Reſpondeo, quod etſi iſte abuſus forte in Æthiopia graſſetur, iſtius tamen populi Metropolitanum, Baptiſma abſolute ad ſalutem neceſſarium credere. Revera quidem in vaſtiſſimo illo Imperio viget diſciplina, & floret in Eccleſiis pro ſeptem Sacramentorum doctrina; floret & Conſtitutiones Patriarchales, quæ in collectionibus authenticis factæ ſunt Mandato Regis, cujus nomen Jara-Jacob. Ceterum Eccleſia Æthiopiæ ita dependet a Patriarcha Coptitarum qui ſedet in Alex. urbe; hinc cum aliquis ritus Eccleſiæ Æthiopum adverſatur Eccleſiæ Alexandrinæ, tamquam ſubreptitius atque erroneus habendus eſt: porro non ſemel probatum eſt Eccleſiam Coptitarum Alexandriæ omnimodam Baptiſmi neceſſitatem propugnare.

Urgebis: Wanleb in deſcriptionibus Ægypti enarrat ſe ibi vidiſſe puerum in fontibus baptiſmalibus abſque Baptiſmo ſuffocatum, oleo poſtea unctum fuiſſe, quod Baptiſmi vices ſupplere exiſtimant Coptitæ; & hoc ipſum in collectione quadam Canonum Alexandriæ habetur his verbis: " Si forte contingat Sacerdotem
,, ſinere prolabi infantem, dum illum ba-
,, ptizat, itaut infans præfocetur in
,, aquis, unctionem per modum crucis cum
,, ſancto chriſmate ſuper illum non fa-
,, ciet, neque ſancti corporis & ſanguinis
,, pretioſi communionem illi conferet...
,, eum non ſublevabit, ſed rogabit
,, pro illo ſicut mos eſt orare pro cete-
,, ris fidelibus; parentes pro infante
,, quindecim dierum ſpatio iejunabunt ... ut
,, ſuppleant quidquid perfectionis Bapti-
,, ſmatis pueri deeſt ... ſi puer moritur eo
,, ipſo tempore quo illi adminiſtratur Ba-
,, ptiſmus, Sacerdos ſuper eum faciet un-
,, ctionem cum oleo. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et in hoc caſu ſupponitur Baptiſmus ſecundum ſe collatus concedo: & non ſupponitur ſubdiſtinguo; cum ſua perfectione concedo, abſque ipſo Baptiſmi Sacramento nego. Solebant Coptitæ cum Baptiſmo conferre & Euchariſtiam & Confirmationem. Iſta autem duo Sacramenta juxta multorum Patrum placita Baptiſmi perfectionem & complementum vocantur. Quando vero caſu contingit puerum in aquis ſuffocari dum per immerſionem baptizatur, tunc neque Confirmatio, neque Euchariſtia illi porriguntur, ſed tantummodo unctio verticalis cum oleo Catechumenorum. Quod autem allucinentur ii qui pie credunt Baptiſmum ſuppleri per ſimplicem unctionem, patet ex eo quod preces pro puero fundantur, quia non habuit Baptiſmi perfectionem; ſic enim poſt verba ultima in objectione laudata legitur: " Sacerdos
,, illum non levabit, ſolummodo veſte
,, ordinaria involvet; Pſalmos pro eo re-
,, citabit, ſepelietur, & pro illo fiet offi-
,, cium tertia die, atque Sacrificium in fi-
,, de parentum pro eodem offeretur. „
Probatum eſt demum Orientales Baptiſmum ita ad ſalutem neceſſarium putare, ut eo omiſſo, homines pœnis addici æternis autument.

Ceteras brevitatis cauſa mitto objectiones: ad ulteriorem tamen ſolutionem unum tantummodo obſervandum eſt, videlicet Eccleſias Orientales triplicis generis habere Canonum collectionem. Prima quidem eſt Conciliorum generalium & particularium, altera conventus Eccleſiarum per modum Synodi, quæ quidem fit maxime quando, mortuo Patriarcha, novus eligitur & inauguratur; tunc quippe Epiſcopi adunati novis conſtitutionibus, nævos, ſi qui irrepſerint, reſcindunt, & veritatem reſtaurant; Patriarcha electus ea promittit ſervare ſtatuta: tertia eſt Theologorum. Prior & poſterior plurimum ponderant; ſecus vero tertia, in qua vel deficiente litteratura, vel etiam ex zelo non ſecundum ſcientiam probato, non ſemel emergunt & defectus & abuſus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Baptiſmus eſt neceſſarius ſimpliciter ad ſalutem.

PRIMO QUIDEM lex ab ipſo Chriſto emanata illud ſtatuit, his verbis Joan. 3. *Niſi quis renatus* &c.

Secundo : Patres, in primis Auguſtinus & ſanctus Proſper verba Joannis interpretantur de neceſſitate abſoluta, ſicut Concilium Milevitanum & Tridentinum. Suffragantur Eccleſiæ Orientales, quæ puerum abſque Baptiſmo morientem pœnis affici æternis credunt.

Tertio : Ratio divi Thomæ ea eſt: nemo abſque Chriſti Redemptione ſalvatur; ſed iſta potiſſimum nobis applicatur per Baptiſma, juxta illud Apoſtoli Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

PRIMO QUIDEM, incaſſum noſtræ opponuntur ſententiæ iſta pro Euchariſtiæ ſumptione verba, *Niſi manducaveritis* &c. namque ad ſolos dirigi adultos liquet, ex eo quod Apoſtolus 1. Cor. 11. exigat ut ſumentes Euchariſtiam primitus ante ſumptionem ſe probent; quæ quidem probatio non niſi ætate provectis convenit. Cæcutit quoque Calvinus dicendo parvulos fidelium abſque Baptiſmo eſſe Sanctos; ad ſummum enim hoc ipſum intelligi poteſt de ſanctitate quadam extrinſeca, nuſquam vero de intrinſeca, cum filii iræ naſcamur, & definitum ſit in Conciliis adverſus Pelagianos adunatis, nos omnes a conceptione, macula peccati originalis affici, ad quam delendam requiritur Baptiſmus, & fides in Chriſtum, inquit Hieronymus, Commentario in caput ultimum Matthæi, videlicet vel ore proprio ut in adultis, vel alieno pro infantibus profeſſa.

Secundo, preces parentum & fides non ſufficiunt pro parvulis, cum hoc ſit a Chriſto aliter determinatum, qui quidem eorum ſaluti ſufficienter providit, eo ipſo quo Baptiſmum in aqua communi a quolibet conferri & ſtatuit & permiſit.

Tertio, non audiendi ſunt illi, qui in quibuſdam relationibus referunt Coptitas in ea non eſſe ſententia Baptiſmum eſſe ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium, quippe qui hoc acceperint a Laicis vel aliis qui in doctrina Eccleſiaſtica Eccleſiæ Alexandrinæ ſeſe probant hoſpites, cum Ritualia & Canones univerſim contrarium referant.

DISSER-

DISSERTATIO SECUNDA
DE
ESSENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS UNICUS.

Num Confirmatio ſit Sacramentum ?

HETERODOXI recentiores circa iſtud momentum graviter erraverunt. Lutherus L. de cap. Babyl. iſtud. Sacramentum ut meram Eccleſiæ cæremoniam habet; Philippus Melancton in locis communibus otioſam eſſe aſſerit, Calvinus L. 4. inſt. cap. 24. §. 5. fictitiam proclamare non erubeſcit. Dallæus variis in libris ex numero Sacramentorum eam expungit; ſed contra quod dicitur Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper i.los, & accipiebant Spirǐtum ſanctum.*

Dogma de eſſentia Sacramenti Confirmationis multis argumentis probatur.

PRIMO, ex Scriptura ſacra.
Secundo, ex omni traditionis genere.
Tertio, ex rationibus Theologicis.

CONCLUSIO.

Confirmatio eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum.

Demonſtratur iſto ratiocinio validiſſimis aliis argumentis ſuffulto.

SACRAMENTUM novæ legis eſt ſignum ſenſibile & practicum inviſibilis gratiæ ad noſtram juſtificationem, ſanctitatem & ſalutem inſtitutum: Atqui Confirmatio eſt hujuſmodi ſignum, ſiquidem dat gratiam ad robur, ut quiſque poſſit audacter profiteri fidem coram tyrannis. Ergo &c. Probatur minor variis & irrefragabilibus argumentis.

§. I.

Primum argumentum ex Scriptura ſacra depromitur.

TRIA potiſſimum requiruntur ad eſſentiam Sacramenti. Primo quidem promiſſio gratiæ: Secundo ſignum ſenſibile cum verbo quo applicatur promiſſio. Denique mandatum Chriſti quo præcipitur id ſic fieri. Atqui ex Scriptura ſacra hæc omnia momenta Confirmationi conveniunt. Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem adeſt promiſſio juxta illud Joelis effatum cap. 2. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*; quæ effuſio fit per charitatem, & ipſam Spiritus ſancti inhabitationem, juxta illud divi Pauli Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*

II. Ipſa gratia ad robur confertur; ſic enim legitur Actuum 8. *Cum autem audiſſent Apoſtoli qui erant Jeroſolymis quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Jcannem: Qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu: tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum ſanctum.*

Denique mandatum non deeſt, namque Matthæi 28. Chriſtus ſic loquitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentor, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis, & ecce ego*

vobiſcum ſum omnibus diebus, *uſque conſum-*
mationem ſæculi; quibus verbis, Apoſtoli
juxta Chriſti præceptum Sacramenta ab ipſo
inſtituta miniſtrare debebant.

Eadem veritas Actuum 2. habetur his
verbis: *Cum complerentur dies Pentecoſtes*,
erant omnes pariter in eodem loco, *& fa-*
ctus eſt repente de cœlo ſonus, *tamquam ad-*
venientis Spiritus vehementis .... & repleti
ſunt omnes Spiritu ſancto. Quæ quidem
plenitudo noo ſolum ad gratias gratis datas
extenditur, verum etiam & ad gratiam
gratum facientem, qua fidem conſtao-
ter poſſeot coram tyrannis profiteri jux-
ta illud Actuum 1. *Accipietis virtutem ſu-*
pervenientis Spiritus ſancti in vos, *& eri-*
tis mihi teſtes in Jeruſalem, *& in omni Ju-*
daa & Samaria, *& uſque ad ultimum ter-*
ræ. Et iterum Joannis 14. *Ego rogabo Pa-*
trem & alium Paraclitum dabit vobis ut
maneat vobiſcum in æternum. Sancti Pa-
tres impoſitionem manuum, de qua Actuum
8. de Sacramento Confirmationis interpre-
tantur, ſic intelligit Cyprianus Epiſt.
ad Julianum 73. his verbis de Samarita-
nis loquens: ,, Quoniam legitimum &
,, Eccleſiaſticum Baptiſmum conſecuti
,, fuerunt, baptizari eos ultra non opor-
,, tebat; ſed tantummodo quod deerat, id
,, a Petro & Joanne factum eſt, ut oratio-
,, ne pro iis habita & manu impoſita in-
,, vocaretur & infunderetur ſuper eos Spi-
,, ritus ſanctus, quod nunc quoque apud
,, nos geritur, ut qui in Eccleſia bapti-
,, zantur, per præpoſitos Eccleſiæ afferan-
,, tur, ut per noſtram orationem ac manus
,, impoſitionem Spiritum ſanctum conſe-
,, quantur, & ſignaculo Domioico con-
,, ſummentur. ,,

Sic ſanctus Chryſoſtomus Commenta-
rio in hunc locum: " Virtutem quidem
,, acceperant faciendi ſigna, *ſcilicet Sa-*
,, *maritani baptizati*, non autem dandi
,, aliis Spiritum ſanctum; igitur hoc erat
,, in Apoſtolis ſingulare, unde & præcipuos
,, & non alios videmus hoc facere. ,, Qua
quidem ſententia duo indigitat Chryſoſto-
mus, videlicet & manuum impoſitionem
eſſe Sacramentum, & ab Epiſcopis ſolis ut
a Miniſtris ordinariis conferri. Illud idem
declarat Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decen-
tium Eugubinum Epiſcopum cap. 3.
" Hoc autem, *inquit*, Pontificibus ſolis
,, deberi, ut vel conſignent, vel Paracli-
,, tum Spiritum tradant, non ſolum con-
,, ſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum
,, & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ
,, aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos,
,, qui jam baptizatis traderent Spiritum
,, ſanctum. ,,

Sic Hieronymus dialogo adverſus Luci-
ferianos pag. 50. littera 5. ubi ſic loqui-
tur: " An neſcis etiam Eccleſiarum hunc
,, eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus
,, imponantur, & ita invocetur Spiritus
,, ſanctus? Exigis ubi ſcriptum ſit? In
,, Actibus Apoſtolorum. ,,

Sic Auguſtinus Lib. 15. de Trinitate
cap. 26. " Orabant quippe ut veniret in
, eos quibus manum impooebaot; non
, ipſi eum dabant; quem morem in ſuis
,, Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia. ,,
Rurſus Lib. 3. de Bapt. cap. 16. docet
non ſolum Spiritum ſanctum dari ad ſigna
facienda, verum etiam ad donorum cha-
riſmata recipienda, ut fidem Chriſtiani pro-
pugnarent: " Quis enim, *inquit*, nunc
,, hoc expectat, ut ii quibus manus ad acci-
,, piendum Spiritum ſanctum imponitur, re-
,, pente incipiant linguis loqui? Sed invi-
,, ſibiliter & latenter intelligitur per vin-
,, culum pacis eorum cordibus divina cha-
,, ritas inſpirari, ut poſſint dicere, Quo-
,, niam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus
,, noſtris per Spiritum ſanctum &c. ,,

Quid plura referam? Sic interpretantur
de verbo ad verbum Iſidorus Hiſpalen-
ſis Lib. 2. de officiis cap. 26. Beda in
caput 8. Actuum .. Jeſſe Ambianenſis
Epiſcopus de Baptiſmo, Theodulphus Au-
relianenſis Lib. de ordine Baptiſmi cap.
17. Amalarius Trevirenſis Lib. de officiis
cap. 27. Walafridus Strabo Lib. de rebus
Eccleſiaſticis cap. 26. Concilium Pariſien-
ſe 6. anno 829. congregatum Lib. 1. cap.
27. Jonas Aurelianenſis Lib. 1. de Inſti-
tutione Laicali cap. 7. Auctor libri de
divinis officiis, qui nomine Alcuini circum-
fertur cap. 19. & Honorius Auguſtodunen-
ſis in Gemma animæ cap. 114. Quæ quidem
omnes auctoritates probant non ſolum Con-
firmationem eſſe ſignum practicum gratiæ
roborativæ, verum etiam a Baptiſmo di-
ſtinctum; quandoquidem miſſi ſunt Apoſtoli
in Samariam ut baptizatis novam conferrent
gratiam.

Sol-

Solvuntur objectiones Dallæi contra probationes ex Sriptura ſacra deprompcas.

OBJICIES; & ante ipſum Calvinus, impoſitionem manuum non eſſe quid ſacramentale, ſed tantummodo quamdam cæremoniam qua pueri Chriſto præſentabantur, juxta illud Marc. 10. *Sinite parvulos venire ad me*: Sed oblatio puerorum non eſt Sacramentum: Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem; neque enim Chriſtus Sacramentum Confirmationis contulit pueris, ſed eos tantummodo propter innocentiam ſpeciali cumulavit benedictione. Jam vero idem poſſet dici de pueris, qui Eccleſiæ præſentantur ut ſacro lavacri myſterio initientur. Ceterum ex probationibus liquet impoſitionem manuum fuiſſe quidem cæremoniam, ſed ſpecialem & ſacramentalem, qua confertur Spiritus ſanctus.

Inſtas: Impoſitio manum fuit ſolummodo ad ſanandos ægrotos, juxta illud Chriſti Marc. ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Igitur in caſſum probatur impoſitionem manuum fuiſſe ſacramentalem.

Reſpondeo diſtinguendo: Impoſitio aliqua manuum fuit ad ſanandos ægrotos, concedo: quæcumque manuum impoſitio, nego. Non una eſt manuum impoſitio, quædam eſt ad ſanandos ægrotos, ut allatum probat teſtimonium; quædam ad conſecrandos Sacerdotes, juxta illud ſancti Pauli ad Timotheum 1. cap. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt: quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*; quædam ad reconciliationem Hæreticorum; quæque celebratur in Concilio Nicæno Canone 8. quo quidem præcipitur Novatianos cum ſola manuum impoſitione excipi, nihil ultra ab eis expoſtulando: quarta denique eſt confirmatoria juxta illud Actuum 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*; videlicet ad robur: jamjam enim Samaritani a Philippo ſanctum ſuſceperant Baptiſmum, ſed non ſecundum eam plenitudinem quæ requiritur ad robur, quæque ab ipſo Chriſto ſubnotatur his verbis Actuum 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*; hoſt eſt etiam terrente mundo, ſæviente diabolo, meam propugnabitis religionem.

Urget: Jam ceſſavit illa cæremonia impoſitionis manuum, & loco illius inunguntur vel oleo, vel etiam chriſmate Fideles: ſed ſi impoſitio manuum eſſet ſacramentalis, nuſquam fuiſſet reſciſſa: Ergo &c.

Reſpondeo primo, etiam præoccupando quæ dicenda ſunt de Confirmationis materia, impoſitionem manuum non fuiſſe abrogatam; bis enim, inquit Bellarminius, Lib. 2. de Sacramento Confirmationis, cap. 2. Epiſcopus manus imponit confirmandis, ut ex Pontificali Romano patet, quippe qui primo ſuper eos manus extendat, atque oret, deinde eos ſignat in fronte, & poſtea ungit; porro ipſa unctio & ſignatio, eatenus manuum impoſitio vocantur, quatenus utrumque fit manu; ita Hugo Lib. 2. de Sacramentis parte 7. cap. 2.

Reſpondeo ſecundo, Eccleſiam accepiſſe a Chriſto poteſtatem determinandi Sacramentorum materiam in individuo, quocirca ſancto ducta Spiritu impoſitioni manuum addi voluit Unctionem ſeu Chriſmationem, ad majorem plenitudinis Spiritus ſancti explicationem; nulli igitur mirum videri debet, ſi ab undecim circiter ſæculis manus impoſitio cum chriſmatione a Latinis conjungatur.

Audiendi ſunt de illo Patres, qui utrumque conciliant. Primus occurrit Beda Tomo 5. in caput 22. Lucæ pag. 411. qui ad hæc Evangelii verba: *Et egreſſus ibat &c.* ſic habet: "In montem Olivarum diſcipulos educit, ut omnes in morte ſua baptizatos altiſſimo ſancti Spiritus chriſmate confirmandos eſſe deſignet." Quibus verbis Anglos Proteſtantes confodit Doctor Anglus.

Amalarius Lib. 1. de officiis cap. 27. ait: "Ut ab Epiſcopis ſolis inungatur per manus impoſitionem, ab Apoſtolis aſſumptus eſt &c."

Eumdem tenet ſermonem Rabanus Maurus Lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 28. "Epiſcopus, *inquit*, baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate conſignat."

Subſcribit Ratramnus Corbejenſis Lib. 4. contra Græcorum oppoſita cap. 7. ubi ſic ait: "Manus imponentibus ſuper eos Apoſtolis, acceperunt Spiritum ſanctum .... Quod tunc fit, quando fron-

„ frontes baptizatorum, chriſmate ſancto „ liniuntur. „

Suffragatur Yvo Carnotenſis ſermone de convenientia veteris & novi Teſtamenti, his verbis: “ Per manus impoſitionem, „ ſacro chriſmate confirmantur. „

Auctor vitæ S. Anſelmi, idem dicit: Idem Hugo a ſancto Victore Lib. 2. de Sacramentis parte 15. cap. 1. Idem Innocentius III. extra, de conſuetudine, cap. *quanto*; ubi ſic definit ſummus Pontifex: “ Sacramentum Confirmationis chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per „ manus impoſitionem conferre. „ Rurſus extra, *de ſacra Unctione*: “ Per frontis „ chriſmationem, manus impoſitio deſignatur. „ Non omittendus eſt Michael Palæologus Græcorum Imperator, qui in fidei profeſſione quam ei ſedis Apoſtolicæ Nuntii ſubſcribendam obtulerant, ſic habet: “ Sacramentum Confirmationis per „ manus impoſitionem Epiſcopi conferunt „ chriſmando renatos. „

Neque vero audiendus eſt Dallæus, dum impoſitionem manuum ſterilem eſſe cæremoniam effutire non dubitat, eo quod chriſmatio quæ nunc eſt in uſu, nuſquam in Scripturis annuntietur, cum tamen non deſint Theologi propugnantes eam eſſe eſſentialem. Dictum eſt enim impoſitionem manuum utique eſſe; ſed ad majorem expreſſionem additam fuiſſe chriſmationem, auctoritate & Chriſti & Eccleſiæ. Dico Chriſti, cum Matthæi ultimo præceperit Apoſtolis cuncta obſervare quæ illis mandaverat.

Inſtat: Atqui impoſitio manuum nuſquam poteſt dici confirmativa: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Hujuſmodi impoſitio tantummodo fuit inſtituta pro gratiis gratis datis, videlicet pro ſignis & miraculis ad confirmationem fidei operandam: ſic enim habetur Actuum 19. *Baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, & cum impoſuiſſet illis manum Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant.* Quæ quidem verba idem prorſus ſignificant, ac iſta, Actuum, 8. *Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem . . . . . Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Iſtarum enim vocum ſunt interpretationes. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Impoſito manuum erat ad gratias gratis datas ſecundario & tranſitorie, & hoc ſenſibiliter, concedo: primario, & permanenter ſimul & inviſibiliter, nego. Spiritus ſanctus duplici confertur modo, primo quidem per inhabitationem inviſibilem, adeoque & permanenter, deinde vero ſecundario & tranſitorie ad viſibilem fidei probationem, quod fit per quoſdam effectus miraculoſos. Priori modo datur per impoſitionem manuum; quandoque ſimul & per effectus ſenſibiles, juxta illud Marci ultimo. *Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur . . . ſuper ægros manus imponent . . . & bene habebunt.* Nonnumquam etiam peccatores ad terrorem, viſibilibus pœnis puniebantur, ut habetur Actuum 5. de Anania & Saphira, ſimiliter & de Elyma Mago Actuum 13. & hoc primo inchoante ſæculo ad promptam Evangelii propagationem, quæ quidem ſigna ut primum fides diffuſa & firmata eſt, ceſſarunt. Ergone defecit Spiritus ſancti effuſio ad robur? Ergone peccata manent impunita? Abſit alterutrum aſſerere: primum quidem, cum Spiritus ſanctus ad hæc uſque tempora mittatur ad fideles, juxta Chriſti promiſſionem Joannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Quibus verbis liquet Spiritum ſanctum dari non ſolum quoad gratias gratis datas, ſed maxime quoad gratiam gratum facientem, & per mirabilem ſui in anima inhabitationem, & hoc permanenter, ſed non ſemper mediis ſignis ſenſibilibus, ut dicit Apoſtolus 1. Corinthiorum 12. *Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes linguis loquuntur?* Iamvero tametſi peccata non ſemper puniantur ſenſibiliter, ſemper tamen inviſibiliter, cum prævaricator & gratia privetur, & Dei evadat inimicus, in æternum, niſi Penitentiam egerit cruciandus.

Solutio eſt divi Auguſtini, qui Tractatu 6. in Joannem ait: “ Duobus modis eum „ oſtendit viſibiliter; per columbam & „ per ignem: Per columbam ſuper Dominium baptizatum, per ignem ſuper „ diſcipulos congregatos. „ Rurſus Tractatu 93. de S. Petro ſic loquitur: Cum vero accepit donum Spiritus ſancti, „ quem negaverat, prædicavit, & quem „ con-

Digitized by Google

„ confiteri timuerat, non timuit profi- „ teri. „ Quibus verbis liquido docet Auguſtinus, Spiritum ſanctum dari quoad fervorem & robur, qua quidem gratia adjuvante, & providentia Dei ſpeciali regente, Apoſtoli in charitate, donec ultimum clauderent diem, permanſerunt. Gregorius Magnus ſermone in Evangelia idem profert ac ſanctus Auguſtinus.

Rurſus iſte ſanctus Doctor Lib. 3. de Bapt. cap. 16. myſterium explicat his verbis: “ Neque enim temporalibus & ſen- „ ſibilibus miraculis atteſtantibus per ma- „ nus impoſitionem, modo datur Spiri- „ tus ſanctus, ſicut antea dabatur ad com- „ mendationem rudis fidei, & Eccleſiæ „ primordia dilatanda. Quis enim nunc „ hoc expectat, ut ii, quibus manus ad „ accipiendum Spiritum ſanctum imponi- „ tur, repente incipiant linguis loqui. „ Sed inviſibiliter & latenter intelligitur „ per vinculum pacis eorum cordibus di- „ vina charitas inſpirari. „

Perſiſtis: In Baptiſmo datur Spiritus ſanctus etiam ad robur, videlicet per gratiam ſanctificantem, quæ omnium charismatum miram affert ſupellectilem: Igitur non per impoſitionem manuum, ſed per Baptiſmum datur Spiritus ſanctus.

Reſpondeo primo retorquendo argumentum: Apoſtoli in die Pentecoſtes ſanctum accepere Spiritum, quem tamen antea habebant, cum eſſent & juſti, quippe qui & jamjam baptizati, & divina Euchariſtia ſaginati fuerant: reliquum eſt igitur ut novum gratiæ gradum ex ſtrictiori & abundantiori cum ſancto Spiritu unione, tunc temporis acceperint. Immo juxta Proteſtantium opinionem gratia datur in Baptiſmo, datur & Spiritus ſanctus: Ergone non in Euchariſtia quam ut Sacramentum habent? Abſit. Igitur, etiam ipſis non diffitentibus, non implicat plura Sacramenta diverſam in gradu gratiam conferre.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Spiritus ſanctus datur in Baptiſmo ad ſanctificationem, concedo: ad robur ſubdiſtinguo: ſecundum quid, concedo: ſimpliciter, nego. Neque vero diffitemur quodlibet Sacramentum eſſe conſequenter utique ad robur, cum quælibet gratia nos Deo conjungat, in qua quidem conjunctione ſita eſt animæ fortitudo; ſed ſpecialiter datur in Confirmatione ad propellendos fidei hoſtes.

Auctor antiquus homiliæ de Pentecoſte, quæ ſub Euſebii Emiſſeni nomine circumfertur, ſive ſit ille Euſebius Lugdunenſis, ſive Hilarius Arelatenſis, hanc ſibi proponit difficultatem, his verbis: “ Quid „ mihi prodeſt poſt myſterium Baptiſmatis „ miniſterium Confirmantis? aut quantum „ video non totum de fonte ſuſcepimus, „ ſi poſt fontem, adjectione novi generis „ indigemus? „ Dallæus hæc ſubjicit verba, ut exſufflet Confirmationis Sacramentum: “ Qui *inquit*, in Baptiſmo to- „ tum ſanctum ſuſcepimus? „ Verum non advertit juxta mentem auctoris hominem in Baptiſmo totum quidem ſanctum Spiritum recipere totalitate ſubſtantiali, immo etiam totalitate gratiæ entitativæ, cum ad gratiam ſanctificantem cuncta conſequantur dona, ſicut proprietates ad eſſentiam, ſed non totalitate intenſiva & extenſiva, ſive etiam effectiſta, hoc eſt ad omnem effectum. Sic pergit auctor, ut cuncta reſolvat: “ Non ita „ eſt, *ait*, *poſt verba laudata*, dilectiſſi- „ mi, attendat charitas veſtra; ſic enim „ exigit militaris Ordo, ut cum Impe- „ rator quemcumque in militum recepe- „ rit numerum, non ſolum ſignet rece- „ ptum, ſed etiam armis competentibus „ inſtruat pugnaturum; ita in baptizato „ benedictio illa munitio eſt; dediſti mi- „ litem, da ei adjumenta militiæ .... „ Ergo Spiritus ſanctus qui ſuper aquas „ Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, „ in fonte plenitudinem tribuit ad inno- „ centiam, in Confirmatione augmentum „ præſtat ad gratiam.

Sanctus Chryſoſtomus Hom. 18. in Acta de iſto capite ſic loquitur: “ Quomodo „ Spiritum ſanctum illi non receperant? „ Spiritum acceperant remiſſionis, Spi- „ ritum autem ſignorum non receperant. Quibus verbis ſecernit ſanctus Doctor gratiam baptiſmalem a gratia confirmativa, quæ ita abundans erat, ut quandoque etiam in ſignis appareret; quæ quidem plenitudo in verſione græca exprimitur per verbum irruere, illabi, & incidere.

Replicas: Manus impoſitio quæ dicitur confirmativa, etiam eſt aliis Sacramentis communis: Igitur abſque fundamento ſpecialis Sacramenti nomine inſignitur; tum quia Eugenius IV. in Decreto de inſtructione Armenorum ait: “ Loco au- „ tem illius manus impoſitionis datur in „ Ec-

Digitized by Google

„ Eccleſia Confirmatio . „ Ex qua concludit Dallæus Confirmationem eſſe inventum humanum . Præterea Concilium Moguntinum habitum anno 1558. loquens de Sacramento Confirmationis hęc habet : „ Poſtea cum jam ſtabilita fides & dilatata Eccleſia , ut cumulatius eſſet fidei meritum , viſibilia ſigna apparere „ ceſſarunt , mox in loco viſibilis ſigni „ Unctio chriſmatis ſucceſſit . „ Ergo &c.

Reſpondeo : nos hic non movere quæſtionem de materia Confirmationis , ſed impræſentiarum id unum dicimus , ſcilicet Eugenium IV. agnoviſſe Confirmationem pro Sacramento ; illud patet ex Decreto in quo inter ſeptem Sacramenta enumerat Confirmationem . Similiter Concilium Moguntinum , quod & fuſe probat auctoritate Patrum ibidem .

§. II.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex omni traditionis genere .

ILLUD pro Sacramento novæ legis haberi debet , quod uti tale agnoſcit omnis traditio : Atqui ex omni traditione liquet Confirmationem eſſe Sacramentum proprie dictum : Ergo &c. Probatur minor ex variis traditionibus omni acceptione dignis.

Primo , ex Traditione Eccleſiæ Romanæ .

PRIMUS occurrit nobis Tertullianus L. de Bapt. c. 7. qui ſic loquitur : “ Exin„ de egreſſi de lavacro , perungimur be„ nedicta unctione ..... Dehinc manus „ imponitur , per benedictionem advocans „ & invitans Spiritum ſanctum .... Tunc „ ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata & benedicta corpora libens a Patre deſcendit ſuper Baptiſmi aquas , tamquam „ priſtinam ſedem recognoſcens conquiecit , columbæ figura delapſus in Dominum ...... Quemadmodum enim poſt „ aquas diluvii , quibus iniquitas antiqua „ purgata eſt , poſt Baptiſmum , ut ita dixerim , mundi , pacem cœleſtis iræ „ præco , columba terris annuntiavit de„ miſſa ex arca & cum olea reverſa : „ quod ſignum etiam apud nationes paci „ prætenditur ; eadem diſpoſitione ſpiri„ talis effectus , terræ , id eſt , carni noſtræ , emergenti de lavacro poſt vetera „ delicta , columba ſancti Spiritus advo„ lat , pacem Dei adferens , emiſſa de „ cœlis , ubi Eccleſia eſt arca figurata . „

Cyprianus ejuſdem tertii ſæculi Pater Epiſt. 70. ad Januarium ait : “ Ungi quo„ que neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit „ ut accepto chriſmate , id eſt unctione , „ eſſe unctus Dei & habere in ſe gra„ tiam Chriſti poſſit . „

Optatus Milevitanus, qui 4. vixit ſæculo Lib. 4. pag. 94. adverſus Parmenianum ſic loquitur : “ Deſcendit , ſcilicet Chri„ ſtus , in aquam , non quia erat quod in „ Deo mundaretur , ſed venturum oleum „ aqua debet antecedere .... Unde cœpit „ dici Chriſtus , quando unctus eſt a Deo „ Patre ; cui ne manus impoſitio deſuiſſe „ videretur , vox audita eſt Dei de nube „ dicentis : Hic eſt filius meus . „ Jamvero nomine olei venturi intelligit Confirmationem fuiſſe unctione Chriſti ſubſtantiali præfiguratam : ſic enim Lib. 7. ſeſe explicat pag. 13. novæ editionis : „ Oleum enim ſimplex eſt , & nomen „ ſuum unum & proprium habet , confe„ ctum jam chriſma vocatur , in quo eſt „ ſuavitas quæ cutem conſcientiæ mollit „ excluſa duritie peccatorum ; quæ ani„ mum innovat levem , quæ ſedem Spi„ ritui ſancto parat . „ Veſtigiis Patrum III. ſæculi ipſe adhæret , maxime Cypriani & Firmiliani . Iſte autem ſcribens ad Cyprianum Epiſt. 77. inter Cyprianæas ait : “ Quando omnis poteſtas a gratia in Eccle„ ſia conſtituta ſit , ubi præſident majores „ natu , qui & baptizandi & manum impo„ nendi & ordinandi poſſident poteſtatem . „

Subſcribunt 5. ſæculi SS. Doctores . Pacianus Barcinonenſis ſermone ad Catechumenos de Baptiſmo ſic effatur : “ Quot„ quot eum receperunt , dedit eis pote„ ſtatem Filios Dei fieri ; hæc autem com„ pleri alias nequeunt niſi lavacri , & „ chriſmatis , & Antiſtitis Sacramento ; „ lavacro enim peccata purgantur , chri„ ſmate Spiritus ſanctus ſuperfunditur , utra„ que iſta , manu & ore Antiſtitis impe„ tramus .

Ambroſius Lib. 2. de Sacramentis cap. 7. ſic habet : “ Ergo merſiſti , veniſti ad „ Sacerdotem ; quid tibi dixit ? Deus , in„ quit , Pater omnipotens qui te regene„ ravit ex aqua & Spiritu ſancto , conceſſit-

que

que tibi peccata tua, ipſe te ungat in vi-
,, tam æternam. ,, Rurſus Lib. 3. cap.
,, 2. " Sequitur ſpiritale ſignaculum,
,, quod audiſtis hodie legi; quia poſt fon-
,, tem ſupereſt ut perfectio fiat, quando
,, ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſan-
,, ctus infunditur &c. ,,

Hieronymus ejuſdem traditionis teſtis eſt, nam dialogo adverſus Luciferianos; Heterodoxus Hieronymum ſic alloquitur pag.
50. " An neſcis Eccleſiarum hunc eſſe
,, morem, ut baptizatis poſtea manus
,, imponantur, & ita invocetur Spiritus
,, ſanctus. Exigis ubi ſcriptum ſit?
,, In Actibus Apoſtolorum. ,, Cui ſic
reſpondet Hieronymus: " Non quidam
,, abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetu-
,, dinem, ut ad eos qui longe in mino-
,, ribus urbibus per Presbyteros & Dia-
,, conos baptizati ſunt, Epiſcopus ad in-
,, vocationem ſancti Spiritus manum im-
,, poſiturus excurrat. ,,

Sanctus Auguſtinus hujuſce dogmatis acerrimus eſt propugnator. Etenim Lib.
15. de Trinitate c. 26. ſic ait: " Neque
,, enim aliquis diſcipulorum ejus dedit
,, Spiritum ſanctum; orabant quippe ut
,, venirent in eos quibus manus impone-
,, bant, non ipſi eum dabant, quem mo-
,, rem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſer-
,, vat Eccleſia. ,,

Idem in Epiſt. ad Romanos verſus finem explanans illud Hebræorum 6. *Non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*, ſic habet: " Iſta omnia in Baptiſmo tra-
,, duntur quæ negat eſſe repetenda, uti-
,, que in conſecrandis fidelibus. Nam
,, in verbi Dei tractatione atque doctri-
,, na, non iterum tantum, ſed ſæpius
,, dicenda ſunt, ſicut rerum de quibus
,, diſſeritur opportunitas flagitat. ,, Vides impoſitionem manuum iterari non poſſe, ſicut Baptiſmus non iteratur, & quod ea in conſecrandis fidelibus adhibeatur.

Hilarius Arelatenſis, qui ſuſcripſit Concilio Arauſicano I. anno 442. Hom. de Pentecoſte, quæ vulgo ſub nomine Euſebii Emiſſeni cum ceteris laudari ſolet, ſic prædicat: " Quod nunc in confirmandis
,, Neophytis manus impoſitio tribuit ſin-
,, gulis, hoc tunc Spiritus ſancti deſcenſio
,, in credentium populos donavit univer-
,, ſis, ſed quia diximus quod manus im-
,, poſitio & Confirmatio ei qui jam re-
,, natus, qui jam regeneratus in Chriſto
,, eſt, conferre aliquid poſſit &c. ,,

Remigius ex VI. Sæculo Pater eamdem celebrat doctrinam in teſtamento ſuo, quod extat apud Flodoardum Lib. 1. cap.
18. ubi ſic ait: " Generi tantum regio
,, quod ad honorem ſanctæ Eccleſiæ ad
,, defenſionem pauperum, una cum fra-
,, tribus meis & Coepiſcopis omnibus
,, Germaniæ, Galliæ, atque Neuſtriæ in
,, Regiæ Majeſtatis culmen perpetuo re-
,, gnaturum ſtatuens elegi, baptizari a
,, fonte ſacro ſuſcepi, donoque ſeptifor-
,, mis Spiritus conſignari.

Gregorius Turonenſis ſuffragatur Lib. 2. Hiſtoriæ Francorum, qui 31. de Baptiſmo Clodovæi ſic loquitur: " Igitur Rex om-
,, nipotentem Deum in Trinitate confeſſus,
,, baptizatus eſt in nomine Patris & Filii
,, & Spiritus ſancti, delibutuſque ſacro
,, chriſmate cum ſignaculo crucis Chri-
,, ſti. ,,

Non prætereundus eſt Iſidorus Hiſpalenſis, qui VII. Sæculo florebat: libro autem de officiis cap. 26. ſic fatur: " Poſt
,, Baptiſmum per Epiſcopos datur Spiri-
,, tus ſanctus, cum manuum impoſitio-
,, ne. ,, Idem expreſſe docet Lib. 6. originum cap. ultimo.

Succinunt ſequentium Sæculorum Patres, ſcilicet venerabilis Beda ex VIII. Sæculo, in Pſalmum 27. Jeſſe Ambianenſis Epiſt. de Baptiſmo; Laudulphus Aurelianenſis Lib. de ordine Baptiſmi cap. 16. Magnus Senonenſis in Epiſtola enclytica Epiſcoporum ſuæ Provinciæ ad Carolum Magnum directa; Amalarius, Fortunatus Trevirenſis Lib. 1. de officiis cap. 27. . . . Ex IX. Sæculo Rabanus Maurus Moguntinus Lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 24. 25. & 29. Heraldus Turonenſis in Synodo quam coegit anno 858. cap. 75. Ratramnus Corbejenſis Monachus Lib. 4. contra Græcorum oppoſita cap. 7. Jonas Aurelianenſis Lib. de inſtitutione Laicali cap. 7. Auctor libri de divinis officiis cap. 19. Alcuinus Epiſt. ad Oderinum Presbyterum. Ex XI. Sæculo Lanfrancus Cantuarienſis explicans cap. 6. Epiſt. ad Hebræos, & in idem caput Anſelmus Cantuarienſis: Denique Petrus Damianus ſermone 1. in dedicatione Eccleſiæ; Ivo Carnotenſis ſer-

Digitized by Google

ſermone 1. qui eſt de Sacramentis Neophytorum ; Gofridus Vindocinenſis opuſculo 8. & 9. Honorius Auguſtodunenſis Lib. 3. operis quod inſcribitur , *Gemma animæ* , cap. 114. Rupertus Lib. 3. de operibus Spiritus ſancti cap. 10. Hugo a ſancto Victore Lib. 1. de Sacramentis cap. 12. Petrus Lombardus Lib. 4. Sententiarum diſtinctione 7. Agmen claudent omnes Theologi , in primis S. Thomas Doctor Angelicus , de quo infra .

Proponuntur difficultates , & earumdem ſolutiones afferuntur .

Primo , ex Tertulliano .

OBJICIT Dallæus de balſamo quo Eccleſia Latina utitur , nullam fieri a Tertulliano mentionem : Igitur nullus Confirmationem ut Sacramentum ventilare debet .

Reſpondeo primo , aliud eſſe quærere de re aliqua , an ſit Sacramentum , & aliud , quæ ſit ejus materia , quæ forma , quis effectus , quis Miniſter , & quod ejus ſubjectum ? Porro conſtat apud Theologos impoſitionem manuum , aut unctionem , aut utrumque ſimul eſſe materiam Confirmationis , tametſi non conveniant inter ſe , an ſola manuum impoſitio , vel ſola unctio , vel utraque ſimul ſint materia eſſentialis illius .

Reſpondeo ſecundo opponendo Tertullianum Tertulliano , qui Lib. de reſurrectione carnis cap. 8. ſic habet : " Caro ,, abluitur , ut anima emaculetur , caro ,, ungitur , ut anima conſecretur ; caro ,, ſignatur , ut anima muniatur ; caro ma- ,, nus impoſitione adumbratur , ut & ani- ,, ma Spiritu illuminetur . ,,

Reſpondeo tertio , non eſſe certum balſamum eſſe de neceſſitate Sacramenti : quidquid ſit , Tertullianus unctionem quam ventilat , illud non excludit . Unum eſt extra controverſiam , videlicet unctionem ex oleo eſſe neceſſariam ; eam autem admittit Tertullianus ; tempore tamen Apoſtolorum ſufficiebat manus impoſitio , ut graviſſimi auctores autumant .

Inſtat : Tertullianus cap. 7. de Baptiſmo affirmat unctionem eſſe de priſtina diſciplina ; ſic enim loquitur : " Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta ,, unctione de priſtina diſciplina , qua un- ,, gi oleo de cornu in Sacerdotium ſole- ,, bant , ex quo Aaron a Moyſe unctus ,, eſt . ,, Sed quod eſt ex priſtina diſciplina , & uſurpatum fuit in lege veteri non poteſt conficere Sacramentum . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Unctio chriſmativa eſt de veteri diſciplina , id eſt , figurata fuit in veteri lege , concedo ; id eſt , adhibebatur eodem modo , eodem ritu , & eodem fine quo in nova lege , nego . Porro noſtra Sacramenta adumbrata fuerunt in antiquo fœdere , ſcilicet Baptiſmus per aquas diluvii ; Confirmatio vero , juxta Tertullianum , per unctionem ſacerdotalem , & hoc in ſenſu unctio Confirmatoria dicitur eſſe de diſciplina priſtina : Ita vel ipſe Tertullianus , qui ibidem utramque commemorat figuram , his verbis , ſcilicet pag. 259. capitis ſeptimi : " Tunc ,, ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emunda- ,, ta & benedicta corpora libens a Pa- ,, tre deſcendit ; ſuper Baptiſmi aquas ,, tamquam priſtinam ſedem recognoſcens ,, conquieſcit , columbæ figura delapſus ,, in Dominum . ,, Tum poſtquam ſubnotavit aquas diluvii eſſe typum Baptiſmi , ſic habet : " Quod ſignum etiam ,, apud nationes paci prætenditur . Ea- ,, dem diſpoſitione ſpiritalis effectus ter- ,, ræ , id eſt , carni noſtræ emergenti de ,, lavacro poſt vetera delicta , Columba ,, ſancti Spiritus advolat , pacem Dei ad- ,, ferens . ,,

Urget Dallæus : Unctio quæ fit in Confirmatione eſt corporalis , ſed vetus unctio fuit dumtaxat figura noſtræ ſpiritualis unctionis . Igitur non cenſet Tertullianus Confirmationem fuiſſe figuratam in veteri Teſtamento . Præterea , ſi aliqua eſt , inquit Heterodoxus , noſtra corporalis unctio , non eſt Sacramentalis : eadem quippe eſt ac veteris Teſtamenti unctio . Probat minorem : noſtram unctionem affirmat Tertullianus eſſe de priſtina diſciplina , a qua eam deſumpſit Eccleſia , ceterum Unctio Moſaica non poteſt eſſe figura noſtræ confirmatoriæ ; illa enim ungebantur in Sacerdotium , hac vero in milites inungi dicimur . Ergo &c.

Reſpondeo , nego minorem : Unctio etenim vetus æque poteſt eſſe figura noſtræ unctioni corporeæ ac veteres ablutiones corporeæ , quæ juxta Tertullianum fuerunt figuræ noſtri Baptiſmi : ad ſecundum , nego antecedens : ad probationem diſtinguo :

guo : Eadem eſt materialiter, concedo; eadem eſt formaliter, & quoad effectum, nego. Jam vero non a materia Sacramenta denominantur, ſed a forma & effectu. Solutio eſt Tertulliani ipſius ; ſic enim ibidem loquitur : " Figura iſta medici- „ næ corporalis ſpiritalem medicinam ca- „ nebat. „ Et paulo poſt : " Sic & in „ nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpi- „ ritaliter proficit : quomodo & ipſius „ Baptiſmi carnalis actus, quia in aqua „ mergimur, ſpiritalis effectus, quia de- „ lictis. „

Ad ultimum reſpondeo, diſtinguendo : Unctio Moſaica pertinebat ad Sacerdotium, & erat ſimul figura unctionis confirmatoriæ, concedo; & non erat, nego: Porro per Confirmationem Chriſtiani & Sacerdotes, & milites evadunt; Sacerdotes quidem ſpirituali modo, in quantum fidei perfectionem conſequuntur ; prius enim conſtituti in infantia Chriſtiana per Baptiſmum, milites Chriſti ad fidem defendendam contra impugnantes conſtituuntur.

Perſiſtit : Juxta Tertullianum, manus impoſitio conſequitur unctionem ; ſed in Eccleſia Romana nulla eſt manus impoſitio : Igitur unctio de qua loquitur Tertullianus differt a noſtra : Et probatur. Tempore illius Doctoris ſtatim poſt Baptiſmum ungebantur pueri, eiſque Epiſcopus manus imponebat: nunc vero non confirmantur niſi poſtquam attigere ætatis annum decimum vel circa. Ergo &c.

Reſpondeo ad primum, etiam in Eccleſia Romana confirmandis manus imponi: Igitur noſtra Confirmatio eadem eſt ac Tertullianæa. Ad ſecundum dico, diſcrimen eſſe accidentale dumtaxat, & illud ad meram pertinere diſciplinam : quod enim nunc pueri non confirmentur ſtatim ac baptizantur, illud non probat Confirmationem non eſſe Sacramentum. Quid plura adjiciam ? Euchariſtia prioribus Eccleſiæ ſæculis, ſimul cum Baptiſmo conferebatur infanti : quis inde concludet Euchariſtiam non fuiſſe diſtinctum a Baptiſmo Sacramentum ?

Inſtat : Ex Tertulliano unctio & manuum impoſitio pertinent ad Baptiſmum : Igitur ſpeciale non conſtituunt Sacramentum. Probatur multis momentis : Primo, quia ex Tertulliano hujuſmodi unctio ſiebat ut primum baptizatus e fonte fuerat egreſſus. II. Inſcriptio libri eſt tantum de Baptiſmo. III. Cap. 10. ſuum opus concludit Tertullianus his verbis : " Dixi- „ mus quantum mediocritati noſtræ licuit „ de univerſis quæ Baptiſmi religionem „ inſtruunt. „ Igitur Tertullianus loquens de unctione & impoſitione manuum, non eam habet veluti ſpeciale Sacramentum, ſed ut merum Baptiſmi complementum.

Reſpondeo primo, ex dictis patere Tertullianum loqui de Baptiſmo & Confirmatione tamquam de duobus Sacramentis a ſe invicem diſtinctis : quod iterum liquet ex Lib. 1. pag. 440. contra Marcionem cap. 14. ubi hæc habet loquens de Deo quem Marcion agnoverat: " Ille quidem „ uſque nunc neque aquam reprobavit „ Creatoris, qua ſuos abluit ; nec oleum „ quo ſuos ungit, nec mellis & lactis „ ſocietatem, qua ſuos infantat; nec pa- „ nem quo ipſum corpus ſuum repræſen- „ tat. „ Eo loci dubio procul tria Sacramenta a ſe invicem diſtincta agnoſcit, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam; nemo quippe cordatus dixerit Euchariſtiam non eſſe a Baptiſmo diſtinctam ; porro Tertullianus eodem modo loquitur de Confirmatione ſeu de oleo, quo ſuos ungit Deus, ſicut de Euchariſtia, & ſic eam ab oleo baptiſmali diſtinguit.

Reſpondeo jam in forma, negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo : Unctio ſit quando Baptiſmus eſt completus in ſe, concedo : hoc ipſum denotant verba Tertulliani cap. 7. " Exinde „ egreſſi de lavacro perungimur. „ Quis autem negabit Sacramentum fieri & eſſe, cum aliquis ex aqua egreditur, cum immergendo puerum in aquam pronuntietur forma ? Unctio ſit quando Baptiſmus non eſt completus, ſubdiſtinguo : verticalis, concedo; confirmatoria, nego.

Ad ſecundam probationem ſimiliter diſtinguo : Tertullianus ſuum inſcribit librum de Baptiſmo, eo quod principaliter de Baptiſmo ibi tractet, & non niſi tranſitorie de Confirmatione, concedo. Ita ut nullo modo agat de Confirmatione, nego.

Quia vero Confirmatio & Euchariſtia eodem tempore quo Baptiſmus conferebantur, neceſſe fuit aliquid de illis Sacramentis delibare; namque Baptiſmi appendix ſeu complementum vocabantur, eo quod baptizatum perficerent. Quocirca Tertullianus cap. 10. ait : " Diximus quan-

„ quantum mediocritati noſtræ licuit, „ de univerſis, quæ Baptiſmi religionem „ inſtruunt. „ Et ſic patet ſolutio ad tertium.

Perſiſtit: Tertullianus olei unctionem præmittit guſtationi mellis & lactis; ſed neque mel, neque lac ſunt Sacramentum: Igitur nec unctio.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ibi agit de figuris, concedo: de Sacramentis, ſubdiſtinguo: tranſitorie & ſecundum quid, concedo: ex profeſſo, nego. Eo loci perſtringit Tertullianus Marcionem, qui negabat creaturas corporales eſſe a Deo, & ibi argumentatur ad hominem, dicendo Marcioni: Tuus Deus nec aquam reprobavit creatoris &c. Igitur non mirum ſi Doctor ille non ſervaverit dicendorum pro Sacramentis ordinem, cum hoc ipſum non exigeret ſcopus ab ipſo intentus.

Inſiſtit: Ritus qui a ſimplici Sacerdote confertur non eſt confirmatorius: atqui ex Tertulliano competit etiam ſimplici Sacerdoti facere ritum baptiſmalem, & ea omnia quæ ipſum complent; ſic enim ibidem capite 7. de Baptiſmo loquitur: „ Dandi jus habet ſummus Sacerdos, qui „ eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & „ Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi au„ ctoritate, propter Eccleſiæ honorem, „ quo ſalvo ſalva pax eſt, alioquin etiam „ laicis jus eſt. „ Igitur ex Tertulliano totus ritus Baptiſmi ſimplicem etiam ſpectat Sacerdotem. Et vero ſi loqueretur ſolummodo de Baptiſmo ſecundum ſe, non excluderet ab hac functione laicum.

Reſpondeo primo, diſtinguendo majorem: Ritus qui competit ſimplici Sacerdoti ut miniſtro ordinario non eſt confirmatorius, concedo: ut miniſtro extraordinario, nego: Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Certum eſt, ut dicetur alibi, ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum Confirmationis ordinarium, & eam ex diſpenſatione poſſe conferri a ſimplici Sacerdote.

Reſpondeo ſecundo aliter diſtinguendo: Et eo loci loquitur Tertullianus tantum de Baptiſmo & ejus miniſtro, concedo; de Confirmatione, nego. Ibi enim ex profeſſo agit de Baptiſmo, cujus miniſter ſolemnitatis eſt Epiſcopus, deinde Presbyter, qui præſente Epiſcopo ſine eius licentia baptizare non poteſt, poſtea Diaconus, qui etiam præſente Presbytero, non niſi poſtulata ejus licentia, baptizare valet; laicus vero eſt tantummodo miniſter neceſſitatis, & non ſolemnitatis, quocirca a ritu cæremoniali conficiendo excluditur.

Ex ſancto Cypriano.

OPPONIT Dallæus: Ille ſolum loquitur de Baptiſmo, qui movet controverſiam de hoc ſolo Sacramento: atqui S. Cyprianus non niſi de Baptiſmo pertractat, ſive unctionem, ſive manuum impoſitionem commemoret: Et probatur ex eo, quod iſtud Sacramentum ab Hæreticis collatum invalidum putaret. Immo & ipſa Concilia ab eo adunata hoc unum probare intendunt; neque enim errabant circa Confirmationem. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et tranſeunter etiam de Confirmatione agit, concedo: & nullo modo de Confirmatione loquitur, nego: ex hoc enim quod Hæretici non haberent, ut putabat, verum Baptiſmum, inde quoque inferebat eos non habere Spiritum ſanctum per Confirmationem collatum. Quod autem genuinus hic ſit ſenſus Cypriani claret ex Epiſtola 12. ad Stephanum, ubi ſic habet pag. 180. " Eo quod parum ſit eis ma„ num imponere ad accipiendum Spiri„ tum ſanctum, niſi & Eccleſiæ accipiant „ Baptiſmum. „ Jam vero quod erraret circa Baptiſmum, & conſequenter circa Confirmationem ab Hæreticis Epiſcopis collatam, cæcutiebat.

Inſtat: Ille loquitur tantum de Baptiſmo, qui ait hominem quoque per manuum impoſitionem renaſci, ſiquidem iſta regeneratio non niſi Baptiſmo tribuitur: atqui Cyprianus in eadem Epiſtola, ſic cenſet: enim vero poſt verba immediate laudata hæc ſubjicit: " Tunc enim demum „ plene ſanctificari & eſſe filii Dei poſ„ ſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur; „ cum ſcriptum ſit: Niſi quis renatus „ fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt „ introire in regnum Dei, „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et eo loci Cyprianus juxta diſtributionem accommodam loquitur, concedo: & eodem modo ſe explicat de effectu Baptiſmi, & Confirmationis, nego. Intelligit igitur hominem proprie naſci per Baptiſmum, complete vero per Confirmationem, qua-

tenus

Digitized by Google

tenus accepta in Baptiſmo fides per gratiam Confirmationis roboratur; mentem enim ſuam ipſe prodit Epiſt. 74. ad Pompejum his verbis, pag. 194. " Porro autem „ non per manus impoſitionem qui „ naſcitur, quod accipit Spiritum ſan„ ctum, ſed in Baptiſmo ut Spiritum „ jam natus accipiat. „ Scilicet ad robur.

Ad multorum ſolutionem obſervandum eſt, effectum unius Sacramenti quandoque ſecundum aliquam rationem etiam alteri tribui; ſic regeneratio ſecundum perfectionis gradum Confirmationi tribuitur, immo & Euchariſtiæ; namque gratia quælibet roborat animam, & facit eſſe Chriſti membrum ſaltem perfectius: Ergone & Confirmatio, & Euchariſtia non erant Sacramenta a Baptiſmo diſtincta? Abſit dicere; porro non deſunt Patres, qui effectus Baptiſmi ab aliis duobus Sacramentis aliqua ratione produci contendunt.

Jeſſe Ambianenſis Epiſtola de Baptiſmo ſic loquitur: " Noviſſime corpore & ſan„ guine Domini confirmatur infans, ut „ ejus poſſit eſſe membrum, qui pro eo „ paſſus eſt & reſurrexit. „ Ecce effectus Confirmationis & ipſius Baptiſmi pro Euchariſtia. Concinit Alcuinus Epiſt. ad Oderinum; ubi ait: " Corpore & ſanguine „ Dominico confirmatur, ut illius capitis „ ſit membrum, qui pro ipſo paſſus eſt & „ reſurrexit. „ Similia prorſus loquuntur Amalarius Epiſt. ad Carolum Magnum, & Rabanus Maurus Lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 29.

Perſiſtit: Manus impoſitio, de qua Cyprianus ſermonem inſtituit, erat reconciliatoria; igitur non confirmatoria. Probatur antecedens: De ea manuum impoſitione loquitur Cyprianus, qua redeuntes ab hæreſi Eccleſiæ reconciliabantur; quamque Stephanus propugnabat ſufficere, eo quod accepiſſent Baptiſmum verbis Evangelicis confectum. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens, ut liquet ex auctoritate Cypriani in probationibus allata. Ad probationem, diſtinguo: Et in congreſſu ferventiori Cyprianus credidit manuum impoſitionem reconciliativam, juxta Stephani opinionem, ipſam eſſe confirmatoriam, concedo: & in hoc non erravit, nego. Stephanus quippe præter impoſitionem manuum reconciliativam, alteram admittebat, ſcilicet confirmatoriam, quam & Hæreticis dari volebat ut plurimum, quippe qui ſæpius non fuerant confirmati. Quod autem Cyprianus fuerit in hac ſententia abſque Confirmationis diſpendio, ex Epiſt. 72. ad Stephanum luce meridiana clarius apparet; eo enim loci ait de Hæreticis: " Tunc enim demum plene ſanctificari, & „ eſſe filii Dei poſſunt ſi Sacramento „ utroque naſcantur. „ Agnoſcit igitur Confirmationem ut Sacramentum. Hoc ipſum patet ex Nemeſiani a Tubunis ſententia in Concilio ſancti Cypriani, ubi ſic effatur: " Neque Spiritus ſine aqua ope„ rari poteſt, neque acqua ſine Spiritu. „ Male ergo quidam interpretantur, ut di„ cant quod per manus impoſitionem Spiri„ tum ſanctum accipiant, & ſic recipian„ tur; cum manifeſtum ſit utroque Sacra„ mento debere eos renaſci in Eccleſia Ca„ tholica. „ Audis Nemeſianum crediſiſſe manuum impoſitionem apud Latinos fuiſſe confirmatoriam.

Urget: Cyprianus totum ritum tribuit ſimplici Sacerdoti: Igitur non diſtinguit impoſitionem manuum a Baptiſmo. Sic enim loquitur Cyprianus Epiſtola ad Lucianum, quæ eſt inter Cyprianæas 20. " Præceperunt Præpoſiti tantiſper ſic „ eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur. „ Ita pariter Firmilianus in ſua ad Stephanum Epiſtola, ubi ſic habet: " Poteſtas „ & gratia in Eccleſia conſtituta eſt, ubi „ præſident majores natu, qui & bapti„ zandi, & manum imponendi, & Or„ dinandi poſſident poteſtatem. „ Porro nomine majorum natu intelliguntur etiam ſimplices Sacerdotes, quibus eſt communis cum Epiſcopis baptizandi poteſtas. Ergo &c.

Reſpondeo, iſtam objectionem parum urgere propter multa. Primo quidem, quia controverſia præſens non eſt de miniſtro, de quo inſtantia procedit. Secundo, quia nomine Præpoſiti juxta ipſum Cyprianum Epiſt. 7. intelligitur Epiſcopus; ſic enim loquitur: " In gaudio com„ muni major eſt Epiſcopi portio, Eccle„ ſiæ enim gloria Præpoſiti gloria eſt. „ Ad ſummum ſi nomine Præpoſiti intelligere velit Dallæus vel ipſum ſimplicem Sacerdotem, ei concedimus de Præpoſito inferiori; ſic enim quandoque Presbyteri nominantur ab Auguſtino Lib. de

fide & operibus cap. 17. his verbis: “Inferioris ordinis Eccleſiæ Præpoſiti.” Dictum eſt autem ſimplicem Sacerdotem poſſe ex diſpenſatione chriſmare.

Inſurgit: Unctio eſt pars Baptiſmi apud Cyprianum; igitur non niſi de Baptiſmo loquitur Epiſtola 7. Probatur antecedens ex his verbis: “Ungi quoque, *inquit*, neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit.” Ergo &c. Confirmatur ex eo quod ſolius olei recordetur, & ſileat balſamum; igitur non de unctione confirmatoria ſermonem habet.

Reſpondeo, negando antecedens: Quod enim Cyprianus diſtinguat Baptiſmum a Confirmatione, claret ex Epiſtola 73. ad Jubajanum, ubi ſic loquitur: “Idcirco quia legitimum & Eccleſiaſticum Baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, ſed tantummodo quod deerat, id a Petro & Joanne factum eſt, ut oratione vocis habita & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus.” Porro ſi de unctione baptiſmali tantum loqueretur, Philippus Diaconus qui baptizaverat Samaritanos, totum dediſſet, nec opus fuiſſet ut Petrus & Joannes ad eos mitterentur, ut manu impoſita, acciperent Spiritum ſanctum ad robur; quocirca unctio baptiſmalis incompleta eſt, donec accedat unctio confirmatoria; nam juxta Cyprianum inefficax eſt in Hæreticis, quia credebat eos non habere verum Baptiſmum, immo etiam juxta Stephani ſententiam propter fictionem, eo quod extra Eccleſiam eam ſumpſiſſent.

Ad probationem patet ſolutio, videlicet ſanctum Cyprianum intelligere unctionem confirmatoriam, & particulam *quoque* non connectere cum præcedentibus Confirmationem veluti Baptiſmi appendicem, verum potius ut ejus perfectionem, ſicut cum ſanctus Thomas dicit Euchariſtiam eſſe totius cultus divini conſummationem, maxime ſacramenti Baptiſmatis.

Ad confirmationem diſtinguo: Et juxta multorum ſententiam balſamum non eſt de eſſentia Confirmationis, concedo: unde non mirum ſi Cyprianus ſolius olei meminerit; Et eſt de eſſentia, nego.

Ex Optato Milevitano, & Paciano Barcinonenſi.

REPONIT Dallæus: Optatus loquitur de Confirmatione tamquam de parte Baptiſmi: Ergo &c. Probatur antecedens: Eoſdem effectus tribuit impoſitioni manuum, qui ſunt Baptiſmi characteres; ait enim Lib. 4. *de Baptiſmo*: “Chriſma animum innovare levem, & aſperitatem fugare.” Quod vel ipſa gratia regenerativa mirum in modum operatur: Ergo &c.

Reſpondeo ſolutionem patere ex dictis; ad abundantiam tamen juris diſtinguo antecedens: Chriſma animum innovat ad robur, concedo: ad regenerationem, nego; ejus quippe effectus eſt effectu Baptiſmi poſterior & complementum. Optatus eſt ſui ipſius interpres, quippe qui Lib. 4. 4. de Baptiſmo Chriſti ſic loquitur: “Deſcendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, ſed venturum oleum aqua debet antecedere ad myſteria initianda, & ordinanda, & implenda Baptiſmatis.”

Objicit ex Paciano: Qui ſolummodo agit de Baptiſmo, certe ne minimam quidem facit mentionem de Confirmatione, veluti Sacramento a Baptiſmate diſtincto: atqui res ita ſe habet: igitur nihil concludi poteſt ex auctoritate Paciani, pro aſtruendo Confirmationis ſacramento. Probatur minor: Opus Paciani inſcribitur *De Baptiſmo*; tum ipſe in limine ſic loquitur: “Aperire deſidero qualiter in Baptiſmo naſcamur, & qualiter inovemur.” Neque vero aliquid pro Sacramento Confirmationis inferri poteſt, ex eo quod in iſto Patre & aliis, nomen olei & impoſitionis manuum celebretur, cum utrumque in unctione verticali Baptiſmatis locum habeat: Ergo &c.

Reſpondeo hoc unum concludi poſſe, Pacianum non niſi tranſitorie de Confirmatione egiſſe, quæ his temporibus ſimul cum Euchariſtia & Baptiſmo conferebatur. Hanc phraſim ſecuti ſunt antiqui Patres & auctores. Omnium inſtar ſit Alcuinus, qui Epiſtola ad Odorinum, que eſt *De ordine Baptiſmi*, hæc effatur: “Sic corpore & ſanguine Dominico confirmatur, ut illius ſit capitis membrum qui pro eo paſſus eſt & reſurrexit;

Digitized by Google

xit; noviſſime per impoſitionem manuum a ſummo Sacerdote, ſeptiformis gratiæ ſpiritum accipit, ut roboretur per ſpiritum ſanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in Baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ. ,, Sed ex ipſis Proteſtantibus Euchariſtia eſt ſacramentum a Baptiſmo diſtinctum, tametſi non ſemel dicatur a Patribus ejus appendix; igitur idem dicendum de Confirmatione qua baptizatus complete naſcitur.

Ad id vero quod dicitur, unctionem & impoſitionem manuum admitti quoque in Baptiſmo, diſtinguo. Ad innocentiam & regenerationem, concedo: ad robur perfectum, nego. Obſerves tamen velim, a Patribus Baptiſmum nuſquam vocari impoſitionem manuum, ſed aliud Sacramentum ab ipſa diſtinctum, videlicet Confirmationem.

Inſtat: Ex Paciano Spiritus ſanctus datur per Baptiſmum, veluti ex alvo matris Eccleſiæ effuſus; ſic enim loquitur: " Veniente deſuper ſpiritu Domini, noſtrarumque animarum ſubſtantiæ ſuperfuſo & admixto, protinus ſemente cœleſti, nos viſceribus matris inoleſcere, alvoque ejus effuſos vivificari in Chriſto. ,, Deinde ait, " Spiritum porro chriſmate in nos ſuperfundi. ,, Sed hæc omnia Baptiſmo conveniunt; igitur vel ipſa chriſmatio eſt Baptiſmi pars.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Hæc omnia conveniunt Baptiſmo inchoative, quatenus ſunt diſpoſitiones ad accipiendum Spiritum ſeptiformem, qui quidem ſpiritus ſeptiformis datur per ipſum Baptiſma ad regenerationem, ſed quantum ad robur ſolum per Confirmationem, concedo: ſecus, nego. Hujus ſolutionis explicatio ex prædictis patet.

Urget: Pacianus in ſermone ſeu Epiſtola de Baptiſmo ait: " Hæc autem compleri alias nequeunt, niſi lavacri, & chriſmatis, & Antiſtitis ſacramento. ,, Sed ſi intelligeret duo Sacramenta, profecto non diceret in ſingulari, hæc omnia perfici ſacramento, ſed potius in plurali, ſcilicet Sacramentis. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et nomine Sacramenti intelligit Pacianus Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam, ex quibus myſterium regenerationis & inchoabatur & complebatur, concedo: & ſejungit a ratione ſacramenti Confirmationem, nego; nam & eadem ratione excluderet Euchariſtiam, quod Dallæus non admittit. Sic ab Eccleſia Euchariſtia vocatur, *myſteria corporis & ſanguinis Chriſti*, tametſi iſta unicum conficiant Sacramentum.

Iſtarum ſolutionum ſeries, tum pro Paciano, tum pro aliis Patribus explicandis, illuſtratur auctoritate Divi Thomæ, qui 3. part. quæſt. 73. art. 3. ait: " Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & janua Sacramentorum: Euchariſtia vero eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ. ,, Sicut igitur vitam ſpiritualem tribuit & Baptiſmo & Euchariſtiæ, ſic & innovationem ad Baptiſinum & Confirmationem ſpectare contendit; illi videlicet inchoative, iſti vero completive: namque in c. 6. Epiſtolę ad Hebræos in iſta verba, *impoſitionis quoque manuum*, dicit aliam eſſe miraculorum facientem, aliam vero ſacramentalem. " Hæc, *inquit*, eſt duplex: una in ſacramento Ordinis 1. Timothei 5. *Manus nemini cito impoſueris*: alia eſt in ſacramento Confirmationis ad renovationem. Tit. 3. *Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti &c. In Confi matione enim datur Spiritus ſanctus ad robur.* ,,

Inſurgit de novo Dallæus: Ad deſcribendum totius iſtius ex lavacro & chriſmate myſteri effectum, Pacianus affert hæc Pauli verba: *Ut ſicut reſurrexit Chriſtus a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Sed eo loci Apoſtolus loquitur ſolum de Baptiſmo: ergo ſimiliter & Pacianus.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Ea auctoritate utitur Pacianus propter relationem gratiæ baptiſmalis cum confirmatoria; ut ſcilicet perfecte adimpleamus Apoſtoli præceptum, concedo: ut confunderet Confirmationem cum Baptiſmate, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Ceterum Apoſtolus hic non intendit deſcribere alicujus Sacramenti eſſentiam, ſed exhortari Chriſtianos, ut quemadmodum per Sacramenta acceperant quomodo oporteat ambulare, & placere Deo, ita & per novitatem vitæ ambularent; quæ quidem novitas maxime inducitur per gratiam ad robur.

Ex ſancto Hieronimo

Objicit Dallæus: Hieronymus docet Spiritum ſanctum dari per Baptiſmum, & hoc „ per manuum impoſitionem: ſic enim in Dialogo contra Luciferianos loquitur. " In „ vero baptiſmate Spiritum ſanctum tribue, „ qui per manus Epiſcopi traditur. „ Igitur ex Hieronymo, Spiritus ſanctus qui datur per manuum impoſitionem, non per Confirmationem, ſed potius per Baptiſmum traditur.

Reſpondeo diſtinguendo: Spiritus ſanctus ad reconciliationem datur per manuum impoſitionem, concedo: per Baptiſmum, ſubdiſtinguo; ad regenerationem & juſtificationem, concedo: ad robur, iterum ſubdiſtinguo; datur per manuum impoſitionem confirmativam, concedo: per alteram, nego. Eo loci ſanctus Doctor agit contra Luciferianos, qui concedebant quidem laicum pœnitentem baptizatum ad reconciliationem ſuſcipiendum eſſe per manuum impoſitionem; nuſquam vero Epiſcopum lapſum, eo quod non deceret Epiſcopum alteri ſubjici, & ab eo dependere, ut reciperet Spiritum ſanctum; Lucifer quippe Calaritanus eorum in hæreſi & ſchiſmate pater, zelo immoderato abreptus, ægre ferens quod ſummus Pontifex ad reconciliationem ſuſcepiſſet Patres Ariminenſes, ſicut ipſe, ſic & ejus aſſeclæ noluerunt Epiſcopos lapſos, tametſi pœnitentes, recipi. Iſtos omnes in ſuo Dialogo debellat Hieronymus, oſtendendo & laicos, & Epiſcopos pœnitentes ad reconciliationem ſuſcipiendos eſſe per manuum impoſitionem reconciliativam, quæ dat Spiritum ſanctum ad juſtificationem eis qui verum Baptiſma extra Eccleſiam ſuſceperant, ſed cujus effectus impeditus fuerat per fictionem; rebaptizandos vero eos eſſe, qui Baptiſmum in forma defloratum acceperant, iſtoſque recipere Spiritum ſanctum & quoad pœnitentiam vivificantem per manuum impoſitionem reconciliativam, & quoad regenerationem per Baptiſmum, & quoad robur per Confirmationem. Sic enim habet ibidem: " Non quidem abnuo hanc „ eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad „ eos qui longe in minoribus urbibus per „ Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, „ Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat. „ Quibus omnibus rite diſtinctis, evaneſcunt omnes Dallæi ſtrophæ.

Replicat: Ex verbis Hieronymi liquet Confirmationem eſſe inventum humanum, & juxta Eccleſiarum morem uſurpatum; ſed ſacramentum Confirmationis ex inſtitutione divina procedit: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Confirmatio eſt inventum humanum quoad præceptum certo tempore adimplendum, concedo: quoad ſe, nego. Cum iſtud ſacramentum non ſit de neceſſitate medii, ad Eccleſiam ſpectat determinare quandonam ſit ſuſcipiendum; quod enim non neget Hieronymus Confirmationem eſſe de inſtitutione divina, audi eum aſſerentem ex deſcenſu Spiritus ſancti procedere, qui & per ſe & per dona animæ inhabitat. " Sed quale eſt, *inquit in Dialogo eodem*, ut leges Eccleſiæ ad hæreſim „ transferas? Quod ſi hoc loco quærit „ quare in Eccleſia baptizatus, non per „ manus Epiſcopi non accipiat Spiritum „ ſanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui: diſce hanc ob„ ſervationem ex ea auctoritate deſcendere, „ quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſan„ ctus ad Apoſtolos deſcendit, & multis „ in locis idem factum reperimus, ad ho„ norem potius ſacerdotii, quam ad legis „ neceſſitatem. „ Quibus ultimis verbis duo obſervat Hieronymus, videlicet Deum ad reverentiam tanti Sacramenti voluiſſe illud per ſummos Sacerdotes conferri; deinde vero non eſſe neceſſarium neceſſitate medii.

Perſiſtit: Spiritus ſancti plenitudo datur per Baptiſmum; ergo &c. Probatur antecedens: confertur a Sacramento quod conficitur per ſimplicem Sacerdotem, immo & per Diaconum, teſte Hieronymo: Igitur per Baptiſmum: ſic enim loquitur idem ſanctus Doctor: " Si ad Epiſcopi „ tantum deprecationem Spiritus ſanctus „ defluit, lugendi ſunt qui in vinculis, „ aut caſtellis, aut in remotioribus locis „ per Presbyteros & Diaconos baptizati, „ ante dormierunt, quam ab Epiſcopis in„ viſerentur. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Datur Spiritus ſancti plenitudo per Baptiſmum ad regenerationem, concedo: ad robur, nego. Et hoc ſufficit ad ſalutem; quocirca non lugendi ſunt qui fuerunt dumtaxat ba-

Digitized by Google

baptizati; & hoc unum intendit Hieronymus contra Luciferianum, qui negabat Spiritum ſanctum dari per Baptiſmum extra Eccleſiam ſuſceptum verbis Evangelicis, cum pueris ſufficiat ad ſalutem, immo & adultis ſi reconcilientur. Et vero ad gratiam ſanctificantem Baptiſmalem omnia ſubſequuntur dona; in Confirmatione eadem augetur, ſed ſpecialis, quæ & ſacramentalis dicitur, quæque dat jus ad auxilia pro fide confitenda; hinc gratiam ad robur, eam nuncupant ſancti Doctores.

Ex ſancto Auguſtino

OBJICIT adhuc Dallæus: Sacramentum juxta Romanæ Eccleſiæ opinionem, virtute propria, producit gratiam. Atqui ex Auguſtino, impoſitio manuum non niſi oratione, & ex opere operantis dat Spiritum ſanctum; ſic enim loquitur, Lib. 17. de Trinitate cap. 26. " Neque „ enim aliquis diſcipulorum ejus dedit „ Spiritum ſanctum; orabant quippe ut „ veniret in eos quibus imponebant, non „ ipſi eum dabant. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Et ſanctus Auguſtinus vult ſolum miniſtros non eſſe gratiæ cauſam principalem, ſed tantum inſtrumentalem, concedo: & Sacramentum nullo modo conferre gratiam etiam ut inſtrumentum a cauſa principali motum, nego. Duo eo loci probare intendit Auguſtinus, videlicet formam Confirmationis eſſe deprecatoriam, primis maxime temporibus, cum hoc Sacramentum ſigna multa comitarentur; tum vero & miniſtros & ipſum Sacramentum non niſi inſtrumentaliter ſe habere ad effectum producendum, qui juxta Philoſophos, ſolum denominat cauſam principalem. Sanctus Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres, quippe qui explicans quomodo Spiritus ſanctus deſcenderit ſuper Chriſtum, & deſcendat ſuper nos, dicat ibidem cap. 26. " Accepit quip„ pe ut homo, effudit ut Deus; nos au„ tem accipere quidem hoc donum poſſu„ mus pro modulo noſtro: effundere au„ tem ſuper alios non utique poſſumus, „ ſed ut hoc fiat, Deum ſuper eos, a quo „ hoc efficitur, invocamus. „

Quod autem ſanctus Doctor propugnet Confirmationem producere gratiam ex opere operato, patet ex tractatu ſexto in primam Epiſtolam beati Joannis; habetur autem Tomo 9. pag. 254. ubi dicit genus linguarum nunc ad Confirmationem non ſequi, cum hoc Sacramentum detur pueris, qui tamen loqui non valent: " „ Numquid, *inquit*, modo quibus impo„ nitur manus ut accipiant Spiritum ſan„ ctum, hoc expectatur, ut linguis loquan„ tur? aut quando impoſuimus manum iſtis „ infantibus, attendit unuſquiſque veſtrum „ utrum linguis loquerentur? „ Igitur ex Auguſtino manus pueris imponuntur ad robur, tametſi orare neſciant.

Pergit: Juxta Eccleſiam Romanam Confirmatio non reiteratur; ſed contrarium docet Auguſtinus: Igitur ex eo Confirmatio non eſt Sacramentum. Probatur minor: Lib. 3. *De Baptiſmo* contra Donatiſtas cap. 16. ſic habet: " Manus autem „ impoſitio, non ſicut Baptiſmus, repeti „ non poteſt; quid eſt enim aliud ni„ ſi oratio ſuper hominem? „ Ergo &c.

Reſpondeo primo, Auguſtinum in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos, juxta ſenſum Apoſtoli, docere manuum impoſitionem confirmatoriam non repeti, eamque veluti Sacramentum a Baptiſmate diſtinctum Lib. 5. *de Baptiſmo* caput 20. agnoſcere, his verbis: " Si ergo ad hoc valet „ quod dictum eſt in Evangelio, Deus „ peccatorem non audit, ut per peccato„ rem Sacramenta non celebrentur, quo„ modo exaudit homicidam deprecantem, „ vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper „ oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel „ ſuper capita eorum quibus manus im„ ponitur? „ Ecce quomodo ſanctus Doctor agnoſcit Confirmationem ut Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum, ſicut eſt vel ipſa Euchariſtia?

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Et eo loci ſanctus Auguſtinus loquitur de manuum impoſitione reconciliativa, quæ quidem repeti poteſt, concedo: de confirmatoria, nego. Attendendum eſt ad verba antecedentia, ubi dicit Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos ſuſcipere quidem Sacramentum, ſed non Spiritum ſanctum, qui in ſola vera Eccleſia datur; quocirca manus imponuntur redeuntibus, ut vi pœnitentiæ in eis exſuſcitetur Spiritus ſanctus. " Spiritus ſanctus, *inquit* „ *Lib.* 3. *de Baptiſmo cap.* 16. quod in ſola Catho-

„ Catholica per manus impoſitionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait: *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. Ipſa eſt enim charitas quam non habent qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione præciſi ſunt ..... Cum ergo ſit aliud ſacramentum: quod habere etiam Simon magus potuit; aliud operatio Spiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri ſolet, ſicut Saul habuit prophetiam; aliud operatio ejuſdem Spiritus, quam non niſi boni habere non poſſunt, ſicut eſt finis præcepti charitas de corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta: quodlibet Hæretici & Schiſmatici accipiant, charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum eſt catholicæ unitatis & pacis, nec ejus in omnibus, quia nec ejus ſunt omnes --- Præter ipſam tamen eſſe illa charitas non poteſt, ſine qua cetera etiamſi agnoſci &, approbari poſſunt, prodeſſe tamen & liberare non poſſunt. „

Traditio ex Eccleſia Græca, tum vetuſtiore, tum recentiore.

VETUSTIOR.

EX *primo Sæculo* agmen ducet Dionyſius, qui libro de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. expreſſe commemorat Confirmationem, his verbis: Baptizatum indutum alba veſte ad Pontificem ducunt: ille divino ac deifico prorſus unguento virum ſignat. „ Juxta aliam editionem Lugduni factam anno 1585. mentio fit de triplici Sacramento quod ſimul conferebatur, de Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Euchariſtia: “ Acceptumque, *ait Dionyſius*, eum Sacerdotes & ſponſori & duci vitæ permittunt, eumdemque cum veſte eo digna induerunt, rurſus ducunt ad Hierarcham. Is cum virum unguento quod maxime divinos efficit, inſignivit, Euchariſtiæ quæ vim maximam habet perficiendæ ſanctitatis, participem eſſe pronuntiat. „ Rurſus ibidem cap. 4. ſecundum priorem editionem: “ ei (*ſcilicet ſynaxi*) finitimum eſt aliud Sacramentum, quod præceptores noſtri unguenti myſterium nominant. „

Ex ſecundo Sæculo Juſtinus Martyr Apologia ſecunda pro Chriſtianis ſic habet: “ Nos autem ſecundum hujuſcemodi lavationem credentem jam, nobis adſcitum ad fratres qui dicuntur, eo adducimur, ubi illi congregati ſunt, ac communes preces & ſupplicationes, cum pro ſe ipſis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus animo intento peragendas. „ Quibus conſtat ſpecialem orationem fieri pro Neophyto, quæ oratio dubio procul eſt confirmatoria, juxta illud Actuum cap. 8. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum*.

Sanctus Irenæus L. 4. c. 75. explicans illa verba Apoſtoli 1. Corinth. cap. 3. *Lac vobis potum dedi non eſcam, nondum enim poteratis* &c. ſubjungit: “ Apoſtolus quidem poterat dare eſcam, quibuſcumque enim imponebant Apoſtoli manum, accipiebant Spiritum ſanctum, qui eſt eſca vitę. „

Tum Theophilus Antiochenus, qui Lib. 1. ad Autolicum ſic loquitur: “ Quod tibi ludibrium debeo dum me Chriſtianum nuncupas, non magni facio: immo reſpondeo te neſcire quid dicas. Nam unctionis hoc nomen in primis bonum, ſuaveque eſt..... Tu recuſas macerari Dei oleo? certe nulla alia ex re Chriſtianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur.

Ex tertio Sæculo, ſuum addit calculum Clemens Alexandrinus relatus ab Euſebio Lib. 3. Hiſt. c. 17. ſecundum verſionem Valeſii, qui narrat hiſtoriam cujuſdam juvenis a Joanne Apoſtolo commendati curæ, & diligentiæ Epiſcopi recens creati: de quo ſic ait: “ Presbyter vero adoleſcentem ſibi traditum in domum ſuam ſuſcipiens educavit, fovit, atque continuit, tandemque Sacramentum Baptiſmi eidem tradidit, deinde Sacerdos dę priſtina cura atque cuſtodia paulatim remiſit, quippe cum perfectiſſimo cuſtodię de appoſito, Chriſto ſcilicet ſignaculo juvenem communiviſſet. „

Subſcribit huic veritati Origenes, qui Hom. 8. in Leviticum, ait: “ Sic ergo converſio a peccato purificatio quidem per illa omnia datur quæ ſuperius diximus.... donum autem gratiæ ſpiritus per olei imaginem deſignatur, ut non ſolum purgationem conſequi poſſit is qui convertitur a peccato, ſed & Spiritu

ſancto

,, ſancto repleri. ,, Quibus verbis docet hominem purgari a Baptiſmo, roborari vero a Spiritu ſancto vi & efficacia Confirmationis Sacramenti.

Concinit S. Joannes Chryſoſtomus, qui ad hæc verba, *Oraverunt pro ipſis* Hom. 14. in Acta, hæc ait: " Vides quod ,, non ſimpliciter hoc fit, ſed multa opus ,, eſt virtute ut detur Spiritus ſanctus. ,, Rurſus exponens iſtam Pauli ſententiam, *impoſitione quoque manuum* Homilia 6. in Epiſtolam ad Hebræos hæc tradit: " Hoc ,, enim in baptiſmate fit, & in Confeſ- ,, ſione firmatur. ,, Dixerat autem immediate antea: " Sic quippe Spiritum ſan- ,, ctum acceperant imponente eis Paulo ,, manus. ,,

Ex quarto Sæculo Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus eamdem affirmat veritatem Catecheſi 3. Myſtagogica, quæ eſt de Chriſmate, his verbis: " Quemadmodum ,, enim panis Euchariſtiæ poſt ſancti ,, Spiritus invocationem non amplius eſt ,, panis communis, ſed eſt corpus Chriſti; ,, ſic & ſanctum hoc unguentum, non ,, amplius eſt unguentum nudum, neque, ,, ſi quis ita appellare malit, commune, ,, poſtquam jam conſecratum eſt: ſed eſt ,, chriſma, quod Chriſti & Spiritus ſancti ,, divinitatis ejus præſentiam efficit, quo ,, frons & alii ſenſus corporis tui ſymbo- ,, lice inunguntur. ,,

His accedit Gregorius Nazianzenus Orat. in ſanctum Lavacrum pag. 646. Edit. Pariſ. 130. ubi ſic loquitur: " Ac ſi ,, per Baptiſmum teipſum præmunieris, ac ,, pulcherrimo & firmiſſimo auxilio tibi ,, in futurum caveres, animum ſcilicet & ,, corpus unctione & ſpiritu conſignans, ,, quemadmodum olim Iſrael nocturno illo ,, cruore, qui primogenitos tuebatur, quid ,, tibi accedet? Et quod tibi præſidium ,, comparatum erit? ,,

Adſtipulatur Theodoretus, qui in Librum Cantici Canticorum ſic habet pag. 279. " Quod ſi magis etiam myſtice vis in- ,, telligere, ſacri Baptiſmatis myſterio- ,, rum recordare, in quo qui initiatur, ,, poſt ſatanæ abnegationem, & fidei con- ,, feſſionem, veluti ſigno ac nota quadam ,, regia, ſpiritalis unguenti chriſmate inun- ,, cti ſub ea viſibili unguenti ſpecie invi- ,, ſibilem ſanctiſſimi Spiritus gratiam ſuſ- ,, cipiunt. ,,

Eadem legimus in opuſculo Job Monachi de Scramentis: " Unguenti myſterium, ,, *inquit*, Spiritus ſancti gratiam ſignifi- ,, cat, quæ die Pentecoſtes poſt reſurre- ,, ctionem ſalutarem, velut eſſentialiter ,, in ſanctos Apoſtolos adveniens, in ipſo- ,, rum animis intrat, ex eoque tempore in ,, hodiernum uſque diem, ac in ævum poſt ,, ſanctum Baptiſmum æque in omnibus ,, Chriſtianis redundat. ,,

Sanctus Joannes Damaſcenus Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 1. hæc ſcribit: " Quod ,, enim ignis ſpecie Spiritus ſanctus in ſan- ,, ctos Apoſtolos deſcenderit, hoc & fa- ,, ctum eſt quod Deus erat: Deus porro ,, ignis conſumens eſt. At vero oleum ideo ,, ad Baptiſmum adhibetur, quia unctionem ,, noſtram deſignat, Chriſtoſque nos efficit, ,, ac Dei miſericordiam per Spiritum ſan- ,, ctum nobis pollicetur. ,,

GRÆCIA RECENTIOR,

Et cetera Communiones Orientales.

AB hac fide non diſceſſerunt Orientales, tametſi ſchiſmate & hæreſi ab Eccleſia Romana divulſi: Igitur Confirmatio eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum. Probatur primo ratione eaque multiplici, tum auctoritate.

Primo quidem: Nedum Græci, ſed & omnes Orientales Confirmationem ut unum e ſeptem Sacramentis habent, & hoc fuſo calamo probatum eſt ſupra, illud- ,, que vocant μύρον, hoc eſt, chriſma mirum ſpirans odorem, illudque impoſitioni manuum ſucceſſiſſe pro virili defendunt.

Secundo: Omnes utique conveniunt ſpecialem conferri gratiam ad robur per iſtam cæremoniam.

Tertio: Eam veluti a Baptiſmate diſtinctam habent.

Denique in controverſiis inter Eccleſiam Latinam & Græcos recentiores habitis, nuſquam Latini improperaverunt Græcis eos exſufflare Confirmationis Sacramentum. His & ſimilibus rationibus R. P. Goar Dominicanus Euchol. pag. 366. erudite probat Orientales omnes fidem Confirmationis ut Sacramenti tenere. Jam ad ſecundum probationis caput deveniendum eſt.

In Synodo Nicoſiæ in Inſula Cypri celebrata ſub Nicephoro totius inſulæ Ar-

chiepiſcopo, Sexto Idus Aprilis 1660. cujus ſumma capita extant Pariſiis in Bibliotheca Abbatiæ ſancti Germani a Pratis. In tertio capitulo hæc habentur: " Si quis
,, ſacratiſſimum Chriſma non unum proprie
,, fateatur ex ſeptem Sacramentis per traditionem Apoſtolorum, ab ipſomet omnium rege Chriſto inſtitutis, novamque
,, gratiam ac ſanctificationem propriam
,, ex hoc iis qui inunguntur, præſtari
,, per Spiritum ſanctum, veluti characterem
,, regalis ſpiritualis dignitatis conſignantem in hæreditatem regni cœleſtis,
,, itemque robur ac fortitudinem adverſus
,, viſibiles, inviſibileſque hoſtes, & odorem ſuavitatis ad Deum in bonis operibus, is integritatem Eccleſiaſticæ tollit
,, pulchritudinis. ,,

Huic accedit Synodus Bethelehemitica anni 1672. ſub Doſitheo Patriarcha Hieroſolymitano adunata, cap. 15. ubi ſic pronuntiat: " Credimus eſſe in Eccleſia
,, legis novæ Sacramenta, eaque ſeptem
,, ... At primo quidem Baptiſmi Sacramentum Dominus tradidit, quando
,, dixit: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Confirmationis vero, ſeu balſami ſacri & ſancti chriſmatis,
,, cum dixit: Vos autem ſedete in civitate Jeruſalem, quoad uſque induamini virtute ex alto; hac autem, Spiritu
,, ſancto ſuperveniente ſunt induti, cujus
,, quidem adventum ſignificat Confirmationis Sacramentum, de quo & Apoſtolus 2. Cor. cap. 4. Et apertius per
,, Dionyſium Areopagitam diſputavit. ,,
Obſerves Græcos probare auctoritate Apoſtoli tum & Dionyſii, quem credunt Areopagitam, Sacramentum Confirmationis eſſe Chriſto coævum, adeoque & ab ipſo emanatum.

Theologi Orientales ſicut Synodi ſuffragantur. Simeon Theſſalonicenſis in eam deſcendit ſententiam; namque agens de hoc Sacramento ſic loquitur: " A Philip-
,, po baptizati tamquam qui ſolum Baptiſma ſuſcepiſſent, Petro ac Joanne
,, imponentibus manus Spiritum ſanctum
,, accipiebant, quod ſane hoc Sacramentum eſt. ,,

Nicolaus Cabaſilas in tertia Oratione eamdem impoſitionem manuum veluti Sacramentum habet his verbis: " Fitque
,, nunc initiatis, quod olim per manus
,, Apoſtolorum baptizatis; quippe impo-
,, nentibus manus Apoſtolis, Sacramento Baptiſmatis imbutis, Spiritus *inquit*, exhibebatur; nunc ſimiliter in unctos Paracletus accedit. ,,

Patriarcha Jeremias Reſponſione 1. pag. 78. ita loquitur: " Chriſma primum im-
,, primis ſignaculum, confirmat ſimilitudinem & imaginem Dei per omnia,
,, & reddit robur per inobedientiam amiſ-
,, ſum. ,,

Gregorius Protoſincellus conformiter ad Correſſii doctrinam confeſſione orthodoxa de Confirmatione ſic habet " Poſt Ba-
,, ptiſmum ſecundum ſequitur Sacramen-
,, tum quod appellatur μύρον. Per iſtud
,, Sacramentum Spiritus ſanctus venit ad
,, nos, & unctione ſanctificat animam; poſtea deſc endimus in prælium, ut ſequamur
,, exemplum Chriſti, qui accepto Spiritu
,, ſancto, poſtea tentatus fuit in deſerto,
,, de hoſte triumphaturus. ,, Synodus pag.
,, 99. 100. & 101.

Meletius Syrurgus in Confeſſione orthodoxa quæſt. 104. variis auctoritatibus, maxime divi Pauli & Dionyſii probat impoſitionem manuum, cui ſucceſſit unctio chriſmatis, eſſe novæ legis Sacramentum, & ſic loquitur: " Secundum Sa-
,, cramentum eſt oleum ſacrum unctionis,
,, quod incepit tempore quo Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Apoſtolos, ut eos
,, ſua gratia ſignando audacter Chriſti fidem prædicarent; baptizati hoc opus
,, habent auxilio; ſicut igitur ſub forma
,, linguæ igneæ Spiritus ſanctus deſcendit
,, ſuper Apoſtolos, & dedit chariſmatum
,, dona; ſic & nunc cum Sacerdos ungit
,, baptizatum. ,,

Euchologia & alii Libri Eccleſiaſtici Græcorum idem referunt. Tum ritus iſtud conferendi Sacramentum deſcribitur, & quidem ut a ritu Baptiſmi diſtinctus; ſic enim habetur in Euchologio: " Peracta Baptiſmi actione, & poſtquam indu-
,, ctus fuerit Neophytus, adjicit Sacerdos
,, ſacrum adminiſtraturus unguentum. ,,
Audis peracta Baptiſmi unctione; adeoque ut Sacramentum a Baptiſmo di'inctum. Ibidem forma hæc habetur: " Signaculum doni
,, Spiritus ſancti, & communionem ſancti
,, corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti
,, largiatur.

Euchologium Cryptoſerratenſe Beſſarionis ſic refert officium: " Patriarcha exu-
,, tus ornatu Baptiſmatis, tum vadit ad

ſan-

„ ſanctum Petrum: & cantore dicente: „ Quotquot in Chriſto baptizati eſtis: unguento ſancto baptizatos ungit, faciens „ ſignum crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus, dicens: Signaculum doni Spiritus ſancti. Eumdem ritum ſimili modo deſcribit Euchologium Barberinum ſancti Marci, & aliud manuſcriptum ejuſdem Cardinalis. Idem aſtruitur Epiſtola, quam de fide Eccleſiæ Orientalis Payſius Liquaridius, Gazæ Metropolita ad illuſtriſſimum virum Dominum de Lilienthal regis Sueciæ ad latus magni Ruthenorum Ducis reſidentem 8. Septem. die anni 1666. dedit. Idem confirmatur in Eochiridio Nicolai Spadarii nobilis Moldavi Baronis, ac olim Generalis Valachiæ conſcripto Cholaſtiæ anno 1667. menſe Februario, his verbis: „ Quo vero plenius cognoſcas Orientalis „ Eccleſiæ ſeptem Sacramenta, ecce & „ illa tibi exhibeo; ſunt autem iſta: Baptiſmus, Euchariſtia, Sacerdotium, ſive „ Ordo, Pœnitentia, Matrimonium, „ Extrema-Unctio, & Confirmatio; hinc „ omnes qui ſeptem hæc Sacramenta „ non agnoſcunt, Eccleſia Orientalis „ tamquam Hæreticos cenſet, & anathematizat. „

Concinunt aliæ Communiones Orientales. De Armenis non eſt ambigendi locus, cum tempore Concilii Florentini abſque ulla controverſia hanc tenerent fidem. Et vero Jacobus de Vitriaco Acconenſis Epiſcopus in Hiſtoria Hieroſolymitana Lib. 1. cap. 78. Et Marinus Salutus Lib. 3. Hiſt. parte 8. cap. 3. ſingulares Armenorum ritus & errores recenſentes, nullum ipſis circa ſacramentum Confirmationis tribuunt; quod & patet ex Innocentio III. qui cum Gregorio Armenorum Patriarcha, & Leone minoris Armeniæ rege communionem fovit, ut refert Raynaldus ad annum 1202. num. 40. & 41. quod dubio procul non feciſſet, ſi fidem Sacramentorum non habuiſſent. Nomo-canon Syriorum Jacobitarum per Gregorium Abulpharage in capite de Baptiſmo, ſic habetur: „ Qui baptizati fuerint per Diaconos, recipient poſtea Baptiſmi perfectionem, ſigno per chriſma „ facto, & propria oratione. „

Coptitæ, ſeu Cophti Alexandriæ quatuor orationibus ſuper infantem baptizatum recitatis, tunc Presbyter aſſumit chriſma, & ungit, eum in fronte per modum crucis, dicens: *Unctio gratiæ Spiritus ſancti. Amen*. Sic ſcribit Abulbircat ex officio Coptitarum.

Neſtoriani nihil habent in officio peculiare, ſed ſicut alii chriſmant in fronte.

Æthiopes eidem fidei adhærent, ut refert, ordo Myſteriorum, ſeu adminiſtrationis Sacramenti Confirmationis ſecundum uſum Æthiopum, Tom. 6. Bibliothecæ Patrum, ubi hæc habentur: " Orationes „ quas dicit Sacerdos, cum imponit ma- „ nus ſuper eos qui confirmandi ſunt. „ His abſolutis: " Accipit balſamum & „ orat ſuper ipſum, dicens.... Confirma „ Domine virtute tua omnem gratiam „ Spiritus ſancti ſuper balſamum. Fiat „ Sacramentum. Amen. Fiat ſignum vitæ. Amen. Et Confirmatio famulis „ tuis. Amen. „

Diluuntur objecta Dallæi.

Objicit: Græci ritum Baptiſmatis cum ritu Confirmationis confundunt: Igitur Confirmatio non eſt Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum. Probatur antecedens ex Euchologio, cui titulus eſt: *Ordo ſancti Baptiſmatis, in quo Confirmationis ritus in officio Baptiſmatis continetur*. Ergo &c.

Reſpondeo, ex probationibus patere Græcos ritum Confirmationis ut diſtinctum a ritu Baptiſmatis ſemper habuiſſe, cum & Confirmatio a Græcis nonniſi baptizatis conferretur. Ad probationem, diſtinguo: Confirmationis ritus in officio Baptiſmatis continetur, quia eodem tempore utrumque Sacramentum adminiſtratur, concedo; quia unicum conſtituunt Sacramentum, nego.

Inſtat: Græci neminem ad menſam Domini admittunt quin fuerit chriſmatus: ſed per illam chriſmationem nihil aliud intelligunt præter Baptiſmum: Ergo &c. Probatur minor: Eo ipſo quo quis erat baptizatus ad Euchariſtiam admittebatur. Ergo &c.

Reſpondeo Nego minorem propter rationes non ſemel allatas. Ad probationem, diſtinguo: Eo ipſo quo quis erat baptizatus ſimul & chriſmatus ad Euchariſtiam admittebatur, concedo. Si non eſſet chriſmatus, ſubdiſtinguo: in caſu neceſſitatis, concedo; ſecus, nego. Tria namque

Sacra-

Digitized by Google

Sacramenta eodem tempore ſimul conferebantur apud Græcos, unde non mirum ſi nonniſi chriſmatus reciperet Euchariſtiam, quandoquidem Confirmatio ante Euchariſtiam dabatur; ſi tamen contingeret jam baptizatum non poſſe ſuſcipere chriſmationem, poterat ad ſacram menſam admitti.

Urget: Græci Hæreticos redeuntes criſmant: Sed illa chriſmatio non eſt Sacramentum. Ergo &c.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem: Crhiſmatio reconciliativa non eſt Sacramentum, concedo. Altera quæ eſt ad robur, nego. Non ignoti nominis auctores obſervant Hæreticos redeuntes quandoque non fuiſſe chriſmatos chriſmatione confirmativa, in quo caſu chriſmabantur etiam ad robur.

Perſiſtit: Ritus Chriſmationis, & Baptiſmatis eumdem ſpectant Miniſtrum apud Græcos, ſcilicet Presbyterum: Sed Presbyter habet tantum poteſtatem conferendi Baptiſmum: Igitur chriſmatio de qua multus eſt ſermo apud Græcos, eſt ſolummodo baptiſmalis.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem: Presbyter habet poteſtatem ordinariam conferendi Baptiſmum, extraordinariam vero & per diſpenſationem etiam adminiſtrandi Confirmationem, concedo. Et iſtam non poteſt habere, nego. Quia vero illa diſpenſatio iterum atque iterum conceſſa eſt Græcis Presbyteris, & mos ſimplices Sacerdotes apud eos chriſmare inoleverat, inde Theologi aliqui de jure velut avito Presbyteros Græcos Confirmationis ſacramentum miniſtrare ſcripſerunt.

Inſurgit: Atqui quæcumque chriſmatio a Baptiſmate diſtincta, erat ſolum reconciliativa: Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Ubi eadem eſt materia, eadem forma, idemque effectus, ibi eſt eadem chriſmatio: Atqui in chriſmatione extra Baptiſmum collata, erat eadem materia, eadem forma, idemque effectus, ac in chriſmatione reconciliativa: Igitur non alia erat. Probatur minor quoad ſingulas partes.

Primo quidem erat eadem materia, ſcilicet chriſmatio.

Secundo eadem forma; & probatur ex Concilio Conſtantinopolitano 1. Can. 7. „ quod ſic habet: " Et ſignatos, ſive unctos primum ſancto chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & „ aures, & eos ſignantes dicimus ſigna„ culum Spiritus ſancti. „

Idem deſumitur ex canone Metodii Patriarchæ Conſtantinopolitani: Rurſus ex Concilio Arelatenſi II. Canonibus 16. & 17. in iſto ſtatuit Bonoſianos recipi cum chriſmatione & impoſitione manuum: ſed nihil aliud invenitur in ritu Confirmationis. Ergo &c. Idem habetur Canone 2. Synodi Arauſicanæ primæ. Idem in Concilio Epaonenſi cap. 1.

Denique eſt idem effectus, videlicet ſignaculum Spiritus ſancti ad robur, hoc eſt ut Hæretici pœnitentes in fide fortiter perſeverent, qui quidem effectus explicatur per iſta formæ verba quæ habentur in Euchologio „ Da ei ſecundum vo„ luntatem tuam ambulare, illumque „ tremendis tuis myſteriis frui, & rectam „ ſemper in te fidem ſervantem regnum „ cœleſte promereri, concede. „

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem: Ubi eſt eadem forma, idemque formaliter effectus, ibi eſt unum, & idem Sacramentum, concedo: ubi forma eſt tantummodo eadem quoad verba aliqua, & aliquos effectus, nego. Eſto quod eadem ſit materia in chriſmatione reconciliativa, ſicut in confirmativa; non enim implicat idem elementum aſſumi ad multa Sacramenta, ut unctio, quandoquidem fit & in Baptiſmate, & in Ordinatione, & etiam in Extrema Unctione, quæ tamen apud Græcos ſunt diverſa ſpecie Sacramenta; ſed dubio procul forma quæ determinat materiam, non eſt eadem formaliter pro reconciliatione, & confirmatione, in illa quippe ſignificat gratiam vivificantem, & reconciliativam, quæque etiam entitative ſecundum quid eatenus eſt ad robur, quatenus gratia cujuslibet Sacramenti firmat hominem in bono propoſito exequendo; ſed forma confirmatoria primo, & per ſe determinat materiam ut ſimul cum ſit ſignum practicum gratiæ ad robur; hoc eſt ad fidem coram Tyrannis fortiter profitendam: ex quibus patet effectum in reconciliatione, & Confirmatione eſſe formaliter diſtinctum.

Solutio patet ex diſcrimine quod intercedit inter utramque formam: Reconciliationis quidem hæc eſt, ut habetur in Con-

Concilio Conſtantinopolitano 1. *Et ſignatos, ſive unctos primum ſancto chriſmate, & frontem, & oculos ..... & eos ſignantes dicimus, ſignaculum doni Spiritus ſancti*. Hujuſce autem formæ effectus explicatur in orationibus Euchologii: " Ut te ſolum ,, verum, & Patrem, & Unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum ,, Chriſtum, ſanctum tuum Spiritum agnoſcat, & veneretur, ſanctæ tuæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ illum ,, conjunge in mandatis & præceptis tuis, ,, ut digne ambulet, illum dirige, & ſanctorum tuorum Myſteriorum indemnata ſumptione dignum redde, & in futura vita cœleſtis regni participem illum oſtende. ,,

Forma vero Confirmatoria talis eſt in Euchologiis, eaque deprecatoria: *Qui recens illuminatum ſervum ſuum in vera fide confirmet, & a maligno, omnibuſque ejus aſtutiis illum eruat*. Recens illuminatum, hoc eſt baptizatum: ab aſtutiis diaboli, hoc, eſt a perſecutoribus qui modo vi aperta, modo etiam blanditiis fidem Chriſtianorum tentant.

Inſtat: Ariani accedentes ad Eccleſiam chriſmabantur, ut ſcribit Gregorius Turonenſis Lib. 2. Hiſt. cap. 31. Igitur non erat alia chriſmatio præter reconciliativam.

Reſpondet R. P. Syrmundus, chriſmationem ſolummodo datam fuiſſe Hæreticis pœnitentibus qui non fuerant confirmati; ceteros vero per ſolam manuum impoſitionem Eccleſiæ reconciliatos aſſerit, juxta ſecundum Canonem Concilii Arelatenſis 1. cap. 8. Hoc ipſum indigitat ſanctus Leo Epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem, & ad Nicetam Aquilejenſem. Theodoretus Lib. 3. Hæreticarum fabularum, ſcribit Novatianos redeuntes chriſmatos quidem fuiſſe, ſed ea ratione quod in eorum ſecta Confirmationis ſacramentum non ſuſceperant: " Iis, *ait*, qui ab ,, ipſis finguntur ſacrum chriſma non præ- ,, bent; quocirca eos etiam qui ex hac hæ- ,, reſi Corpori Eccleſiæ conjunguntur, Be- ,, nedicti Patres ungi juſſerunt. ,, Igitur dicendum Græcos, vel non chriſmare Hæreticos redeuntes; vel ſi chriſment, dubio procul hoc fit chriſmatione diſtincta ab ea quæ fit ad reconciliationem.

Incaſſum objicit Dallæus multas Orientalium communiones non agnoſcere Confirmationis Sacramentum; leviori quippe innixus fundamento, videlicet quarumdam commentitiarum relationum hoc aſſerit; dictum eſt enim ſupra non Scriptoribus illuſis, vel etiam in Ritibus Orientalibus peregrinis, ſed potius Euchologiis & Canonibus fidem adhibendam eſſe; immo Timotheus Sacerdos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ docet in ſuo de recipiendis Hæreticis Tractatu pag. 96. eos non eſſe iterum aut baptizandos, aut chriſmandos, aut etiam ordinandos, ſi Sacramenti formam non deflorarunt, ſed teneri ſolum ſuos anathematizare errores.

Ceterum licet Armeni multos habuerint nævos, nuſquam tamen Confirmationem e medio Sacramentorum ſuſtulerunt: neque etiam Jacobitæ, & alii Orientales, ut ex probationibus luce meridiana clarius apparet.

Eadem traditio firmatur Decretis, & doctrina ſummorum Pontificum.

AGMEN ducet S. Urbanus in ſua decretali Epiſtola: " Omnes, *inquit*, fide- ,, les per manuum impoſitionem Epiſco- ,, porum Spiritum ſanctum poſt Bapti- ,, ſmum accipere debent, ut pleni Chri- ,, ſtiani inveniantur. ,,

Huic veritati ſubſcribit ſanctus Cornelius Papa, & Martyr Epiſt. ad Fabianum Antiochenum Edit. Pariſ. 1541. apud Euſebium Lib. 6. Hiſt. cap. 33. qui referens contenta in hac Epiſtola ſic loquitur: " Addit autem, ſanctus Cornelius, ,, quod ipſe Novatus. . . . nec ſignacu- ,, lo chriſmatis conſummatus ſit, unde ,, nec Spiritum ſanctum unquam potuerit ,, promereri. ,, Pergit ſanctus Pontifex: ,, Verum morbo tandem elapſus, neque ,, quibus poſt Baptiſmum, ſecundum Ec- ,, cleſiæ Canonem imbui oportuerat, ac- ,, quiſivit, neque Domini ſigillo ab Epi- ,, ſcopo obſignatus fuit....

Sanctus Melchiades Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, interrogatus utrum Baptiſma majus eſſet Sacramentum quam Confirmatio, reſpondet his verbis: " Scitote utrumque magnum eſſe Sacramentum. ,,

Subſcribunt alii SS. PP. Euſebius Epiſt. 3. Damaſus Epiſt. 4. Leo, Epiſt. 86. aliis 88. Joannes III. Epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ.

Cele-

Digitized by Google

Celeberrima ſunt ſancti Gregorii Magni pro hoc momento teſtimonia. Primum legitur in Regiſtro 12. Epiſt. 31. ubi ſic loquitur: " Nos ab Anteceſſoribus noſtris „ traditum accepimus, ut quoties tam „ de Baptiſmo aliquorum, vel Confirma- „ tione, quam de Eccleſiarum conſecra- „ tione dubitatio habetur, utrum bapti- „ zati, vel confirmati, ſive Eccleſiæ con- „ ſecratæ ſunt; ut baptizentur tales, ac „ confirmentur, atque Eccleſiæ canonice „ dedicentur; ne talis dubitatio ruina fi- „ delibus fiat; quoniam non monſtratur ite- „ ratum, quod non certis indiciis oſtendi- „ tur rite peractum. „

Rurſus Homilia 17. in Evangelia: " Per „ nos quidem, *inquit*, Fideles ad ſan- „ ctum Baptiſma veniunt, noſtris precibus „ benedicuntur, & per impoſitionem no- „ ſtrarum manuum Deum Spiritum ſanctum „ percipiunt, atque ipſi ad regnum cœlo- „ rum pertingunt. „

Denique in Lib. Sacramentorum refert ipſe Confirmationis ritum ſacramentalem in ordine Sabbati Sancti his verbis: " Pon- „ tifex vero in Sacrarium ſpectans, ut „ cum veſtiti fuerint infantes confirmet „ eos; qui etiam non prohibentur lactari „ ante ſacram communionem, ſi neceſſe fue- „ rit ... Pontifex vero veniens ad infan- „ tes, tenente Archidiacono Chriſma, „ involutis ſcapulis & brachiis ex panno „ lineo, levata manu ſua ſupra capita „ omnium, dicit, Omnipotens ſempiterne „ Deus, qui regenerare dignatus es hos „ famulos tuos ex aqua & Spiritu ſancto, „ quique dediſti eis remiſſionem omnium „ peccatorum; emitte in eos ſeptiformem „ Spiritum tuum ſanctum Paracletum de „ cœlis, ſpiritum ſapientiæ, & intelle- „ ctus, ſpiritum conſilii, & fortitudinis, „ ſpiritum ſcientiæ & pietatis; adimple „ eos ſpiritu timoris tui, & conſigna eos „ ſigno crucis in vitam propitiatus æter- „ nam, per Dominum; & poſtea & in- „ terrogantibus Diaconis nomina ſingulo- „ rum, Pontifex, tincto pollice in chri- „ ſmate, facit crucem in fronte unius, ſi- „ militer per omnes ſingillatim. „

Accedunt pro eadem veritate Conciliorum definitiones.

CONCILIUM Eliberitanum can. 38. ſic definivit: " Si ſupervixerit, ad Epi- „ ſcopum eum perducat, ut per manus im- „ poſitionem perfici poſſit. „

Suffragatur Concilium Laodicenum, in quo can. 48. hæc leguntur: " Oportet eos „ qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi „ ſupercœleſti chriſmate, & eſſe regni „ Chriſti participes. „ Ita ex verſione Dio- „ nyſii Exigui.

Idem dicit Concilium Aurelianenſe apud Gratianum de conſecratione diſt. 5. Can. *ut jejuni*. " Ut jejuni, *inquit*, ad Confir- „ mationem veniant perfectæ ætatis, ut „ moneantur confeſſionem prius facere, „ ut mundi donum Spiritus ſancti valeant „ accipere. „

Concinit Meldenſe Concilium apud eumdem Gratianum eadem diſtinctione, Canone *ut Epiſcopi*: " Ut Epiſcopi nonniſi je- „ juni per impoſitionem manuum Spiritum „ ſanctum tradant. „

Hoc ipſum docet Concilium Florentinum Seſſ. 7. in Decreto inſtructionis Armenorum; ubi hæc habentur: " Secundum eſt „ Confirmationis Sacramentum. „ Tri- „ dentinum vero Seſſ. 7. Can. 1. de Confirmatione ſic definit: " Si quis dixerit, „ Confirmationem baptizatorum otioſam „ cæremoniam eſſe, & non potius verum „ & proprium Sacramentum, aut olim „ nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim „ quamdam, qua adoleſcentiæ proximi „ fidei ſuæ rationem coram Eccleſia expo- „ nebant; anathema ſit. „ Rurſus Can. 2. " Si quis dixerit, injurios eſſe Spiritui ſan- „ cto eos, qui ſacro Confirmationis chri- „ ſmati virtutem aliquam tribuunt, ana- „ thema ſit.

Mitto Concilium Hiſpalenſe ſecundum, Toletanum quartum, & Lippienſe primum cap. 7. alterum can. 51. & tertium can. 3. quæ Concilia Confirmationem expreſſe ut Sacramentum habent.

Diluuntur objecta Dallæi.

OBJICIT: Cornelius in loco citato Epiſtolæ ad Fabianum apud Euſebium Lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 43. de Novatiano loquens, ait primum in lectulo fuiſſe baptizatum, deinde vero hæc ſubdit: " Mor- „ bo tandem elapſus, neque cetera qui- „ bus poſt Baptiſmum ſecundum Eccleſiæ „ canonem imbui oportuerat, acquiſi- „ vit. „ Sed ſi Confirmatio pertineret vel ut Sacramentum ad ritum Baptiſmi, debuiſ-

buiſſet illam percipere . Igitur , ex textu ſancti Cornelii nihil concludi poteſt pro Confirmationis Sacramento . Sic enim Dallæus argumentatur . Ex eadem Epiſtola : " Fabianus Romanus Epiſcopus ,, promovit Novatianum in Presbyterum , ,, neque ei contulit quod tunc omiſſum ,, fuerat , ſed precibus tantum apud ſuos ,, evicit ut ſibi præter conſultum Eccle- ,, ſiæ ordinem , unius Novatiani in Cle- ,, rum allegendi poteſtas eſſet . ,, Contuliſſet vero Confirmationem , ſi pro Sacramento illam habuiſſet . ,,

Reſpondeo primo , obſervandum eſſe eos tunc temporis irregulares evaſiſſe , qui Baptiſmum morbo correpti ſuſceperant ; hinc & Clerus & plebs ægre ferebant , quod Novatianus conſecratus eſſet Sacerdos . Hanc egregiam pro iſta diſciplina affert rationem Canon. 12. Concilii Neo- ,, cęſarienſis : " Quod non ex propoſito ,, fides ejus , ſed ex neceſſitate deſcen- ,, dit : ,,Qui enim in ea morbi circumſtantia Baptiſmum ſuſcipiebant , magis ex neceſſitate quam ex fidei propoſito , & ardore accipiebant . Hunc exprobrat nævum Novatiano Cornelius his verbis : " Quoniam minime licebat quemquam in ,, lecto propter morbum baptizatum , ſic- ,, ut huic contigerat , in Clerum aſſumi . Quocirca Fabianus precibus ſedavit & Clerum ,& populum ut pacifice Novatianum haberent ut Presbyterum , quem uti talem ex miſericordia , & per diſpenſationem conſecraverat . Quidam autumant eum prius chriſmatum fuiſſe ; ſed dato quod fuerit , Reſpondet P. Alexander diſſ. 12. 2. Sæculo §. 5. Novatianum potuiſſe , omiſſa Confirmatione , ordinari , quia iſtud Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem .

Reſpondeo Secundo diſtinguendo : Novatianus reliqua circa Baptiſmi cæremonias non percepit , concedo : reliqua circa Confirmationem , ſuodiſtinguo ; & poſtea ſuſcipere potuit a ſancto Fabiano , concedo : & iſta vocabula indigitant Confirmationem non eſſe Sacramentum a Baptiſmate diſtinctum , nego . Duo diſtinguenda ſunt , & nuſquam confundenda , ea ſcilicet quæ ſpectant cæremonias Baptiſmi in ſe conſiderati ; alterum vero de adjacentibus , nimirum de Confirmatione & Euchariſtia , quæ immediate poſt Baptiſmum conferebantur , quæque ideo a SS. Patribus , modo Baptiſmi religio , modo etiam Baptiſmi appendices vocantur . Cuncta certe fuerant prætermiſſa in Novatiano : cæremoniæ quidem Baptiſmi , quippe qui in lectulo extrema agens fuerat tinctus ; ſic & nunc ingraveſcente mortis periculo reſpectu infantis , omittuntur ; ſed nec Confirmationem , nec Euchariſtiam acceperat Novatianus , quod ſignificat ſanctus Cornelius his verbis : " Morbo tandem elapſus , neque cetera . . . . acquiſivit . ,,

Inſtat : Quæ ſunt ex inſtitutione Eccleſiaſtica dubio procul non habent Sacramenti rationem ; ſed chriſmatio ſimul cum Baptiſmo conferenda non niſi Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectat ; ſic enim ait ſanctus Cornelius : " Neque cetera qui- ,, bus poſt Baptiſmum ſecundum Eccleſiæ ,, Canonem imbui oportuerat , acquiſivit . Ergo &c.

Reſpondeo primo retorquendo argumentum . Igitur & Euchariſtia non eſt Sacramentum , quandoquidem erat de numero eorum quæ non receperat Novatianus ; ex quo liquet iniquitatem Dallæi ſibi ipſi mentiri ; dum per verba laudata Confirmationem e numero Sacramentorum expungere contendit .

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo minorem : Cæremoniæ particulares Baptiſmi ſunt de Inſtitutione Eccleſiaſtica , concedo : ipſa Confirmatio , ſubdiſtinguo : quoad uſum , concedo : quoad ſe , nego . Obſerves velim , quod eo loci loquatur B. Cornelius de cæremoniis Baptiſmi , quas tametſi omiſſas , Novatianus ſanus tamen evadens non ſuſcepit , ſicut mos eſt Chriſtianorum ; ultro tamen fatemur præceptum Confirmationis pro uſu eſſe de inſtitutione Eccleſiaſtica , nuſquam vero ipſam Confirmationem , quam apprime diſtinguit ſanctus Pontifex a cæremoniis Baptiſmi ſubjungens : " Neque ab Epiſcopo obſignatus fuit . ,,

Urget : Atqui illa conſignatio ad Spiritum ſanctum recipiendum ſpectat ſolum Baptiſma juxta mentem ſancti Cornelii . Ergo &c. Probatur ſubſumptum . Pergit : ibidem S. Papa : " Quo quidem neuti- ,, quam potitus , quomodo quæſo Spiri- ,, tum ſanctum adeptus eſt . " Profecto ait Dallæus , per Baptiſmum datur Spiritus ſanctus . Igitur ſanctus Cornelius non de alio Sacramento quam de Baptiſmo

ſer-

ſermonem habet, alias contradictorie loqueretur.

Reſpondeo primo, ſanctum Pontificem non Baptiſmi, ſed Confirmationis Sacramentum dicere omiſſum; unde mirum prorſus cuilibet videri debet, Dallæum aliquid pro ſua ſententia ex hoc velle ſubripere.

Reſpondeo ſecundo negando ſubſumptum. Ad probationem, auctoritate S. Cornelii ſuſultam, diſtinguo: Et ſanctus Pontifex unum tantummodo improperat Novatiano, nimirum quod non recepiſſet Spiritum ſanctum ad robur, concedo; ad regenerationem, nego. Spiritus enim ſanctus ad varios datur effectus in diverſis Sacramentis; hoc qui negaverit, ille in rebus Theologicis hoſpitem ac peregrinum ſe eſſe probat. In Baptiſmo enim ad regenerationem & innocentiam Spiritus ſanctus datur; in Confirmatione, ad robur; in Penitentia, ad remiſſionem peccatorum; in Ordinatione, ad ſacrum Miniſterium, ad actus Hierarchicos & Eccleſiæ regimen, &c.

Perſiſtit: Eugenius IV. ſic loquitur in Decreto inſtructionis Armenorum: "Loco illius manus impoſitionis per quam Apoſtoli dabant Spiritum ſanctum, in Eccleſia dari Confirmationem. " Igitur nihil eſt commune inter Confirmationem hodiernam, & manuum Apoſtolicarum impoſitionem; maxime vero cum nunc accedat chriſmatio, accedant & aliæ cæremoniæ Apoſtolis ignotæ.

Reſpondeo, diſtinguendo: Et hoc unum probat, non eſſe eamdem omnino materiam pro Confirmatione, qualis erat tempore Apoſtolorum, concedo; & hoc probat Confirmationem non eſſe Sacramentum, nego. Eugenius edocet Armeoos Confirmationem eſſe novæ legis Sacramentum, dicendo eumdem effectum produci per Sacramentum quod Confirmationis nomen obtinuit, qualis per manuum impoſitionem Apoſtolicam conferebatur.

Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus in libro de variis Capitulis Eccleſiaſticis cap. 16. ſcribit impoſitionem manuum vel iſtis etiam temporibus eſſe Confirmationis materiam, cui ad majorem effectus explicationem adjicitur unctio. Eo loci quintuplicem diſtinguit manuum impoſitionem; alteram Confirmatoriam pro Neophytis, alteram Reconciliativam pro Hæreticis pœnitentibus; alteram Sacerdotum conſecrativam; alteram ad ſanandos ægrotos, & expellendos dæmones; alteram qua pater benedicit filios ſuos; ſic Jacob cum filium ſuum Joſeph benediceret, manus ei impoſuit. Tum ſubjungit ille Præſul de impoſitione manuum loquens: "Cum vero pro Confirmatione, ſive Ordinatione impenditur, non jam pro ſola oratione, ſed etiam pro Sacramento habenda eſt, quam ſancti Patres iterari prohibuerunt."

§ III.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex ratione Theologica, eaque multiplici deſumitur.

PRIMA ſic exponitur: Nomine Sacramenti Confirmationis intelligimus ſignaculum, ſeu ſigillum & unctionem, qua ſignificatur unctio interior, immo & ſpiritum ſeptiformem ſignantem nos ad robur, ut fortes evadamus in prælio adverſus mundum & diabolum. Atqui datur hujuſmodi Sacramentum, Ergo &c.

Iſta ratio eſt Divi Athanaſii Epiſt. ad Serapionem, editionis Pariſienſis, ex interpretatione Petri Nannii Allemariani pag. 846. ubi de iſto Sacramento ſic habet: "Signaculum dicitur, & eſt Spiritus ſanctus; etenim Joannes ſcribit ut vos unctionem accepiſtis ab eo, ut maneat in vobis, nec opus habetis ut quiſquam vos doceat, ſed ſicut illa unctio ſpiritus ejus docet vos de omnibus." Rurſus in Iſaia Propheta cap. 61. ſcriptum eſt: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me.*

Eſt quoque Catechiſmi Concilii Tridentini, part. 2. de ſacramento Confirmationis num. 3. "Clariſſima, *ait*, habemus hujus rei teſtimonia tum a Divo Ambroſio, in eo libro, quem *De his qui initiantur*, inſcripſit: tum a Divo Auguſtino in libris quos adverſus Petilliani Donatiſtæ epiſtolas edidit, quorum uterque adeo de hujus Sacramenti veritate nihil dubitari poſſe exiſtimavit, ut eam multis Scripturæ etiam locis doceat ac confirmet; quare aliter quidem

verba.

,, verba illa Apoſtoli : *Nolite contriſtare*
,, *Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis*;
,, aliter vero quod in Pſalmis legitur : *Sic-*
,, *ut unguentum in capite quod deſcendit in*
,, *barbam, barbam Aaron*; tum illud ejuſ-
,, dem Apoſtoli : *Charitas Dei diffuſa eſt in*
,, *cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui*
,, *datus eſt nobis*; ad Confirmationis ſa-
,, cramentum referri teſtatus eſt. ,,

Altera hæc eſt : Nedum naſci ſpiritualiter, ſed & augeri atque perfici indigemus. Atqui ad hoc augmentum requiritur gratia ſpecialis conferenda per ſpeciale Sacramentum, quæ ideo Confirmatio vocatur : Ergo &c.

Sanctus Thomas hic quæſt. 72. art. 1. ea ratione probat ex profeſſo Confirmationem eſſe novæ legis Sacramentum :
,, Dicendum, *inquit*, quod Sacramenta
,, novæ legis ordinantur ad ſpeciales gra-
,, tiæ effectus : & ideo ubi occurrit ali
,, quis ſpecialis effectus gratiæ, ibi ordi-
,, natur ſpeciale Sacramentum... Mani-
,, feſtum autem eſt, quod in vita corpo-
,, rali ſpecialis quædam perfectio eſt,
,, quod homo ad perfectam ætatem perve-
,, niat, & perfectas actiones hominis age-
,, re poſſit. Unde Apoſtolus dicit 1. Co-
,, rinth. cap. 13. *Cum autem factus ſum*
,, *vir, evacuavi quæ erant parvuli*; & inde
,, eſt etiam quod præter motum genera-
,, tionis quo aliquis accipit vitam corpo-
,, ralem, eſt motus augmenti, quo ali-
,, quis perducitur ad perfectam ætatem;
,, ſic igitur & vitam ſpiritualem accipit
,, homo per Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis
,, regeneratio; in Confirmatione autem
,, homo accipit quaſi quamdam perfectam
,, ætatem ſpiritualis vitæ. ,,

Tertia : Ubi occurrit difficultas ſpecialis ſuperanda ad ſalutem conſequendam, tum ſpeciale Sacramentum exigitur, quo ſpeciale auxilium ad hoc conferatur; ſed non ſemel occurrunt hoſtes qui fidem noſtram variis oppugnent tentationibus : Ergo &c.

Egregia iſta ratione Catechiſmus Romanus citato loco probat num. 5. Confirmationem eſſe Sacramentum a Baptiſmate longe diſtinctum. " Præterea, *inquit*,
,, quoniam novum atque diſtinctum Sa-
,, cramenti genus conſtituendum eſt, ubi
,, animus in novam aliquam difficulta-
,, tem incurrit, facile perſpici poteſt,
,, quemadmodum Baptiſmi gratia ad men-
,, tem fide informandam indigemus, ita
,, etiam maxime conducere fidelium ani-
,, mos alia gratia confirmari, ut nullo
,, pœnarum, ſuppliciorum, mortis peri-
,, culo, aut metu, a veræ fidei confeſſio-
,, ne deterreantur. Quod quidem cum ſa-
,, cro Confirmationis chriſmate efficiatur,
,, ex eo aperte colligitur, hujus Sacra-
,, menti rationem a Baptiſmo diverſam
,, eſſe : Quare Melchiades Pontifex utri-
,, uſque diſcrimen accurata occaſione per-
,, ſequitur, ita ſcribens : In Baptiſmate
,, homo ad militiam recipitur, & in Con-
,, firmatione confirmatur ad pugnam. In
,, fonte Baptiſmatis Spiritus ſanctus pleni-
,, tudinem tribuit ad innocentiam; in
,, Confirmatione autem perfectionem ad
,, gratiam miniſtrat : In Baptiſmo rege-
,, neramur ad vitam, poſt Baptiſmum ad
,, pugnam confirmamur : In Baptiſmo ab-
,, luimur, poſt Baptiſmum roboramur :
,, Regeneratio per ſe ſalvat in pace Ba-
,, ptiſmum recipientes, Confirmatio ar-
,, mat atque inſtruit ad agones,,

Fit ſatis Objectionibus Dallæi.

OPPONIT : Chriſmatio & impoſitio manuum, quæ Confirmatio dicitur, eadem eſt ac ea quæ a Presbyteris in Baptiſmo datur : ſed ſicut Presbyteralis impoſitio manus, ſic & Chriſmatio conſtituunt Sacramentum a Baptiſmate indiſtinctum. Ergo &c. Probatur major : Walafridus Strabo qui IX. florebat ſeculo, Lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 26. ſic ſcribit : " Syl-
,, veſter inſtituit ut Presbyter baptizatum
,, chriſmate liniat propter occaſionem
,, tranſitus mortis; quod ſi a Diacono,
,, vel quolibet alio homine baptizatus, ca-
,, ſu ante Confirmationem tranſierit, cre-
,, dendum eſt non perire propter hoc. ,,
Ergo &c.

Confirmatur : Chriſma quo utitur ſimplex Sacerdos in Baptiſmate, idem eſt ac illud quo Confirmatio confertur; quinimmo iſta cæremonia Presbyteralis dat Spiritum ſanctum, teſte Strabone Lib. de Inſtitutione Clericorum cap. 28 ubi dicit : " Spi-
,, ritum ſanctum per chriſmatis unctionem
" in Baptiſmate vigorem conferre fideli-
,, bus cœleſtis gratiæ. ,, Ergo &c.

Reſpondeo Walafridum, ut ex terminis liquet, Confirmationem habere ut Sacramen-

mentum a Baptiſmate diſtinctum ; & hoc expreſſius habetur ibidem, aitque : " Pri-
,, mis temporibus impoſitione manuum
,, baptizatum confirmari ſolitum fuiſſe ,
,, quod in Samaria Petrum feciſſe legitur
,, & Joannem , quæ Confirmatio & tunc
,, ad primos Eccleſiæ Paſtores pertinuit ,
,, & nunc pertinere non dubitatur ; un-
,, de in Canonibus ſæpe interdicitur Pre-
,, sbyteris , ne chriſma conficiant , neque
,, baptizatos in fronte conſignent , quod
,, ſolis debetur Epiſcopis .

Reſpondeo ſecundo cum Natali Alexandro diſſert. 10. 2. Sæculi §. 18. Decretum Sylveſtri laudatum, eſſe ementitum & ſuppoſititium ; unde nego minorem . Ad probationem, dato & non conceſſo, verba Beati Sylveſtri eſſe genuina, diſtinguo : Et eo loci ſermo tantum eſt de chriſmatione baptiſmali , concedo ; hujus rei argumentum eſt , quod ibi fiat mentio etiam Diaconi baptizantis , ad quem certe non ſpectat chriſmare ; & ibi ſermo eſt de chriſmatione confirmativa , nego . Unum tamen obſervandum eſt , Walafridum in ea fuiſſe opinione, ut chriſmatio baptiſmalis omiſſa, & poſtea in caſu mortis a Presbytero collata, ipſum Confirmationis effectum ſuppleret . In ea quoque verſatur ſententia Rabanus Lib. de Inſtitutione Clericorum cap. 28. ubi ſic loquitur : " Ac deinde profecto patet, quia
,, quicumque non eſt Chriſti , regni ſui
,, particeps fieri nequit , ideoque neceſ-
,, ſarium eſt ut ſtatim ſuccurratur bapti-
,, zato cum chriſmatis unctione, ut Spiri-
,, tus ſancti participationem accipiens ,
,, alienus a Chriſto non exiſtat. ,, Sed ſi hujuſmodi auctores plus æquo tribuerunt unctioni Presbyterali , nuſquam tamen Confirmationis Sacramentum abnuerunt .

Ad confirmationem diſtinguo : Eſt idem chriſma , ſed diverſa forma , immo & diverſus effectus , concedo ; ſecus, nego . Nam baptiſmalis chriſmatio non eſt Baptiſmi neceſſaria materia , ſed ſolummodo cæremonia , quæ non niſi ex opere operantis gratiam confert, & hoc ad renovationem ſeu regenerationem, ſed non ad robur , ut iterum atque iterum dictum eſt .

Inſtat : Alenſis part. 4. q. 24. membro 1. & S. Bonaventura in 4. diſt. 1. art. 1. q. 1. quaſi afferunt Confirmationem eſſe Concilii Meldenſis adinventum : Igitur etiam non diffitentibus Doctoribus Catholicis omni exceptione majoribus , Confirmatio non eſt novæ legis Sacramentum .

Reſpondet P. Natalis Alexander ibidem §. 24. in hoc erraſſe illos Doctores , qui propria & non Eccleſiæ ſententia locuti ſunt , antequam illa quæſtio in Concilio plenario totius Eccleſiæ liquaretur . Porro in Tridentino Seſſ. 6. Can. 1. ita definitur : *Si quis Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta , aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem , videlicet Baptiſmum , Confirmationem , &c. Anathema ſit* .

Sanbovius tract. de Confirmatione , & Extrema Unctione art. 6. de Confirmatione ſub finem reſpondet , illos Theologos propugnare Confirmationem fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutam , non quidem immediate , ſed mediate , quod ſufficit ; hoc eſt , Chriſtum mandaſſe Apoſtolis , ut illo ritu ſanctum darent Spiritum .

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo : Confirmatio eſt inventio Concilii Meldenſis , quantum ad præceptum & uſum , concedo ; quoad ſe , nego . Et ſic utroque modo explicantur ſancti Doctores .

Dices : Sanctus Thomas hic quæſt. 72. art. 1. ait, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum non exhibendo , ſed promittendo . Igitur non eſt ex inſtitutione Chriſti .

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum ante Paſſionem , quod ſortiretur efficaciam poſt ſuam Reſurrectionem , & Aſcenſionem , concedo ; ſecus , nego . Primum in die Pentecoſtes , abſque Sacramenti adminiculo , Spiritus ſeptiformis deſcendit ſuper Apoſtolos , deinde vero ſuper reliquos fideles Sacramenti Confirmationis auxilio . Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres in reſponſione ad 1. his verbis : " Chriſtus
,, inſtituit hoc Sacramentum non exhi-
,, bendo , ſed promittendo , ſecundum il-
,, lud Joannis 16. *Si non abiero , Paracle-*
,, *tus non veniet ad vos , ſi autem abiero ,*
,, *mittam eum* : & hoc ideo quia in hoc
,, Sacramento datur plenitudo Spiritus ſan-
,, cti , quæ non erat danda ante Chriſti
,, Reſurrectionem & Aſcenſionem , ſe-
,, cundum illud Joan. 7. *Nondum erat*
,, *Spiritus datus , quia Jeſus non erat glo-*
,, *rificatus* .

Re-

Reponis Dallæus, vel ipſos Doctores Catholicos inter ſe non convenire de materia hujus Sacramenti: aliis propugnantibus impoſitionem manuum eſſentialem, aliis chriſmationem, quibuſdam balſamum veluti etiam de eſſentia habentibus, quibuſdam non; ſed in Sacramento a Chriſto inſtituto cuncta debent eſſe certa. Igitur Confirmatio non eſt ſacramentum novæ legis.

Reſpondeo, Theologos convenire de ſigno ſenſibili juxta Eccleſiæ determinationem, quæ nunc exigit chriſmationem; jam vero quænam partes materiæ ſint eſſentiales, tradidit diſputationi eorum.

Dices: Per Sacramenta Chriſto conformatur homo. Sed per Confirmationem non videtur homo conformari Chriſto; non enim legitur eum fuiſſe confirmatum: Ergo &c.

Reſpondeo, Nego minorem; quandoquidem confirmatus aſſimilatur Chriſto quantum ad vitæ perfectionem & augmentum; ſic reſpondet Divus Thomas quæſt. 72. art. 1. ad 4. his verbis: " Dicendum „ quod hi qui Confirmationem accipiunt, „ quæ eſt Sacramentum plenitudinis gra- „ tiæ, Chriſto conformantur, in quantum „ ipſe a primo inſtanti ſuæ conceptionis „ fuit plenus gratiæ & veritatis, ut di- „ citur Joan. 1.

SYNOPSIS PROBATIONUM

Confirmatio eſt Sacramentum novæ Legis.

PRIMO hoc probatur validiſſime ex Scriptura ſacra Actuum 8. ubi dicitur Petrum & Joannem per impoſitionem manuum fidelibus ſanctum dediſſe Spiritum: quæ quidem cæremonia juxta Patrum interpretationem eſt vere ſacramentalis.

Secundo, concinunt utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis Patres, & hoc ipſum definivit ſancta Synodus Tridentina Seſſ. 7. can. 1.

Tertio, non deſunt rationes quibus probetur Confirmationem eſſe novæ legis ſacramentum. Ea potiſſimum eſt a Catechiſmo Romano allata part. 2. num. 4. ubi ſpecialis difficultas occurrit ſuperanda in negotio ſalutis, tum ſpecialis gratia exigitur per Sacramentum conferenda. Porro non ſemel contingit multos fidelium fidem, modo minis, modo vi aperta, modo etiam blanditiis & promiſſionibus impugnare. Igitur requiritur Sacramentum ad robur, quod Latini Confirmationem, Græci vero *μύρον* ex chriſmate odorifero nuncupant.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Concedimus Apoſtolos abſque Confirmationis Sacramento ſanctum miraculoſe ſuſcepiſſe Spiritum in die Pentecoſtes; ſed quod tunc conceſſum eſt illis per viſibilem Spiritus ſancti deſcenſum, hoc ipſum & ceteris fidelibus miſericorditer conceditur per Confirmationis ſacramentum: primitus quidem per impoſitionem manuum, ad quam nonnunquam etiam ſigna conſequebantur ad fidei propagationem, ita tamen, ut obſervant Theologi, quod cæremonia primario eſſet ad deſcenſum Spiritus ſancti inviſibilem in animam per chariſmatum dona, ſecundario vero ad gratias gratis datas.

Secundo: Neque etiam diffitemur, immo & affirmamus Spiritum ſanctum conferri in Baptiſmo, ſed ad innocentiam & regenerationem, non vero præciſe ad robur pro fide coram tyrannis profitenda. In Baptiſmate etiam manus imponuntur, & fit chriſmatio, ſed hæc eſt tantum verticalis. Quocirca Confirmatio eſt Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum; cum autem a Patribus velut ejus appendix celebratur, hoc unum intendunt, ſcilicet primis temporibus immediate fuiſſe collatum.

Tertio: Neque vero manus impoſitio Confirmatoria confundenda eſt cum Reconciliativa, quamvis enim, maxime apud Orintales in utraque appareat eadem materia, non tamen eadem forma.

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA,

DE

VENERABILI ET AUGUSTISSIMO

EUCHARISTIÆ

SACRAMENTO.

HETERODOXI inania meditati ſunt circa divinam Euchariſtiam; eam quippe non niſi ut vacuum habent Sacramentum; ſicut enim Baptiſmum ut merum fœderis inter Deum & homines ſignaculum, ſic & ſacratiſſimum Altaris Sacramentum eſſe ventilant, cum inter eos alii in eo corporis & ſanguinis Chriſti mendacem typum ſolummodo admittant: alii, quod & erroneum eſt, tranſubſtantiationem abnegent. Sed contra quod vel ipſe Chriſtus Joan. 6. ait: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.*

Dogma de præſentia reali Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia quatuor potiſſimum momentis demonſtratur.

PRIMO, Quia Chriſtus eſt ibi ſubſtantialiter.

Secundo, Quia per panis & vini tranſubſtantiationem.

Tertio, Quia permanenter.

Quarto, Quia per verum Sacrificium.

ARTICULUS PRIMUS.

Num Corpus & Sanguis Chiſti ſint ſubſtantialiter in ſacra Euchariſtia?

OPeræ pretium eſt primum hic texere quinam fidem Euchariſtiæ temerare auſi ſint.

SECTIO PRIMA.

Hiſtoria critica eorum qui bellum indixere Chriſto realiter in Euchariſtia præſenti.

ORTUS.

PRIMO: Capharnaitæ veritatem præſentiæ realis impugnarunt, non quidem ſcriptis, ſed verbis: ſic enim legitur Joan. 6. *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi ...... Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum?*

Secundo: Simon Magus Sacramentariorum videtur eſſe Parens; ille ſiquidem cum diſcipulis, ut ait ſanctus Ignatius martyr Epiſtola ad Smyrnenſes, cujus verba Theodoretus Dialogo 3. refert, nec Euchariſtiam, nec oblationes admittebat, quippe qui veram Chriſti carnem abjiceret.

Tertio: Manichæos, & Eutychianos bellum etiam venerando Myſterio indixiſſe, quidam non ſine fundamento autumant; ſiquidem priores Verbum divinum veram aſſumpſiſſe carnem negabant, alii vero carnem fuiſſe per divinitatem abſorptam effutiebant.

Quarto: Octavo Sæculo quidam Stercoraniſtæ appellati, concedebant quidem corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, ſed ibi eſſe corruptibile, non ſecus ac cibus communis eſt, ſomniabant. Eos refellit ſanctus Joannes Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 14. Verum illi omnes, demptis Capharnaitis, non niſi indirecte præſentiam

tiam Domini realem in Euchariſtia tentaverunt.

PROGRESSUS.

Quinto: Non ſine magno ſcandalo Sacramentum Euchariſtiæ debellavit Berengarius Andegavenſis Archidiaconus anno 1051. quem ideo S. Thomas hujus hæreſeos architectum appellat. Varios hic Protheus ſeminavit errores; primus fuit quo pueros eſſe baptizandos negaret, ita Guitmundus Lib. 1. contra Berengarium: Tum docuit corpus Chriſti eſſe tantum in Euchariſtia, ſicut res ſignificata in ſuo ſigno eſt, ſubindeque Euchariſtiam non vere & realiter, ſed figurative ſolum Chriſti carnem, & ſanguinem continere: Hæc de illo ſcribunt Lanfrancus, Guitmundus, & Algerus. Error iſte primum damnatus eſt anno 1055. Berengarius vero pro prima vice reſipuit, ſed paulo poſt in eamdem prolapſus hæreſim, ipſam iterum quoque in Concilio Romano ſub Nicolao II. anno 1509. ejuravit.

Verum levis ille homo vix melior factus, in hunc alium incidit errorem, aſſerendo integram panis ſubſtantiam poſt conſecrationem in Euchariſtia remanere; nec niſi accidentaliter panem conjungi corpori Chriſti, eo ſcilicet modo, quo unum ſuppoſitum poteſt alteri conjungi localiter; hinc tranſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti de medio tollebat: quem tamen nævum etiam in alio Concilio Romæ habito anno 1079. jam Octogenarius ejurare ſolemniter, hoc exigente Eccleſia, non dubitavit. Ac tandem Catholicus, ut pie creditur, anno 1088. die Epiphaniæ obiit.

Tametſi Berengarius juxta multorum opinionem poſt ultimam retractationem conſtans in fide permanſerit, & ſit in pace Chriſti defunctus, ſuorum tamen errorum peſtifera reliquit ſemina. Referente enim Petro Cluniacenſi Epiſt. 1. & 2. Petrus de Bruis negavit corpus & ſanguiguinem Chriſti in Euchariſtia realiter contineri; cujus mala placita diſſeminavit Henricus, a quo Enriciani; ita ſanctus Bernardus, qui eum impugnat Epiſt. 24. Porro vivebat Petrus de Bruis anno 1116. Henricus vero anno 1140. Iſtorum inhærens veſtigiis Petrus Waldo Lugdunenſis Mercator & Waldenſium parens, ſi credamus ſancto Antonino in ſua Summa Theologiæ non abſimilia prædicavit. Præſentiam realem pariter impugnarunt Albigenſes: Hos in ore gladii, videlicet ſermonibus & diſſertationibus, ſeptem annorum ſpatio impugnavit ſanctus Dominicus, & ad meliorem frugem revocavit.

Sexto: Anno 1378. Joannes Wicleſus Anglus varias evomuit contra Eccleſiam Romanam blaſphemias, tum veritatem Euchariſtiæ acrius debellavit, docendo ſubſtantiam panis & vini ibi remanere, Chriſtum non eſſe in Sacramento Altaris identice realiter, & in propria præſentia corporali.

Septimo: Anno circiter 1517. Martinus Lutherus natione Saxo, Profeſſione Auguſtinianus, omnibus modis conatus eſt realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia deſtruere, ſed vi verborum inſtitutionis ſe victum affirmat, ut patet ex ſua ad Argentinenſes Epiſtola, ubi ſic habet: " Verum ego me captum video; nulla elabendi via relicta eſt; textus enim Evangelii nimis apertus, & patens, facile convelli non poteſt: " Poſtea vero ſtatuit non eſſe articulum fidei, remanere ſubſtantiam panis & vini. Ita ſcribit in libro de captivitate Babylonica. Tum tandem biennio poſt ſcripſit ad Henricum VIII. Angliæ Regem, qui eum debellaverat, eſſe articulum fidei panem & vinum remanere, unde vulgaris nunc eſt ſententia Lutheranorum, qui verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, explicant per iſta, *in hoc, cum, hoc ſub hoc pane eſt corpus meum*.

Octavo demum anno ſcilicet 1524. Carloſtadius Canonicus Wittembergenſis, anno vero ſequenti Oecolampadius Monachus, Bucerus pariter Monachus, Zuinglius Rector Parœciæ in Helvetia, partim furore in Catholicam Eccleſiam, partim invidia in Lutherum, cujus ne diſcipuli apparerent, ejus erroribus addere volentes, doctrinam impiam de Euchariſtiæ vacuitate, corporis ſcilicet & ſanguinis Chriſti prorſus inerte, per totam Germaniam, Helvetiam, Belgium, & Angliam, non ſine magno animarum diſpendio diſſeminare non erubuerunt: Quibus cum nomen dediſſet Calvinus anno 1550. Galliam quoque ſuo peſtifero infecit veneno. Hi omnes unico ſacramentariorum nomine

S 2 mine

mine dicti ſunt, ea potiſſimum ratione quod Sacramentis novæ legis, maxime vero Euchariſtiæ bellum indixerint. Hinc ubique in florentiſſimis regnis ſtrages hominum ad defendendam fero novitatem; hinc templorum deſtructio, hinc ſubverſio Altarium, hinc Clericorum & Monachorum ſanguinis ſtupenda effuſio; hic Sanctarum reliquiarum impia crematio: hinc ſicut continentiæ ſic & jejunii contemptus, hinc horror & ubique cædes.

Non abs re erit hic ſubnotare inter Germaniæ Sacramentarios, & Calvinum aliquod eſſe diſcrimen; illud autem in eo ſitum eſt quod priores non tantum dicant carnem, & ſanguinem Chriſti non eſſe realiter ſub ſpeciebus Euchariſticis, & ibi panis & vini ſubſtantias figurative ſolum carnem, & ſanguinem Chriſti repræſentare, ſed & contendunt carnem & ſanguinem Domini, tantummodo per fidem apprehendi; at vero propugnat Calvinus corpus & ſanguinem Chriſti eſſe ſolum in cœlo, nec acquirere novam & ſacramentalem præſentiam ſub elementis viſibilibus, & conſequenter ne quidem per fidem manducari corporaliter; ſubdit tamen ut fucum faciat, in ipſa actuali communione carnem Chriſti vere animabus uniri; immo ab illis myſtice recipi. Ita lib. de Cena Domini & libro 4. Inſtitutionum cap. 17. Ceterum in eodem libro ſcribit ſymbola Euchariſtiæ in terra eſſe poſita, & corpus Chriſti, tantum a nobis diſtare, quantum terra diſtat a celo.

Quid ſi autem corpus illud quod dicit uniri animabus noſtris, dubio procul non de corpore reali loquitur, ſed de virtute ex Chriſti carne ad nos per ſpiritum ejus tamquam per canalem quemdam derivata: Ita Lib. 4. inſt. c. 4. §. 12. Commentario vero in cap. 26. Matthæi, ſubjungit, quod ſi quis per cogitationem non credat hanc virtutem ſibi uniri, illum non recipere corpus Chriſti, ſeu virtutem illam, unde juxta hunc Hæreſiarcham, qui caret fide nihil niſi ſymbola recipit. Sed hæc commenta, in priorum Sacramentariorum errorem coincidunt.

Interitus ſeu Proſcriptio.

DIVUS Joannes Evangeliſta Capharnaitas cap. 6. edocuit, & verbis Chriſti confutavit. Simoni Mago impio præ ceteris ſanctus Ignatius Martyr ſeſe oppoſuit: Manichæos S. Auguſtinus in libris contra Felicem & Adimantum debellavit: Contra Stercoraniſtas doctiſſime ſcripſit ſanctus Joannes Damaſcenus. Adverſus Berengarium adhuc in terris ſuperſtitem ſcripſere Adelmannus Brixienſis Epiſcopus, Hugo Epiſcopus Lingonenſis, Lanfrancus primum Prior Beccenſis, tum Archiepiſcopus Cantuarienſis, Durandus Abbas Toarnenſis in Neuſtria, Guitmundus Averſanus Archiepiſcopus, Algerus Monachus Cluniacenſis. Ipſe vero Berengarius in Conciliis Romanis, in Vercellenſi, & Turonenſi proſcriptus eſt.

Adelmannus in ſua ad Berengarium directa Epiſtola, ut eum ab hæreſi revocaret, iſto brevi ſed efficaciſſimo ab omnipotentia Dei aſſumpto argumento, illius confutat errorem: " Qui enim, *inquit*, dixit in principio, Fiat lux, & facta eſt lux de nihilo, non potuit dicendo de pane, Hoc eſt corpus meum, ita efficere? Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat... vinum ipſum in ſanguinem ſuum transferre."

Hugo Lingonenſis ſcripſit contra Berengarium brevem tractatum de corpore & ſanguine Chriſti: eo loci eum adhortatur ut ſuum captivet in obſequium fidei intellectum, & contra omnipotentiam divinam argumentari deſinat.

Quod ſpectat librum Durandi Toarnenſis de corpore & ſanguine Domini contra Berengarium exaratum, novem partibus conſtat, & in eo multa leguntur, tum ex Scripturis, tum ex Patribus excerpta ad dogma catholicum ſtabiliendum, fidem vero Eccleſiæ de præſentia reali Chriſti in Euchariſtia firmandam & roborandam. Berengarii hæreſim exponit Lanfrancus, & ſancti Auguſtini teſtimonia, quibus ille abutebatur, explanat: Guitmundus vero in ſuo opere de corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritate, Berengarium luculentis Scripturæ ſacræ, & Patrum textibus, tum & miraculorum auctoritate refellit.

Petrus Venerabilis inſurrexit præcipue contra Petrum de Bruis in tractatu dedicato tum Archiepiſcopis Arelatenſi, & Ebredunenſi, tum Epiſcopis Dienſi, & Vapenſenſi.

Ad hæreſes Henrici profligandas Eugenius

Digitized by Google

nius III. Pontifex Maximus Legationem Apoſtolicam commiſit Alberico Hoſtienſi Epiſcopo, qui ſanctum Bernardum legationis ſuæ comitem ſibi adſcivit. Iſte vero concionibus, collationibus, & miraculis innumeros Hæreticos ad fidem convertit. Damnati ſunt Waldenſes primum ab Alexandro III. ſummo Pontifice in Concilio Turonenſi; ſecundo, in Concilio Lumbarienſi a Giraldo Albigæ Epiſcopo, Judicibus ab utraque parte electis, Archiepiſcopo Narbonenſi, Epiſcopo Toloſano, & Agathenſi, Abbatibuſque plurimis approbantibus: Tertio, in Concilio Toloſano anno 1174. habito. Quarto, in Concilio Oecumenico Lateranenſi tertio. Quinto, in Concilio Senonenſi anno 1198. celebrato: adhuc proſcripti ſunt in Concilio Lateranenſi quarto ſub Innocentio IV. Contra eos calamum exercuerunt Ekbertus Abbas, Ebrardus de Retunia Flandrenſis libro cui titulus eſt, *Antihæreſis*, Bernardus Abbas Fontiſcalidi & alii permulti, quorum opera edidit Jacobus Gretſerus Societatis Jeſu, memoratis auctoritatibus ſeſe adjunxit ſanctus Antoninus.

Albigenſes impugnavere Arnaldus Ciſtercienſis Abbas, Petrus de Caſtronovo, & Radulphus ejuſdem Ordinis Profeſſores; ſed inter ceteros refulſit ſanctus Dominicus una cum ſua percelebri familia. In nonnullis Conciliis illorum hæreſes everſæ & contritæ ſunt, ſed præcipue in Avenionenſi, Apamenſi, Vaurenſi, Montis Peſſulani; præſertim vero in Lateranenſi quarto, in quo fides de tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem ita clare declaratur, ut nullus ſit ambigendi locus de mente iſtorum Patrum circa illud dogma; hæc ſunt enim verba capitis primi: " Idem ipſe Sacer-„ dos, & ſacrificium Jeſus Chriſtus, cu-„ jus corpus & ſanguis in Sacramento Al-„ taris ſub ſpeciebus panis & vini vera-„ citer continentur, tranſubſtantiatis pane „ in corpus, & vino in ſanguinem. „

Vviclefum confutarunt Scriptores omni exceptione majores ex omnibus fere Ordinibus regularibus; inter eos eminent Kiningamius Carmelita, Thomas Aſtiburgus Auguſtinianus. Hæreſiarcha proſcriptus eſt in Concilio generali Conſtantienſi; errores profligavit præcipue poſt auctoris mortem Thomas Waldenſis Carmelita tribus tomis, qui inſcribuntur *Doctrinalis antiquitat Eccleſiæ*.

Demum hæreſis Calviniana anathematis telo primum confoſſa legitur in multis Conciliis Provincialibus Germaniæ, Galliæ, & Belgii, tum in ſacro Concilio Tridentino; ſcriptis vero eruditiſſimis eamdem debellarunt inter ceteros Franciſcus Balduinus ſui temporis Juriſconſultorum Princeps, Jacobus Cardinalis Sadoletus, Albertus Pighius Campenſis Theologus Colonienſis, Guillelmus Alanus Anglus, Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus, Angliæ Cancellarius, Nicolaus Sanderus, Claudius Eſpenſis Pariſienſis Theologus, Joannes Tilius Meldenſis Epiſcopus, unus e Patribus Tridentinis, Andreas Vega Ordinis Minorum Profeſſor celeberrimus. Eminentiſſimi Cardinales Bellarminus, & Perronius, Proteſtantium fulmina; Nicolaus Coeffeteau ex Epiſcopo Dardanenſi Maſſilienſis Epiſcopus deſignatus, Cardinalis Richelius, & ætate noſtra eruditiſſimus Dominus Boſſuet Meldenſium Præſul. Aſt non omittendus continuator Perpetuitatis fidei de Euchariſtia, Dominus Renaudotius. His præmiſſis ſit

Synopſis Hiſtoriæ eorum qui Euchariſtiam debellarunt.

IMPUGNATORES,

1. Capharnaitæ.
2. Simon Magus.
3. Manichæi.
4. Stercoraniſtæ.
5. Berengarius.
6. Petrus de Bruis.
7. Albigenſes.
8. Wiclefus.
9. Lutherus.
10. Carloſtadius.
11. Oecolampadius.
12. Bucerus.
13. Zuinglius.
14. Calvinus.

PROPUGNATORES EUCHARISTIÆ.

1. Quatuor Evangeliſtæ, & S. Paulus.
2. S. Ignatius Martyr.
3. S. Auguſtinus. Uterque Cyrillus, & alii

alii SS. Patres & Doctores, in primis S. Thomas Comment. in Evang. &c.
4. Adelmanus Brixienſis.
5. Hugo Epiſcopus Lingonenſis.
6. Lanfrancus.
7. Algerus.
8. Adelmanus.
9. Petrus Venerabilis &c.
10. Varii variarum Academiarum Theologi.
11. Eminent inter omnes, Patres Concilii 2. Nicæni, Conſtantienſis, Florentini, Tridentini, & ceterorum Conciliorum contra Berengarium adunatorum.

SECTIO SECUNDA.

Num de facto præſentia realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia aſſirui poſſit?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

CUM ſæpius inter fidei hoſtes, præſertim vero Calviniſtas verſemur, quibuſcum neceſſe eſt in arenam pro veritate Euchariſtiæ propugnanda, deſcendere, operæ pretium eſt ſacratiſſimum iſtud dogma omni argumentorum genere munire. Ut autem in re tanti momenti ordine procedamus, primo figuras hanc veritatem indigitantes in medium proferre juvat. II. Perpendemus verba promiſſionis per ſingula Joannis capite 6. contenta. III. Tum verba inſtitutionis. IV. Traditionem diſcurrendo per Sæcula omnia, eamque exponemus. 5. Quorumdam Patrum, quos in ſuas trahunt partes Hæretici, genuinam aperiemus mentem. 6. Diſcutiemus utrum Iconoclaſtæ octavo ſæculo præſentiam realem abnuerint. VII. Examinabimus num, ut Miniſtri deblaterant, Paſchaſius Radbertus dogma illud invexerit in Eccleſiam. VIII. In ſtatera juſta ponderabimus librum Ratramni de corpore & ſanguine Domini. IX. Oſtendemus conſenſum perennem utriuſque Eccleſiæ, tum Orientalis, tum Occidentalis a primis ſæculis ad noſtra uſque tempora. Demum firmabimus dogma catholicum rationibus Theologicis efficaciſſimis.

PUNCTUM PRIMUM.

Expenduntur figuræ veteris Teſtamenti præſentiam realem Chriſti futuram in Sacramento altaris deſignantes.

OMNIA, teſte Apoſtolo, apud Judæos contigebant in figuris, quæ miram gratiarum ſupellectilem hominibus per Sacramenta ſuppeditandam ita præludebant, ut adveniente veritate, ipſæ ceſſarent: Atqui non una eſt in veteri Teſtamento Sacramenti Euchariſtiæ ex pane quidem, & vino confecti, atque in corpus & ſanguinem Chriſti tranſubſtantiati figura; Igitur in Euchariſtia non umbra certe inanis & typus, ſed veritas, & realitas, ſed præſentia ſubſtantialis Chriſti in tanto Sacramento adeſt: Ergo &c. Probatur minor ab enumeratione, & explicatione figurarum.

Prima quidem Euchariſtiæ figura eſt panis, & vinum, quæ Melchiſedech Deo obtulit, ut habetur Geneſeos 14. Hæc enim fuiſſe Sacramenti Altaris typum docet Chryſoſtomus Hom. 35. in Geneſim pag. 62. his verbis: " Et vide propter ,, honorem in Patriarcham collatum, ,, quomodo Sacramentum inſinuatur; ob- ,, tulit enim illi panem & vinum, vi- ,, dens typum, cogita oro, & veritatem. Hoc ipſum expreſſe docent, Cyprianus Lib. 2. Epiſt. 3. Arnobius in Pſ. 109. Ambroſius Lib. 4. de Sacramentis cap. 3. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 4. Myſtagogica; Damaſcenus Lib. 4. cap. 14.

Altera ejuſdem Sacramenti figura præclara habetur in panibus propoſitionis, Exod. 23. referente Hieronymo in caput primum ad Titum pag. 109. ubi ſic loquitur: " Tantum intereſt inter panes ,, propoſitionis & corpus Chriſti. quantum ,, inter umbram & corpora, inter ima- ,, ginem, & veritatem, inter exempla- ,, ria futurorum & ea ipſa, quæ per ,, exemplaria figurabantur. ,, Idem aſſerunt Damaſcenus, & Cyrillus modo laudati.

Tertia figura eſt panis primitiarum, de quo Levitici 23. mentio fit, quocirca Irenæus L. 4. cap. 32. pag. 355. vocat Euchariſtiam primitias divinorum munerum in novo Teſtamento.

Quarta: Panis ille Angelicus, de quo fit

Digitized by Google

fit ſermo 3. Regum 19. quo Elias confortatus quadraginta dierum ſpatio ambulavit uſque ad montem Dei Oreb; ſic inquiunt Patres, divina ſagiuati Euchariſtia nos uſque ad montem Dei, in quo Deus facie ad faciem videtur, hoc eſt, uſque ad gloriam pertingimus .

Quinta eaque celeberrima , eſt Agnus Paſchalis, Exod. 13. ſic docet Tertullianus Lib. 4. in Marcionem , Eſichius in caput 23. Levitici; Hierouymus in caput 26. Matthæi ; Chryſoſtomus Homilia de proditione Judæ; in primis vero Auguſtinus Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 37. his verbis pag. 105. " Aliud eſt Pa-
,, ſcha quod adhuc illi (*Judæi*) de ove
,, celebrant , aliud autem quod nos in
,, corpore & ſanguine Domini accipimus.
Dubio-procul ſi ſola adeſſet in Euchariſtia figura , falſum foret beati Auguſtini effatum .

Sexta: Exodi 24. habetur, tum ad Hebræos 9. v. 20. his verbis : *Hic ſanguis teſtamenti , quod mandavit ad vos Deus .* Quam quidem figuram eleganti ſermone explanat Apoſtolus ; quamque ipſe Chriſtus Lucæ 22. v. 20. executioni mandat, dicens; *Hic calix novum teſtamentum eſt in ſanguine meo .* Quæ verba non de Paſſione, ſed de Euchariſtia dicuntur , cum tunc temporis tantum inſtitueret Sacramentum Chriſtus Dominus, qui , ſicut magni veteris legis Sacerdos ſanguine vitulæ totum aſpergebat populum , ſic etiam proprio quaſi aſperſit Apoſtolos, ſingulis eis diſtribuendo calicem .

Ultima eaque inter omnes inſignis figura , & ab ipſo Chriſto explicata , fuit Manna, qua Judæos in deſerto pavit Deus, ut legitur Exodi 16. namque Joan. 6. v. 59. Chriſtus ait : " *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna , & mortui ſunt : qui manducat hunc panem vivet in æternum .* Quibus verbis Dominus Jeſus præfert Euchariſtiam Mannæ , quod dubio-procul non feciſſet , ſi Euchariſtia ſolum eſſet ſui corporis & ſanguinis figura, quandoquidem manna erat cibus manibus Angelorum præparatus , ut habetur Pſalmo 77. omnemque habebat ſaporem, ita ut non ſine magno miraculo unicuique ſaperet quod erat in voto ; e contra vero ſi corpus & ſanguinem ab Euchariſtia detrahas , nihil ibi eſt præter panem uſualem, & vinum commune.

Ambroſius Lib. de initiandis cap. 8. pag. 1235. iſtam ſic explicat figuram : " Re-
,, vera mirabile eſt quod manna Deus pleu-
,, rit Patribus , & quotidiano cœli pa-
,, ſcebantur alimento , unde dictum eſt:
,, Panem Angelorum manducavit homo ;
,, ſed tamen panem illum qui manduca-
,, verunt , omnes in deſerto mortui ſunt.
,, Iſta autem eſca quam accipis , iſte pa-
,, nis vivus qui deſcendit de cœlo , vitæ
,, æternę ſubſtantiam ſubminiſtrat; & qui-
,, cumque hunc panem manducaverit ,
,, non morietur in æternum , & corpus
,, eſt Chriſti . ,,

Sanctus Thomas hic quæſt. 73. art. 6. omnibus abſolvit numeris iſtud argumentum his verbis : " In hoc Sacramento tria
,, conſiderare poſſumus , ſcilicet id quod
,, eſt Sacramentum tantum , quod eſt pa-
,, nis & vinum, & id quod eſt res & Sa-
,, cramentum , ſcilicet corpus Chriſti ve-
,, rum, & id quod eſt res tantum , nimi-
,, rum effectus hujus Sacramenti . Quan-
,, tum igitur ad id quod eſt Sacramen-
,, tum tantum , potiſſima figura fuit hujus
,, Sacramenti , oblatio Melchiſedech , qui
,, obtulit panem & vinum. Quantum au-
,, tem ad ipſum Chriſtum paſſum qui con-
,, tinetur in hoc Sacramento , figuræ
,, ejus fuerunt omnia ſacrificia veteris Te-
,, ſtamenti , præcipue ſacrificium expia-
,, tionis quod erat ſolemniſſimum . Quan-
,, tum autem ad effectum. fuit præcipua
,, ejus figura manna , quod habebat in
,, ſe *omnis ſaporis ſuavitatem* , ut dici-
,, tur Sapientiæ 16. ſicut & gratia hu-
,, jus Sacramenti quantum ad omnia re-
,, ficit mentem . " Subdit vero Agnum Paſchalem quantum ad hæc tria præfiguraſſe Euchariſtiam : " Quantum enim
,, ad primum , quia manducabatur cum
,, panibus azimis, ut habetur Exodi 12.
,, Edent carnes & azimos panes : Quan-
,, tum vero ad ſecundum , quia immo-
,, labatur ab omni multitudine filiorum
,, Iſrel 14. Luna , quod fuit figura Paſ-
,, ſionis Chriſti , qui propter innocen-
,, tiam dicitur Agnus . Denique quantum
,, ad effectum, quia per ſanguinem Agni
,, Paſchalis protecti ſunt filii Iſrael a de-
,, vaſtante Angelo , & educti de Ægy-
,, ptiaca ſervitute . ,, Quod quidem præfigurabat liberationem a ſervitute diaboli per Chriſtum operandam .

Synopſis Figurarum quæ Eucbariſtiam anteceſſerunt.

PRIMA eſt panis, quem cum vino obtulit Melchiſedech. Gen. 14.

Altera, ex panibus propoſitionis conflatur. Exod. 23.

Tertia, panis Primitiarum, Lev. 23.

Quarta, panis ab Angelo Eliæ datus, ut iſto recreatus ad montem Dei Oreb pergeret. 3. Reg. 19:

Quinta, eaque inſignis, Agnus Paſchalis. Exod. 24.

Sexta, ſanguis virtulæ, quo Sacerdos aſpergebat tabernaculum & omnem populum. Exod. 24.

Ultima demum, ſed celeberrima ab ipſo Chriſto explicata Joan. 6. eſt Manna. Exod. 16. Cum autem figura ad veritatem terminetur, ex his figuris veluti ex tot argumentis, aiunt SS. Doctores, liquet Euchariſtiam vere & realiter continere corpus & ſanguinem Chriſti.

PUNCTUM SECUNDUM.

Utrum iſtud Chriſti teſtimonium Joan. 6. PANIS QUEM EGO DABO CARO MEA EST, *de præſentia reali ſit intelligendum?*

MINISTER Claudius, & cum eo alii Proteſtantes negant in hoc loco Chriſtum promiſiſſe daturum ſe hominibus ſicut ſuum corpus manducandum realiter, ſic & ſuum ſanguinem potandum vere; unde quæcumque in hoc ſexto capite continentur, nonniſi metaphorice interpretantur, vel de Verbo incarnato, vel de comeſtione per fidem, vel de verbo Dei habito per conciones. In hanc impegiſſe ſententiam videntur quidam Theologi, inter quos annumerantur Thomas Waldenſis, & Janſenius Gaudavenſis, ſed diverſo prorſus ab Heterodoxis motivo; illi enim non negant præſentiam realem, ſed credunt hoc caput non poſſe urgeri contra Sacramentarios. Contra quos omnes ſit

CONCLUSIO

Teſtimonium laudatum Joannis cap. 6. contentum, invicte probat Chriſtum promiſiſſe daturum ſe Corpus & Sanguinem realiter ſub ſpeciebus Euchariſticis ad ſpiritualem animarum refectionem.

Probatur auctoritate Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum.

Primo, ex ipſa Scriptura.

JOANNIS cap. 6. Chriſtus occaſione aſſumpta ex illo miraculo quo quinque panibus multa hominum milia ſatiaverat, primum adhortatur Judæos ut credant ſe eſſe verum Meſſiam, tum ab hac fide propoſita tranſitum facit ad corpus ſuum in Euchariſtiæ Sacramento dandum, his verbis: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita .... Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Eo loci diſtinguit carnem a ſanguine: tum carnem manducandam eſſe, & ſanguinem ſuum potandum aſſerit: ſed hæc verba neceſſario debent intelligi de manducatione reali carnis Chriſti in Euchariſtia, nuſquam vero de manducatione ſolum ſpirituali per fidem. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primo: Chriſtus ibi comparat, immo præfert Euchariſtiam Mannæ, quod hujus Sacramenti typus fuit: ſed ſi Euchariſtia foret tantum figura corporis Chriſti, vel ſi Chriſtus de ſola manducatione per fidem locutus fuiſſet, Euchariſtiam dubio-procul Mannæ non antepoſuiſſet; quandoquidem Manna fuit etiam corporis Chriſti figura; Iſraelitæ enim qui manducarunt in deſerto, in Chriſtum utique crediderunt, & ſic per fidem corpus Chriſti comederunt. Igitur ex eo quod Chriſtus Euchariſtiam Mannæ anteponat, ſequitur eam realitate corporis & ſanguinis ejus refertam.

Secundo: Chriſtus ibidem ait: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*; at, ſi ejus caro ſola fide manducaretur, illa non eſſet vere cibus, neque ſanguis ejus vere potus, ſed metaphorice tantum; namque ſicut os, & guttur animæ tantum metaphorice tribuuntur, ita &

ejus

ejus cibus & potus erit tantum cibus & potus metaphorice, nuſquam vere & proprie, quod eſt contra Scripturæ teſtimonium.

Tertio: Judæi audientes Chriſtum hæc verba proferentem: *Litigabant ad invicem dicentes: quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Immo multi ex diſcipulis Chriſti, hæc audientes ex illis verbis ſcandalizati ſunt, dixeruntque: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Sed ſi Chriſtus de ſpirituali tantum manducatione per fidem locutus fuiſſet, abſque negotio facile ſcandalum ſedare potuiſſet, omnem amovere difficultatem, dicendo verba a ſe prolata, nonniſi de manducatione per fidem eſſe intelligenda, quod tamen non fecit, quinimmo tanti myſterii fidem futuræ ſue Aſcenſionis miraculo roborat: *Hoc vos*, ait, *ſcandalizat: ſi ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius;* quaſi volens rem unam mirabilem, alia æque mirabili confirmare.

Quarto: Solebat Chriſtus ſi quid obſcurius turbis propoſuiſſet, explicare diſcipulis ab eo exigentibus, ut patet Joan. c. 3. cum enim Nicodemo dixiſſet: *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei*: hoc Nicodemus intelligens de nativitate juxta ordinem naturæ habenda, Chriſtus ſtatim ea quæ dixerat ad nativitatem ſpiritualem ſpectare docuit. Pari & conſimili modo, cum Matthæi cap. 16. monuiſſet diſcipulos cavendum eſſe a fermento Phariſæorum, & illi de fermento quod turgeſcit, hoc intelligerent, Chriſtus ſe loqui de doctrina Phariſæorum teſtatur: idem fecit Matthæi cap. 13. de parabolis ſeminantis, & zizaniorum, quomodo ſcilicet forent intelligendæ; ſed nulla fuit unquam occaſio major, nullave urgentior neceſſitas ſuum explicandi ſenſum diſcipulis, quam cum de Euchariſtia eo loci inſtituit ſermonem, & tamen non magis ſeſe explicuit Chriſtus, immo Judæos incredulos ab eo ſecedere paſſus eſt. Tum ad diſcipulos converſus dixit: *Numquid. & vos vultis abire?* Quaſi diceret, myſterium propoſui in quo carnem meam dabo vere manducandam, ad quod credendum fide opus eſt, qui non vult credere, abeat.

Secundo, ex Conciliis.

CONCILIA in eo protſus ſenſu explicant caput 6. Joannis; inprimis Alexandrinum approbatum: Synodus Epheſina Generalis in ſua ad Neſtorium Epiſtola exponit illa Chriſti verba: *Niſi manducaveritis &c.* de perceptione corporis, & ſanguinis Domini. Eleganti ſermone idem peragit ſecundum Nicænum Oecumenicum actione 6. cui ſuffragatur Tridentinum, quod quidem ſeſſione 13. cap ſecundo hæc ejuſdem Chriſti verba: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*; de eadem realitate explicat. Ergo &c.

Tertio, ex ſanctis Patribus.

SUCCINUNT ſancti Patres, qui a Chriſto nato idem caput juxta ſenſum litteralem de Euchariſtia interpretati ſunt, maxime vero ſanctus Ireneus Lib. 4. Origenes Lib. 16. in L. Numer. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 4. Ambroſius Lib. de initiandis, cap. 8. Cyrillus Alexandrinus in caput 6. ſancti Joannis; ſanctus Leo Homilia 6. Theoduretus de jejunio ſeptimi menſis; Theodoretus Lib. 4. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 2. Non injucundum erit, neque inutile aliquorum textus hic referre.

Sanctus Cyprianus Lib. de oratione Dominica pag. 268. celebris eſt interpretationis datæ teſtis; ſic enim loquitur de Chriſto. " Quando ergo dicit in æternum
" vivere, ſi quis ederit de ejus pane; ut
" manifeſtum eſt eos vivere qui corpus ejus
" attingunt, & Euchariſtiam jure communicationis accipiunt: ita contra ti-
" mendum eſt, & orandum, nedum quis
" abſtentus ſeparatur a Chriſti corpore,
" procul remaneat a ſalute, comminan-
" te ipſo, & dicente: Niſi ederitis car-
" nem Filii hominis, & biberitis ſangui-
" nem ejus, non habebitis vitam in vo-
" bis; & ideo panem noſtrum, id eſt,
" Chriſtum dari nobis quotidie petimus,
" ut qui in Chriſto manemus, & vivi-
" mus, a ſanctificatione ejus, & corpore
" non recedamus. "

Sanctus Hilarius Pictavienſis Lib. 8. de Trinitate, ejuſdem et libri: " De ve-
" ritate, *inquit*, carnis, & ſanguinis
" non

„ non relictus eſt ambigendi locus, nunc „ enim & ipſius Domini profeſſione, & fi- „ de noſtra, vere caro eſt & vere ſanguis „ eſt .... Quod autem in eo per Sacra- „ mentum communicatæ carnis, & ſangui- „ nis ſimus, ipſe teſtatur dicens ... Quo- „ niam ego in Patre meo, & vos in me, „ & ego in vobis: ſi voluntatis tantum „ unitatem intelligi vellet, cur gradum „ quemdam atque ordinem conſummandæ „ unitatis expoſuit? niſi ut cum ille in „ Patre per naturam divinitatis eſſet, nos „ contra in eo per corporalem ejus nativi- „ tatem, & ille rurſum in nobis per Sa- „ cramentorum ineſſe myſterium crede- „ retur .... Quod autem in nobis natura- „ lis hæc unitas ſit, & ipſe ita teſtatus eſt, „ qui edit carnem meam, & bibit ſan- „ guinem meum, in me manet, & ego „ in eo. „ Quibus verbis ſanctus Doctor os loquentium iniqua obtrudit, probando ex ipſo Scripturæ contextu Chriſtum in nobis eſſe non deſiderio tantum, & voluntate, ſed unitate quadam naturali per Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus Hom. 45. in Joannem fol. 47. ſimilia prorſus dicit: „ Unum, *ait*, corpus ſumus, & membra „ ex carne, & oſſibus ejus ..... Ut au „ tem non ſolum per dilectionem, ſed rei- „ pſa in illam carnem convertamur: per ci- „ bum id efficitur, quem nobis largitus eſt. „ Cum enim ſuum in nos amorem indica- „ re vellet, per corpus ſuum ſe nobis com- „ miſcuit, & in unum nobiſcum redegit, „ ut corpus ſuum cum capite uniretur; „ hoc enim amantium maxime eſt, hoc „ Job ſignificabat de ſervis, a quibus „ maxime amabatur, qui ſuum amorem „ præ ſe ferentes, dicebant: Quis daret no- „ bis ut ejus carnibus impleremur? Quod „ Chriſtus fecit ut majori nos charitate „ aſtringeret; & ut ſuum in nos oſten- „ deret deſiderium, non ſe tantum vide- „ ri permittens deſiderantibus, ſed & „ tangi, & manducari, & dentes carni „ ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes im- „ pleri .... Parentes ſæpe-numero libe- „ ros ſuos aliis alendos dederunt, ego au- „ tem mea carne alo, me his exhibeo „ omnibus, faveo, omnibus optimam de fu- „ turis ſpem præbeo ... Veſter ego fra- „ ter eſſe volui, & communicavi carnem, „ propter vos, & ſanguinem &c. „ Sanctus Doctor futura Calvini & Zuinglii commenta quaſi prævidens perſtrinxit ſuo ſtylo cenſorio, aſſerens fideles Chriſtum ipſum in Euchariſtia tangere, ipſius carne ali, & foveri, quæ quidem omnia cum ſola figura cohærere non poſſunt. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

Ex hoc capite de ſumptis.

OBJICIUNT: Chriſtus Dominus in hoc capite, non niſi de pane ſpirituali, & myſtico loquitur: Ergo &c. Probatur antecedens: Citra dubium Chriſtus, commemorato pane materiali, quem multiplicaverat, mentionem facit de ſpirituali in ſubſequente, his verbis: *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi.* Atqui eodem modo loquitur Chriſtus de tertio pane quem eo loci promittit: Igitur eſt quoque mere ſpiritualis; probatur minor. *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita ...... Hic eſt panis qui de cælo deſcendit: non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt; Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: Eodem modo loquitur Chriſtus de tertio pane, ac de ſecundo quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, maxime ea quæ ejus ſpectant naturam, nego. Tria potiſſimum in illo pane ſubnotanda ſunt, & nuſquam omittenda; videlicet principium, ſeu cauſa illius panis; deinde vero ejus natura, tertio loco effectus ſimul, & digna præparatio ad illum ſumendum. Originem habet e cœlo; effectus eſt dare vitam æternam: os quo ſumitur, fides eſt, & ſimul os corporalis. Denique ejus natura in eo ſiſtit quod præcontineat corpus, & ſanguinem Domini. Porro uterque panis cœleſtis eſt, ſic & utriuſque effectus vita æterna; uterque etiam ſumitur ore fidei, ſed inſuper Euchariſticus, *Premitur dentibus*, inquit Auguſtinus. Denique natura prioris eſt ipſe Chriſtus incarnatus, ut fidei noſtræ objectum; poſterioris vero eſt idem Chriſtus in Euchariſtia realiter contentus.

Quod

Quod autem hic ſit genuinus Scripturæ ſenſus, ex antecedentibus, & conſequentibus patet : ex antecedentibus quidem ; ut primum enim Chriſtus dixit : *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, habetur, *litigabat ergo Judæi ad invicem dicentes, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum ?* Ecce turbatio, atque diſceptatio, quando Chriſtus loquitur de tertio pane ; nulla vero fuit, cum de pane mere ſpirituali locutus eſt ; ſed nedum ex illa conſequentia, verum etiam ex his aliis quæ Chriſtus ſubjunxit, affulget veritas, maxime cum ſubdit, *Caro enim mea vere eſt cibus ; & ſanguinis meus vere eſt potus*.

Sanctus Auguſtinus hæc omnia clariſſime explanat in hæc verba Joannis 6. v. 27. *Operamini, non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*. Ait enim tractatu 25. in Joannem pag. 90. Chriſtum voluiſſe promovere auditores ad fructum ſpiritualem ex Euchariſtia percipiendum, quem certe, ſecluſis ſanctis vivæ fidei diſpoſitionibus, nullus percipit ; quocirca dicit : " Hoc eſt ergo manducare cibum, ,, non qui perit, ſed qui permanet in ,, vitam æternam. Ut quid paras ven- ,, trem, & dentes ? crede, & manducaſti. ,, Multiplicatis namque panibus, populi iterum ad panem terreſtrem inhiabant ; ſic enim legitur Joannis 6. v. 26. *Reſpondit eis Jeſus, & dixit, Amen, amen dico vobis : quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis ; operamini non cibum qui perit &c.* Sanctus Auguſtinus ibidem pag. 89. hanc tradit interpretationem, & ſic loquitur : " Expectabas, credo, ,, iterum panes manducare, iterum di- ,, ſcumbere, iterum ſaginari ; ſed dixerat ,, cibum non qui perit, ſed qui permanet ,, in vitam æternam : quomodo dictum ,, fuerat mulieri illi Samaritanæ : Si ſci- ,, res quis eſt qui petit a te bibere, tu ,, forſitan poſtulaſſes ab eo &c. ,,

Denique idem ſanctus Doctor Tractatu 11. in Joannem mira dicit, quibus abſque negotio propelluntur impetus adverſariorum, qui quorumdam Patrum ſuffulti auctoritate, myſtice aut ſubobſcure caput 6. Joannis interpretantium, etiam realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia explodere conantur ; oſtendit enim ſanctus Præſul non eſſe neceſſe omnibus pandere myſteria, ſed ſolummodo fidelibus baptizatis, & abſque veritatis diſpendio ænigmatice nonnumquam loquendum eſſe ; ſic igitur intonat explicans iſta Chriſti verba apud Joannem cap. 2. v. 24. pag. 41. *Jeſus non credebat ſemetipſum eis*. Subdit ſanctus Auguſtinus : " Tales ſunt omnes Ca- ,, techumeni, ipſi jam credunt in nomi- ,, ne Chriſti, ſed Jeſus non ſe credit eis, ,, intendat, & intelligat charitas veſtra, ,, ſi dixerimus Catechumeno, credis in ,, Chriſtum ? reſpondet, credo, & ſignat ,, ſeu cruce Chriſti, portat in fronte, & ,, non erubeſcit de cruce Domini Dei ,, ſui : ecce credit in nomine ejus : inter- ,, rogemus eum, Manducas carnem filii ,, hominis, & bibis ejus ſanguinem ? ne- ,, ſcit quid dicimus, quia Jeſus non ſe ,, credidit eis. ,,

Tractatu 6. in Joannem pag. 94. aliter loquitur de baptizatis : ,, Norunt, *ait*, ,, fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chri- ,, ſti non negligant eſſe. ,, Iterum Serm. ,, 46. de verbis Domini, iſta Chriſti verba, *Qui manducat meam carnem*, explicans, dicit : " Qui audiſtis hæc, nondum omnes ,, intellexiſtis ; qui enim baptizati, & ,, fideles eſtis, quid dixerit, noſtis ; qui ,, autem inter vos adhuc Catechumeni, vel ,, Audientes vocantur, potuerunt eſſe, ,, cum legeretur, audientes, numquid & ,, intelligentes ? ,, Denique Sermone in Pſalmum 109. iſtam œconomiam aperte juſtam prædicat his verbis pag. 327. " Fidelibus loquor, ſi quid non intelli- ,, gunt Catechumeni, auferant pigri- ,, tiam, feſtinent ad notitiam ; non ergo ,, opus eſt myſteria promere. ,,

Urgens : Chriſtus in eodem capite errorem Capharnaitarum corrigit, dicendo ; *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus* : hæc enim mere ſpiritualiter intelligenda ſunt, ſicut & Joannis 15. *Ego ſum vitis vera*. Ergo &c.

Reſpondeo negando, verba laudata myſtice ſolum intelligi, unde & nego paritatem ; Chriſtum enim eſſe vitem per ſimilitudinem, & non per proprietatem docet ipſe, dum ſubdit, *Pater meus agricola eſt*. Quis autem ſanæ mentis dixerit Chriſtum eſſe vitem, nos palmites, Patrem vero æternum hujuſce vitis agricolam ? At vero Dominus Jeſus ſuum confirmat de realitate corporis ſui in Euchariſtia dictum, iterum atque iterum pronuntiando car-

nem

Digitized by Google

nem ſuam eſſe cibum, ſanguinem vero ſuum potum, & tantum Sacramentum nobilius eſſe Manna, quippe quod ſit cibus producens vitam æternam. Patres jam laudati ſic interpretantur iſta promiſſionis Euchariſtiæ verba.

Perſiſtunt: Chriſtus miſericordia commotus tandem myſterium pandit Capharnaitis, ſubjungendo verba ſua ſpiritualiter, & de fide Euchariſtiæ intelligenda eſſe; ſic enim legitur ibidem v. 62. *Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis, hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius? Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam: verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt: ſed ſunt quidam ex vobis qui non credunt.* Igitur non loquitur eo loci niſi de cibo fidei & ſpirituali.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Euchariſtia ore fidei ſimul & reali ſumenda eſt, concedo: ore tantum fidei, nego: Ad probationem etiam diſtinguimus: Caro ſecundum ſe ſumpta non prodeſt quicquam, concedo: caro ut Verbo unita, inquit Tertullianus, nego. Carnem Chriſti propter unionem hypoſtaticam vivificatricem eſſe uno veluti calamo ſcribunt Patres; cum autem Capharnaitæ humano tantum modo carnem Chriſti manducandam eſſe intelligerent, ideo Chriſtus ſubjunxit carnem nihil prodeſſe; quod quidem duplici concipitur modo, videlicet de carne ſecundum ſe ſumpta & manducanda, veluti ea quæ in macello venditur: deinde vero de manducatione, vel indifferenti, vel etiam impia, & ſecluſis tum fidei, tum amoris diſpoſitionibus.

Sanctus Auguſtinus iſtam tradit interpretationem Tractatu in Joannem, ubi explicans iſta verba, *Caro non prodeſt quicquam*, loquens de Capharnaitis, ſubjungit: "Sed quomodo illi intelle-
„ xerunt? carnem quippe ſic intellexe-
„ runt quomodo in cadavere dilaniatur,
„ aut in macello venditur, non quomo-
„ do ſpiritu vegetatur . . . . . Accedat
„ ſpiritus ad carnem . . . . . . & prod-
„ eſt plurimum: nam ſi caro non prod-
„ eſſet, Verbum caro non fieret . . . .
„ ſicut illi intellexerunt carnem, non
„ ſic ego do ad manducandum carnem
„ meam."

Replicant: Chriſtus in eodem capite loquens de pane Euchariſtico, ait: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* non niſi de manducatione ſpirituali hoc ipſum intelligit. Ergo &c. Probatur antecedens ex eodem capite, ubi Chriſtus ipſe ait ſe manere in eo qui illum ſumit, ſumentem vero alternata vice in ipſo manere; ſic enim habetur v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Atqui non manemus in illo corporaliter. Igitur nec ipſe in nobis per Euchariſtiam, adeoque de manducatione mere ſpirituali & figurata verba promiſſionis intelligenda ſunt.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem nego, Chriſtum loqui de manducatione tantummodo ſpirituali, quandoquidem hæc manducatio ſimul & ſacramentalis eſt, exhibens, ſeu potius ſuſcipiens quod in ſacramento realiter continetur, ut conſtat ex probationibus.

Ad confirmationem diſtinguo: Non manemus corporaliter in Chriſto, ipſius divinitatem comprehendendo, concedo: Sacramentum corporis Domini recipiendo nego; namque realiter eſt in noſtro corpore. Hinc Paſchaſius mirabundus exclamat: *o Deus ſubſtantia mea!* Igitur & Chriſtus nos continet, juxta illud Auguſtini effatum, qui Chriſtum in Euchariſtia ſic loquentem inducit: Non tu me mu-
„ tabis in te, ſicut cibus carnis tuæ, ſed
„ tum mutaberis in me. Continemus vero Chriſtum ratione ſpecierum ſub quibus tegitur.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus mirum in modum hanc explicat Chriſti in nobis inhabitationem Lib. 1. in Joannem pag. 862. & 863. "Dicat, *inquit*, nobis
„ aliquis cauſam, & vim Eulogiæ myſticæ
„ obiter doceat: nam cur in nobis inſe-
„ ritur? nonne ut Chriſtum inhabitare
„ faciat in nobis etiam corporaliter,
„ participatione & communione ſanctæ
„ ſuæ carnis?

Reponunt: In eodem capite comparat Chriſtus Euchariſtiam quantum ad uſum cum Manna: ſed Apoſtolus hæc explicans 1. ad Corinth. 10. ait, *Patres noſtri omnes eſcam eamdem ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt*: iſti vero non manducaverunt carnem Chriſti niſi ſola fide: Igitur nec nos aliter in Euchariſtia manducamus.

Simili-

Similiter Divus Auguſtinus aſſerit patres antiquos eamdem nobiſcum eſcam manducaſſe. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Et comparatio eſt quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego. Senſus Beati Cyrilli eſt, Judæos ore manducaſſe manna, nos quoque etiam manducare ore carnem Chriſti, ſed non in ſpecie ſenſibili, bene vero ſacramentali. Ad confirmationem dico, Apoſtolum loqui ſolummodo de Judæis qui eamdem inter ſe eſcam manducavere in deſerto, ſed non eamdem nobiſcum.

Ad Auguſtinum diſtinguo: Judæi eamdem etiam nobiſcum eſcam manducaverunt in deſerto quoad ſignificationem, concedo: eamdem quoad rem, nego. Senſus eſt Euchariſtiam per manna fuiſſe præfiguratam. Auguſtinus ipſe ſuam prodit mentem Tom. 6. Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. pag. 105. his verbis: " Aliud eſt Paſcha quod adhuc illi de ove celebrabant, aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus. " Eo loci ſanctus Doctor opponit Agno Paſchali corpus Dominicum: quæ ſententia non foret vera, ſi Euchariſtia eſſet tantummodo Chriſti figura, ſicut Agnus Paſchalis & manna erant.

Fuſiori calamo indagatur mens Beati Auguſtini circa illud caput.

OBJICIES: Sanctus Auguſtinus locum illum Joannis, *Niſi manducaveritis*, una cum SS. Clemente Alexandrino, Baſilio & Hieronymo, intelligit de manducatione ſpirituali & myſtica; nam Tractatu 26. in Joannem, ad illa verba, *Hic eſt panis de cælo deſcendens*, ſic loquitur: " Credere enim in eum, hoc eſt, manducare panem vivum. " Ergo &c.

Reſpondeo primo, Divum Auguſtinum loqui de initio capitis 6. Joannis, non vero de fine: quod ſi de fine, ut videtur colligi ex verbis citatis, ipſemet etiam capud illud 6. litteraliter explicat his verbis ibidem ad hæc verba, *Qui manducat meam carnem . . . habet vitam æternam*; ſic enim ait: " Hanc ergo non habet, qui iſtum panem non manducat, nec iſtum ſanguinem bibit; nam temporalem vitam ſine illo habere homines poſſunt; qui ergo non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, non habet in ſe vitam: & qui manducat ejus carnem, & bibit ejus ſanguinem, habet vitam æternam. " Tum paulo poſt: " Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. "

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Sumit Auguſtinus iſta verba myſtice, non excludendo ſenſum litteralem, concedo: excludendo, nego. Jam vero norunt omnes quod Scriptura ſacra multos ſubeat ſenſus; modo enim illam ſancti Patres ſumunt in ſenſu ſpirituali, modo in litterali & obvio. Porro ſanctus Auguſtinus in loco citato non loquitur de manducatione corporis Chriſti, ſed de ſola manducatione intellectuali divinitatis Chriſti, quam appellat per metaphoram manducationem panis & vini, quia meditatio divinitatis ſupremum eſt animæ pabulum; quod autem hic ſit ſenſus legitimus, patet ex ejus verbis in principio hujus tractatus adductis: " Daturus ergo Dominus, *inquit*, Spiritum ſanctum, dixit ſe panem qui de cœlo deſcendit, hortans ut credamus in eum: credere enim in eum, hoc eſt manducare panem vivum. "

Adde quod Divus Auguſtinus contendat non ſufficere ad gratiam conſequendam ore manducare corpus Chriſti, niſi in corde manducetur, id eſt, cum fide & charitate; ſic mentem ſuam aperit ad illa verba, *Si quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*. " Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. " Paulo ante locutus fuerat de illa muliere quæ Chriſtum tetigerat: " Quid eſt, *inquit*, tetigit, niſi quia credidit? "

Inſtabis: Idem ſanctus Doctor Libro 3. de Doctrina chriſtiana cap. 16. regulam tradit qua ſenſus litteralis Scripturæ diſtinguitur a ſpirituali, his verbis: " Si præceptiva locutio, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem jubens, non eſt figurata locutio; ſi autem flagitium videtur jubere, figurata eſt locutio. " Dein-

Deinde in exemplum affert hæc verba Joannis cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*: " Facinus, *inquit*, vel flagitium videtur jubere, figura eſt: ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recolendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit. "

Ut iſta graviſſima difficultas ſolvatur, obſervandum primo, figuram non excludere ſemper præſentiam rei, ſed quandoque ab illa abſtrahere, quandoque etiam veritatem & realitatem continere; ſic Filius Dei Heb. 1. dicitur *figura ſubſtantiæ paternæ*: item, *imago Dei*, ut patet 2. Cor. cap. 4. Rurſus, *forma Dei*, ut in Epiſtola ad Philippenſes: ſic idem Auguſtinus Lib. 8. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. unctionem pedum Chriſti dicit a Magdalena factam, quæ vulgo ab hominibus non levius putabatur fuiſſe ſignum amoris Magdalenæ erga Salvatorem. Jam vero illa figura non excludit veritatem amoris; ſic pariter Apoſtolus dicit Abraham habuiſſe duos filios, unum de libera, alterum de ancilla, quæ per allegoriam dicta ſunt: veritas tamen eſt quod Abraham habuerit duos filios: figura vero, quod illi præfiguraverint duo Teſtamenta, novum ſcilicet & vetus.

Secundo obſervandum venit duplex eſſe figuræ genus, aliud ſcilicet verborum, aliud vero ſententiarum; figura verborum eſt cum ſignificatio propria vocum transfertur ad aliquid ſignificandum, ut cum dicitur, *prata rident*, & hæc figura ex omni parte eſt metaphorica. Figura vero ſententiarum eſſe intelligitur, cum verba propriam ſignificationem retinentia aliud ulterius deſignant, ut in exemplo Abraham allato, quippe qui vere duos filios habuerit.

His prælibatis, reſpondeo primo regulam illam non eſſe univerſaliter tenendam, ſi abſque reſtrictione ſumatur, quod multis exemplis oſtendit Cardinalis Perronius, quæ licet facinus jubere videantur, ſunt tamen litteraliter ſumenda; Primum exemplum eſt immolatio Iſaaci: ſecundum, ſpoliatio Ægyptiorum: tertium, deſtructio Amalecitarum.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Manducare carnem Filii hominis eſt flagitium in ſenſu Capharnaitarum, concedo: in ſenſu Chriſti & Eccleſiæ, nego. Quiſnam ſit Capharnaitarum ſenſus ſupra oſtenſum eſt, vel ipſo Auguſtino interprete; flagitium eſt ergo in ſenſu illorum: ſancti Doctoris verba ſic explicat Guitmundus Epiſcopus Averſanus libro de veritate Euchariſtiæ contra Berengarium.

Reſpondeo tertio diſtinguendo: In Euchariſtia videtur flagitium, ſi caro manducanda & diſcerpenda ſit, ut caro quæ in macello venditur, quomodo intelligebant Capharnaitæ, concedo: manducanda modo ſacramentali, qui fit diviſione & abſorptione ſpecierum, intactis manentibus & corpore & ſanguine Domini, nego. Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres, quippe qui eo loci doceat eſſe tantummodo flagitium dilacerare carnem Chriſti, qualiter in cruce fuit diſcerpta, quocirca ait: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis*: " Facinus vel flagitium videtur jubere, figura eſt: ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recolendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit. " Igitur ex Auguſtino illa caro Euchariſtica ore ſimul & fide manducanda eſt.

Eodem prope modo loquitur ſanctus Doctor in Pſal. 98. pag. 452. Tom. 8. ubi Chriſtum Capharnaitas alloquentem ſic inducit: " Spiritualiter intelligite quod locutus ſum: non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent; Sacramentum aliquod vobis commendavi: ſpiritualiter intellectum vivificabit vos. " Sed quomodo Sacramentum ex mente Auguſtini, niſi quia caro Chriſti in Euchariſtia non manducatur ut cibus uſualis, verum partim ore, partim etiam fide: alias non prodeſt quidquam, ſed potius nocet, ſcilicet impiis: hinc idem Auguſtinus exponens illa verba, *Hic eſt ergo panis qui de cælo deſcendit, ut ſi quis manducaverit ex ipſo, non moriatur*: ait: " Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile ſacramentum; qui manducat intus, non qui manducat foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. "

Inſtant: Cum ſanctus Auguſtinus agit de

de locutionibus, tum quæ beneficentiam vetant, tum quæ flagitium videntur jubere, utriuſque generis duo exempla profert, & prioris quidem ex Eccli. c. 12. his verbis: *Ne ſuſcipias peccatorem*: & Joannis cap. 12. *Qui amat animam ſuam, perdet*; poſterioris vero affert pro exemplo duplex teſtimonium: primum eſt Proverbiorum cap. 25. his verbis: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum ...... prunas enim congregabis ſuper caput ejus*: & illud Joannis 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*: prima teſtimonia figuram involvunt, ſenſus litteralis & proprii excluſivam; igitur etiam teſtimonium ex Joanne depromptum.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Et illud quoque exemplum de manducatione Chriſti, & potatione ejus ſanguinis, figuram involvit ſenſus litteralis Capharnaitarum excluſivam, concedo: ſenſus litteralis quem intendit Chriſtus & Eccleſia, nego. Figura ſolum eſt, ubi eſt flagitium; ſed juxta modum quo Chriſtiani manducant Chriſtum, non eſt flagitium; ita hunc locum jam a Berengario objectum explicat Guitmundus Lib. 11. de veritate Euchariſtiæ.

Perſiſtunt: Sanctus Auguſtinus explicans illa Chriſti ad Diſcipulos verba, *Si videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius*, Tractatu 27. in Joannem ſic loquitur " Quid eſt hoc? hinc ſolvit quod „ illos moverat? hinc aperuit unde fue„ rant ſcandalizati? hinc plane, ſi in„ telligerent. Illi enim putabant eum „ erogaturum corpus ſuum: ille autem „ dixit ſe aſcenſurum in cœlum, utique „ integrum. „ Igitur ex Auguſtino Chriſtus non in Euchariſtia, ſed in cœlo eſt; hoc ipſum declaratur Joannis 12. cum Chriſtus partes agens Magdalenæ adverſus Judam furem, obmurmurantem de effuſione unguenti ſuper caput ſuum, ait: *Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*: & iterum Joannis 16. *Ego relinquo mundum*.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Chriſtus eſt in cœlo ſecundum ſpeciem naturalem, concedo: ſpeciem ſacramentalem, nego. Chriſtus eſt hujuſce ſenſus interpres, cum iiſdem dixit Diſcipulis, *vado & venio ad vos*: hoc eſt, vado in cœlum, ut ibi juxta conſtitutionem naturalem ſedeam; ſed venio ad vos per Euchariſtiam.

Sanctus Auguſtinus nihil ultra profert; namque poſt verba modo allata hæc ſubjungit: " *Cum videritis Filium hominis aſcen„ dentem ubi erat prius*; certe vel tunc vi„ debitis, quia non eo modo quo putatis, „ erogat corpus ſuum; certe vel tunc in„ telligetis, quia gratia ejus non conſu„ mitur morſibus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Iſtud Chriſti teſtimonium Joan. 6. PANIS QUEM EGO DABO, CARO MEA EST, *de præſentia reali intelligitur*.

PRIMO. Hoc claret ex ipſo Scripturæ textu; Chriſtus enim eo loci promittit panem diverſum a pane uſuali quo cibaverat turbas, & a fide incarnationis, quæ eſt panis myſticus. Supereſt igitur eum, quem promittit, ita eſſe ſpiritualem, ut ipſam realitatem involvat.

Secundo. Teſtimonium de præſentia reali interpretantur Patres: Cyprianus quidem Lib. de orat. Dom. Hilarius Pict. Lib. 8. de Trin. S. Chryſoſt. Hom. 45. in Joan. &c.

Tertio. Ut primum Heterodoxi illo abutentes teſtimonio, realitatem exſufflare tentarunt, abſque mora Synodi adunatæ ſunt, quæ eorum profligarent errorem: ut Romana, Vercellenſis, Turonenſis contra Berengarium, Tridentina adverſus Calviniſtas.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Tametſi Chriſtus ibidem Joan. 6. dicat verba ſua ſpiritualiter intelligenda eſſe, loquitur ſolum in ſenſu oppoſito Capharnaitis, quia ita cæcutiebant, ut crederent carnem Chriſti eodem modo dilacerandam & manducandam, ſicut ea quæ in macello venditur.

Secundo. Judæi manducaverunt eamdem inter ſe eſcam, videlicet omnibus illis communem, ſed non nobis, niſi ſignificative; ſimiliter manna quo Deus Judæos pavit in deſerto, idem fuit cibus cum noſtro quoad aliquid, quatenus ſcilicet præſentiam realem in Euchariſtia præfigurabat.

Tertio. Nec ab hac fide diſcedit ſanctus

ctus Auguſtinus: licet enim caput Joan. 6. myſtice nonnumquam explicet, non tamen ſenſum realem & obvium excludit, ut legenti Tract. 26. in Joan. & Lib. 3. de Doctr. chriſt. cap. 16. patebit: & ſi quando aſſerat flagitium eſſe manducare carnem Chriſti, citra dubium loquitur in ſenſu Capharnaitis oppoſito: ita ut ſenſus ſit, flagitium eſſe velle manducare carnem Chriſti, non ſecus ac carnem quæ in macello vendenda exponitur.

PUNCTUM TERTIUM.

Num verba inſtitutionis ad litteram, ut ſonant, intelligenda ſint?

HUNC in errorem divertere deſideraſſet Lutherus, ut realitatem corporis Chriſti ab Euchariſtia prorſus exploderet, ut ipſemet teſtatur, videlicet ad impugnandam Eccleſiam Romanam, & debellandum Papam; verum vi verborum ſe victum aſſerit: ſed quod adimplere non potuit, effecit Zuinglius, dicens ſe admonitum ab Angelo fuiſſe, verba inſtitutionis non niſi figurative eſſe ſumenda. An foret albus ille nuntius, an niger, ſe neſcire affirmat. " Ut ut ſit, *inquit*, „ eum acceperim me per hanc doctrinam „ magnum nocumentum allaturum Papi- „ ſtis, hanc alio edocui. „ Eum ſecuti ſunt omnes Calviniſtæ, & tota miniſtrorum iniquitatis caterva. Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Hæc verba, Hoc eſt corpus meum: hic eſt enim ſanguis meus *: demonſtrative probant Chriſtum eſſe realiter præſentem in Sacramento Euchariſtiæ.*

PROBATUR VARIIS CAPITIBUS.

Primo, ex Evangelio.

PRIMO: Matt. 26. & Marci 14. dixit Jeſus: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*. Rurſus Lucæ cap. 22. *Hoc iſt corpus meum quod pro vobis datur: hic eſt calix, novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Ibi Evangeliſtæ inducunt Chriſtum dicentem ſe dare corpus ſuum realiter in Sacramento, ſicut illud ipſum dedit realiter cruci, & morti commiſit: ſeque dare ſanguinem eo modo quo illum fudit, ſcilicet realiter. Igitur verba iſta clare & diſerte ſignificant Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia ſubſtantialiter contineri.

His accedit quod Dominus Euchariſtiam inſtituens, ſuum conderet teſtamentum, ut conſtat Lucæ cap. 22. & 1. Cor. cap. 11. at teſtamenta a viris prudentibus non niſi verbis claris fieri ſolent. Quid plura? quando Chriſtus illa protulit verba, tunc erat morti proximus: mos autem inolevit apud homines in ultimo vitæ diſcrimine poſitos, non loqui metaphorice.

Secundo: In more quoque apud Evangeliſtas poſitum eſt, ut quod ab uno obſcurius, id alius enarret clarius: ſic Joannes Baptiſta a Matthæo vocatur *Elias*: ſed in quo ſenſu id accipiendum ſit, aperit S. Lucas his verbis: *Præcedet ante illum in virtute & ſpiritu Eliæ*. Sic Joſeph pater Chriſti quandoque proclamatur: ſed ne dictionis ambiguitate deciperemur, ſanctus Lucas addit, *ut putabatur*. Atqui ubi eſt de inſtitutione Euchariſtiæ ſermo, nullus eorum interpretatus eſt dictum alterius, utendo ſcilicet verbo aut figuræ aut ſigni, ſed unanimi conſenſu uſi ſunt verbo *eſt*, & vocibus *Corporis* & *Sanguinis*: igitur verba inſtitutionis non debent figurative uſurpari.

Tertio: Non magis aperte hæc verba Scripturæ 10. *Ego & Pater unum ſumus*: & 1. Joan. 5. *Hi tres unum ſunt*: probant unitatem naturæ in divinis, quam iſta verba *: Hoc eſt corpus meum: hic eſt enim ſanguis meus, &c.* probant realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia; ſed hoc non obſtante, Sacramentarii illis teſtimoniis ſuperati, unitatem naturæ in divinis tentare, & teſtimonia laudata ad figuras detorquere auſi non ſunt: Igitur nec verba de inſtitutione Euchariſtiæ temerare debent.

Secundo, ex Epiſtola prima ad Corinthios.

ALTER eorumdem verborum irrefragabilis interpres eſt Beatus Paulus Epiſtola 1. ad Corinth. cap. 10. v. 16. ubi ſic loquitur *: Calix benedictionis cui benedicimus*,

dicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? in Græco habetur, *quem benedicimus*. S. Thomas Comment. in iſtud caput lectione 4. fol. 72. edit. Pariſ. 529. ait: " Hic calix . . . . . cui benedicimus id eſt, „ quod nos fideles exaltamus credendo, & „ gratias agendo; vel cui benedicimus, id „ eſt, quem nos Sacerdotes conſecramus, „ nonne communicatio ſanguinis Chriſti „ eſt, faciens nos unum cum ipſo . . . & „ panis quem frangimus, id eſt, ſumptio „ panis fracti in altari, nonne participatio „ corporis Domini eſt, faciens nos unum „ cum Chriſto, quia ſub ſpecie panis ſumitur corpus Chriſti. „

Idem Apoſtolus in eadem Ep. cap. 11. v. 23. rurſus verba inſtitutionis explanat, dicens: *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, hoc eſt, pro vobis crucifigetur: deinde pergit: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Certe ſi Chriſtus foret ſolum in figura, & per fidem in Euchariſtia, impius & hæreticus accipiens cœnam, non eſſet reus corporis & ſanguinis Domini, quando quidem in ſenſu Calvini, qui caret fide, vel hujuſce veritatis actum non elicit, nihil recipit, namque abſente fide, Chriſtus non eſt in cœna, inquit Heterodoxus. Ergo &c.

Tertio, ex ſanctis Patribus.

TERTULLIANUS Lib. 4. contra Marcionem c. 40. pag. 732. ſic loquitur: " In „ calicis mentione teſtamentum conſtituens „ ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam „ corporis confirmavit. „

Sanctus Chryſoſtomus Homilia 27. in primam ad Corinthios, expreſſius fol. 122. loquitur: " Chriſtus, *inquit*, omnibus „ æqualiter dedit dicens: *accipite, comedite*: illud corpus æqualiter dedit: „ tu autem quod commune eſt non communicas; etenim pro omnibus pariter „ fractum eſt, & æqua proportione diſtributum . . . . . ſanguinem guſtaſti Domini„ cum, neque ſic fratrem tuum agno„ ſcis. „ Eo loci perſtringit avaros qui non dant eleemoſynam. Rurſus ibidem pag. 123. impium inſectans, ait: " Tu au„ tem cum panem vitæ acceptas, opus „ mortis exequeris, neque exhorreſcis. „ Porro ſi Chriſtus non ſit in Euchariſtia niſi per fidem, nihil mali facit impius ſumens cœnam, quod eſt & contra Apoſtolum, & contra Chryſoſtomum.

Theodoretus in caput 11. Epiſtolæ 1. ad Corinth. eumdem pag. 104. tenet ſermonem: " Illud autem, *inquit*, *erit reus* „ *corporis*, & *ſanguinis*, hoc ſignificat, „ quod quemadmodum tradidit ipſum „ Judas, ipſi autem inſultarunt, & eum „ probris, & conviciis affecerunt Judæi, „ ita eum ignominia, & dedecore afficiunt, qui ſanctiſſimum ejus corpus „ immundis manibus accipiunt, & in „ pollutum, & inceſtum os immittunt. „ Obſerves ex Theodoreto eodem modo impios improperare Chriſto in Euchariſtia, ſicut, vel ipſi Judæi corpori in cruce pendenti improperarunt: Igitur idem eſt corpus in Euchariſtia quod fuit in ara crucis.

Sanctus Joannes Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 14. pag. 191. mirum in modum verba inſtitutionis explicat: " Non „ eſt, *ait*, figura, panis, & vinum, cor„ poris & ſanguinis Chriſti; abſit enim „ hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini dei„ ficatum, ipſo Domino dicente, hoc „ eſt meum, non figura corporis, ſed „ corpus, & non figura ſanguinis, ſed „ ſanguis. „

Non prætereundus Theophilactus, qui in caput 26. Matth. & in caput 14. Marc. eadem Chriſti verba: *Hoc eſt corpus meum* explicans, ſubjicit: " Oſtendit, quod „ ipſum corpus Domini eſt panis qui „ ſanctificatur in altari, & non reſpon„ dens figura; non enim dixit, hoc eſt fi„ gura, ſed hoc eſt corpus meum. „ Ergo &c.

Eliduntur Calviniſtarum ſpicula.

OBJICIUNT. Primo 1. Corinthior. 10. Apoſtolus Euchariſtiam vocat panem: Igitur non eſt corpus Chriſti. Rurſus Marci cap. 14. habetur: *Non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei*. Quæ verba a Chriſto dicta ſunt de calice conſecrato,

ex quo ſequitur vinum vel poſt ipſam conſecrationem remanere.

Reſpondeo negando utramque conſequentiam; ſiquidem Euchariſtia, licet corpus ſit, & ſanguis Chriſti, interdum tamen in Scripturis panis, & vinum appellatur. Primo, Quia facta eſt converſio panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem: ſolet autem Scriptura eum terminum qui per converſionem exiſtit appellare nomine termini, aut rei ex qua facta eſt converſio, ſic Gen. cap. 2. Eva vocatur *os*, quia ex Adæ coſtula per converſionem facta eſt. Rurſus Joan. cap. 2. vinum ex aqua factum in nuptiis Canæ Galilææ etiam nuncupatur *aqua*. Secundo, Quia Euchariſtia retinet ſimilitudinem panis, & vini; hinc vocari poteſt panis, & vinum, ſicut Gen. cap. 18. Angeli qui habebant exterius hominis ſpeciem, vocantur *viri*.

Quod ad ſecundum ſpectat teſtimonium, poteſt dici Chriſtum non loqui de calice Euchariſtico, ſed de vino adhibito in cœna uſuali. Sanctus Thomas in cap. 14. Marci ſic explicat Chriſti ſententiam: " Sequitur Amen dico vobis, quod & „ Theophylactus. Quaſi diceret, non bibam de vino uſque ad reſurrectionem: „ Regnum enim reſurrectionem vocat, „ quaſi tunc regnaverit contra mortem, „ poſt reſurrectionem vero bibit cum diſcipulis, & comedit oſtendens quod idem „ ipſe eſſet qui paſſus eſt. Novum autem „ bibit illud, id eſt, novo quodam modo „ & alieno. Non enim corpus habebat paſſibile indigens cibo, ſed immortale, & „ incorruptibile. „

Inſtam: Conſtat ex Evangelio, Chriſtum accepiſſe panem, eum benedixiſſe, & fregiſſe, ac dediſſe diſcipulis ſuis dicendo: *Hoc eſt corpus meum*: Igitur id quod Chriſtus dabat ſuis diſcipulis, erat panis ſimul, & corpus ſuum; panis quidem realiter, corpus autem ſuum Sacramentaliter, id eſt, ſignificative, alias falſa eſſet pars illa orationis in qua dicitur Chriſtum panem accepiſſe, fregiſſe, & dediſſe &c.

Reſpondeo negando conſequentiam, & ejus probationem; veritas enim narrationis Evangelicæ requirit, ut id quod Chriſtus dedit diſcipulis, vere fuerit panis, & corpus Chriſti, non ſimul, ſed ſucceſſive: ſicut ergo Chriſtus in Cana Galilææ aquam in vinum convertens, poterat amphoram aquæ plenam manibus tenens dicere, hoc eſt vinum, & eodem inſtanti quo hæc abſolvebat, aquam in vinum vertere, eo quod ſignificatio pronominis demonſtrativi, *hoc*, & veritas propoſitionis practicæ, & factivæ ſui objecti metienda ſit ex inſtanti quo abſolvitur, ita ob eamdem rationem, hæc propoſitio Chriſti panem præ manibus tenentis, ac dicentis, *Hoc eſt corpus meum*, veriſſima fuit, quia cum eſſet practica, & factiva rei quam ſignificabat, ad ejus veritatem ſufficiebat quod in fine illius, hoc quod Chriſtus demonſtrabat, nempe panis, in corpus Chriſti per tranſubſtantiationem tranſiiſſet.

Inſiſtunt: Chriſtus 1. Cor. 11. proferens hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, immediate antea dixerat: *Fregit & dixit: accipite & manducate: hoc eſt corpus meum*. Ex quo ſic arguunt: Corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia niſi eo modo quo frangitur, ſed frangitur in Euchariſtia ſignificative tantum, & non realiter. Ergo &c.

Reſpondeo negando, corpus Chriſti frangi in Euchariſtia: Apoſtolus autem loquitur de pane ante conſecrationem: ſic enim ibidem habetur: *Accepit panem, & gratias agens fregit*. Poteſt tamen dici vel ipſum Chriſti corpus, etiam in Euchariſtia frangi, non quidem ratione ſui, ſed ſpecierum remanentium. Non deſunt qui dicant illud corpus aliquo modo frangi, ſcilicet figurative, quatenus Miſſæ ſacrificium eſt figura Chriſti in cruce immolati, juxta ipſum Chriſti effatum, *Hoc facite in meam commemorationem*. Nec inde ſequitur corpus Chriſti eſſe ſolum figurative in Euchariſtia, propter iſta verba Marc. 16. *Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet a dextris Dei*: Non enim ſemel contingit ſenſum litteralem jungi ſub diverſo reſpectu, cum figurativo; ſenſus igitur eſt: Corpus quod in ara crucis dilaceratum eſt, ſubſtantialiter, facta conſecratione eſt ſub ſpeciebus. Quid mirum cum Chriſtus quandoque ſibi tribuat quod in ſe non factum eſt, ut cum dixit, Luc. 8. *Quis eſt, qui me tetigit?* tactum in ſua impreſſum veſte ſibi appropriat.

Inſtant: Verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, ſunt ſacramentalia; Chriſtus enim

ea

Digitized by Google

ea proferendo Sacramentum inſtituit: Atqui Sacramentum eſt in genere ſigni. Igitur non niſi de ſigno ſui corporis locutus eſt.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Sacramentum eſt in genere ſigni practici, concedo: ſpeculativi tantum, nego. Ex eo quod igitur iſta Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſint ſacramentalia, non recte colligitur illa ſolummodo corpus Chriſti ſignificare; quin potius oppoſitum inferendum eſt, cum enim verba ſacramentalia ſint practica, faciunt quod ſignificant; hinc ſicut illa Baptiſmi, *Ego te baptizo*, vere abluunt, ſic & iſta, *Hoc eſt corpus meum*, corpus Chriſti per tranſubſtantiationem realiter in Euchariſtia præſens conſtituere credendum eſt.

Inſiſtunt: In multis Scripturæ locis verbum *eſt* ſumitur pro *ſignificat*, ut cum 1. Corinth. cap. 10. dicitur: *Petra autem erat Chriſtus*; ſic & cum in Evangelio Salvator de ſe dicit: *Ego ſum vitis vera*. *Ego ſum oſtium*: Igitur non abſimili modo verba iſta, *Hoc eſt corpus meum*, in ſenſu metaphorico ſumenda ſunt.

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem. Ratio diſparitatis ea eſt, quod in aliis Scripturæ locis addatur aliquod ſubjectum, vel prædicatum ex quo allegoricus ſenſus manifeſte deprehenditur v. g. immediate antequam S. Paulus ſcriberet, *Petra autem erat Chriſtus*, dixerat de Hebræis loquens, *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra*; adeoque eo loci ſermo eſt de petra ſpiritali quæ Chriſti figura eſt. Similiter quando Dominus Jeſus dixit ſe eſſe vitem, vel oſtium, determinavit ibi ſe loqui de vite & oſtio ſpiritualiter acceptis, ut ex antecedentibus, & conſequentibus aperte colligitur. At vero in caſu præſenti oppoſitum plane contingit; verba quippe, quæ Chriſtus adjunxit prædicato ſui corporis & ſanguinis dicens, *quod pro vobis tradetur*, *qui pro multis effundetur*, repugnant metaphoræ & allegoriæ, cum quod traditum fuit, & effuſum, non ſint ſolum corporis & ſanguinis Chriſti figuræ, ſed ipſum corpus & ipſe ſanguis.

Perſiſtunt: Luc. 22. refertur Chriſtum dixiſſe: *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo*. Sed quod eſt in calice non eſt teſtamentum niſi metaphorice. Igitur verba quæ Chriſtus adjunxit, nempe *in ſanguine meo*, ſenſum metaphoricum ſpirant.

Reſpondeo negando minorem: Nam ut belle ait Cardinalis Perronius, iſte loquendi modus apud Hebræos uſitatus eſt, ſic apud eos ſacrificium *fœdus* vocatur: fœdus autem & teſtamentum unum ſunt. Legitur etiam Oſeæ 4. oblata pro peccatis, ipſorum peccatorum nomine donari; ſic enim habetur, Sacerdotes *peccata populi mei comedent*; hoc eſt, victimas pro peccatis expiandis oblatas. Igitur cum Chriſti ſanguis ſit victima pro peccatis noſtris, phraſi propria & Scripturæ conſona, fœdus, ſeu teſtamentum novum dici poteſt.

Reponunt: 1. Cor 10. habetur: *Patres noſtri .... omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritualem biberunt*: Atqui non manducaverunt carnem Chriſti niſi ſola fide, & in figura: Igitur a pari nec nos in Euchariſtia recipimus aliter.

Reſpondeo primo, locum Apoſtoli falſo referri ab Hæreticis; hinc enim terminus, *nobiſcum*, non habetur in ſacris paginis, unde S. Paulus eo loci loquitur de ipſis Judæis inter ſe, non vero nobiſcum comparatis. Vult igitur quod antiqui Patres eamdem inter ſe eſcam manducaverint, nulla facta comparatione eorum ad nos. Atque hanc eſſe mentem divi Pauli conſtat, quia inde infert, quod licet omnes Antiqui eamdem inter ſe eſcam ſpiritualem comederint, in pluribus tamen Deo non placebant. Quia tamen S. Auguſtinus quandoque affirmat Patres antiquos eamdem nobiſcum eſcam manducaſſe, ideo

Reſpondeo ſecundo, diſtinguendo majorem: Eamdem eſcam manducaverunt nobiſcum quantum ad ſignificationem, concedo: quantum ad entitatem, ſeu realitatem, nego. Chriſtus enim quem realiter ſuſcipimus, Agno quidem Paſchali præfigurabatur, & non realiter exhibebatur, unde ipſemet Auguſtinus Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 37. eſt ſui ipſius interpres, dum dicit: " Aliud eſt Paſcha, quod illi, *nempe Judæi*, de ove celebrarunt, aliud autem quod nos in corpore, & ſanguine Domini accipimus. "

Urgent: Euchariſtia eſt ſolum Chriſti memoria, juxta illud Lucæ cap. 22. *Hoc fa-*

Digitized by Google

facite in meam commemorationem: Sed memoria eſt tantum rerum abſentium, & non præſentium. Igitur Chriſtus non eſt præſens realiter in ſacro Euchariſtiæ Sacramento.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Euchariſtia eſt commemoratio Chriſti patientis & morientis, concedo: Chriſti ſimpliciter, & præciſe, nego. Solutio eſt Apoſtoli dicentis 1. Corinth. cap. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*: Porro Paſſio & Mors Chriſti jam non ſunt præſentes, quia præterierunt, unde poteſt earum memoria fieri in Euchariſtia, licet ibi Chriſtus realiter exiſtat.

Inſtant: Chriſtus paſſim in Evangelio aſſerit ſe aſcenſurum in cœlum, & in terras non reverſurum: ſed hoc dici non poteſt ſi ſit realiter in Euchariſtia præſens: Ergo &c. Probatur major: Joan. 12. Judæ Iſcarioti obmurmuranti quod Magdalena unguentum pretioſum in amoris ſui argumentum ſuper Chriſtum effudiſſet: *Quare*, inquit, *hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Reſpondit Jeſus: *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud, pauperes ſemper habetis vobiſcum: me autem non ſemper habetis*.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Chriſtus ait ſe poſt Aſcenſionem in terras non reverſurum, ut ibi adſit præſentia ordinaria & familiari concedo: præſentia ſacramentali, nego. Eo loci veritas ſolutionis ſeipſam prodit, quandoquidem Chriſtus ibi loquitur de præſentia qua nobiſcum habemus pauperes: *pauperes*, inquit, *ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*: Id eſt, eo modo quo habetis pauperes, nempe viſibiliter, & humano modo converſantem.

Reponunt: Scriptura teſtatur Chriſtum ſecundum quod attinet ad naturam humanam aſcendiſſe in cœlum, ibique manſurum uſque ad diem judicii, & tunc demum, ſed non ante, ad inferiora hæc loca ſe rediturum, juxta illud Matth. 24. *Tunc parebit ſignum filii hominis in cælo... videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majeſtate*. Ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam; præſentia quippe realis Chriſti in Euchariſtia cum myſterio Aſcenſionis, & perpetua ejus ad diem uſque judicii in cœlo permanentia minime pugnat, ſiquidem non debet cœlum aut deſerere, aut motu locali ex eo deſcendere ut fiat præſens in Euchariſtia. Jam quis non videat S. Matthæum in loco laudato de præſentia viſibili ad judicandos homines, loqui?

Inſiſtunt: Pronomen *hoc*, non denotat corpus Chriſti, ſicut nec pronomen *hic*, ejus ſanguinem: Ergo &c. Probatur antecedens, Quando Chriſtus iſtas proferebat particulas, nondum erat corpus, nondum ejus ſanguis: Igitur illæ particulæ corpus Chriſti non indigitant, alias propoſitio eſſet falſa; quocirca pronomen *hoc*, debet ſumi adverbialiter, ita ut ſenſus ſit, hic ſedet corpus meum, vel ut alii dicunt, ſignificat totam actionem, & ſenſus eſt, hæc tota actio repræſentat corpus meum; alii vero referunt vocabulum *hoc* ad panem, & eorum ſenſus eſt, cenſetur hæc res, ſcilicet panis, corpus meum.

Reſpondeo, pronomen, *hoc*, ſumi poſſe adjective, & ſubſtantive: ſi adjective ſumatur debet concordare cum ſubſtantivo, ſic ſumptum dubio-procul non poteſt demonſtrare panem, ſed ſolum corpus, nam Marcus, & Lucas qui ſcripſerunt græce, ponunt panem maſculini generis, & pronomen in neutro; idem dic de forma calicis. Iſta ratio tanti fuit ponderis pro Theodoro Beza, ut exemplaria fuiſſe deflorata aſſerere non erubuerit; Sicque proprio Scripturæ telo confoſſus manet.

Si vero ſumatur ſubſtantive, tunc ſenſus erit, hæc res eſt corpus meum; ſi autem illa vox *hoc*, ſive hæc res, de pane prædicetur, propoſitio erit ridicula; non enim poteſt dici *hoc*, de re quæ cernitur, & aperte cognoſcitur, niſi illa ſit neutrius generis. Quis enim diceret demonſtrando patrem, hoc eſt pater meus, ſi pater ſit præſens; deberet enim dici, hic eſt pater meus. Neque vero pronomen *hoc*, ſumi poteſt adverbialiter, niſi denotet unum per aliud, ut ſi quis demonſtraret Regem per imaginem ſuam, non poſſet dicere de imagine *hoc*, id eſt, hæc res eſt Rex, ſed dicendum foret, deſignat Regem.

Inſtant: Hebræi non habent genus neutrum. Igitur quando Chriſtus conſecravit panem, dixit, hic eſt corpus meum, id eſt, hic ſedet corpus meum, ſcilicet in iſto pane.

Re-

Reſpondeo, Evangeliſtas qui ſcripſerunt Græce uſos fuiſſe neutro, quod Græcos habere nemo negat: Quod ſpectat ad S. Matthæum qui ſcripſit Hebraice, ultro fatemur Hebræos non habere genus neutrum in pronominibus; ſed impoſuit indoctis Lutherus, nam Hebræi non habent etiam genus neutrum in nominibus, quocirca S. Matthæus poſuit pronomen maſculini generis, ut concordaret cum verbo *corpus*, quod hebraice eſt maſculini generis. Græce vero ſic ſcribit ſanctus Lucas 22. τῦτό ἐςι τὸ σῶμά μυ.

Inſiſtunt: Quando Chriſtus inſtituit Euchariſtiam locutus eſt hebraice: Sed Hebræi carent verbo quo explicent verbum, *ſignificat*: Igitur Chriſtus dicendo *eſt*, videtur quod voluerit dicere, *hoc*, ſignificat corpus meum.

Reſpondeo primo, hoc ipſum eſſe ab Hæreticis confictum. Et vero multi tenent Chriſtum locutum fuiſſe Syriace, quæ lingua tempore Chriſti erat communis, quæque non caret verbo *ſignificat*.

Reſpondeo ſecundo, Hebræos non carere vocabulo, *ſignificat*, quippe qui habeant ſignum, nam Gen. cap. 9. ex Hebraiſmo redditur Latine, ſignum; de Iride enim dicitur, *hoc ſignum fœderis*, unde Chriſtus potuiſſet dicere, hoc eſt ſignum corporis mei, quod tamen non fecit; argumentum ſane præſentiæ realis irrefragabile. Secundo Evangeliſtæ qui ſcripſcerunt Græce, uſi ſunt verbo, *eſt*, licet Lingua Græca habeat verbum, *ſignificat*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Verba inſtitutionis Euchariſtiæ in ſenſu obvio intelligenda ſunt.

PRIMO: Quia Chriſtus inſtituendo Euchariſtiam, eam, teſtamento, ut ſui amoris æternum pignus Fidelibus relinquebat. Sic enim habetur Matth. 26. *Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti qui pro multis effundetur*. Certe nemo cordatus dixerit Teſtatorem obſcure, a fortiori myſtice loqui.

Secundo: Apoſtolus 1. Cor. 11. verba Chriſti de præſentia reali explanat.

Tertio: Patres ſunt ejuſdem Labii, ut Chryſoſt. Homil. 27. Theodoretus in cap. 11. 11. ad Corinth. S. Joannes Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 14. &c.

Synopſis argumentorum Calvini, & reſponſionum.

PRIMO: Nullum faceſſit negotium quod Euchariſtia quandoque vocetur vel in ipſis Scripturis panis & vinum; hoc enim nomen ex termino a quo incepit tranſubſtantiatio, ſibi vindicat.

Secundo: Neque magis proficit Calvinus dicendo Chriſtum fregiſſe Euchariſtiam, quod de ejus corpore citra abſurditatem dici nequit; hoc enim intelligitur de pane ante conſecrationem, quem diviſum dabat Diſcipulis illum conſecrando, dum eum miniſtrabat; ſic enim habetur Matth. 26. *Accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum*. Ceterum ſi ſemel prolata forma panem Diſcipulis exhibuit, nonniſi prius per partes diviſum conſecravit.

Tertio: Abſurdum eſt dicere pronomen *hoc*, ſumi adverbialiter, quaſi vero vox a naturali ſignificatione ad figuratam transferretur, ubi agitur de re demonſtranda, quod certe humanæ cogitationi prorſus impervium eſt.

PUNCTUM QUARTUM.

Explanatur mens SS. Patrum circa præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia.

NONO dumtaxat Eccleſiæ ſæculo fidem præſentiæ realis incepiſſe in Eccleſia Latina tanta temeritate auſi ſunt aſſerere Miniſtri, ut noſtri muneris eſſe arbitremur calumniatoribus ora claudere. Quis enim credat Paſchaſium Monachum parvulo libello impleviſſe totum mundum ſide in myſterium captu difficillimum, ſenſibus oppoſitum, & tamen Eccleſiam, talia diſſeminantem non perſtrinxiſſe, nullum e Theologis Catholicis hujuſmodi novatorem non debellaſſe. Neque enim legimus libros contra Paſchaſii doctrinam ſcriptos. Quis demum ſibi affingat populos fidem adhibuiſſe verbis Paſchaſii abſque tumultu, & ſanguinis effuſione, cum e contra Calviniſtæ non potuerint contrarium ſine ſtrage ingenti ſuadere. Juvat nunc Patres quorum perperam laudant ſuffragia ad metam fidei explicare.

§. I.

Num ſanctus Ignatius Martyr realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia defenderit?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

TENUIT ET DOCUIT.

Probatur rationibus validiſſimis ejus auctoritate ſuffultis.

PRIMA: Qui propugnat Fideles in ſacra Euchariſtia unum corpus Domini Jeſu, unum ſanguinem qui effuſus eſt, recipere, citra dubium magnifice propugnat realitatem Chriſti in Euchariſtia, non enim figura dicitur caro Domini, nec typus ſanguinis, ipſe ſanguis verus pro nobis effuſus: Atqui ſic docet S. Ignatius: Et probatur: Epiſtola ad Philadelphienſes ſic loquitur: " Rogo vos, ut inſtetis uni fidei, uni prædicationi, una Euchariſtia utentes: una eſt caro Domini Jeſu, & unus ejus ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt: unus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Eccleſiæ. ,,

Altera ratio hæc eſt. Qui ait Euchariſtiam eſſe pharmacum immortalitatis, in ea certe Chriſti agnoſcit realitatem, non enim figura vacua & inanis eſt vitæ æternæ ſemen: Sed S. Ignatius inter effectus Euchariſtiæ iſtum omnium celeberrimum aſſignat, quod ſit antidotum ad non moriendum: Ergo &c. Probatur minor: In Epiſtola ad Epheſios, eos adhortatur ut indivulſe tum Epiſcopo, tum Presbytero adhæreant: " Unum panem frangentes, quod eſt pharmacum immortalitatis, antidotum ad non moriendum, ſed vivendum in Jeſu Chriſto ſemper. ,,

Tertia: Qui perſtringit Hæreticos eo quod abnuerint Euchariſtiam, realitatem ex profeſſo defendit & prædicat: Atqui S. Ignatius ſic ſe geſſit. Ergo &c. Audiendus eſt in ſua ad Smyrnenſes Epiſtola, quam citat Theodoretus Diag. 3. " Euchariſtias, & Oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam, Pater benignitate ſua excitavit. ,,

Propelluntur Proteſtantium Cavilli.

OBJICIUNT: Qui diſtinguit panem & calicem a carne & ſanguine Chriſti, non propugnat realitatem: ſed S. Ignatius hæc omnia dicit in primo textu in probationem allato; ſic enim habetur: " Una eſt caro Domini Jeſu, & unus ejus ſanguis qui pro nobis effuſus eſt: unus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Eccleſiæ. ,, Ergo &c. Jam probat majorem Petrus Martyr L. contra Gardinerum 1. part. objecto 149. Si realitatem agnoviſſet S. Ignatius nusquam diſtinxiſſet carnem a pane, & ſanguinem a calice, cum in hypotheſi realitatis hæc omnia in idem concidant. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Si diſtinctio S. Ignatii ſit ſecundum realitatem, concedo: ſi ſolum penes modos quibus Chriſtus eſt in cœlo, & in Euchariſtia, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Chriſtus eſt in cœlo juxta ſuas ad locum circumſcriptivum dimenſiones, in Euchariſtia vero definitive ſub ſpeciebus. Non mirum igitur ſi Ignatius commemoret & panem & calicem, cum corpus Chriſti ſit in Altari ſub ſpeciebus, & ejus ſanguis in calice: Ex quibus unum tantummodo ex mente ſancti Ignatii ſequitur, nempe eſſe ſacramentale quod corpus Chriſti habet in Euchariſtia diſtingui ab eſſe quod habet in cęlo. Quod autem S. Martyr non excludat realitatem, eſt ſui ipſius interpres, cum ait: " Rogo vos, ut inſtetis uni fidei, uni prædicationi, una Euchariſtia utentes: una eſt caro Domini Jeſu, & unus ejus ſanguis qui effuſus eſt. ,, Audis S. Martyrem aſſerere Euchariſtiam eſſe unam Chriſti carnem, & eumdem ejus ſanguinem qui effuſus eſt. Et ſic patet ad probationem majoris ſolutio.

Inſtat Petrus Martyr Heterodoxus: Atqui S. Ignatius diſtinguit Euchariſtiam etiam quoad realitatem a carne Chriſti: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ibidem S. Ignatius ſubjicit panem Euchariſticum frangi: " Unus etiam panis pro omnibus fractus. ,, Sed abſurdum eſt dicere carnem Chriſti frangi in Euchariſtia, & fractam populo diſtribui. Igitur S. Ignatius ſecernit vel etiam quoad realitatem Euchariſtiam a carne & ſanguine Domini.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo majorem: S. Ignatius ait panem Euchariſticum frangi ratione ſpecierum, concedo: ratione ſui, nego. Ibi enim dicit panem illum eſſe unam pro tota Eccleſia Euchariſtiam, quod ſane intelligere nequit de una & eadem carne, quæ diſtribuatur; ſi enim per ſe ratione ſui corpus Chriſti divideretur, in brevi Euchariſtia ex diviſione exhauriretur, nec pro omnibus ſufficeret. Alienum eſt igitur a mente ſancti Ignatii diviſionem eſſe penes Euchariſtiam, niſi ratione ſpecierum. Potuit etiam aſſerere panem Euchariſticum frangi relative ad corpus Chriſti in ara crucis laceratum, cum Euchariſtia illud idem corpus contineat. Ceterum in eodem prorſus ſenſu ſanctus Ignatius intellexit panem fractum, quo vel ipſe Apoſtolus 1. Cor. 10. intelligit, ſcilicet de pane corpus Domini complectente. *Calix benedictionis cui benedicimus*, ait S. Paulus, *nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Jam ſi eſt participatio corporis Chriſti, dubio procul ejus non eſt typus mendax.

Urget Boquinus in L. de cœna Dom. Qui Euchariſtiam ut figuram habet ad refellendos Hæreticos, qui carnem Chriſti phantaſticam eſſe autumabant, non defendit realitatem. Atqui S. Ignatius hic diſputat contra illos Hæreticos, propugnatque carnem Chriſti non eſſe commentitiam, ſed non negat Euchariſtiam eſſe figuram, ſicuti illi volebant: qui enim negant carnem in diſpenſatione veram, a fortiori & talem eſſe in Euchariſtia propugnant. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: S. Ignatius non negat Euchariſtiam eſſe figuram, ex eo quod controverſia non erat de figura, concedo: ſilet figuram, eam in Sacramento Altaris admittendo, nego. Error Heterodoxorum quos eo loci debellat, non erat ſitus in eo quod admitterent figuram corporis Chriſti, quod dicere timebant, ne admittendo figuram Chriſti, realitatem Verbi incarnati concedere eatenus viderentur, quatenus figura terminatur ad veritatem, ſed quod caro Chriſti mere phantaſtica vel in ipſa Incarnatione contineretur: Ea ratione eos perſtringit S. Ignatius, quia ne iſtud dogma agnoſcere tenerentur, abjiciebant Oblationes & Euchariſtiam: Quod fucatum principium convellit S. Martyr oſtendendo Euchariſtiam vere continere carnem Chriſti, adeoque non eſſe commentitiam. Solutio ſe prodit ex ipſo S. Ignatii textu jamjam initio laudato: " Euchariſtias & " Oblationes non admittunt, *ait*, quod " non confiteantur Euchariſtiam carnem " eſſe Servatoris. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Ignatius magnifice propugnat realitatem in Euchariſtia.

PRIMO: Quia dicit Epiſt. ad Philadelph. panem eſſe Domini Jeſu carnem.

Secundo: Dicit eſſe immortalitatis pharmacum, quod quidem figuræ inani non convenit.

Tertio: Reprehendit Hæreticos qui rejiciebant Euchariſtiam, ea potiſſimum ratione, quod in ea veram Chriſti carnem recipere credamus, ut hoc admiſſo dogmate, carnem Chriſti phantaſticam eſſe dicere ceſſarent.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

PRIMO: Parum proficiunt Heterodoxi dicendo S. Ignatium diſtinguere panem a corpore, & vinum a calice; unum enim, ſic loquendo, intendit, ſcilicet corpus Chriſti ſacramentale diſtingui quoad modum exiſtendi a corpore extenſo in ordine ad locum.

Secundo: Ait etiam corpus Euchariſticum frangi, ſed ratione ſpecierum.

Tertio: Silet figuram debellando Hæreticos, quia non erat de figura controverſia, ſed non concedendo in Euchariſtia meram eſſe Chriſti figuram. Suam ipſe prodit mentem illos increpando, quod rejicerent Oblationes Euchariſticas, quia in eis veram Chriſti carnem agnoſcimus.

§. II.

Utrum ſanctus Juſtinus Martyr dogma catholicum de præſentia reali docuerit ?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ex ipſemet Juſtino .

PRIMO: Qui docet Euchariſtiam non
eſſe panem communem , ſed eodem modo quo Verbum Dei caro factum eſt , ita
realiter panem Euchariſticum fieri carnem Chriſti ; ille dogma catholicum de
præſentia reali Chriſti in Euchariſtia tradit : Atqui Juſtinus Apol. 2. quæ dicenda eſt prima Antonino* Pio pro Chriſtianis oblata, ait : " Non enim ut commu-
,, nem panem , *ſcilicet Euchariſtiam* , ne-
,, que communem potum ſumimus , ſed
,, quemadmodum per verbum Dei incar-
,, natus Jeſus Chriſtus Salvator noſter , &
,, carnem , & ſanguinem pro ſaluto no-
,, ſtra habuit : ſic etiam per preces Ver-
,, bi Dei ab ipſo Euchariſtiam factum ci-
,, bum , ex quo ſanguis , & carnes noſtræ
,, per mutationem aluntur , illius incar-
,, nati Jeſu , & carnem & ſanguinem eſ-
,, ſe edocti ſumus. ,, Sic vertit ex Græ-
,, co Bellarminus L. 2. de Euch. 4. pag.
553. ſubjicitque : " Hæc ad verbum ex
,, Græco interpretatus ſum ; quia queri
,, ſolent Hæretici ſæpe-numero de inter-
,, pretatione Catholicorum . Solum ambigi
,, poſſet de illa voce *Euchariſtiam factum ;*
,, nam Græca vox , Εὐχαριστηθεῖσαν , ſi-
,, gnificare poteſt , ſuper quem gratiæ
,, actæ ſunt , vel barbaro vocabulo, Eu-
,, chariſtizatum , vel ut nos reddidimus ,
,, Euchariſtiam factum , ſed non refert
,, quidquam hoc ad rem propoſitam .

Secundo : Ille Pater cenſetur agnoſcere realitatem corporis & ſanguinis Chriſti, qui aſſerit Præſulem offerre panem & vinum pro gratiarum actione , quibus abſolutis , ait Diaconos & Miniſtros diſtribuere præſentibus panis ſanctificatum , quem manducare nulli alii licitum eſt ; ſic enim apprime delineatur Euchariſtia : Atqui ſic ſcribit Juſtinus in verbis paulo antecedentibus: " Ei, *inquit*, qui fratri-
,, bus præeſt offertur panem & poculum
,, aquæ & vini, quibus acceptis, laudem
,, & gloriam rerum univerſatum Patri ,
,, per nomen Filii & Spiritus ſancti of-
,, fert Euchariſtiam , ſive gratiarum actio-
,, nem , pro eo quod nos donis ſuis hiſce
,, dignatus ſit , prolixe exequitur . . . Dia-
,, coni atque Miniſtri diſtribuunt unicui-
,, que præſentium , ut participet eum in
,, quo gratiæ actæ ſunt , panem , vi-
,, num & aquam , & ad abſentes per-
,, ferant . Porro alimentum hoc apud nos
,, appellatur Euchariſtia , quod nulli alii
,, participare licitum eſt . ,, Rationem
,, hanc poſtea affert , quia non eſt panis
communis . Ergo Juſtinus propugnat realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia .

Tertio : Eo loci S. Juſtinus loquitur de Euchariſtia tamquam de magno Myſterio indiſcriminatim non communicando : ,, Quod
,, nulli alii participare licitum eſt . ,,
Sed hoc nuſquam de pane communi & mere figurativo dixiſſet. Ergo &c.

Solvuntur objectiones Proteſtantium .

OBJICIUNT : Si propter aliquam rationem pro præſentia reali ſtaret S. Juſtinus, maxime quia vocat panem corpus Domini : Atqui hæc ratio nulla eſt . Hoc ſic probare conatur Miniſter Albertinus : Solebant Ethnici ſtatuas deorum ſuorum , eorum nominibus vocare , nec tamen erant veri dii . Igitur a pari tametſi Juſtinus Euchariſtiam panem Domini appellet , erat tamen ejus ſolum figura .

Reſpondeo , Juſtinum non intellexiſſe Chriſtianos eodem modo vocaſſe Euchariſtiam corpus Chriſti , quo pagani ſtatuas numinum ſuorum *Deos* ; nec enim tenebant Euchariſtiam eſſe inſtitutam ad ſignificandum carnem & ſanguinem Chriſti , & panem ac vinum eſſe ſigna vacua , niſi præmoniti eſſent , quod tamen non fecerunt Chriſtiani primi . . . Quid plura ? Idololatræ tenebant numina ſua eatenus eſſe realiter præſentia in ſtatuis , quatenus hæ figuræ oracula promebant : Poterant igitur ſibi perſuadere Fideles , Chriſtum in Euchariſtia realiter præſentem agnoſcere , quod quidem manifeſtat S. Juſtinus in ſua ad Imperatorem pro Chriſtianis Apologia .

Inſtant : Idem S. Juſtinus ſic habet :
,, Diaconi atque Miniſtri diſtribuunt . . . .
,, panem , vinum & aquam . ,, Audis
,, ſanctum Martyrem vocare Euchariſtiam panem ; ſimiliter , cum ait : " Non

enim

„ enim ut communem panem .... ſumi-
„ mus . „ Hæc verba non demonſtrant illum agnoviſſe præſentiam realem : Quod a ſimili probatur . Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus, nec non & S. Gregorius Nyſſen. aquam Baptiſmi nolunt eſſe communem, tametſi in illo Sacramento ſubſtantia aquæ permaneat. Igitur a pari quando S. Juſtinus dicit panem Euchariſticum non eſſe communem, non ideo concludendum eſt eum velle tranſubſtantiatum in corpus Chriſti.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Juſtinus Euchariſtiam vocat panem a termino a quo incipit tranſubſtantiatio , qui quidem eſt panis communis, vel etiam propter ſpecies remanentes, quæ extrinſecus merum panem annuntiant, concedo : panem mere communem, nego : Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Facta enim conſecratione corpus Chriſti ſub ſpeciebus latet . Solutio eſt Juſtini , qui eſt ſui ipſius interpres , dum ait : “ Non
„ enim ut communem panem ..... ſumi-
„ mus . „ Et ne ſuperſit de ejus mente ambigendi locus, ſubdit panem eodem modo fieri corpus Chriſti, ſicut Verbum caro factum eſt. Porro fatentur ultro Calviniſtæ Verbum realiter factum eſſe carnem. Igitur ex concedendis panis realiter fit per tranſubſtantiationem corpus Chriſti.

Ad ſecundum dico, non valere paritatem; etenim verba quæ adjungit Juſtinus, clare oſtendunt eum non tenere panem remanere : quippe qui affirmet ibi, in hoc Sacramento eſſe carnem , & ſanguinem incarnati Jeſu , quemadmodum Verbum caro factum eſt, & pro ſalute noſtra ſanguinem fudit ; quæ quidem manifeſte denotant eum agnoviſſe præſentiam realem : Hæc autem nullus Patrum de aqua Baptiſmi unquam dixit.

Inſtant : Qui dicit panem Euchariſticum in noſtram propriam ſubſtantiam converti, dubio-procul eum ut merum panem habet : non enim corpus Chriſti hanc paſſionem vi caloris naturalis in alimento factam ſubire valet . Atqui ſic docet Juſtinus ibidem his verbis : “ Carnes noſtræ per mu-
„ tationem aluntur ; „ per quam ? niſi per mutationem panis Euchariſtici . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Carnes noſtræ aluntur per mutationem ſpecierum quæ vim habent nutriendi , concedo : per mutationem corporis Chriſti , nego . Recte dicitur etiam corpora noſtra virtualiter mutari per corpus Chriſti quatenus *& futuræ gloriæ*, ait Divus Thomas, *nobis pignus datur* . Poſſunt quoque verba Juſtini ex græco ſic reddi : “ Ex quo, ſci-
„ licet cibo, ſanguis & carnes noſtræ per
„ mutationem aluntur : „ *ἐξ ἧς*, ſcilicet *τροφῆς, αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Juſtinus Martyr non abnuit præſentiam realem.

PRIMO : Apol. 2. ab enumeratione partium Euchariſtiæ confectionem explicat, ejuſque diſtributionem, vocando eam corpus Chriſti.

Secundo : Ibidem ait Euchariſtiam non eſſe panem communem.

Tertio : Rurſus eodem loco de eadem , ut de magno myſterio omnibus indiſcriminatim non revelando, loquitur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Male concludit Albertinus ex eo quod Pagani ſuorum numinum ſtatuas appellarent *Deos*, Euchariſtiam tametſi panem Domini nuncupatam , attamen non eſſe corpus Chriſti ; concludat potius ſic : Pagani deorum ſuorum ſtatuas ut ipſa numina habebant , quia deos ibi realiter latere, & per eas nonnumquam oracula proferre autumabant . Igitur veluti ex paritate, realitas corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis latet.

Secundo : Eſto quod Juſtinus Euchariſtiam vocet panem ; ſed qualem ? ait ipſe non communem , adeoque conſecratum & in corpus Chriſti tranſubſtantiatum .

Tertio : Ceterum quando ſanctus Martyr in eadem Apologia aſſerit vel ipſa noſtra corpora nutriri ſeu mutari per Euchariſtiæ ſumptionem, hoc duplici modo intelligitur : primo quidem corporaliter per ſpecies quæ vim nutriendi retinent , quæque in ſubſtantiam aliti ſecundum id quod ſenſibile habent tranſeunt . Secundo de mutatione ſpirituali , quatenus Euchariſtia, teſte D. Thoma, futuræ gloriæ, quam cor-

corpus habebit, ut pignus datur; recte enim ex Græco verba ſic reddi poſſunt: *Ex quibus ſanguis & carnes ſecundum mutationem aluntur noſtri*.

§. III.

Utrum ſanctus Irenæus præſentiæ reali aſtipuletur?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur iſto argumento.

QUI affirmat Euchariſtiam confici ex re terrena & cœleſti ſubſtantia: carnem noſtram corpore & ſanguine Domini Jeſu nutriri: calicem qui eſt creatura Chriſti, ſanguinem qui effuſus eſt fieri, dubio-procul realitatem corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, nedum agnoſcit, ſed magnifice probat. Atqui res ita ſe habet de ſancto Irenæo, & probatur.

Primo, Lib. 4. adverſus Hæret. cap. 34. hæc ſcribit: " Quemadmodum enim „ qui eſt a terra panis percipiens invo„cationem Chriſti, jam non communis „ panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus „ rebus conſtans, terrena & cœleſti: ſic „ & corpora noſtra percipientia Euchari„ſtiam, jam non ſunt corruptibilia. „

Secundo, Ibidem: " Quomodo autem „ rurſus dicunt, carnem noſtram in cor„ruptionem venire, & non percipere „ vitam, quæ a corpore Domini & ſan„guine alitur. „

Tertio, Lib. 5. cap. 2. ſplendide confutat Hæreticos negantes Chriſtianos recipere Chriſtum in Euchariſtia: " Quo„niam, *ait*, membra ejus ſumus, & per „ creaturam nutrimur; creaturam autem „ ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri fa„ciens, & pluens quemadmodum vult, „ cum calicem qui eſt creatura, ſuum „ ſanguinem qui effuſus eſt, ex quo auget „ noſtrum ſanguinem, & cum panem, „ qui eſt a creatura, ſuum corpus con„firmavit, ex quo noſtra auget corpora. Ergo &c.

Diluuntur objectiones Heterodoxorum.

OPPONUNT: Sanctus Irenæus Lib. 4. adverſus Hæret. cap. 34. affirmat eodem prope modo panem in corpus Chriſti mutari, quomodo per Euchariſtiam corpora noſtra mutantur & evadunt immortalia. " Euchariſtia, *inquit*, ex duabus rebus „ conſtans, terrena & cœleſti, ita & „ corpora noſtra percipientia Euchari„ſtiam, jam non ſunt corruptibilia. „ Rurſus L. 5. cap. 2. " Suum corpus con„firmavit, ex quo noſtra auget corpora. Sed talis mutatio non eſt ſubſtantialis in Euchariſtia, quod ex comparatione mutationis noſtræ carnis per Euchariſtiam eruitur, cum conſtet corpus noſtrum vi caloris naturalis in ſuam ſubſtantiam non convertere corpus Chriſti, juxta illud ſancti Auguſtini, qui Chriſtum animam ſic alloquentem inducit: " Non tu me mutabis in te. . . . . . ſed tu mutaberis in me. „ Sermonem Inſtituit ibi ſanctus Doctor de effectu auguſtiſſimi ſacramenti Altaris. Ergo &c.

Reſpondeo primo, ibi ſanctum Irenæum loqui de mutatione corporum quæ fiet in reſurrectione, quando corpus quod eſt cinis, mutabitur in corpus glorioſum & immortale. Atqui, juxta multos, talis mutatio erit ſubſtantialis. Igitur ruit illa ratio hæretica. Quod autem ſit germanus ſancti Irenæi ſenſus, patet ex eo quod ſubjungat poſt vocabulum, *corruptibilia*, " ſpem reſurrectionis habentia. „

Reſpondeo ſecundo, ſanctum Irenæum ibi velle probare quomodo per receptionem Euchariſtiæ corpora evadant immortalia; & adducit exemplum mutationis faciendæ in reſurrectione corporum: verum eo loci non diſcutit qualis futura ſit hæc mutatio, ut legenti textum clarebit.

Inſtant: Si propter aliquam rationem Irenæus dicendus foret tenuiſſe præſentiam realem, maxime ex eo quod affirmet Chriſtum, Panem, qui eſt a creatura, proprium ſuum corpus eſſe. Atqui illud nihil probat; etenim vocem græcam ἴδι, terminis metaphoricis non ſemel uſurpant Patres: ſic Clemens Alexandrinus Lib. 3. Stromatum, appellat Eccleſiam, propriam Chriſti ſponſam: Gregorius vero Nyſſenus, proprium Chriſti corpus; ſic & eos qui in Eccleſia locum Prophetarum tenent, oculos nominat. Atqui ibi adjectivum, *proprius*, ſumitur metaphorice. Igitur idem dicendum de Irenæo reſpectu Euchariſtiæ.

Reſpondeo adjectivum, *proprium*, quando-

que

que jungi terminis metaphoricis, & tunc juxta obviam ſignificationem non ſumi: ut cum Chriſtus ait, *Ego ſum vitis vera, &c.* Nullus quippe dixerit Creatorem mundi eſſe lignum contemptibile. Sed ubi agitur de Euchariſtia, Patres in ſenſu naturali iſta Chriſti verba Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus*, intelligunt, maxime cum Chriſto Deo fuerit poſſibile panem in proprium corpus convertere. Quam potentiam probant a ſimili miraculo quod in Cana Galilææ in gratiam nubentium fecit, convertendo aquam in vinum, ut ait Cyrillus Hieroſol. catech. myſtag. 4. his verbis: " Aquam olim in „ vinum convertit in Cana Galilææ, „ quod habet quamdam cum ſanguine pro„ pinquitatem: & eum parum dignum „ exiſtimabimus, cui credamus, quod vi„ num in ſanguinem tranſmutavit? „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Irenæus ſplendide propugnat realitatem Euchariſtiæ.

PRIMO: Quia Lib. 4. adverſus Hæret. c. 34. aſſerit Euchariſtiam non eſſe panem communem, ſed panem miraculoſum, ex terrena & cœleſti ſubſtantia conflatum:

Secundo Ibidem docet fruſtra Heterodoxos prædicare nos in corruptionem venire, quandoquidem ex corpore & ſanguine Domini alimur, in quibus vitæ æternæ ſemen habemus!.

Tertio: Lib. 5. cap. 2. ex profeſſo debellat eos qui negant nos corpore Chriſti per Euchariſtiam nutriri.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Verum quidem eſt Irenæum dicere noſtra corpora nutriri vel ipſo Chriſti corpore; ſed hoc intelligi debet de nutritione quæ immutabit carnem noſtram in reſurrectione ad gloriam, cujus eſt Euchariſtia ſimul ſemen & pignus: nuſquam vero de mutatione quæ vel in ipſum corpus Chriſti refundatur.

Secundo: Fruſtra contendunt Hæretici ſententias Patrum, quibus aſſerunt panem Euchariſticum eſſe proprium Chriſti corpus, intelligendas eſſe metaphorice, cum ex antecedentibus & conſeqnentibus pateat, ſicut alios Patres, ſic & Irenæum vocem, *proprium*, in ſenſu obvio ſumere.

§. IV.

Ultrum Tertullianus faverit præſentiæ reali?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur iſto Syllogiſmo.

QUI tenet carnem noſtam veſci corpore & ſanguine Chriſti: qui ſcribit idololatras ad ſacros Ordines promotos, corpus Chriſti ſacrificando laceſſere, & eorum manus præſcindendas: panem Euchariſticum non omnibus aperiendum, & ne in terram cadat præcavendum: ille catholice locutus eſt de præſentia reali. Atqui ita habet Tertullianus. Ergo &c.

Probatur minor: Primo Tertullianus ſic ſcribit Lib. de Reſurrectione carnis cap. 8. " Caro corpore & ſanguine Chri„ ſti veſcitur, ut anima de Deo ſagine„ tur. „

Secundo: Lib. de Idololatria cap. 70. pag. 10. reprehendens quoſdam qui idolorum artifices ad ſacros Ordines promovebant, ſic fatur: " Deleguntur in or„ dinem Eccleſiaſticum artifices idolo„ rum. Proh ſcelus! Semel Judæi Chri„ ſto manus intulerunt; iſti quotidie cor„ pus ejus laceſſunt. O manus præſcin„ dendæ!

Tertio: Lib. 2. ad Vxor. " Non ſciet „ maritus quid ſecreto ante omnem ci„ bum guſtes. „

Quarto: Lib. de Corona milit. " Ca„ licis aut panis etiam noſtri aliquid de„ cuti in terram anxie patimur. „ Quæ omnia de pane communi non intelligit Tertullianus. Ergo &c.

Fit ſatis objectionibus Heterodoxorum.

OPPONUNT: Ille exiſtimat corpus Chriſti non eſſe realiter in Euchariſtia, qui propugnat illud eſſe ibi ſolum repræſentative. Atqui ſic ſcribit Tertullianus Lib. 1. contra Marcionem cap. 14. pag. 639.

" Sed

Digitized by Google

" Sed ille, *inquit*, uſque nunc nec aquam
„ reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit,
„ nec oleum quo ſuos ungit, nec mellis
„ & lactis ſocietatem qua ſuos infaotat,
„ nec panem quo ipſum corpus ſuum re-
„ præſentat. „ Ergo &c.

Reſpondeo, nego minorem. Ad probatiooem, diſtinguo: Corpus Chriſti repræſentatur in Euchariſtia repræſentatione practica, concedo: vacua & inerti, nego. Duplex eſt ſecernenda repræſentatio, una practica, ſpeculativa altera; prior ipſam rem exhibet in ipſo Tertulliani ſenſu, qui Lib. 4. adverſus Marcionem circa medium ait de Patre æterno: " Ita-
„ que jàm repræſentans eum, hic eſt filius
„ meus &c. „ Poſterior eſt pura rei imago, ut videre eſt in tabella. Tertullianus eo loci loquitur de prima repræſentatione; ne mireris autem ſi dicat corpus Chriſti repræſentari in pane: cum enim Marcion, quem debellat, contenderet creaturas ſenſibiles a bono Deo non promanare, argumentando ad hominem, mentionem facit de Sacramentorum ſymbolis, quæ vel ipſi Marcioniſtæ ut bona habebant. Igitur de pane, ut de ſymbolo ſub quo realiter continetur corpus Chriſti, mentionem facit.

Inſtant: Atqui ex Tertulliano corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia vere & realiter, ſed ſolummodo figurative ſeu repræſentative. Ergo &c. Probatur ſubſumptum ex Lib. contra Judæos cap. 10. pag. 221. ubi ſic loquitur: " De hoc enim ligno
„ etiam per Jeremiam Deus inſinuat quod
„ eſſetis dicturi: Venite, mittamus in pa-
„ nem ejus lignum, & conteramus eum
„ a terra viventium, & nomen illius
„ non memorabitur amplius; utique in
„ corpus ejus lignum miſſum eſt; ſic enim
„ Chriſtus revelavit, panem corpus ſuum
„ appellans, cujus retro corpus in panem
„ Propheta figuravit. „ Igitur ex Tertulliano nihil eſt in Euchariſtia præter panem.

Reſpondeo, nego ſubſumptum. Ad probationem, ſolutio ex ipſis affulget terminis; eo quippe loci Tertullianus loquitur de pane veluti de figura corporis Chriſti quod in cruce pependit, idque Propheta jam jam retropronuntiaverat; quocirca eſt manifeſta contradictio in objectione Petri Martyris: inde eoim ſequeretur non corpus Chriſti, ſed panem fuiſſe ligno affixum, adeoque contra Tertulliani mentem, Chriſtum non adimpleviſſe figuram a Jeremia de Euchariſtia celebratam.

Urgent: Ipſe Tertullianus Lib. 3. adverſus Marcionem cap. 19. aſſerit figuram corporis Chriſti eſſe dumtaxat in Euchariſtia; ſic enim ſcribit pag. 493. " Hoc li-
„ gnum & Jeremias tibi inſinuat, dictu-
„ ris prædicans Judæis: Venite, mittamus
„ lignum in panem ejus, utique in cor-
„ pus: ſic enim Deus in Evangelio quo-
„ que veſtro revelavit, panem corpus
„ ſuum appellans, ut & hinc jam intel-
„ ligas eum corporis ſui figuram pani de-
„ diſſe. „ Ergo &c.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Et vox, *figuram*, refertur ad panem, concedo, ad corpus, nego. Hoc ipſum indigitant verba textus:
" Panem corpus ſuum appellans, ut &
„ hinc jam eum intelligas corporis ſui
„ figuram pani dediſſe. „ Alias vel ipſum corpus eſſet ſui ipſius figura. Subſequentia Tertulliani verba, vocabulum, *figuram*, in panem refundi annuntiant; ſic enim habetur pag. 494. " Cujus retro cor-
„ pus in panem Propheta figuravit. „ Igitur ex Tertulliano, panis in quem ligoum miſſum eſt, erat figura corporis Chriſti in cruce pendentis.

Replicant: Ex ipſo Tertulliano, corpus Chriſti in Euchariſtia eſt tantummodo figurative: Ergo &c. Probatur antecedens Lib. 4. contra Marcionem cap. 40. pag. 571. ſic habet: " Acceptum panem &
„ diſtributum Diſcipulis, corpus illum
„ ſuum fecit, hoc eſt corpus meum dicen-
„ do, id eſt figura corporis mei. „ Ergo &c.

Reſpondeo, nego antecedens. Ad probationem diſtinguo: Et pronomen *hoc*, refertur ad panem, ita ut ſenſus ſit: hoc quod fuit figura corporis mei in veteri lege, nunc per traoſubſtantiationem eſt vere corpus meum, concedo: Et refertur ad corpus, figuram ſolummodo involveos, nego. Quod autem hic ſit genuinus Tertulliaoi ſenſus, ex triplici patet capite. Primo quidem ex antecedentibus; ſic enim legitur: " Acceptum panem &
„ diſtributum Diſcipulis, corpus il-
„ lum ſuum fecit: „ igitur panem fecit corpus ſuum. Secundo & ex conſequentibus; immediate enim hæc ſubjungit Ter-

tullia-

„ tullianus: “ Figura autem non fuiſſet, „ niſi veritatis eſſet corpus : „ hoc eſt, panis a Jeremia celebratus non fuiſſet, juxta Tertulliani mentem, figura corporis Chriſti, niſi Euchariſtia eſſet vere ejuſdem Chriſti corpus; qui quidem ſenſus affulget ex aliis verbis ſequentibus; eo enim loci idem Tertullianus pag. 571. explanans illam Jacob prophetiam : “ La„ vabit in vino, *inquit*, ſtolam ſuam, & „ in ſanguine uvæ amictum ſuum : ſto„ lam & amictum carnem demonſtrans, „ & vinum ſanguinem, ita & nunc „ ſanguinem ſuum in vino conſecravit, „ qui tunc vinum in ſanguine figuravit. „ Denique veritas patet ex ipſo Tertulliani ſcopo, qui unum adverſus Marcionem contendit, videlicet vetus Teſtamentum non eſſe malum, & a diabolo; quod quidem probat ex relatione ejus ad novum, in quo omnes veteris legis figuræ adimpletæ ſunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Tertullianus non abnuit præſentiam realem in Euchariſtia.

PRIMO : Lib. de Reſurr. car. cap. 8. ait carnem noſtram corpore & ſanguine Domini ſaginari.

Secundo : Lib. de idolol. ſcribit artifices idem Chriſti corpus laceſſere, quod Judæi dilaceraverunt.

Tertio : Lib. 2. ad uxor. Euchariſtiam non eſſe panem communem dicit. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Incaſſum reponunt Calviniſtæ Tertullianum dicere Lib. 1. adv. Marc. c. 14. Chriſtum corpus ſuum in Euchariſtia repræſentare, quippe qui loquatur de repræſentatione viva & plena, quæ rem ipſam exhibet præſentem.

Secundo : Mala etiam fide replicant Tertull. Lib. 4. contra Judæos cap. 10. corpus ſuum figuram appellare, maxime Lib. 4. contra Marcion. cap. 40. omni quippe legenti patebit vocabulum, *figura*, non in corpus, ſed in panem veteris legis refundendum eſſe; eo enim loci explicat Jeremiam Chriſti paſſionem his verbis prænuntiantem, *Mittamus, lignum in panem ejus, &c.*

§. V.

An Origines agnoverit præſentiam realem?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ex ejus verbis.

ILLE præſentiam realem tenuit, qui admonet ſuſcipientes corpus Domini, ut cum omni veneratione præcaveant, ne aliquid decidat e corpore Dominico in terram : accedentes ad menſam Domini manducare & bibere corpus & ſanguinem Domini : eſſe in hoc Sacramento carnem Verbi Dei, & verum Deum. Atqui talia leguntur in Origene: Ergo &c.

Primum legitur Homil. 13. in Exodum lit. G. his verbis : “ Volo vos admonere „ religionis veſtræ exemplis : noſtis qui „ divinis myſteriis intereſſe conſueſtis, „ quomodo cum ſuſcipitis corpus Domi„ ni, cum omni cautela & veneratio„ ne ſervatis, ne ex eo parum quid de„ cidat; reos enim vos creditis, & re„ cte creditis. „

Secundum habetur Homil. 50. in diverſa novi Teſtamenti loca : explicans enim hæc verba, *Domine non ſum dignus &c.* ſic ſcribit : “ Quando ſanctum cibum, illud„ que incorruptum accipis epulum, quan„ do vitæ pane & poculo frueris, man„ ducas & bibis corpus & ſanguinem Do„ mini; tunc Dominus ſub tectum tuum in„ greditur : & tu humilians temetipſum „ imitare hunc Centurionem, & dicito: „ Domine non ſum dignus &c. „

Tertium docet Homilia 7. in Numeros, ubi ſic ait : “ Tunc in ænigmate eſt man„ na cibus, nunc autem in ſpecie caro „ Verbi Dei & verus cibus, ſicut ipſe „ dicit, quia caro mea vere eſt cibus. „ Ergo &c.

Reſolvuntur difficultates.

OBJICIUNT Heterodoxi varia Origenis loca, quibus eum realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia deſtruere autumant.

Primus quidem locus ex Homilia 16. in

in Numeros fol. 123. eruitur, ubi ille Doctor ait: " Bibere dicimur ſanguinem " Chriſti, non ſolum Sacramentorum " ritu, ſed etiam cum ſermones ejus re- " cipimus. " Igitur, inquiunt, juxta Origenem, Chriſtus non eſt magis in Euchariſtia, neque magis in hoc ſumitur Sacramento, quam in Concione.

Altera ex eodem auctoritas deſumitur ex Commentario in caput 26. Matthæi, Hom. 35. fol. 76. ubi Origenes ita ſcribit: " Panis iſte quem Deus Verbum cor- " pus ſuum eſſe fatetur, Verbum eſt nu- " tritorium animarum. " Eo loci, inquiunt Heterodoxi, Euchariſtia vocatur panis, deinde & panis nutritorius animarum. Si panis, igitur non corpus Chriſti; deinde vero, quomodo panis eſt nutritorius, ſi per tranſubſtantiationem evaneſcat: Igitur panis ſemper. Quid plura? Origenes Hom. 7. in Leviticum fol. 73. ſic ſcribit: " Si enim ſecundum litteram " ſequaris hoc quod dictum eſt: Niſi " manducaveritis carnem meam, & bibe- " ritis ſanguinem meum; occidit hæc lit- " tera. " Et inde ſic ſubſumunt Proteſtantes: Igitur ex Origine verba Chriſti ad litteram non intelligenda ſunt, ita ut caro ejus ſit vere cibus in Euchariſtia.

Reſpondeo primo quidem in genere, ſicut ſupra dictum eſt in his & ſimilibus operibus, nedum Origenem, ſed & ceteros primorum ſæculorum Patres obſcure, & ut plurimum myſtice de Euchariſtia loqui, ne myſteria vel ipſis Gentilibus aut Catechumenis in fide infirmis irridenda exponerent.

Reſpondeo ſecundo breviter, & quidem ad primum locum, Origenem eo loci duplicem ſecernere Euchariſtiæ ſumptionem; alteram, ut ejus verbis utar, quæ fit *Sacramentorum ritu*: Alteram, *Cum ſermones ejus recipimus*. In priore datur realiter corpus Chriſti: in poſteriore autem mere ſpiritualiter.

Ad ſecundum locum, Origenes eſt ſui ipſius interpres, quippe qui dicat Deum Verbum, ſeu Filium Dei, panem feciſſe corpus ſuum; qui quidem cibus nutrit ſpiritualiter animam. Neque vero negamus illud idem Verbum, non ſolum Euchariſtia, verum etiam & ſuo Evangelio ſaginare animas, cum hac tamen diſcrepantia, quod ex opere operato, vi Sacramenti, eas cibet: ſed non niſi ex opere operantis, virtute ſermonis.

Ad tertium locum, jam ex dictis patet ſolutio; ſenſus enim Origenis ille eſt, carnem Chriſti non eſſe manducandam, ſicut intelligebant Capharnaitæ, videlicet in propria ſpecie; quocirca jure ac merito aſſerit litteram occidere, ſi hujuſmodi manducatio in ſenſu obvio, & mere materiali ſumatur.

Urgent, & tria alia loca ex Origene deprompta veritati Euchariſtiæ opponunt. Origenes, inquiunt, Hom. 9. fol. 91. in Leviticum verſus fin. ait: " Non hæreas " in ſanguine carnis, ſed diſce potius ſan- " guinem Verbi, & audi ipſum tibi di- " centem: quia hic ſanguis meus eſt, qui " pro vobis effundetur in remiſſionem " peccatorum. " Igitur, inquit Petrus Martyr, ſi ex Origine non fas ſit inhærere in ſanguine carnis, dubio-procul corpus & ſanguis Chriſti neutiquam ſunt realiter in Euchariſtia.

Alterum teſtimonium eruitur ex Commentario in caput 15. Matthæi, ubi Origenes illam Chriſti ſententiam explanans, *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*, ſubjicit: " Quod ad eſum per ſe at- " tinet, neque ex hoc quod non edimus " de pane, verbo Dei & per obſecrationem " ſanctificato, fraudamur aliquo bono; " neque ex edendo abundamus aliquo bo- " no: Siquidem cauſa defectus eſt mali- " tia, peccataque; & abundantiæ cau- " ſa eſt juſtitia, & recte facta. Igitur concludunt Heterodoxi, Chriſtus non eſt in Euchariſtia niſi per fidem, quandoquidem ex Origene, aut defectus, aut incrementum juſtitiæ, ex mala vel bona diſpoſitione credentis repetitur: Quod confirmat Origenes fuſiori ſermone, maxime his verbis: " Et hæc quidem de " typico ſymbolicoque corpore. Multa " porro & de ipſo Verbo dici poſſet, quod " factum eſt caro, veruſque cibus, &c. " Immo aſſerit Chriſtum non manducari a peccatoribus, " Si fieri poſſet, *ait*, ut " qui malus adhuc perſeveret, edat Ver- " bum factum carnem, cum ſit Verbum " & panis vivus; nequaquam ſcriptum eſ- " ſet: Quiſquis ederit panem hunc, vivet " in æternum. "

Opponunt iterum iſta Origenis verba ex libro 8. contra Celſum excerpta: " Nos " qui rerum omnium Conditori pla- cere

Digitized by Google

„ cere ſtudemus, cum precibus & gratia-
„ rum actione pro beneficiis acceptis, ob-
„ latos panes edimus. „ Si panes oblatos:
Igitur non Chriſti corpus edimus.

Reſpondeo primo ut ſupra, videlicet Patres in hujuſcemodi ſcriptis, vel omiſſo ſenſu obvio, vel ſaltem ſubobſcure loqui propter rationem ſupra allatam. Origenes Homilia. 9. in Leviticum eſt ſui ipſius interpres, & ſic loquitur fol. 81. “ No-
„ vit qui myſteriis imbutus eſt, & carnem
„ & ſanguinem Verbi Dei. Non ergo im-
„ moremur in his, quæ & ſcientibus no-
„ ta ſunt, & ignorantibus patere non
„ poſſunt. Quibus quidem verbis ſignificat ſe obſcure loqui propter Catechumenos ignorantes, & alios quibus non erant aperienda myſteria, quandoquidem bapizati ea ſufficienter intelligebant.

Reſpondeo jam ad primum, Origenem tantummodo velle non ſiſtendum eſſe præciſe in ſanguine carnis, ſed cum devotione & fide ſumendam eſſe Euchariſtiam, ut proſit ad ſalutem, quippe quæ realiter contineat ſanguinem Chriſti; quocirca mirum in modum nobis favent Origenis verba paulo ſuperius ſic loquentis fol. 87. “ Sed diſce potius ſanguinem Ver-
„ bi, & audi ipſum tibi dicentem, quia
„ hic ſanguis meus qui pro vobis effun-
„ detur in remiſſionem peccatorum. „
Numquid figura ſanguinis effuſa eſt in remiſſionem peccatorum, & non potius realitas?

Ad ſecundum dicimus, Origenem in iſto ſicut & in alio loco mirabiles delineare Euchariſtiæ effectus, de quibus judicandum eſt ex diſpoſitionibus; unde ſi ſumptio ſumatur ut ſic, neque nocet, neque prodeſt, nam ex corde judicium egreditur; unde ſi indigne quis ſumat, jam malitia reddit ſummeotem corporis & ſanguinis Domini reum; ſi vero digne, jam juſtitia gratiæ abundantiam parit, quæ quidem omnia explicat Origenes per verba perperam in objectione allata.

Neque vero timendum eſt a vocabulis Typico ſymbolicoque corpore; cum enim Euchariſtia ſit Sacramentum, dubio procul ſimul eſt & ſignum non vacuum quidem, ut effutiunt Heterodoxi, ſed practicum.

Neque etiam aliquod faceſſit negotium, quando Origenes ait peccatores non manducare corpus Chriſti; hoc enim duplici intelligitur modo; videlicet, & extra Sacramentum, cum careant fide atque charitate, & intra Sacramentum, hoc eſt ejus non percipere fructum. Bellarminus hic Lib. 2. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 8. pag. 673. contendit Origenem loqui de manducatione extra Sacramentum, eo quod explicet illa Chriſti verba Joan. 6. *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* Quæ Dominus protulit de ſua Incarnatione, quæque eſt panis fide manducandus.

Ad tertium, diſtinguo: Panes oblatos edimus, ſed ſanctificatos & tranſubſtantiatos, concedo: Panes communes, nego. Subjicit enim Origenes: Oblatos panes edi-
„ mus, corpus ſanctum quoddam per pre-
„ ces effectos, & ſanctificans eos, qui cum
„ ſancto propoſito, ipſo utuntur. „

Dices: Si corpus quoddam edimus, jam non corpus Chriſti, ergo. Probatur antecedens: Quoddam eſt diminutivum. Igitur Origenes non intelligit ſimpliciter corpus Chriſti.

Reſpondeo, nego antecedens: Eo quippe loci non loquitur Origenes de panibus communibus, ſed de panibus vi conſecrationis corpus Chriſti effectis. Ad probationem, diſtinguo: Vocabulum *quoddam* eſt diminutivum, quantum ad modum exiſtendi, quatenus corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia modo naturali, ſed quaſi ad modum ſpiritus, concedo. Quantum ad realitatem nego. Nam Homilia 5. jamjam in probationibus laudata, ait Origenes:
“ Quando ſanctum cibum, illudque in-
„ corruptum accipis epulum, quando vi-
„ tæ pane & poculo frueris, manducas &
„ bibis corpus & ſanguinem Domini;
„ tunc Dominus ſub tectum tuum ingre-
„ ditur; & tu ergo humilians teipſum,
„ imitare hunc Centurionem, & dicito:
„ Domine, non ſum dignus ut intres ſub
„ tectum meum; ubi enim indigne ingre-
„ ditur, ibi ad judicium ingreditur acci-
„ pienti. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Origenes agnovit præſentiam Chriſti realem in Euchariſtia.

PRIMO: Hom. 13. in Exod. ait corpus Chriſti in Euchariſtia, ea qua par eſt

erga

erga Angelorum Dominum reverentia eſſe ſumendum.

Secundo: Hom. 50. in diverſa, vel ipſam Chriſti carnem eſſe vere cibum, docet.

Tertio: Hom. in Numer. Euchariſtiam in hoc a manna diſtinguit, quod ſit veritas, cujus manna erat ſolum figura.

Synopſis argumentorum in contrarium & reſponſionum.

PRIMO: Non negamus juxta Origenem corpus Chriſti manducari in Euchariſtia, & quodammodo etiam per concionem, ſed Sacramentorum ritu, & vere priori modo; ſpiritualiter vero & tantum myſtice poſteriori, ſeu vi prædicationis. Quomodo vero vegetet corpus Chriſti animas, ſolus qui guſtat, novit, tum ex eo quod futuræ gloriæ ſemen ſit & pignus. Ceterum non ad litteram eſus Euchariſtiæ intelligendus eſt, ita ut ſicut cibus qui in macello venditur, ſic & caro Chriſti in propria ſpecie manducanda ſit, ſed ſacramentaliter.

Secundo: Neque igitur remanet ambigendi locus circa mentem Origenis, cum ait non hærendum eſſe in carne, id eſt manducanda, vel in ſpecie, vel etiam ſacramentaliter abſque diſpoſitionibus; ſeclusis enim & fide & charitate, quomodo proficeret cibus ille cœleſtis: Hinc totus eſt Origenes ut populum ad digne communicandum adhortetur.

Tertio: Nec ullum faceſſit negotium cum ſcribit Origenes nos panes oblatos, illoſque ſymbolicos manducare, & peccatores Euchariſtiam non edere: loquitur enim de panibus conſecratis, qui Chriſti Paſſionis ſunt figuræ: Peccatores equidem corpus Dominicum in Euchariſtia non recipere ait, ſed quo ſenſu? Niſi quantum ad frugem: *Qui enim manducat indigne* teſte Apoſtolo 1. Cor. 11. *judicium ſibi manducat.*

§. VI.

Utrum S. Cyprianus faveat præſentiæ reali.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ex ipſius Scriptis.

ILLE favet præſentiæ reali, qui Euchariſtiam non ſemel corpus & ſanguinem Domini appellat, taleſque ei tribuit effectus, quales figuræ nequeunt convenire; qui aſſerit impios communicantes, ſcelus Judæ proditoris committere: Atqui res ita eſt: Igitur S. Cyprianus aſtipulatur præſentiæ reali.

Primum probatur ex Epiſt. 54. quam ſuo & Synodi Africanæ nomine, de pace lapſis concedenda ad beatum Cornelium Papam direxit, ubi ſic loquitur: " At vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamur; & cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium voluimus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus & provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus." Ergo &c.

Secundum legimus Epiſt. 62. ad Cæcilianum, ubi ſic habet: " Et hæc verba Pſalmi: Calix tuus inebrians, quod ſcilicet calix Dominicus, ſic bibentes inebriet, ut ſobrios faciat, ut mentes ad ſpiritalem ſapientiam redigat, ut a ſapore iſto ſæculari, ad intellectum Dei unuſquiſque reſipiſcat: Et quemadmodum vino iſto communi mens & anima relaxatur, & triſtitia omnis exploditur, ita epoto ſanguine Domini, & poculo ſalutari expoliatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio converſa-

Digitized by Google

„ verſationis priſtinæ ſæcularis, & mœ-
„ ſtum pectus ac triſte, quod prius pec-
„ catis angentibus premebatur, divinæ
„ indulgentiæ lætitia reſolvatur. „ Ergo &c.

Tertium habetur expreſſe Tract. de cap. Ergo &c.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

OPPONUNT: Sanctus Cyprianus in Serm. de cœna Domini, ubi realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia pro virili defendere deberet, nihil niſi tamen de præſentia myſtica loquitur. Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis: Primo quidem eo loci ſic habet: " Uſque ho-
„ die hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum
„ corpus ſuum creat, ſanctificat, & be-
„ nedicit, & pie ſuſcipientibus dividit. „ Quæ quidem verba ſolummodo intelliguntur de bonis creatis, quæ pro vita humana ſuſtentanda expoſtulamus, quæque etiam de pane benedicto interpretanda veniunt. Confirmatur. Ibidem, ait: " Pa-
„ nis iſte communis in carnem & ſan-
„ guinem mutatus, procreat vitam & in-
„ crementum corporibus; ideoque ex con-
„ tinuo rerum effectu fidei noſtræ adjuta
„ infirmitas, ſenſibili argumento edocta
„ eſt, viſibilibus Sacramentis ineſſe vitæ
„ æternæ effectum. „ Rurſus: " Hæc
„ quoties agimus, non dentes ad morden-
„ dum acuimus, ſed fide ſincera panem
„ ſanctum frangimus. „ Et iterum: „ Quod
„ eſt eſca carni, hoc animæ eſt fides. „ Igitur ex Cypriano Chriſtus eſt ſolummodo per fidem in Euchariſtia, ejus manducatio eſt ipſa fides, nec aliquid eſt præter panem, quandoquidem ex illo Patre panis frangitur & diſtribuitur, nemo autem non novit corpus Chriſti non frangi.

Reſpondeo primo, S. Cyprianum ibi non loqui in opere Polemico aut Apologetico, neque etiam ad initiatos: in his quippe ſolis operibus Patres clare pandunt myſteria; ſed in ſermone ad populum, in quo ſubobſcure loquitur, ne myſteria in fabulam fiant, & irrideantur.

Reſpondeo ſecundo, S. Cyprianum agnoſcere realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia variis in locis, maxime Libro de Orat. Dominica, ubi initiatis explicat myſterium, his verbis: " Quando ergo dicit
„ in æternum vivere, ſi quis ederit de
„ ejus pane, ut manifeſtum eſt eos vive-
„ re qui corpus ejus attingunt, & Eucha-
„ riſtiam jure communicationis acci-
„ piunt. „

Jam reſpondeo, negando minorem. Ad primam probationem, duplex eſt ſolutio. Primo quidem aſſerimus ſanctum Cyprianum eo loci alludere ad oblationes Fidelium, quæ facta conſecratione fiebant, quæque poſtea per modum Eulogiæ in ſignum unitatis & amoris omni diſtribuebantur populo, & non de Euchariſtia. Quidam alii, ut Bellarminus hic Lib. 2. de Euchariſtia cap. 9. pag. 577. contendit Cyprianum explicare Canonem Miſſæ, & loqui de pane conſecrato, ac veluti creato per tranſubſtantiationem ad noſtrarum vegetationem animarum; quocirca de materia Euchariſtiæ eo loci mentionem facit, quæque etiam, facta conſecratione, dicitur panis & ratione ſpecierum apparentium, & per relationem ad materiam tranſmutatam.

Ad ceteras probationes diſtinguo: Et ibi ſanctus Cyprianus loquitur de multiplici Euchariſtiæ effectu, concedo: præciſe de præſentia ſubſtantiali Chriſti, ſubdiſtinguo: connotative, concedo: primario & immediate, nego. Porro ſecluſa fide, ſecluſoque amore non prodeſt Euchariſtia. Cyprianus eſt ſui ipſius interpres, cum ait: " Hæc quoties agimus, non
„ dentes ad mordendum acuimus. „ Manducatio quippe eſt communis juſtis & impiis: Sed inquit, " Fide ſincera
„ panem ſanctum frangimus. Neque vero magis proficiunt Heterodoxi priorem opponendo locum, quippe qui Catholicam ibi aſtruit fidem; namque comparat effectum Euchariſtiæ cum effectu panis communis, & unum tantummodo intendit, videlicet quod ſicut panis communis in carnem & ſanguinem mutatur pro alenda vita temporali, ita Euchariſtia pie ſuſcepta proficit ad vitam æternam capeſcendam: " Panis
„ iſte, *inquit*, communis in carnem &
„ ſanguinem mutatus &c.

Inſtans: Si Chriſtus foret realiter in Euchariſtia, fieret unio realis inter Chriſtum & fidelem, ſed ex S. Cypriano per Euchariſtiam nonniſi conjunctio affectiva producitur; ſic enim in eodem ſermone loquitur: " Solus quippe Filius Pa-
„ tri conſubſtantialis eſt; nec diviſibilis

„ eſt, nec partialis ſubſtantia Trinitatis, „ noſtra vero & ipſius conjunctio nec miſcet perſonas, nec unit ſubſtantias, ſed „ affectus conſociat & confœderat voluntates. „ Quibus verbis diſtinguit unitatem quæ eſt inter Perſonas divinas ab ea quæ intercedit inter nos & Chriſtum per Euchariſtiam; quod prior ſit ſubſtantialis, poſterior vero ſolummodo affectiva. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Inter nos & Chriſtum per Euchariſtiam non contingit unio ſubſtantialis per modum naturæ, & eſſentiæ, concedo: per modum contigui, & ad vitam æternam, nego. Duplex diſtinguenda eſt unio ſubſtantialis; altera per modum naturæ, qualis eſt unio partium continui, & animæ cum corpore; altera vero per modum contigui, qualis eſt unio nummi aurei quod in manu apponitur; porro citra dubium eſt unionem Chriſti per Euchariſtiam non eſſe niſi poſterioris generis, quandoquidem teſte Auguſtino, non mutamus in noſtram ſubſtantiam corpus Chriſti, ſed potius ipſe nos in ſe quaſi convertit, & per ſua dona, & per pios affectus, quorum ipſe eſt auctor; de hoc effectu loquitur Cyprianus ut probet intentum, videlicet panem Euchariſticum æternam vitam producere: Quod autem fiat quædam ſubſtantialis unio, ipſe Cyprianus aſſerit dicendo in libro de Oratione Dominica Fidelem contigere corpus Chriſti: " Manifeſtum eſt, *inquit*, eos vivere qui „ corpus ejus attingunt, & Euchariſtiam „ jure communicationis accipiunt. „ Poſt ipſum vero Abbas Paſchaſius in libro de corpore & ſanguine Domini, loquendo de ſacra communione mirabundus exclamat " O Deus, ſubſtantia mea! „

Perſiſtunt: Corpus Domini in Euchariſtia non eſt idem quod pependit in cruce ex Cypriano: & probatur: Sermone de unctione chriſmatis ſic loquitur: " Dedit „ Dominus noſter in menſa in qua ultimum cum Apoſtolis participavit convi„ vium, panem & vinum; in cruce vero „ manibus militum corpus tradidit vulne„ randum. „ Audis Cyprianum, per oppoſitionem ad menſam, corpus in cruce vulnerandum prædicare. Ergo &c.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: Chriſtus non tradidit corpus in convivio manducandum, ut carnem communem quæ venditur in macello, ſed quod penes ſpecies manducatur ut panis; in cruce vero idem traditur corpus in propria conſtitutione vulnerandum, concedo: tradidit in Euchariſtia panem communem, nego. Myſterium explicat eo loci Cyprianus, docendo corpus ſub alio exiſtendi modo tradi in menſa, ſub alio vero in cruce. Eſt ipſe ſui ipſius interpres verbis immediate ſubſequentibus; ſubjungit enim qua ratione ſic egerit Chriſtus: " Ut, *inquit*, in Apo„ ſtolis ſecretius impreſſa ſincera veri„ tas, & vera ſinceritas exponeret Genti„ bus; quomodo vinum & panis caro eſſet „ & ſanguis; & quibus rationibus cauſæ „ effectibus convenirent: & diverſa no„ mina, vel ſpecies ad unam reduce„ rentur eſſentiam; & ſignificantia & „ ſignificata iiſdem vocabulis cenſeren„ tur. „

Replicant: Atqui nihil præter panem ſignificantem corpus Chriſti, ex Cypriano, ineſt in Euchariſtia. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Cyprianus Epiſt. ad Cæcilium pag. 146. ait: " Chriſtus obtulit „ hoc idem quod Melchiſedech obtule„ rat, id eſt panem & vinum ſuum, „ ſcilicet corpus & ſanguinem, „ Rurſus in eadem Epiſtola ſcribit: " In aqua „ populum intelligi, in vino oſtendi ſan„ guinem Chriſti. „ Igitur panis corpus, vinum vero ſanguinem ſolummodo ſignificant; namque panis & vinum quæ obtulit Melchiſedech, quæque cum Euchariſtia comparat Cyprianus, nihil ultra repræſentabant. Pari & conſimili modo aqua non eſt populus, ſed tantum eſt figura populi. Igitur & Euchariſtia eſt dumtaxat corporis Chriſti typus.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem, diſtinguo: Et utraque comparatio eſt inadæquata, concedo, & eſt adæquata, nego. Senſus Cypriani eſt quod ſicut panis & vinum a Melchiſedech oblata ſignificabant corpus & ſanguinem Chriſti, ſic & Sacramentum Euchariſtiæ reduplicative ut Sacramentum, ſupponit pro ſpeciebus ſenſibilibus quæ conſtituunt ſignum corporis & ſanguinis Chriſti, non mere ſpeculative ut ſacrificium Melchiſedech, ſed practice: unde ſubdit Cyprianus: " Id eſt, pa„ nem & vinum, ſuum ſcilicet corpus „ & ſanguinem. „ Non abſimili ratione

aqua

aqua quantum ad aliquid aſſimilatur ſanctiſſimo Altaris Sacramento , hoc eſt , ſicut ſignificat populum & unitatem populi cum Chriſto , ſic & quidem nobiliori modo;, hoc eſt practice Sacramentum ex pane & vino confectum repræſentat unionem digne communicantium cum Chriſto , quatenus , inquit S. Thomas, panis ex multis granis , vinum vero ex multis racemis & botris conſluit : ibi enim ſanctus Cyprianus ſolum commendat & celebrat mirabiles Euchariſtiæ effectus ; ſic enim loquitur paulo poſt verba in objectione laudata pag. ſcilicet 149. & ſeſe explicat : " Quando autem in calice , vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur ... ... ſic autem in ſanctificando calice Domini afferri ſola aqua non poteſt , quomodo nec vinum ſolum poteſt ; nam ſi vinum tantum quis offerat , ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis ; ſi vero aqua ſit ſola , plebs incipit eſſe ſine Chriſto ; quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur , tunc Sacramentum utrumque ſpirituale & cœleſte efficitur . "

Cæterum non eſt relictus ambigendi locus de mente ſancti Cypriani circa realitatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia , cum in tractatu de lapſis aſſerat indigne ſumentem Euchariſtiam , idem ſcelus patrare quod Judæi , illum negando, commiſerunt : " Spretis , *inquit* pag. 242. his omnibus , atque contemptis , vis infertur corpori ejus & ſanguini ; & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt , quam cum Dominum negarunt . "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Cyprianus præſentiæ reali aſtipulatur .

PRIMO : Epiſt. 54. ait corpore & ſanguine Domini ſaginandos eſſe Fideles , ne inermes adverſus impugnantes fidem incedant .

Secundo : Tribuit Euchariſtiæ ſumptioni tales effectus , quales cibo communi convenire non poſſunt , ut lætificare animam, paſſionum impetus frangere .

Tertio: Tract. de lap. de iis qui peccatis gravioribus detenti ſacram Communionem ſumunt , hæc ait , per eos : " Vis infertur corpori *Chriſti* & ſanguini . "

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Cum S. Cyprianus dicit Chriſtum corpus ſuum creare & ſanctificare , loquitur non contra realem præſentiam , ſed potius docet , his verbis tranſubſtantiationem : neque vero alio modo intelligi poteſt corpus vivens iterum produci niſi Sacramentaliter .

Secundo : Quando idem Pater loquens de Euchariſtia commemorat fidem , realitatem præſentiæ tentare non vult , ſed dignas pro digna ejus ſuſceptione diſpoſitiones inſtituit .

Tertio : Verum eſt quod S. Cyprianus dicit, corpus in Euchariſtia non idem eſſe cum illo quod pependit in cruce , ſed intelligas velim , quoad exiſtendi dumtaxat modum .

§. VII.

An Euſebius Cæſarienſis catholice Cenſuerit de præſentia reali ?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis .

PRIMUM argumentum . Docere panem fieri Chriſti corpus , vinum vero ejus ſanguinem , eſt clare agnoſcere realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia . Atqui ſic docuit Euſebius : & probatur . Sanctus Joannes Damaſcenus Lib. 3. Paralle . cap. 45. hæc verba Euſebii refert : " Multi peccatores , *ait* , cum Presbyteri ſunt , ſacris operantur , nec Deus eos averſatur ; verum per Spiritum ſanctum propoſita dona conſecrat . At panis quidem pretioſum Domini corpus efficitur , poculum autem pretioſus Domini ſanguis . " Ergo &c.

Alterum iſto conficitur ſyllogiſmo . Cogere aliquem per corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia contenta , ſibi adhærere , eſt fidem de præſentia reali profiteri . Sed Euſebius hujuſmodi juramentum quandoque exegit ; & probatur . Lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 44. edit. Valeſii , Novatiani facinora ex ſancti Cornelii Epiſtola ad Fabium recenſens , ita lo-

V 2 qui-

quitur: " Jura mihi per corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te numquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum. Ergo &c. "

Tertium argumentum: Ille catholice locutus eſt de præſentia reali, qui aſſerit Euchariſtiam eſſe ſacrificium præſtantius veteris legis ſacrificiis, quæ erant Chriſti mera ſymbola & imagines. Atqui ſimilia docet Euſebius: & probatur ex ipſius verbis e capite 10. Lib. 1. Demonſtrationis Evangelicæ depromptis; ſic enim habet: " Merito ſane illius memoriam, corporiſque ejuſdem & ſanguinis recordationem quotidie celebrantes, & ad longe præſtantius ſacrificium & munus aſſumpti, quam illud antiquius fuerit, non amplius fas eſſe putamus in prima illa & infirma elementa recidere, ſigna quædam & imagines, non ipſam veritatem continentia. " Eo loci, ut claret, præſentiam realem agnoſcit, ſcilicet aſſerendo expreſſe in Miſſæ Sacrificio offerri corpus & ſanguinem Domini, & illud antepo nit ſacrificiis antiquæ legis, ſin minus, nihil probaret. Ergo &c.

Fit ſatis Proteſtantium objectionibus.

OBJICIT Albertinus: Si propter aliquam rationem dicendum foret Euſebium agnoviſſe præſentiam realem, maxime quia utitur verbo, *continet*. Atqui hæc ratio nulla eſt: probatur antecedens. Verbum, *continet*, non ſemper ſumitur pro eo quod aliquid phyſice includit, ſicut vaſa dicuntur includere liquores; ſed pro declarando & ſignificando: quod iſto poteſt illuſtrari exemplo. Scripta eatenus dicuntur continere voluntatem dantis, in quantum eam ſignificant. In iſto ſenſu Gaudentius Tractatu in Exodum ait: " Omne corpus divinæ Scripturæ, tam veteris quam novi Teſtamenti, Filium Dei continet: " id eſt ſignificat. Sic igitur intelligendus eſt Euſebius. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem nego Euſebium vocem, *continere*, in ſenſu mere ſpeculativo uſurpare; verbum enim, περιέχειν, quod ſignificat, *continere*, refertur & ad ſignum & ad imagines, ſimul & ad ipſam veritatem; ſicut ergo cum ait Euſebius veteris legis ſacrificia continuiſſe ſigna & imagines, non vult quod ſigna & imagines ſolum ſignificarent, ſed revera phyſice incluſerint; ita cum ait Euchariſtiæ ſacrificium ipſam veritatem, non vult quod veritatem dumtaxat ſignificet, ſed reipſa includat, & præſentem exhibeat.

Inſtat: Euſebius ibidem loquitur de ſacrificio crucis, tamquam de unico remedio, & propitiationis ſacrificio. Igitur non agnoſcit ſacrificium continens realiter corpus Chriſti.

Reſpondeo diſtinguendo: Unicum ſacrificium quod promeruit nobis remiſſionem peccatorum agnoſcit Euſebius, concedo: unicum quod illam applicet, nego. In hoc ſenſu Miſſæ ſacrificium eſt propitiatorium; jam vero licet unicum ſit ſalutis lavacrum, ſcilicet ſanguis Chriſti, Baptiſmus tamen lavat applicando merita Chriſti; idem ſimiliter de Euchariſtia dicendum: & hoc ultro fatentur Heterodoxi; revera quidem tametſi aliud ſit ſacrificium crucis, aliud vero altaris, attamen idem eſt quantum ad hoſtiam, & tantummodo penes rationem offerendi diverſum.

Urget: Euſebius ibidem vocat Euchariſtiam memoriale ſacrificii corporis & ſanguinis Chriſti Domini. Igitur ex ipſo non eſt ſacrificium: memoria enim paſſionis non eſt ipſamet paſſio. Probatur antecedens ex ejus verbis; " Poſt omnia quaſi mirabilem quamdam victimam, ſacrificiumque eximium Patri ſuo operatus pro noſtra omnium ſalute obtulit, ejuſque rei memoriam, ut nos ipſi Deo pro ſacrificio offerremus, inſtituit.

Reſpondeo equidem Euſebium vocare Euchariſtiam, memoriale, ſed quod ipſam veritatem continet; memoria quippe eſt ſacrificii crucis, ſi ſpectetur cibationis modus, quia realiter in altari, ſicut in cruce, non occiditur Chriſtus, ſed repræſentative tantum; at vero ſi res oblata conſideretur, eſt eadem hoſtia. Igitur cum appellat Euchariſtiam, memoriam corporis & ſanguinis Chriſti, intelligendus eſt de Chriſto in cruce oblato. Eodem modo locutus eſt Lanfrancus contra Berengarium Lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 14. Eodem modo ante ipſum Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis. Euſebius eſt ſui ipſius interpres Lib. 8. his verbis: " Rurſus enim ipſe diſpenſationis divinæ notas ſuis Diſcipulis tradidit,

Digitized by Google

„ didit, dum hortatur ut ſui ipſius corpo- „ ris imaginem repræſentent. Cum enim „ non amplius cruenta ſacrificia, neque „ ea quæ apud Moyſen in lege diverſo- „ rum animalium mactationibus ſancita „ erant, grata eſſet habiturus, ſed ut pa- „ ne ſui corporis nota uterentur, inſti- „ tuturus. „ Audis Euſebium primo, ſacrificium novæ legis ſacrificiis legis Moſaicæ præferre; ex ipſo igitur non eſt figura inanis. Secundo, panem eſſe notam & typum corporis Chriſti; igitur credit corpus ejus in Euchariſtia realiter contineri, quandoquidem figura terminatur ad veritatem. Demum] ibidem ait hanc egregiam Davidis prophetiam Pſ. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*, in ſacra Euchariſtia adimpleri.

Inſtat: Lib. 3. de Eccleſiaſtica Theologia contra Marcellum Ancyranum cap. 12. explicans verba Chriſti Joan. c. 6. *Spiritus eſt qui vivificat. &c.* ait Chriſtum docuiſſe illos ſpiritualiter intelligere quæ de carne & ſanguine ſuo dixerat: " No- „ lite putare carnem me dicere quam „ circumfero, quaſi illam edere opor- „ teat; nec exiſtimate me præcipere ſen- „ ſibilem & corporalem ſanguinem bi- „ bere. „ Ergo &c.

Reſpondeo, Euſebium illam manducationem excludere, qua corpus teritur & dividitur dentibus, palato guſtatur, in ſtomachum vadit, quo ſenſu Capharnaitæ intellexerunt; ſed non negat manducationem ſacramentalem qua corpus Chriſti modo mirabili & indiviſo in ſtomachum vadit, nec tamen conſumitur, aut ullam mutationem ſubit. Hæc Euſebii mens colligitur ex ejuſdem loco, quem refert ſanctus Joannes Damaſcenus Lib. 3. Paralellorum cap. 45. ecce verba: " Mul- „ ti peccatores, cum Presbyteri ſint, ſa- „ cris operantur, nec Deus eos averſa- „ tur: verum per Spiritum ſanctum pro- „ poſita dona conſecrat, ac panis quidem „ pretioſum Domini corpus efficitur, po- „ culum autem pretioſus Domini ſanguis. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Euſebius Cæſarienſis non abnuit præſentiam realem.

PRIMO: Quia docet panem fieri corpus Chriſti, apud ſanctum Joannem Damaſcenum Lib. 3. Paral. cap. 45.

Secundo: Agnoſcit Novatum coegiſſe multos jurare per corpus Chriſti in Euchariſtia deliteſcentis, ſe ſuas partes numquam deſerturos, Lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 43.

Tertio: Aſſerit Euchariſtiam eſſe ſacrificium ſacrificiis legis Moſaicæ longe præſtantius, Lib. 1. Demonſtr. Evang. cap. 10. igitur ex Euſebio non eſt vacua Chriſti figura.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Perperam Albertinus miniſter detorquet verbum, *continet*, & vertit *ſignificat*; nam eo loci vox græca, *περιέχειν*, ſignificat ſigna & imagines Chriſti apud veterem legem, quæ ſigna dubio-procul erant quid phyſicum & reale, nempe victimæ & oblationes.

Secundo: Neque diffitentur Catholici ſacrificium crucis eſſe pro peccatis unicam expiationem: ſed ejus merita applicari per ſacrificium incruentum, quid vetat?

Tertio: Concedimus etiam cum Euſebio, iſta Chriſti verba Joan. 6. *Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quicquam*, intelligenda eſſe ſpirituali ſenſu, excludente quidem ſenſibilem corporis dilacerationem, ſicut intelligebant Capharnaitæ, quorum errorem eo loci corrigit Chriſtus: ſed non realitatem præſentiæ.

§. VIII.

Diſcutitur mens ſancti Hilarii Pictavienſis circa realem præſentiam.

CONCLUSIO.

Sanctus Hilarius docuit præſentiam realem.

Probatur variis rationibus.

PRIMA: Qui aſſerit in hoc Sacramento nos Verbum carnem factum ſumere, & de veritate carnis & ſanguinis in hac menſa non eſſe dubitandum, ille affir-

mat dogma catholicum. Atqui talia tradit ſanctus Hilarius: Ergo &c. Sic habet Lib. 8. de Trinitate: " Si vere Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico ſumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? " .... Et poſt pauca: " De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ dicimus niſi ab eo diſcimus, ſtulte atque impie dicimus; ipſe enim ait: *Caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus*. De veritate carnis & & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. " Obſerves velim, ſanctum Doctorem iſto probare ratiocinio, nos carnem Chriſti realiter per Euchariſtiam accipere, quia Verbum vere caro factum eſt, quia ille qui ex Maria natus eſt, vere homo eſt. Subdit vero non juxta naturæ captum loquendum eſſe de hoc Sacramento, ſed prout revelatum habemus a Patre. At ſi Chriſtus ibi non foret realiter præſens, non eſſet myſterium.

Altera: Sanctus Hilarius ibidem aſſerit nos realiter per Euchariſtiam uniri Chriſto, eo prope modo quo Verbum ex natura ſua Patri, cui conſubſtantiale eſt, conjungitur. Igitur corpus Chriſti eſt ſubſtantialiter in ſanctiſſimo Altaris ſacramento; hac enim ſecluſa reali præſentia, evaneſcit unio naturalis: ecce verba. " Cur gradum quemdam atque ordinem conſummandæ unitatis expoſuit, niſi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis eſſet, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rurſus in nobis per Sacramentorum ineſſe myſterium crederetur. "

Tertia ratio, eaque validiſſima hęc eſt. S. Hilarius in libro laudato debellat Arianos, qui cuncta Scripturæ ſacræ loca de unitate Verbi cum Patre, in unionem mere affectivam transferebant, hac explicatione rati ſe Verbi divinitatem exſufflaturos. S. autem Doctor probat variis argumentis unionem Verbi cum Patre eſſe conſubſtantialem, & maxime duobus. Primum ex unione Verbi phyſica cum carne aſſumpta; alterum vero ex unione noſtra reali cum corpore Chriſti in Euchariſtia excerptum: ex his enim unionibus concludit Filium Dei unum eſſe ſubſtantialiter cum Patre; quod certe non probaret adæquate, ſi Chriſtus non niſi figurative eſſet in Euchariſtia. Audiamus Hilarium explicantem hæc Chriſti verba: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*; ait: " Hæc vero vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum vivimus, id eſt, naturam carnis ſuæ adepti, quomodo non naturaliter ſecundum ſpiritum in ſe Patrem habeat, cum vivat ipſe per Patrem. Dicis Filium Dei carnaliter in nobis manere per Euchariſtiam. " Ergo. &c.

Diluuntur Heterodoxorum commenta.

OBJICIUNT: Qui propugnat Chriſtum non alio modo unum nobiſcum eſſe per Euchariſtiam quam ſumus unum inter nos, certe præſentiam realem eliminat, cum unum in hypotheſi naturaliter & per unionem phyſicam cum Chriſto eſſemus. Atqui in ſententia Hilarii Lib. 8. de Trin. in probationem noſtræ aſſertionis adducta, ſic eſt; & probatur: " Naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit; ita enim omnes unum ſumus, quia & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. "

Reſpendeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Et comparatio non eſt adæquata, concedo: & eſt adæquata, nego. Eo loci ſanctus Doctor probat Arianis Verbum eſſe Patri conſubſtantiale ex duobus momentis; primo quidem ex eo quod ſicut unum ſumus naturaliter juxta ſpeciem humanam quæ eadem eſt in omnibus, quæque fide & amore mutuo fovetur. Filius eſt unum naturaliter cum Patre. Neque vero Hilarius ab unione naturali recedit, tametſi iſta foveatur unione affectiva; nam ut refellat Arianos, qui cuncta Scripturæ loca de unitate inter Filium & Patrem divinum, de unione morali interpretabantur, contendit unionem inter homines, etiam affecti-

fectivam, eatenus eſſe naturalem, quatenus eadem eſt realiter in omnibus natura humana. Secundo ex capite Euchariſtiæ qua unum ſumus per realem in nobis Chriſti præſentiam confirmat; ſin minus nihil probaret: & unionem realem per Euchariſtiam deducit ex unione hypoſtatica cum natura humana, hinc illam eſſe veram aſſerit; ſubdit enim: “ Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & vere homo ille qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſque vere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus. ”

Inſtant: Atqui unio inter homines & Chriſtum non alia eſt niſi moralis ex Hilario. Ergo &c. Probatur ſubſumptum; ibidem ſubdit: “ Et per hoc unum erimus, quia Pater in eo eſt, & ille in nobis; quomodo voluntatis unitas aſſeritur. ” Sed Hilarius his verbis eſt ſui ipſius de unione morali & affectiva per voluntatem interpres. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et ſanctus Hilarius admittendo unionem affectivam, non excludit naturalem & ſubſtantialem, concedo: & excludit, nego. Scopus ſancti Doctoris genuinus ille eſt, quod unio affectivam, quam Ariani ex multis Scripturę locis inter nos & Chriſtum ventilabant, non excludat unionem realem inter Patrem & Filium, ſicut contendebant Ariani, illo innixi Evangelii teſtimonio, *Pater ſancte, ſerva eos ..... ut ſint unum ſicut & nos*: quia Chriſtus nobis unitur pluſquam affective & in unione hypoſtatica, & in Euchariſtia. Quocirca ait non eſſe humano modo de Euchariſtia loquendum, nec relictum eſſe ambigendi locum de præſentia reali: ſic enim pergit poſt verba in objectione allata: “ Cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum ſit unitatis, non eſt humano aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquendum ..... De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus; nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, vere caro eſt, & vere ſanguis eſt; & hæc accepta atque hauſta id efficiunt. ” Audis eum loqui de corpore Chriſti in Euchariſtia accepto, & ejus ſanguine hauſto. Audis perfectam, & non inanem cum Chriſto vi & efficacia ejus Sacramenti unitatem: audis de myſteriis juxta revelationem acceptam loquendum.

Urgens: Patres paſſim dicunt nos fieri corporis & ſanguinis Chriſti per Baptiſmum participes, ut Cyrillus Alex. Explan. in Exod. 2. Fulgentius Lib. de Baptiſmo Æthiopis; immo ipſe Hilarius ibidem ait: “ nos uno Chriſto per naturam unius Baptiſmi indui. ” Sed Chriſto per Baptiſmum non conjungimus niſi ratione fidei, charitatis, aliorumque donorum ad gratiam ſacræ regenerationis conſequentium. Ergo &c.

Reſpondeo negando paritatem: non enim ſanctus Hilarius dicit nos vere, naturaliter & phyſice Chriſto per Baptiſmum conjungi, ſicut per Euchariſtiam; “ De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ dicimus, *ait ibidem ſanctus Doctor*, niſi ab eo diſcimus, ſtulte atque impie dicimus; ipſe enim ait: CARO MEA VERE EST ESCA, ET SANGUIS MEUS VERE EST POTUS. ”

Inſiſtit Albertinus: Familiare eſt Veteribus uti vocabulis, *eſt*, *dicitur*, etiam ubi agitur de metaphoris. Igitur cum Patres aſſerunt carnem Chriſti eſſe vere carnem, hoc quoque metaphorice intelligendum eſt.

Reſpondeo ex duobus capitibus metaphoram a propoſitione excludi; primo, quando ſenſus obvius implicat contradictionem, ut cum Chriſtus appellatur *petra*. Secundo, cum antecedentia & conſequentia dictionis ſenſum obvium naturalem eſſe demonſtrant; talis eſt ſancti Hilarii pro reali præſentia textus; nec contradictorie loquitur, cum ait carnem Chriſti vere eſſe cibum, quippe qui ipſe Chriſti auctoritate innixus hoc dicat. Hoc utique ex antecedent. & conſequent. patet.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

Sanctus Hilarius propugnavit realitatem.

PRIMO: Lib. 8. de Trinitate ait, de veritate carnis & ſanguinis Domini in Euchariſtia non remanere dubitandi locum.

Secundo: Ibidem non abſimili modo nos per Euchariſtiam realiter uniri Chriſto docet, in quantum fieri poteſt, ſicut Filius

V 4 in

Digitized by Google

in divinis ex natura & eſſentia ſua unitur Patri cui conſubſtantialis eſt.

Tertio: Ibidem infert adverſus Arianos, ex unione reali Verbi cum humanitate, & Chriſti nobiſcum per Euchariſtiam, Filium in ſanctiſſima Trinitate eſſe unum cum Patre, nedum affective, ſed & eſſentialiter & conſubſtantialiter.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Tametſi Hilarius dicat nos unum eſſe per Euchariſtiæ Sacramentum, ſicut ſumus unum inter nos per fidem & charitatem, non inde evacuat præſentiam realem, cum inter nos & Chriſtum vi & efficacia Euchariſtiæ agnoſcat, præter unionem fide & charitate innixam, ſed & naturalem, hoc eſt, ut ipſe explicat, corporalem, quandoquidem duo corpora ſimul conjuncta uniuntur realiter.

Secundo, Nec quemquam illud movere debet, quod ſanctus Doctor eo loci afferat nos uniri Chriſto per ejus Sacramentum, ſicut & per Baptiſmum conſociamur; comparatio ſiquidem non eſt omnimoda, cum nullibi afferat nos per Baptiſmi fidem ei corporaliter conjungi, quem tamen mirabilem effectum Euchariſtiæ tribuit in loco mox laudato.

Tertio: Incaſſum reponit Albertinus non ſequi ex verbis Hilarii nos uniri realiter per Euchariſtiam cum Chriſto Domino, cum vocabula, *eſt*, *dicitur*, etiam figuris conveniant; namque Chriſtus dicitur *agnus*, *petra*, *leo*, quæ tamen non niſi myſtice intelliguntur. Nam ex terminis, ex ſcopo, ex antecedentibus & conſequentibus ſuum determinat Hilarius ſenſum ad præſentiam realem: alias nihil adverſus Arianos probaret, cum ſecluſa præſentia reali & unione hypoſtatica, non concluderet contra illos unionem Filii cum Patre ſubſtantialem.

§. IX.

Expenditur mens utriuſque Cyrilli, Jeroſolymitani ſcilicet & Alexandrini, circa præſentiam realem.

TANTIS argumentis uterque Cyrillus explanat præſentiam realem, ut abſque diſcuſſione ſufficiat eorum textus in medium proferre.

Jeroſolymitanus.

JUXTA verſionem apud Bellarminum Lib. 2. de Sacramento Euchar. cap. 13. Catech. 4. myſtagog. multa præclara de præſentia reali profert.

Primo, ait a nemine hoc dogma in dubium revocandum eſſe. " Cum Chriſtus ,, ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane: ,, Hoc eſt corpus meum: quis deinceps ,, audeat dubitare? Ac eodem quoque con- ,, firmante & dicente: Hic eſt ſanguis ,, meus; quis, inquam, dubitet & dicat ,, non eſſe illius ſanguinem?,,

Secundo: Ibidem probat myſterium miraculo mutationis aquæ in vinum in Cana Galilææ, repetens ex Dei omnipotentia veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in ſanctiſſimo Altaris Sacramento. " Aquam, *inquit*, aliquando mutavit in ,, vinum, quod eſt ſanguini propinquum, ,, in Cana Galilææ ſola voluntate; & ,, non erit dignus cui credamus quod vi- ,, num in ſanguinem transfmutavit?,,

Tertio: Eadem in Catecheſi affirmat, fidelem qui ſacram accepit Euchariſtiam, eſſe Chriſtophorum: " Chriſtophori eri- ,, mus, id eſt, Chriſtum ferentes, cum ,, ejus corpus & ſanguinem in membra ,, noſtra receperimus, atque ut beatus ,, Petrus dicit, divinæ naturæ conſor- ,, tes efficiemur.

Quarto: Ibidem adhortatur ne Fideles tentent fidem, eo quod ibi ſenſus fallantur: " Ne ergo conſideres tamquam nu- ,, dum panem, & nudum vinum; corpus ,, enim eſt, & ſanguis Chriſti. Quamvis ,, enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen ,, fides te confirmet, ne ex guſtu rem ju- ,, dices.,,

Cyrillus Alexandrinus.

PRIMO: Dicere Verbum incarnatum per Euchariſtiam nos inflammare, ſicut ignis accendit paleam, & per ſuam cum natura noſtra conjunctionem eam ad reſurrectionem & gloriam perducere, præſentiam realem nedum propugnat, ſed & ejus effectus mirum in modum explanat. Atqui S. Cyrillus Alex. Lib. 4. in Joan. cap.

cap. 15. apud Bellarminum L. 2. de Euch. cap. 15. pag. 638. Myſterium ita proponit credendum . Et probatur : " Sicut enim ſcintilla ignis in fęnum, & ,, paleam immiſſa totum inflammat ; ſic ,, verbum Dei per Euchariſtiam naturæ ,, noſtræ corruptibili conjunctum, totam ,, reſurgere faciet immortalem & glorioſam . ,,

Secundo: Qui præoccupat Hæreticorum cavillos dicendo Chriſtum non eſſe in Euchariſtia præſentem ſolum fide & charitate, ſed corporaliter, & licet hoc captum ſuperet humanum, fidem tamen in hoc potiſſimum audiendam eſſe, citra dubium intemeratus & acerrimus præſentiæ realis defenſor eſt : atqui docuit, & ſic ſcripſit S. Cyrillus Alex. Et probatur L. 10. cap. 13. ait Heterodoxis : " Non nega- ,, mus recta nos fide, charitateque ſincera ,, Chriſto ſpiritualiter conjungi, ſed nul- ,, lam nobis conjunctionis rationem cum illo ,, eſſe, id profecto pernegamus ; idque a ,, divinis Scripturis omnino alienum eſſe ,, dicimus ..... An fortaſſis putas igno- ,, tam nobis myſticæ benedictionis virtu- ,, tem eſſe ? Quæ cum in nobis ſit, non- ,, ne corporaliterque facit communicatione ,, carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habita- ,, re ? ,,

Rurſus ibidem infra : " Unde conſide- ,, randum eſt, non habitudine ſolum, quæ ,, per charitatem intelligitur Chriſtum in ,, nobis eſſe, verum etiam participatione ,, naturali ... Non poterat enim aliter cor- ,, ruptibilis hæc natura corporis, ad incor- ,, ruptibilitatem, & vitam traduci, niſi ,, naturalis vitæ corpus ei conjungeretur . ,, Non credis mihi hæc dicenti ? Chriſto, ,, obſecro te, fidem adhibe . ,,

Tertio: Doctrina a Concilio III. generali tum a IV. & V. veluti dogmata fidei continens approbata, ſecluſa temeritate non poteſt abjici . Atqui ſanctus Cyrillus in ſua ad Neſtorium Epiſtola ab illis Synodis approbata præſentiam realem aſtruit his verbis : " Sic etiam ad myſticas benedi- ,, ctiones accedimus, & ſanctificamus par- ,, ticipes facti corporis & pretioſi ſan- ,, guinis Chriſti, omnium noſtrum Re- ,, demptoris effecti : non ut communem ,, carnem percipientes, quod abſit, nec ut ,, vini ſanctificati ... ſed ipſius Verbi pro- ,, priam factam . ,,

Expenduntur teſtimonia Cyrilli Jeroſolymitani in contrarium allata ab Heterodoxis .

OBJICIUNT : Verba S. Cyrilli Jeroſolymitani in probationem citata ſic debent intelligi : " Cum Chriſtus ipſe affir- ,, met atque dicat de pane, *hoc eſt corpus* ,, *meum*, quis deinceps audeat dubitare . ,, Figuram ejus corporis ibi denotat, addit Albertinus in diſſertatione contra aſſerentes præſentiam realem ex Patribus . Namque fatetur de præſentia reali poſſe eſſe dubium . Igitur eam non affirmat .

Reſpondeo, quod ſi iſte foret ſenſus Cyrilli, abſurde locutus fuiſſet ; etenim mutationem vini in ſanguinem probat per mutationem aquæ in vinum in nuptiis factis in Cana Galilææ : Atqui talis mutatio fuit vera, igitur & ſecunda : ceterum ſtupens & non ipſe dubitans, ait neminem myſterium in dubium revocare poſſe .

Inſtat Rivetus : Sanctus Cyrillus catecheſi myſtagogica, ſic habet : " Quemadmo- ,, dum panis & vinum Euchariſtiæ ante ,, ſacram invocationem adorandæ Trinita- ,, tis panis erat, & vinum merum, pera- ,, cta vero invocatione panis quidem fit ,, corpus Chriſti, vinum autem ſanguis ,, Chriſti, ſicut cibi ejuſcemodi pompæ ,, ſatanæ ſuapte quidem natura puri ſunt, ,, invocatione tamen dæmonum impuri ,, evadunt . ,, Ibi S. Cyrillus invocationi ſanctæ Trinitatis mutationem tribuit . II. eodem modo vult illam mutationem fieri quo cibi dæmoni conſecrati mutantur : Atqui mutatio cibi dæmonibus oblati, non eſt ſubſtantialis : Ergo nec prima .

Reſpondeo diſtinguendo : Et comparatio eſt quoad aliqua, concedo : quoad omnia, nego . Illud exemplum affert Cyrillus ob quamdam analogiam inter duplicem mutationem, non quod ſimiles eſſe putaverit, quippe qui agnoverit dogma catholicum catecheſi 4. verbis ſupra laudatis in probatione .

Inſtat : Catecheſi 3. ſic loquitur : " Quem- ,, admodum panis Euchariſtiæ per ſan- ,, cti Spiritus invocationem non amplius ,, eſt panis communis, ſed eſt corpus Chri- ,, ſti, ſic & ſanctum illud unguentum ,, non eſt amplius unguentum nudum, ,, & commune, poſtquam jam confecta- ,, tum

Digitized by Google

,, tum eſt , ſed eſt chriſma Chriſti ; per ,, Spiritus ſancti præſentiam divinitatis il- ,, lius efficimur participes , quomodo ſen- ,, ſus noſtri ſymbolice inunguntur . ,, Quibus poſitis ſic argumentatur Calviniſta : " Qualis eſt mutatio olei in Sacramento ,, Confirmationis , talis eſt mutatio panis ,, in corpus Chriſti : Atqui prima non eſt ,, ſubſtantialis : ergo & altera . 2. Ut cor- ,, pus inungitur ſymbolice , anima Chriſti ,, ſpiritu vere ſanctificatur , ſic etiam co- ,, medit , & bibit os corpus Domini ſym- ,, bolice , anima vero intus corpore & ,, ſanguine Chriſti ſpiritualiter effici- ,, tur . ,,

Reſpondeo diſtinguendo : Et S. Cyrillus vult quidem ita fieri mutationem in oleo ut non ſit amplius unguentum commune poſtquam conſecratum eſt , ſicut mutatio fit in pane , ita ut non ſit amplius panis communis , concedo : Et in hoc adeſt adæquata comparatio , ita ut panis in Euchariſtia remaneat , nego . Solutio eſt Bellarmini hic Lib. 2. de Euch. cap. 13. pag. 593. " Cyrillus non eodem modo , ,, *inquit* , loquitur de chriſmate , & de Eu- ,, chariſtia . De Euchariſtia enim dicit , ,, poſt conſecrationem non eſſe panem ,, communem , ſed corpus Chriſti : De ,, chriſmate autem dicit quidem non eſſe ,, commune unguentum , ſed non addit ,, eſſe Spiritum ſanctum , vel corpus Chri- ,, ſti , ſed eſſe chriſma Chriſti , ſeu ſan- ,, ctificatum oleum.

Urget : Cyrillus cath. 5. ſic habet : Gu- ,, ſtantes autem non panem aut vinum ,, ut guſtare jubentur , ſed antitypum cor- ,, poris & ſanguinis Chriſti . . . . . . ,, Tum ſubdit : " Sub typo panis datur tibi ,, corpus , & ſub typo vini datur tibi ,, ſanguis . ,, Ἀντίτυπον σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.

Reſpondeo diſtinguendo : Cyrillus vocat Euchariſtiam figuram , ſed continentem corpus Chriſti , concedo : figuram vacuam , nego . Antitypi nomen in Cyrilli catecheſibus , idem ſignificat quod apud nos Sacramentum ; ſic enim habet catecheſi 4. " Quare omni cum certitudine ,, corpus , & ſanguinem Chriſti ſumamus , ,, nam ſub typo panis datur tibi corpus , ,, & ſub typo vini datur ſanguis , ut ſum- ,, pto corpore , & ſanguine Chriſti effi- ,, ciaris ei comparticeps corporis & ſangui- ,, nis , ſic Chriſtophori erimus , id eſt ,, Chriſtum ferentes , cum ejus corpus & ,, ſanguinem in membra noſtra receperi- ,, mus . ,, Porro ſi S. Cyrillus ſolam figuram inanem agnoviſſet , dubio-procul non ſic locutus fuiſſet .

Dices : Corpus Chriſti non tangimus : Atqui ibidem aſſerit Cyrillus Fideles Euchariſtiam tangere , immo cum adhuc eſt humiditas in labris , adhortatur Fideles ut manibus tangentes , & oculos & frontem conſecrent , hujuſmodi autem expreſſiones non conveniunt cum noſtris ; non enim tangimus corpus Chriſti ; alio igitur modo locutus eſt ac nos de præſentia reali , adeoque myſtice .

Reſpondeo diſtinguendo minorem . Aſſerit Cyrillus corpus Chriſti tangi mediantibus ſpeciebus , concedo : per ſe , & immediate , nego . Senſus non eſt quod ſanguine Domini linirent fideles ſenſus ſuos , ſed quod poſtea tangendo labia manibus , eas conducerent ad oculos , reverentiæ erga Euchariſtiam cauſa ; ibi autem nulla eſt ſuperſtitio .

Objecta adverſus S. Cyrilli Alexandrini auctoritatem proponuntur & eliduntur .

OBJICIT Albertinus : S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 12. in Joannem ſic habet : " Quod myſticæ Eulogiæ communio , con- ,, feſſio quædam ſit reſurrectionis Chri- ,, ſti , manifeſtum facile fiet , ex iis quæ ,, ipſe dixit , cum myſterii typum per ſe ,, perficiſſet . . . . *dicendo* , hoc eſt corpus ,, meum . ,, Atqui inquit Hæreticus , quod eſt typus myſterii , non eſt realitas corporis . Ergo &c.

Reſpondeo primo , myſterium illud ad mortem , & reſurrectionem ſignificandam exhibuiſſe Chriſtum cum Sacramentum inſtituit ; eſto tamen quod Cyrillus loquatur de typo corporis , non ſequitur ideo quod verum Chriſti corpus in Euchariſtia non agnoverit , nam typum non ſumpſit pro inani figura , ſed pro realiter continente corpus Chriſti . Cyrillus eſt ſui interpres ibidem : " Apparet , *inquit* , Chriſtus no- ,, bis viſibiliter & inviſibiliter : hoc mo- ,, do ut Dominus , viſibiliter in corpore , ,, promittit vero & dat carnem ſuam ſan- ,, ctam tangendam . ,,

Inſtat : Sanctus Cyrillus Lib. 4. in Joannem ſic habet : " Sicut Paulus modicum ,, fermentum , ait , totam maſſam fermen-

,, tare ,

Digitized by Google

,, tare, ſic minima Eulogia totum noſtrum ,, corpus in ſe miſcet propriaque replet ef- ,, ficacia. ,, Ibi S. Doctor modum exiſtendi proprii corporis reſtringit ad efficaciam minimæ Eulogiæ.

Reſpondeo, S. Cyrillum non eſſe intelligendum de efficacia & virtute ſeparata a corpore Chriſti, pani indita, ſed de virtute corporis Chriſti in Euchariſtia præſentis, quam vocat Eulogiam, & quidem minimam reſpectu ſpecierum, quibus corpus Chriſti velatum eſt. Quod colligitur ex his quæ docet Lib. 11. his verbis: " Eſt in nobis ,, filius corporaliter quidem ut homo no- ,, biſcum commixtus, & unicus per Eu- ,, logiam myſticam, ſpiritaliter autem ut ,, Deus. ,,

Inſiſtit: Idem ſanctus Cyrillus ibidem affirmat eodem modo nos vivificari per corpus Chriſti ac per ſpiritum Chriſti: Atqui ille ſpiritus nos non vivificat ſubſtantialiter. Ergo &c.

Reſpondeo, hæc verba æquali modo eumdem ſanctificandi modum non ſignificare, paritas igitur in eo eſt, quod Spiritus ſanctus nos vivificet per realem inhabitationem in nobis, corpus Chriſti humano quaſi modo & naturali, ut docet ibidem Cyrillus Libro 4. contra Neſtorium: " Nos, *inquit*, non ſpiritali tantum, ve- ,, rum etiam corporali modo ſui participes ,, efficit. ,,

Reponit Petrus Martyr, Cyrillum L. 6. in Joan. cap. 14. ſcribere Chriſtum corporis ſui præſentiam hinc ſubduxiſſe, divinitatis tamen majeſtate nobis ſemper adeſſe; ſed iſtud diſcrimen inter præſentiam in cœlo, & aliam in terra nequit afferri, niſi Cyrillus intelligat Chriſtum realiter eſſe in cęlo, ſed myſterio ſolum in ſanctiſſimo altaris Sacramento. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Cyrillus ait Chriſtum hinc ſubduxiſſe præſentiam realem ſenſibilem, & oculis per ſe & immediate ſubjacentem, concedo: præſentiam realem ſacramentalem, nego. Contrarium ex probationibus liquet: & admiſſa ſolutione ex ipſius Cyrilli principiis deprompta, ne minima quidem ſuboritur contradictio.

Reſpondet Bellarminus hic pag. 639. his verbis: " Hic vero prodit pſeudo-Mar- ,, tyr negligentiam & impudentiam ſuam. ,, Nam ſextus ille liber non eſt Cyril- ,, li, ſed Jodoci Clictovei, ut etiam in- ,, ſcriptio librorum indicat; perierunt ,, enim ex duodecim libris Cyrilli in Joan- ,, nem quatuor intermedii, ſed eos ſup- ,, plevit Clictoveus. Cum autem Clicto- ,, veus ante paucos annos vixerit, & ſcri- ,, pſerit contra Oecolampadium de Eucha- ,, riſtia, & apertiſſime hoſtis Sacramenta- ,, riorum fuerit, dubitari non poteſt, quin ,, illa ejus verba non repugnent verita- ,, ti Euchariſtiæ. Atque hinc diſcimus non ,, eſſe mirandum, ſi Auguſtinus, Theo- ,, doretus, & alii veteres, quædam di- ,, xerint, quæ in ſpeciem videantur favere ,, Hæreticis, cum etiam Jodoco quædam ,, exciderint, quæ ab adverſariis trahuntur ,, ad ſuam cauſam. Voluit igitur dicere, ,, Chriſtum ſecundum præſentiam carnis ,, non ubique, nec ſemper nobis adeſſe, ,, ſecundum divinitatem autem ubique & ,, ſemper. ,,

Perſiſtit: Cyrillus L. ad Evoptium in explicatione 2. Anathematiſmi dicit in Sacramento Euchariſtiæ non contineri hominis manducationem, hoc enim craſſas ſpirat cogitationes. Ergo &c. II. Petrus Martyr in libro contra Gardinerum dicit ſanctum Doctorem in Epiſtola a Concilio Epheſino approbata, hæc ſcribere: " Inter cetera, *ait*, Euchariſtiam ,, noſtram non eſſe commeſtionem nu- ,, di & puri hominis: quod non eſt ,, aliud quam mutatis verbis negare ,, ἀνθρωποφαγίαν ,, III. Idem Heterodoxus aſſerit Cyrillum L. 4. in Joan. cap. 10. 14. & 17. docere Euchariſtiam conferre vitam, ex quo concludit non manducari ab impiis, & conſequenter corpus Chriſti ibi realiter non adeſſe. 4. Cyrillus Epiſt. ad Caloſyrium ait in pane & vino Chriſti carnem ſumi. Et L. 4. in Joan. cap. 24. ſcribit Chriſtum dediſſe Apoſtolis fragmenta panis, cum hæc protulit verba: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Ergo &c.

Reſpondeo, hæc & ſimilia potius eſſe Miniſtrorum nugas ut fucum faciant, quam difficultates. Quidquid ſit, ſolutio patet ex dictis: ad primum enim patet Cyrillum loqui de manducatione hominis qui ſenſibiliter dilaceretur, quod dicere cum Capharnaitis ſtupidum eſt. In ſecundo loco ſanctus Doctor ait in Euchariſtia carnem puri hominis non manducari, ut ajebat Neſtorius, ſed carnem hominis

Dei:

Dei: ſi in altero loqueretur ſenſu nihil adverſus Heterodoxum, quem Synodus Epheſina ubi præſidebat Cyrillus damnaverat, proferret. Tertius locus vel minimum non urget; ſequitur enim ex hoc quod Euchariſtia Dei vitam juſtis, mortem vero cauſet impiis, quia ut ipſe ait Apoſtolus 1. Cor. 11. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat, non dijudicans corpus Domini*. Audis ex Apoſtolo vel ipſos impios etiam manducare corpus Domini, ſed ad condemnationem. Demum in quarta auctoritate, verum eſt quod ibi aſſerit Cyrillus, videlicet Euchariſtiam optime vocari panem tum ratione termini a quo cœpit mutatio, tum ratione ſpecierum ſeu accidentium panis remanentium. Quod autem hic ſit genuinus Cyrilli ſenſus liquido patet, ex eo quod in eadem Epiſtola ad Caloſyrium diſertis verbis aſſerat, panem mutari in veritatem carnis Chriſti.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Uterque Cyrillus propugnat diſerte præſentiam realem.

PRIMO QUIDEM Jeroſolymitanus, quippe qui dicat catecheſi 4. myſ. de hac veritate non eſſe dubitandum; cujus dogmatis poſſibilitatem repetit ex omnipotentia Chriſti, qui aquam in vinum convertit in Cana Galilææ. Tum ibidem ait ſumentem Euchariſtiam eſſe Chriſtophorum. Demum verbis expreſſis concludit credendum eſſe carnem & ſanguinem in tanto Sacramento adeſſe, tametſi ſenſus quaſi decipiantur, eo quod ſpecies ſecundum ſe ſpectatæ referant panem.

Secundo: Neque vero remanet de mente alterius Cyrilli dubitandi locus; namque L. 4. in Joan. cap. 15. verbum Dei nobis uniri per Euchariſtiam, nedum fide & charitate, ſed etiam corporaliter ſcripſit. Tum in ſua ad Neſtorium Epiſtola dicit non communem carnem, ſed ipſius Verbi in Euchariſtia nos fieri participes.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Nemini mirum videri debet, ſi Cyrillus Jeroſolymitanus quandoque Euchariſtiam typum appellet, ejuſque conſecrationem chriſmatis benedictioni comparet; loquitur enim de figura plena quæ realitatem non excludit, ſicut cum Apoſtolus Heb. 1. vocat Filium Dei figuram ſubſtantiæ paternæ, quæ certe exhibet veritatem, nam eo loci probat Apoſt. omni argumentorum genere illum Filium eſſe Patri conſubſtantialem & Deum verum. Idem cenſet de præſentia reali Cyril. Porro nonniſi quoad aliquid aſſimilat conſecrationem Euchariſtiæ benedictioni chriſmatis; hoc eſt Euchariſtiam vult eſſe panem non communem, ſed benedictione ſacrum, & per mutationem unius ſubſtantiæ in aliam fieri, quod non contingit in chriſmate.

Secundo: Multa fabulantur Heterodoxi de mente S. Cyrilli Alex. circa Euchariſtiam. Primo quidem quod L. 12. in Joan. comparet Euchariſtiam Eulogiæ, quæ certe non eſt niſi figurative corpus Chriſti. II. Lib. 4. Joan. Nos non aliter uniri corpori Chriſti, ac Spiritui ſancto conjungimur, adeoque pure moraliter. III. L. 6. in Joan. cap. 14. Chriſtum corpus ſuum ſubduxiſſe, præſentiam vero divinitatis nobis reliquiſſe. IV. L. ad Evoptium manducationem carnis Chriſti non continere ejus corpus. V. in Epiſt. ad Neſt. Euchariſtiam non continere puri hominis corpus, ſed certe in hoc Hæretici meditati ſunt inania. Et vero Euchariſtia, eſto typus ſit, ſed Paſſionis; unimur per eam etiam ſicut Spiritui ſancto conjungimur, ſiquidem unio cum Spiritu ſancto per fidem & charitatem eſt Euchariſtiæ effectus, ſed inſuper Chriſto vi ejus Sacramenti corporaliter unimur. Ad 3. dictum eſt Chriſtum in cœlos aſcendentem ſubduxiſſe præſentiam ſenſibilem, nuſquam vero realem inviſibilem, cum ipſe dicat, Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Sed quomodo? niſi per Euchariſtiam. Demum manducatio non continet corpus Chriſti ſenſibile, ſed ſacramentale. Quinta objectio gratis affertur; bene enim Cyrillus ſcripſit contra Neſtorium Euchariſtiam non puri hominis, ſed hominis Dei corpus complecti, quod, negando unionem hypoſtaticam, negabat conſequenter Hereſiarcha.

§. X.

§. X.

Num ſanctus Chryſoſtomus præſentiam realem propugnaverit?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ex variis ſancti Doctoris textibus.

QUI affirmat non veſtem Chriſti in hoc Sacramento tangi, ſed corpus ipſius manducari, vere eſſe corpus ejus in hoc Sacramento, idem corpus eſſe quod fuit in præſepe, eumdem Jeſum quem adoraverunt Magi, docuit profecto præſentiam realem: ſed talia legimus in divo Chryſoſtomo. Ergo &c.

Primo: Homilia 51. in Matthæum ſic habet. " Non tantum ejus veſtimentum, ,, ſed & corpus ipſius nunc nobis propo- ,, ſitum eſt, nec ut tangimus modo, ve- ,, rum quoque ut edamus & replea- ,, mur. ,,

Secundo: Homilia de ſancto Philogonio: " Hæc menſa, *ait*, explet vicem præ- ,, ſepis; nam & hic jacet corpus Domi- ,, nicum, non faſciis involutum, ſicut ,, tunc, ſed Spiritu ſancto undique invo- ,, lutum; qui myſteriis initiati ſunt, in- ,, telligunt quæ dicuntur. Magi quidem ,, nihil aliud adoraverunt: tibi vero, ſi ,, cum pura conſcientia acceſſeris, nos ,, concedimus ipſum ſumere & domum ,, abire. ,,

Tertio: Homilia 83. in Matthæum hæc ſcribit: " Ille dixit: Hoc eſt corpus me- ,, um; perſuaſi ſimus & credamus, & ,, oculis intellectualibus id aſpiciamus, ,, nihil enim ſenſibile dedit nobis Chri- ,, ſtus, ſed rebus quidem ſenſibilibus in- ,, telligibilia omnia. " Non omittendum ,, quod Hom. 24. in 1. ad Cor. ſcripſit, ubi explicat illa Apoſtoli verba, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt*, ait: " Valde ,, fideliter dixit & terribiliter. Hoc eſt ,, autem quod dicit: Id quod eſt in ca- ,, lice, eſt id quod fluxit e latere, & ,, illius ſumus participes. ,,

Explicantur teſtimonia divi Chryſoſtomi

In contrarium allata.

OPPONUNT Calviniſtæ: Chryſoſtomus Hom. 20. in 2. ad Corinth. ait non ſolum Euchariſtiam eſſe corpus Domini, verum etiam & pauperes juxta illud Chriſti effatum: *Quod uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis*. Sed liquido conſtat pauperes non eſſe phyſice corpus Chriſti. Igitur nec eſt Euchariſtia, cum inter utrumque fiat comparatio.

Reſpondeo diſtinguendo: Et illa comparatio eſt quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego. Sanctus Doctor non in uno loco aſſerit Euchariſtiam eſſe phyſice corpus Chriſti, maxime vero Homilia 24. in Epiſt. 1. ad Corinth. ubi expendens iſta Apoſtoli verba dicit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Id quod eſt in calice eſt id quod fluxit e latere, & illius ſumus participes. Rurſus Hom. 46. in Joan. exponens illud Job. 31. *Quis det de carnibus ejus ut ſaturemur?* ait: " Quod Chriſtus fecit, ut majori nos ,, charitate adſtringeret, & ut ſuum in ,, nos oſtenderet deſiderium, non ſe tan- ,, tum videri permittens deſiderantibus, ,, ſed & tangi, & manducari. " Igitur ex his luce clarius liquet ſanctum Doctorem intellexiſſe pauperes alio modo eſſe corpus Chriſti, alio vero Euchariſtiæ Sacramentum; pauperes myſtice per quamdam unionem affectivam, & relationem ad Chriſtum, Euchariſtiam vero realiter & ſubſtantialiter.

Inſtant: Idem Epiſt. ad Cæſarium Monachum adverſus Apollinarem hæc ſcribit: " Sicut enim antequam ſanctificetur ,, panis, panem nominamus, divina an- ,, tem illum ſanctificante gratia, median- ,, te Sacerdote, liberatus eſt quidem ab ,, appellatione panis, dignus autem habi- ,, tus eſt Dominici corporis appellatio- ,, ne; etſi natura panis in ipſo perman- ,, ſit, & non duo corpora, ſed unum præ- ,, dicatur. ,, Eo loci vi conſecrationis unum tantummodo tribuit Chryſoſtomus pani, quod amplius non vocetur panis, ſed tamen naturam panis permanere aſſerit. Ergo &c.

Reſpon-

Reſpondeo primo, iſtam Epiſtolam non eſſe genuinum S. Chryſoſtomi fœtum, quia I. hæc Epiſtola non reperitur in ejus operibus. II. Ibi auctor perſtringit Eutychianos, quorum hæreſis nondum tempore Chryſoſtomi graſſabatur. III. Theodoretus debellans in ſuis Epiſtolis Eutychianos, non meminit iſtius Epiſtolæ, tametſi alia permulta loca ejuſdem ſancti Doctoris adverſus eos urgeat; hinc veriſſimilius eſt iſtam Epiſtolam eſſe vel Joannis Jejunatoris Conſtantinopolitani Patriarchæ, vel Alexandrini, alterius ab eo qui eleemoſynarius cognominatus eſt.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Panis, tranſacta conſecratione, remanet quoad proprietates, ſeu etiam quoad ideam generalem panis, concedo: quoad realitatem, nego. Solutio eſt ad mentem & ſcopum auctoris, qui ut oſtendat Apollinariſtis naturam humanam non fuiſſe in Incarnatione a divinitate abſorptam, ſed ſuas retinere proprietates, videlicet viſibilitatem, palpabilitatem & ſimiles, utitur exemplo Euchariſtiæ, in qua quidem panis veluti aſſumitur a Verbo per tranſubſtantiationem, nihilominus ibi remanent panis proprietates.

Neque vero ſilenda eſt alterius ſolutionis explicatio, nimirum Patres quandoque nomine ſubſtantiæ non intelligere ipſam ſubſtantiam, ſed ejus generalem ideam: ſic Patres Græci nomine *φύσις*, intelligunt etiam ſubſtantiæ proprietates & apparentiam, maxime in Euchariſtia ubi quantitas eatenus vices tenet ſubſtantiæ, quatenus eſt ceterorum accidentium, & ſubſtratum, & ſubjectum; ſic Ephræm Antiochenus apud Photium, & Ruſticus Diaconus contra Acephalos diſputantes, & Joannes Maxentius in Dialogo, nomine ſubſtantiæ non naturam individuam, ſed ſolum ideam ſubſtantiæ generalem intelligunt: pari & conſimili ratione auctor Epiſtolæ laudatæ, qui certe non abnuit tranſubſtantiationem, cum dicat, *Non duo corpora, ſed unum filii corpus prædicatur*: At dubio-procul ſi remaneret panis cum Chriſti corpore, jam in Euchariſtia duo eſſent corpora.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Chryſoſtomus præſentiam realem propugnavit.

PRIMO: Quia dicit Hom. 51. in Matth. nos in ſacra Euchariſtia non tantum veſtimenta, ſed & corpus tangere.

Secundo: Hom. de S. Philogonio, ait eumdem Salvatorem qui reclinavit in præſepio, adeſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis.

Tertio: Hom. 83. in Matth. corpus Salvatoris ibi ſubeſſe, quia Chriſtus dixit, & facta ſunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi Homil. 20. in Epiſt. 2. ad Corinthios, dicat pauperes eſſe quoque corpus Chriſti, certe non eodem modo hoc intelligit ac de Euchariſtia, cum nullibi aſſerat pauperes eſſe corpus Chriſti verum, bene vero Euchariſtiam.

Secundo: Ait quidem Epiſt. ad Cæſarium Monachum naturam panis, facta conſecratione, remanere, ſed eum loqui de natura accidentali & quoad ſpecies manifeſtum eſt, cum ſubjiciat Euchariſtiam, & panem poſt conſecrationem non eſſe duo corpora.

§. XI.

Num S. Hieronymus pro præſentia reali ſteterit?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus ejus auctoritate ſuffultis.

PRIMO S. Hieronymus ſacrificium Melchiſedech ut figuram ſacrificii Altaris habet: ſed figura ad veritatem & realitatem terminatur: Igitur S. Doctor pro præſentia reali ſtetit. Sic loquitur in Epiſtola ad Marcellam, ſub nomine Paulæ & Euſtochii ſcripta: “ Melchiſedech & jam „ tunc in typo Chriſti panem & vinum „ obtulit, & myſterium chriſtianum in „ Salvatoris corpore & ſanguine dedicavit. „ Quod autem corpus Chriſti in

veteri

veteri lege præfiguratum, ſit in Euchariſtia veritas, dicit Hieronymus Com. in cap. 1. Epiſt. ad Tit. " Tantum, *ait*, intereſt inter panes propoſitionis & corpus Chriſti, quantum inter umbram & corpus. "

Secunda hæc eſt: Si figura Chriſti dumtaxat foret Euchariſtia, certe non ore, ſed ſola fide ſumeretur: Atqui tamen ex Hieronymo Chriſtus in Sacramento Altaris ipſo ore ſumitur: ſic enim habet Epiſt. ad Heliodorum: " Abſit ut de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt. " Rurſus Epiſt. ad Euſtochium: " Si quæ ancillæ ſunt comites præpoſiti tui, ne erigaris adverſus eas, ne infleris ut Domina, unum ſponſum hebere cœpiſtis, ſimul pſallitis, Chriſti ſimul corpus accipitis, cur menſa diverſa ſit? "

Tertia: Qui probat verbis Chriſti realitatem, tum dicendo Chriſtum ſimul eſſe comedentem & qui comeditur, aperte propugnat præſentiam realem: Atqui S. Hieronymus ſic ſcribit Epiſt. ad Hedibiam, 4. 2. Ergo &c. " Nos, *inquit*, audiamus, panem quem fregit Dominus, deditque Diſcipulis, eſſe corpus Domini Salvatoris... Nec Moſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Jeſus ipſe conviva & convivium; ipſe comedens & qui comeditur. "

Reſpondetur Proteſtantium objectionibus.

OBJICIUNT: Hieronymus agnoſcit tantum in Euchariſtia corporis Chriſti typum. Ergo &c. Probatur antecedens: Epiſtola ad Hebidiam reſpondens ad ſecundam iſtam quæſtionem, quid ſibi vellent hæc Chriſti verba: *Dico vobis non bibam ammodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, quo bibam illud novum vobiſcum in regno Patris mei*; ait: " Ex hoc loco quidam mille annorum fabulam ſtruunt, in quibus Chriſtum regnaturum corporaliter eſſe contendunt, & bibiturum vinum, quod ex illo tempore uſque ad conſummationem mundi non biberit. " Eo loci conſentit Hieronymus cum Millenariis de liquore in Euchariſtia ebibito; diſſentit vero in eo quod iſtud vinum, Dominum non per ſe ipſum & in terra conſiſtentem, ut propugnabant Chiliaſtæ, ſed repræſentative per Fideles ſuos in continuata Sacramenti communione præſtiturum eſſe ſentiebat. Igitur nonniſi ſpiritualiter Chriſtus eſt in Euchariſtia, cum conſtet Dominum in cælis regnantem non alio modo bibere de hoc genimine vitis.

Reſpondeo primo, negando antecedens: Ad probationem dico, Hieronymum eo loci non loqui de conſecratione Euchariſtiæ, ſed potius de ejus effectu, qui conſummabitur in cœlis per cœleſtem & ſpiritualem inebrietatem, juxta illud Pſal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*.

Reſpondeo ſecundo ad eamdem probationem, Hieronymum ne minimum quidem inferre ex verbis Chriſti Euchariſtiam eſſe merum typum, quin potius negat ex profeſſo id ſequi; eſt autem ſui ipſius interpres; relata enim ſententia Chiliaſtarum poſt verba in objectione laudata immediate ſubjungit: " Nos autem audiamus, panem quem fregit Dominus, deditque Diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini Salvatoris, ipſo dicente ad eos: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*; & calicem illum eſſe de quo iterum locutus eſt: *Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur*. " Unde neſcio quo auſu Albertinus ex verbis Hieronymi concluſerit Euchariſtiam eſſe ſolummodo corporis Chriſti figuram.

Urgent: Idem Commentario in cap. 26. S. Matthæi dicit Chriſtum in Euchariſtia ſuum repræſentare corpus: ſed repræſentatio eſt ſolummodo figura & imago. Ergo &c. Probatur minor: eo loci ſic loquitur ſanctus Doctor: " Aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret. " Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Repræſentatio ſpeculativa eſt mera imago, concedo: practica & ſacramentalis, nego. De poſteriore loquitur Hieronymus ut ipſa ſonant verba, quibus veritatem opponit figuræ; ſic enim habet: " Poſtquam typi-

„ typicum Paſcha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sacramentum, ut quomodo &c. „ Vides eum opponere verum Paſcha figurativo, & veritatem ſui corporis & ſanguinis pani & vino Melchiſedech, quæ fuerunt Euchariſtiæ figuræ. Quid plura adjiciam? Vox, *repræſentare*, non ſignificat figurare & ſignificare, ſed præſens exhibere & reddere; quo ſenſu Juriſconſulti præſentem pecuniæ ſolutionem, repræſentationem appellant; in quem ſimiliter ſenſum Cicero Epiſt. famil. Lib. 5. Epiſt 16. illud uſurpat, cum ait: " Neque ſpectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſumus. „

Perſiſtunt: Hieronymus in cap. 66. Iſaiæ aſſerit impios non comedere carnem Chriſti, & ejus bibere ſanguinem: " Quia, *inquit*, myſteria veritatis non valent introire, & comedere cibos impietatis, dum non ſunt ſancti corpore & ſpiritu, nec comedunt carnem Jeſu, neque bibunt ſanguinem ejus, de quo ipſe loquitur; qui comedunt carnem meam & bibunt ſanguinem meum habent vitam æternam. „ Sed ſi corpus Chriſti eſſet realiter in Euchariſtia, citra dubium, vel ipſi etiam impii illud comederent, dum communicant. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Impii ex Hieronymo non comedunt corpus Chriſti quantum ad effectum ſpiritualem, concedo: quantum ad realitatem, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Duplex eſt Chriſti manducatio, ut non ſemel ſupra dictum eſt; una ſacramentalis, altera vero ſpiritualis: prior fit, cum recipitur Sacramentum: altera cum recipitur ea qua par eſt fide & devotione. Hieronymus propugnat impios manducare quidem corpus Chriſti, ſed ad condemnationem, ut ipſe teſtatur Apoſtolus 1. Corinth. 11. ubi de impio ait: *Judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*. In eodem prorſus ſenſu loquitur Comment. in caput 1. Malachiæ his verbis: " Polluimus Doctoris panem, id eſt corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad Altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus, & dicimus: Menſa Domini deſpecta eſt. „ Igitur ex ſancto Hieronymo impii manducant Sacramentum corporis Chriſti, ſed non ad vitam.

Urgens: Atqui ex Hieronymo, impii nullo modo manducant carnem Chriſti. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Qui impius eſt, Spiritum ſanctum nuſquam habet: Igitur cum Hieronymus dicat malos carnem Chriſti non comedere, ſenſus eſt, ſimpliciter & nullo modo eos illi participare.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quod receptio Spiritus ſancti eſt effectus ſolum moralis, qui conſequenter per malam animæ diſpoſitionem impeditur; ſecus vero effectus phyſicus, qualis eſt eſus cibi, qui a quolibet ſtomacho recipitur, ad vitam quidem, ſi præparatus ſit, ad mortem vero, ſi male. Sic cenſet de communione ſacrilega Hieronymus cum Apoſtolo 1. Cor. 11.

Inſiſtunt: Sanctus Doctor loquitur per oppoſitionem de communione digna & indigna. Igitur juxta legem oppoſitorum, ſi juſtus qui ſe confeſſione ſacramentali probavit, vere carnem Chriſti in Euchariſtia ſuſcipit, e contra impius ne minimum quidem ſumit.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et S. Hieronymus loquitur per oppoſitionem, quantum ad Sacramenti effectum, concedo: quantum ad Sacramentum, & id quod continet, nego antecedens & conſequentiam. *Sumunt boni, ſumunt mali*, ait Eccleſia, *ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Hieronymus propugnat præſentiam realem.

PRIMO: Epiſt. ad Marcellam dicit ſacrificium Melchiſedech terminari ad Euchariſtiam ut ad veritatem.

Secundo: Epiſt. ad Euſtochium ait, fideles in menſa ſacra corpus Domini recipere.

Tertio: Epiſt. ad Hedibiam, aſſerit id eſſe verum, quia ſic Chriſtus dixit: *Ipſe conviva, & convivium*.

SINO-

Digitized by Google

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Quando ſanctus Doctor Epiſt. ad Hedib. q. 2. vocat Euchariſtiam, *typum*, intelligit plenum.

Secundo: Quandoque etiam ait Chriſtum in Euchariſtia corpus ſuum repræſentare; ſed intelligas velim cum eo, practice.

Tertio: Incaſſum replicat Albertinus, ſanctum Hieronymum Comm. in cap. 66. Iſaiæ aſſerere impios carnem Chriſti non edere, ſiquidem de effectu ſolum loquitur, cujus rei argumentum eſt, quod hoc non dicat de juſtis.

§. XII.

Exponitur mens Divi Ambroſii de præſentia reali, quam certe agnovit.

CONCLUSIO.

Probatur ex ejus verbis.

QUI affirmat in Euchariſtia, primo, non eſſe id quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit; ſecundo, benedictione naturam mutari; tertio, corpus quod conficit in altari Sacerdos, eſſe carnem quæ crucifixa & ſepulta eſt: docet haud dubie Dominum eſſe præſentem in Euchariſtia. Sed hoc edocet ſanctus Ambroſius. Ergo &c. Probatur minor: Ex opere quod ei nemo abjudicat, ſcilicet ex libro de iis qui myſteriis initiantur cap. 9. hæc ſcribit: " Quantis igi„ tur, *ait*, utimur exemplis, ut probe„ mus non hoc eſſe quod natura forma„ vit, ſed quod benedictio conſecravit, „ majoremque vim eſſe benedictionis quam „ naturæ, quia benedictione etiam ipſa „ natura mutatur. „ Tum recenſitis variis mutationibus a Prophetis patratis, ſic proſequitur: " Quod ſi tantum valuit hu„ mana benedictio, ut naturam conver„ teret, quid dicimus de ipſa conſecratio„ ne divina, ubi verba ipſa Domini Sal„ vatoris operantur? Nam Sacramentum „ iſtud quod accipitis, Chriſti ſermone „ conficitur. „ Et poſt pauca: " Hoc „ quod conficimus corpus, ex Virgine „ eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem „ in Chriſti corpore, cum præter natu„ ram ſit ipſe Dominus Jeſus partus ex „ Virgine? Vera utique caro Chriſti, „ quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt ... „ Ipſe clamat Dominus Jeſus: *Hoc eſt* „ *corpus meum*. Ante conſecrationem ver„ borum cœleſtium, ſpecies nominatur; „ poſt conſecrationem, corpus Chriſti ſi„ gnificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. „ Ante conſecrationem, aliud dicitur: „ poſt conſecrationem, ſanguis nuncupa„ tur. „

Emdantur difficultates ex ſancto Doctore deſumptæ.

OPPONUNT Heterodoxi: Sanctus Ambroſius Comment. in cap. 11. Epiſt. 1. ad Cor. pag. 1915. ait Euchariſtiam ſignificare carnem & ſanguinem Domini, & calicem eſſe Chriſti ſanguinis typum. " In cujus typum, *inquit*, nos calicem „ myſticum ſanguinis ad tuitionem cor„ poris & animæ noſtræ percipimus. „ „ Ergo &c.

Reſpondeo primo, opponendo Ambroſium Ambroſio, in locis quippe ſupra laudatis ex profeſſo & clariſſime propugnat præſentiam realem.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Ambroſius vocat Euchariſtiam typum, tum Paſſionis Domini, tum beneficiorum ab ipſo acceptorum, concedo: typum vacuum, nego. Solutio patet ex verbis antecedentibus & conſequentibus; namque explicans Apoſtoli verba, *Ego enim accepi a Domino &c.* ait de Chriſto: " Oſten„ dit illis myſterium Euchariſtiæ inter cœ„ nandum celebratum non cœnam eſſe; „ medicina enim ſpiritualis eſt, quæ cum „ reverentia deguſtata purificat ſibi de„ votum: memoria enim redemptionis „ noſtræ eſt, ut Redemptoris memores, „ majora ab eo conſequi mereamur. Mor„ tem Domini annuntiantes donec ve„ niat. Quia enim morte Domini libera„ ti ſumus, hujus rei memores in edendo „ & potando carnem & ſanguinem, quæ „ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus. „

Obſerves velim, Ambroſium eo loci conjungere realitatem corporis Chriſti cum memoria; ſed cujus; audi loquentem, Redemptionis, quam Euchariſtia ſignificat, „ Mortem Domini, *inquit cum* „ *Apo-*

Digitized by Google

„ *Apoſtolo*, annuntiantes donec veniat. „ Tum ſubdit : “ Beneficii divini, ſanguis „ teſtis eſt, in cujus typum, *ſcilicet beneficii*, non calicem myſticum, *nempe ſacramentalem*, ad tuitionem corporis & „ animæ noſtræ percipimus. „ Demum ſuam interpretationem concludit ibidem his verbis : “ Qui enim manducat & bibit „ indigne, judicium ſibi ipſi manducat & „ bibit, non diſcernens corpus Domini : „ devoto animo & cum tremore accedendum ad communionem decet, ut ſciat „ mens reverentiam ſe debere ei, ad cujus „ corpus ſumendum accedit : hoc enim „ apud ſe debet judicare, quia Dominus „ eſt. „ Audis Ambroſium diſtinguere Euchariſtiam a fide, & charitate ; iſtas enim exiſtimat diſpoſitiones, non ipſam Euchariſtiam, quam Hæretici in fide ſola reponunt. Certum eſt autem eas illum exigere veluti prærequiſitas ad digne communicandum, “ quia in *Euchariſtia* Dominus eſt. „

Sed ad multorum argumentorum ſolutionem diſtinguimus cum Paſchaſio in libro de corpore & ſanguine Domini : Euchariſtia eſt typus & figura paſſionis Chriſti, juxta illud Chriſti ipſius effatum, *Hoc facite in meam commemorationem*, concedo : eſt figura corporis Chriſti ſacramentalis, ſubdiſtinguo ; ſecundum ſpecies viſibiles, concedo : ſecundum quod interius continetur, nego. Sacramentum enim Euchariſtiæ eſt ſignum practicum repræſentans phyſice contentum ; ſic loquitur Paſchaſius : “ Eſt autem figura & character hoc quod exterius ſentitur, ſed „ totum veritas & nulla adumbratio, „ quod intrinſecus percipitur : veritas „ eſt dum corpus Chriſti & ſanguis, virtute ſpiritus, in verbo ipſius ex panis vinique ſubſtantia efficitur ; figura „ vero dum Sacerdos quaſi aliud exterius „ gerens, ob recordationem ſacræ Paſſionis ad aram venit, & quod ſemel geſtum eſt, quotidie immolatur „ Agnus. „

Concinit Lanfrancus ibidem Lib. de corpore & ſanguine Dom. cap. 16. “ Sacramentum, *inquit*, corporis Chriſti, quantum „ ad id ſpectat quod in cruce immolatus „ eſt ipſe Dominus Chriſtus, caro ejus „ eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & ſanguis ejus, „ quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus. „

Urgens : Lib. 6. de Salv. cap. 4. ait panem realem non eſſe in Euchariſtia, ſed ſolummodo eum qui nutrit animas, adeoque mere ſpiritualem. Ergo &c. Probatur antecedens : “ Non iſte panis eſt, *ait*, „ qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ eternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo : Et eo loci loquitur de pane materiali, quem vocat quotidianum, quem petimus pro vitæ conſervatione, quemque ibi non intelligit, ſed panem ſpiritualem & ſacramentalem, qui fulcit animas, concedo : & excludit panem Euchariſticum realiter continentem Chriſtum, nego. Ibi explicat orationem Dominicam, & dicit nos præciſe non petere panem materialem qui in corpus vadit, ſed eum qui nutrit animas, qualis eſt corpus Chriſti. Sic ſupra ſeſe explicat : “ Panem noſtrum quotidianum da „ nobis hodie. Memini Sermonis mei, „ cum de Sacramentis tractarem. Dixi „ vobis quod ante verba Chriſti quod offertur panis dicatur ; ubi Chriſti verba „ deprompta fuerint, jam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. „ Tum poſt verba pro objectione allata : „ Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit ; „ ſic vive, ut quotidie merearis accipere. „ Vides Ambroſium dicentem per panem quotidianum etiam ſe intelligere corpus Chriſti ; poſtea perorat de fructu ejuſdem Sacramenti, quem vocat etiam panem, ſed mere myſticum & materiali longe præſtantiorem, quemque, iſto ſpreto, quotidie a nobis expoſtulari deſiderat.

Inſtans : Atqui panis etiam poſt conſecrationem remanet. Ergo. Probatur ſubſumptum. Idem Ambroſius Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. pag. 1248. poſtquam hæc dixit : “ Quanto magis optabilius „ eſt ut ſint quæ non erant, & in aliud „ commutentur ; „ addit : “ Tum ipſe „ eras, ſed eras vetus creatura ; poſtea- „ quam conſecratus es, nova creatura eſſe cœpiſti ; vis ſcire quæ nova creatura ? Omnis, inquit, in Chriſto nova „ creatura. Accipe ergo quemadmodum „ ſermo Chriſti creaturam omnem mutare „ conſueverit, & mutat quando vult inſtituta naturæ. „ Eo loci Ambroſius contendit panem non alio modo mutari quam hominem per gratiam Baptiſmi : ſed citra

dubium

dubium eſt hominem non niſi moraliter mutari per regenerationis gratiam . Igitur panis moraliter tantum & appellatione corporis Chriſti per conſecrationem mutatur .

Reſpondeo primo , Ambroſium in loco objecto ſermonem inſtituere de effectu tanti Sacramenti , quem comparat quoad aliquid cum effectu Baptiſmi . Secundo , unum hic probare , videlicet credendam eſſe realitatem corporis Chriſti , tametſi in immenſum ſuperet rationem ; quod quidem ſuadere pro virili conatur exemplo generationis miraculoſæ Chriſti , aitque : " Vides ergo quia contra inſtituta „ & ordinem , homo eſt natus ex Virgi„ ne . „ Hoc idem fuſioribus exemplis probat ibidem , videlicet miraculo virgæ Moyſis bis in ſerpentem commutatæ ; ligni immiſſi in Marath fontem , qui ſtatim amaritudinem depoſuit . Poſtea probationes reſumendo , ſic concludit : " Ex his igi„ tur omnibus non intelligis quantum ope„ retur ſermo cœleſtis ? Si operatus eſt in „ fonte terreno , ſi operatus eſt ſermo cæ„ leſtis in aliis rebus , non operatur in „ cœleſtibus Sacramentis ? Ergo didiciſti „ quod ex pane corpus fiat Chriſti , & „ quód vinum & aqua in calicem mitti„ tur , ſed fit ſanguis conſecratione verbi „ cœleſtis . „

Replicant : Qui aſſerit ſimilitudinem tantummodo ſanguinis in Euchariſtia reperiri , eamque parem , qualis eſt ſimilitudo mortis Chriſti in nobis per Baptiſmum , nihil præter figuram in Sacramento Altaris admittit . Sed ſanctus Ambroſius ibidem quarto libro de Sacramentis cap. 4. nihil aliud admittit : & probatur his verbis : " Sed forte dicis , ſpeciem ſangui„ nis non video , ſed habet ſimilitudinem , „ ſicut enim mortis ſimilitudinem ſum„ pſiſti , ita etiam ſimilitudinem pretioſi „ ſanguinis bibis , ut nullus horror cruoris „ ſit , & pretium tamen operetur redem„ ptionis . „ Nullus autem dixerit per Baptiſmum ſimilitudinem realem mortis Chriſti eſſe in nobis . Igitur ex paritate liquet Chriſtum eſſe ſolum moraliter in Euchariſtia .

Reſpondeo nego minorem . Ad probationem diſtinguo : Eſt ſolum ſpecies & ſimilitudo ſanguinis in accidentibus , concedo : & hoc ut apprime ſubnotat Ambroſius , ne homines qui abhorrent a ſanguine , ab eſu Euchariſtiæ elongarentur : in re contenta , nego . Subdit enim immediate poſt verba objecta : " Dixiſti ergo quia quod accipis , corpus Chriſti eſt . „ Quid plura ? Sanctus Doctor eo loci potiſſimum agit de effectu; explicat etiam realitatem ſub ſpeciebus ubi ineſt ſolum ſimilitudo ſanguinis , ab exemplo ſimilitudinis mortis Chriſti per Baptiſmum ; quocirca ſimilitudo non eſt adæquata , ut obſervat explicando Ambroſium , Lanfrancus Libro de corpore & ſang. Dom. caput 20. ubi ſic alloquitur Berengarium objicientem locum allegatum : " Mul„ tum falleris in hac verborum intelligen„ tia ; neque enim ſimilitudinis adver„ bia identitatem ſeu æqualitatem ubique „ poſita ſignificant ; in Evangelio nam„ que Salvator dicit *Eſtote miſericor„ des , ſicut & pater veſter miſericors eſt* . „ Non tamen eadem ſeu æqualis miſeri„ cordia poteſt ineſſe Deo & homini„ bus . „ Sanctus Cyrillus apud S. Thomam in Catena aurea ſic habet : " Ne , *inquit* , „ horreremus carnem & ſanguinem appo„ ſita ſacris Altaribus, condeſcendens Deus „ noſtris fragilitatibus , influit oblatis „ vim vitæ , convertens in veritatem pro„ priæ carnis , ut corpus vitæ , quaſi quod„ dam ſemen vivificativum inveniatur in „ nobis . „

Dices : In manuſcripto codice græco Victoris Antiocheni non habetur : " Con„ vertens ea in veritatem propriæ car„ nis , *ſed in efficaciam carnis ſuæ* . „ Ergo &c.

Reſpondeo ſanctum Thomam non defloraſſe textum Cyrilli , ſed antiquam ſecutum eſſe verſionem ; ceterum iſta verba ; *in efficaciam carnis ſuæ* , idem ſonant ; videlicet virtutem non a carne Chriſti ſeparatam , ſed potius ei conjunctam ; & ut vani Heterodoxorum cavilli præoccupentur , obſervandum eſt , Ambroſium & ceteros Patres quandoque pro explicatione Euchariſtiæ ab ejus confugere effectum , ſed quatenus a præſentia ipſius Chriſti productum . Idem locus in Catena Græcorum Patrum Toloſæ edita ex manuſcripto codice Bibliothecæ Bavaricæ a Patre Poſſevino Societatis Jeſu , hic refertur ſub Cyrilli nomine : " Demon„ ſtrative autem dixit : Hoc eſt corpus „ meum , & hoc eſt ſanguis meus; ne pu„ tes typum eſſe quæ videatur , ſed per

X 2 quam-

Digitized by Google

„ quamdam ineffabilem Dei omnipotentis
„ virtutem oblata in corpus & ſangui-
„ nem Chriſti vere mutari , quorum par-
„ ticipes facti , vivificam & ſanctifican-
„ tem Chriſti virtutem ſuſcipimus . „

Inſiſtunt : Sanctus Ambroſius Lib. 6. de Sacramentis cap. 1. pag. 1253. ſic loquitur : “ In ſimilitudinem quidem accipis „ Sacramentum, ſed vere naturæ gratiam „ virtutemque conſequeris . „ Sed qui ſolummodo in ſimilitudinem ſuſcipit Sacramentum, gratiam & ſolam nihil præter figuram in Sacramento recipit ; namque ſanctus Doctor opponit veritatem effectus, ſimilitudini Sacramenti. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Recipitur in ſimilitudinem Sacramentum , quoad id quod eſt ſignum, concedo : quoad rem Sacramenti, nego. Duo in iſto Sacramento ſecernenda ſunt , nimirum id quod eſt Sacramentum, & id quod eſt res Sacramenti. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile , & ſupponit pro viſibilibus ſpeciebus , quæ certe ſimilitudinem tantum pre ſe ferunt; ſed res Sacramenti eſt ipſum Chriſti corpus ſub ſpeciebus obtectum . Ne igitur homines vel ipſam horreſcerent Euchariſtiam , Ambroſius ad plebem & imperfectos ſicut ad perfectos loquens , confugit ad effectum mirabilem , ad ciendos pietatis affectus erga tantum Sacramentum. Suam ipſe prodit mentem ; ſic enim ibidem loquitur : “ Sed forte dicas , quomo- „ do vera ? qui ſimilitudinem video, non „ video ſanguinis veritatem .... Ne igi- „ tur plures hoc dicerent , *ſcilicet ut Ca-* „ *pharnaitæ* , veluti quidam eſſet hor- „ ror cruoris, ſed maneret gratia redem- „ ptionis , ideo in ſimilitudinem quidem „ accipis Sacramentum , ſed vere naturæ „ gratiam virtutemque conſequeris . „ Audis? *ne eſſet horror cruoris* . Igitur Ambroſius intelligit latere ſub ſpeciebus verum Chriſti ſanguinem; ſubjicit enim : “ Et tu „ quia accipis panem , divinæ ejus ſub- „ ſtantiæ in illo participaris alimento . „

Lanfrancus eumdem Ambroſii locum a Berengario objectum explicans Lib. De corpore & ſanguine Domini cap. 20. ſic loquitur : “ Similitudinem hoc in loco, „ nullo dubitante , panis vinique ſpeciem „ intelligit, ſub qua corporis Chriſti na- „ tura contegitur , & ſine cruoris hor- „ rore a digne ſumentibus in ſalutem ac- „ cipitur . „

Reponunt : Qui umbram & imaginem dumtaxat admittit in Euchariſtia , omnem ab ea corporis realitatem eliminat. Atqui Ambroſius hanc ponit diſcrepantiam inter præſentiam Chriſti in terris , & ejuſdem præſentiam in cœlis , quod hic ſolummodo ſit in imagine , in cœlis vero ſecundum ſubſtantiam . Ergo &c. Probatur minor . Libro primo de Officiis cap. 48. ſic habet : “ Ante agnus offerebatur , „ offerebatur vitulus ; nunc Chriſtus „ offertur , ſed offertur quaſi homo , qua- „ ſi recipiens paſſionem ; & offert ſe i- „ pſe quaſi Sacerdos , ut peccata noſtra „ dimittat . Hic in imagine , ibi in ve- „ ritate . „

Reſpondeo , nego minorem . Ad probationem , diſtinguo : Hic Chriſtus eſt in imagine quoad ſtatum & poſſidendi modum, concedo: quoad ſe , nego . Eo loci Ambroſius explicat atque celebrat Chriſti poſſeſſionem , & duos viſionis ſtatus exponit, alterum per ſpeculum & in ænigmate , alterum vero facie ad faciem . Concedit quidem nos viatores , videre Chriſtum in Euchariſtia ſolummodo per ſpeculum & in ænigmate, hoc eſt per fidem : in cœlis vero viſuros facie ad faciem . Verba ſubſequentia hunc Ambroſii ſenſum produnt : “ Hic ergo , *ait*, in ima- „ gine ambulamus , in imagine vide- „ mus ; illic facie ad faciem ubi plena „ perfectio . „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ambroſius fuit præſentiæ realis aſſertor eximius.

PRIMO: L. de his qui myſteriis initiantur ait, naturam panis in Euchariſtia mutari.

Secundo: Ibidem hanc mirabilem mutationem probat miraculis multis , maxime converſione virgæ Moyſis in ſerpentem .

Tertio : Ibidem aſſerit Sacerdotem in Euchariſtia conficere idem corpus Chriſti , quod ex Maria natum eſt .

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi vocet Euchariſtiam typum , non inde realem præſentiam excludit ;

cludit; loquitur enim de figura plena, & quæ reſpectu ſolum ſacrificii cruenti, imago eſt.

Secundo: Dum loquitur de pane nutritorio, loquitur de effectu Euchariſtiæ: Ne igitur inde concludas ſanctum Doctorem abnuere realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam.

Tertio: Nec magis proficiunt Heterodoxi dicendo Ambroſium Euchariſtiam appellare ſimilitudinem; intelligendus quippe eſt de ſimilitudine viva quæ rem repræſentatam continet, & in eodem ſenſu quo Apoſtolus de Chriſto loquens ait, Phil. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*.

§. XIII.

Utrum divus Auguſtinus patrocinetur Calvino figurate verba explicanti?

CONCLUSIO.

Propugnator acerrimus fuit præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia S. Auguſtinus.

Probatur multiplici auctoritate ſancti Doctoris.

ILLE in ea fuit fide, Chriſtum ſcilicet, eſſe præſentem in Euchariſtia, qui I. Dominicum corpus ſumi a Chriſtianis aſſerit: II. Sacerdotem menſam exhibere de corpore & ſanguine Domini: III. Chriſtum dare manducandum corpus in quo tanta perpeſſus eſt: IV. Demum quod ſuſcipientibus prius incumbat, adorare, quam percipere Euchariſtiam: Atqui hæc omnia leguntur in divo Auguſtino. Ergo &c.

Primum habemus Epiſt. 120. " Ipſi, *ait*, " adducti ſunt ad menſam Domini, & accipiunt de corpore & ſanguine ejus." Rurſus Epiſt. ad Caſulanum contra *Urbicum* quemdam Scriptorem ait: " Non cogitans etiam nunc ſe accipere in poculo ſanguinem."

Alterum legitur L. 17. de civ. cap. 20. " Sacerdos, *ait*, ipſe mediator teſtamenti novi exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine." ſcilicet menſam.

Tertium depromitur ex Sermone ad Neophytos, ut teſtatur Ivo Carnot. Epiſt. ad Haymericum, & Paſchaſius Epiſt. ad Frudegardum: " Hoc, *ait Auguſtinus*, accipite in pane, quod pependit in cruce; hoc accipite in calice, quod manavit de Chriſti latere."

Quartum exponit L. 2. contra Adverſarium legis & Prophetarum cap. 9. his verbis: " Sicut mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus."

Demum in Pſal. 98. ait ſanctus Doctor: " Nemo autem illam carnem *Chriſti*, manducat niſi prius adoraverit." Quare adoranda caro? niſi quia Chriſtus realiter in Euchariſtia præſens eſt.

Sed non eſt omittenda inter ſententias Auguſtini illa celeberrima, Comment. in Pſal. 33. conc. 1. ubi de Chriſto ſic loquitur: " Ferebatur in manibus ſuis. Hoc vero, Fratres, quomodo poſſe fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram non invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait *Hoc eſt corpus meum*." Obſerves velim eo loci ſanctum Doctorem ſenſum figurativum excludere, & verba non intelligi de Davide, eo quod in ſenſu obvio falſum ſit dicere de aliquo eum ſe portare in manibus; ex quo concludit hoc ſolum litteraliter de Chriſto intelligi, cum panem convertens in ſuum corpus, vere ſe in manibus & tenebat, & ferebat. Neque vero aliter quam per Euchariſtiam ſe ipſum portabat.

Sanctus Auguſtinus eamdem propugnat clare veritatem L. 9. confeſſ. cap. 13. Enarr. in Pſ. 39. L. 12. contra Fauſtum. L. 2. Retract. cap. 37. & L. 2. cap. 3. q. 57. in Levit. Serm. 113. de diverſis, L. 1. de pecc. meritis & rem. cap. 20. Epiſt. 120. ad Honoratum cap. 27. L. 3. de Trin. cap. 4. & 10. L. 2. contra litt. Petil. cap. 37. Tract. in 11. Joan. &c.

Proponuntur nonnulla divi Auguſtini obſcura loca, & explanantur.

OBJICIUNT Proteſtantes: Ex divo Auguſti-

guſtino ſolummodo panis in Euchariſtia reperitur : Ergo &c. Probatur antecedens: Sermone ad recens baptizatos apud Fulgentium libro de Baptiſmo Æthiopis cap. ultimo, ait : „ Quod videtis, panis eſt. „ Ergo &c.

Reſpondeo primo priorem ſolutionem generalem adhibendam eſſe ad cuncta divi Auguſtini loca nonnihil obſcura, videlicet, ſanctum Doctorem, œconomiæ cauſa, in Sermonibus & Epiſtolis ac Commentariis loqui obſcure, ne ſancta dentur canibus, & infideles, vel etiam infirmi in fide, ut Catechumeni, de myſteriis clare expoſitis, ſcandalizentur; ipſe hanc ſuam aperit mentem variis in locis, maxime in Pſal. 33.: " Fideles, *inquit*, norunt, „ & qui Evangelium legerunt, quod „ Sacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe „ terrarum. „ Ecce ad cor Fidelium loquitur, qui apprime noverant Myſterium, & ſilet aliis. Rurſus Epiſt. 57. ad Dardanum: " Noſti autem in quo ſacrificio „ dicatur; gratias agamus Domino Deo „ noſtro. „ Obſerves velim ſanctum illum Patrem timere ne myſterium pandat omnibus; quocirca ad cor fidelis eruditi in fide loquitur.

Reſpondeo ſecundo cum diſtinctione : In Euchariſtia corpus Chriſti panis eſt ſecundum id quod oculis corporis objicitur, concedo: oculis fidei, nego. Solutio eſt ipſius Auguſtini; hæc enim ſubjicit: " Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix „ ſanguis Chriſti. „

Inſtant: Eodem loco pergit S. Auguſtinus, & ſic loquitur: " Quomodo eſt pa„ nis corpus ejus; & calix, vel quod ha„ bet calix, quomodo eſt ſanguis ejus? „ Et ſic reſpondet : " Iſta, fratres, ideo „ dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud „ videtur, aliud intelligitur. Quod vide„ tur, ſpeciem habet corporalem; quod „ intelligitur, fructum habet ſpiritalem. „ Sed ſi corpus Chriſti eſſet realiter in Euchariſtia, S. Auguſtinus non dixiſſet: *Quod intelligitur, fructum habet ſpiritalem*, ſed potius, eſt corpus Chriſti. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Et eo loci non opus erat loqui de realitate, bene vero de effectu ad quem ſuum convertit ſermonem Auguſtinus, concedo, : opus erat, nego. Sanctus Doctor in iſto libro loquitur initiatis ſeu baptizatis, qui jam tempore catecheſeos fuerant de Myſteriis edocti, quocirca ut ordo rerum poſtulabat, mirabiles Euchariſtiæ effectus eos docet; hinc in eodem libro multus eſt ſermo de unione Fidelium, & cum Chriſto, & inter ſeipſos; quam quidem unitatem ait deſignari per utramque materiam Euchariſtiæ, quatenus panis ex multis granis, vinum vero ex botris diverſis, confluunt; hinc Tractatu 26. in Joannem de iiſdem effectibus ſermonem inſtituens, ait Fideles eſſe ipſum Chriſti corpus, ſcilicet myſticum: „ Norunt, „ *inquit*, Fideles corpus Chriſti, ſi corpus „ Chriſti non negligant eſſe . . . . „ exponens nobis Apoſtolus hunc pa„ nem, *unus panis*, inquit, *multi ſumus*; „ o Sacramentum pietatis! O ſignum „ unitatis! O vinculum charitatis! &c.

Replicant : Idem Auguſtinus Epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum ait : " Sicut „ ergo ſecundum quemdam modum Sacra„ mentum corporis Chriſti, corpus Chriſti „ eſt, Sacramentum ſanguinis, ſanguis „ Chriſti eſt : ita Sacramentum fidei, „ fides eſt. „ Sed ex iſto loco liquet nihil eſſe in Euchariſtia præter figuram; & hoc propter duo: primo quidem Aug. ait Euchariſtiam eſſe tantum juxta quemdam modum corpus Chriſti, quæ quidem particula eſt diminutiva: Secundo, eo loci comparat Euchariſtiam cum Baptiſmo, quem certe non niſi moraliter ipſam eſſe fidem conſtant. Igitur & Euchariſtia eſt corpus Chriſti ſolum figurative, & typice, ſeu etiam moraliter.

Reſpondeo, nego minorem. Ad primam probationem, diſtinguo: Euchariſtia ſumpta pro ſpeciebus ſenſibilibus, eatenus eſt quodam modo corpus Chriſti, quatenus illud corpus ſub ſpeciebus velatur, concedo : ſumpta adæquate pro eo quod eſt Sacramentum, & res Sacramenti, nego. Solutio eſt Algeri, qui Lib. 1. c. 6. locum beati Auguſtini ſic interpretatur: " Sacramentum corporis Chriſti, ſecun„ dum quemdam modum, id eſt, ſimi„ litudinarie, & nuncupative, non pro„ prie corpus Chriſti vocatur, quantum „ ad elementorum ſpeciem & formam, „ quod tamen vere & proprie corpus „ Chriſti vocatur, & creditur, quantum „ ad ſubſtantiam, quam continet, &

„ in

„ in quam panis & vini ſubſtantia conver-„ ſa eſt. „

Ad ſecundam probationem dico, & aſſero comparationem eſſe inadæquatam. Penes appellationem primo, dicenda eſt comparatio fieri, ſicut enim Baptiſmus dicitur Sacramentum fidei, ita & Euchariſtia Sacramentum corporis Chriſti. Secundo, penes effectum, quatenus Baptiſmus producit fidei habitum; Euchariſtia vero eamdem nutrit & fovet; ſed ratione contenti latum eſt diſcrimen, namque Baptiſmus non eſt ſemper ſignum fidei præſentis, ut in iis qui ad Baptiſmum ficte accedunt; at vero Euchariſtiæ Sacramentum eſt ſignum practicum & perenne corporis Chriſti præſentis. Denique Auguſtinus comparat utrumque Sacramentum ſimul ratione ſigni & ſignificationis; ita ut ſenſus ſit: ſicut Euchariſtia ſignificat corpus Chriſti contentum, & Chriſtum quondam crucifixum, ſic & Baptiſmus ſignificat fidem.

Iſto modo Lanfrancus Lib. citato de corpore & ſanguine Domini cap. 14. explicat divi Auguſtini auctoritatem ſeu textum his verbis: " *Sicut ergo cœleſtis* „ panis, qui vera Chriſti caro eſt, ſuo „ modo vocatur corpus Chriſti, illius „ videlicet quod viſibile, palpabile, mor-„ tale, in cruce eſt ſuſpenſum, vocatur-„ que ipſa carnis ipſius immolatio, quæ „ Sacerdotis manibus fit, Chriſti Paſſio, „ mors, crucifixio, non rei veritate, ſed „ ſignificante Myſterio: ſic Sacramentum „ fidei, quod Baptiſma intelligit, fides „ eſt. „

Opponunt: Atqui hujuſmodi ſententiis & ſimilibus ſanctus Doctor intendit probare ſolum Euchariſtiam eſſe corporis Chriſti typum. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: In pſalmum 3. S. Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres; ait enim de Chriſto: " Judam adhibuit ad convivium, in quo „ corporis & ſanguinis ſui figuram Diſci-„ pulis commendavit & tradidit. „ Sed figura & veritas relative opponuntur, & inauditum eſt aliquem eſſe ſui ipſius imaginem. Ergo &c.

Reſpondeo, negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Commendavit Chriſtus Diſcipulis ſanguinis ſui figuram, hoc eſt, Sacramentum ut ſupponit pro ſpeciebus quæ exterius ſunt figura ſanguinis, quatenus ſunt ſignum practicum ſanguinis, concedo: figuram vacuam, & a ſanguine ſejunctam, nego: ſeu aliter diſtinguo, & eo loci loquitur Auguſtinus de corpore Chriſti myſtico, hoc eſt de Fidelibus qui fide & charitate conjuncti, repræſentant Sacramentum Euchariſtiæ, quod ex multis granis & botris conſluit, concedo: & abſolute loquitur de Euchariſtia ſecundum ſe ſumpta, nego. Ibi ſanctus Doctor celebrat effectus Euchariſtiæ, & hæc ſolutionis explicatio patet ex dictis.

Ad Confirmationem, diſtinguo: Figura & veritas relative opponuntur ſecundum eumdem reſpectum conſiderate, concedo: Secundum diverſum, nego. Neque enim implicat Sacramentum Euchariſtiæ in abſtracto & ſecundum ſpecies ſenſibiles conſideratum, eſſe ſignum corporis & ſanguinis Domini; importare vero realitatem ſecundum contentum. Non abſimili ratione dicimus Chriſtum juxta diverſos ſtatus eſſe ſimul ſui & imaginem, & realitatem; imaginem quidem ratione ſigni ſacramentalis; realitatem vero ſi conſideretur res Sacramenti. Ex eodem principio ſolvitur argumentum quod eſt apud Calvinum palmare, videlicet idem corpus non poſſe ſimul eſſe in pluribus locis; hoc quippe conceditur de eodem præſentiæ modo, negatur vero de diverſo. Porro corpus Chriſti in cœlo eſt circumſcriptive, in Euchariſtia vero definitive, & veluti ad modum ſpiritus, ita ut teſte divo Thoma in Proſa *Lauda Sion*, totum ſit in toto Sacramento, & totum in qualibet parte; jam vero ſi quæras quomodo hoc fiat; ſic reſpondeo cum Apoſtolo Rom. 11. *O altitudo divitiarum!* &c.

Opponunt Calviniſtæ: Ex ipſis libris polemicis beati Auguſtini, corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia, niſi repræſentative: Igitur non dubitandum eſt de mente Auguſtini pro figurali præſentia. Probatur antecedens: Libro contra Adimantum Manichæum cap. 12. ſic loquitur: " Non dubitavit Dominus dicere, *Hoc eſt* „ *corpus meum*, cum ſignum daret corporis „ ſui. „ Sed ſignum eſt tantum repræſentatio. Ergo &c.

Reſpondeo, nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo minorem: Signum vacuum, eſt ſolum repræſentatio, concedo:

X 4 ſignum

ſignonm pleoum & practicum, nego. Dictum eſt iterum atque iterum Sacramenta novæ legis eſſe ſigna practica quæ exhibent quod ſignificant. Ea ductus ratione Dominus Jeſus non dubitavit dicere, *Hoc eſt corpus meum*: " Cum ſignum da- ,, ret corporis ſui. ,, Hoc eſt cum daret Sacramentum quod inſtituebat ut ſignum practicum ſui corporis. Non abs re erit hic ſubnotare ſanctum Doctorem argumeotari ad hominem adverſus Maoichæos, qui dicebant vetus Teſtamentum a malo Deo promanaſſe, eo quod Deus in illo prohibeat non eſſe manducandum ſanguioem, quia ſanguis eſt anima; ex quo inſerebant homines poſſe nocere animæ.

Obſervandum quoque venit Manichæos admiſiſſe in Chriſto tantum carnem phantaſticam, hinc Euchariſtiam dicebant eſſe ſignum carnis Chriſti; S. Auguſtinus duo probat eo loci; primo quidem vetus Teſtamentum eſſe a Deo optimo, propter relationem oovi ad vetus, quod erat ejus figura, maxime cum ex ipſis, ſigna non ſint explodenda, & vel ipſa Euchariſtia in eorum ſententia eſſet ſignum corporis Chriſti; argumentatur autem ex Manichæorum principiis ut ſuum probaret iotentum, ſcilicet ſanctitatem veteris Teſtamenti; neque enim eo loci movet controverſiam de Euchariſtia, ſed eam adducit pro exemplo ut probet aliud momentum, ſcilicet ſanguinem non eſſe animam, ſed animæ ſignum. Quid plura? Objectio Manichæi ex veteri Teſtamento deducta procedit de anima belluarum; neque enim Deus dicit animam humanam eſſe ſanguinem.

Sanctus Auguſtinus ſuam ipſe prodit mentem, & ſolutionem datam; ſic enim ibidem loquitur: " Quia ſanguis eſt anima, poſi- ,, tum eſſe dicimus, ſicut alia multa & ,, pene omnia Scripturarum illatum Sacra- ,, meota ſignis & figuris plena ſunt futuræ ,, prædicationis, quæ jam per Dominum ,, noſtrum Jeſum Chriſtum declarata eſt. ,, Sic eſt enim ſanguis anima quomodo pe- ,, tra erat Chriſtus. ,, Hoc eſt, ſignificat animam quomodo petra Chriſtum.

Perſiſtunt: Libro 20. contra Fauſtum cap. 21. Auguſtinus hæc ſcribit: ". Hujus ,, ſacrificii caro & ſanguis ante Adventum ,, Chriſti per victimas ſimilitudinum ,, promittebatur; in Paſſione Chriſti ,, per ipſam veritatem reddebatur; poſt ,, Aſcenſum Chriſti per Sacramentum me- ,, moriæ celebratur. ,, Eo loci ſanctus Doctor tria diſtinguit, videlicet veritatis promiſſionem in antiqua lege, exhibitionem in Paſſione; memoriam vero poſt Aſcenſionem. Igitur impræſeotiarum eſt ſolum memoria veritatis; hæc autem tria, promiſſio, exhibito, & memoria relative opponuntur.

Reſpondeo diſtioguendo: Nunc habemus tantum Paſſionis memoriam, concedo; ipſius Chriſti corporis, nego. S. Auguſtinus ibi explicat figuras ſacrificii cruenti, cujus memoria eſt ipſa Euchariſtia, diceote Domino Diſcipulis: *Hoc facite in meam commemorationem*: Sed dubio-procul non loquitur ſanctus Doctor de memoria corporis Chriſti ſecundum ſe; namque eodem libro cap. 17. eamdem nobiſcum explicationem tradit his verbis: " Hebræi in victimis pecorum, quas of- ,, ferebant Deo, multis & variis modis, ,, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam ,, celebrabant futuræ victimæ, quam Chri- ,, ſtus obtulit; unde jam Chriſtiani, pera- ,, cti ejuſdem ſacrificii memoriam celebrant ,, ſacro-ſancta oblatione & participatione ,, corporis & ſanguiois Chriſti. ,, Oppoſitio autem oon eſt, cum ſit præſentia juxta diverſos reſpectus.

Reponunt: Si corpus Chriſti eſſet realiter in Euchariſtia, Judas Iſcariotes in ſacra Synaxi illud ſuſcepiſſet. Atqui tamen ex divo Auguſtino illud ipſum non accepit; namque tractatu 59. in Joannem, ceteros Apoſtolos cum Juda comparans, dicit: " Illi manducabaot panem Domi- ,, num, ille panem Domini contra Domi- ,, num; illi vitam, ille pœnam; qui enim ,, manducat indigne, ait Apoſtolus, judi- ,, cium ſibi manducat & bibit. ,,

Reſpondeo primo, Miniſtrum Claudium fruſtra jacere rete ante oculos pennatorum; quis enim non videat ſanctum Auguſtinum unum ſolum intendere, videlicet Judam noo fructum ſaluciferum, ſed damnationem ex indigna communione ſuſcepiſſe, ut vel iſta verba ſonant? " Il- ,, le pœnam; qui enim manducat indigne &c. ,, Quod autem vel minimum quidem ſanctus Doctor non impugnet præſentiam ſubſtantialem corporis Chriſti in Euchariſtia ex prioribus verbis liquet: " Il- ,, li, *inquit*, manducabant panem Domi- ,, num. ,, Igitur Apoſtoli Dominum ore ſuſ-

ce-

ceperant; pari & conſimili modo & ipſe Judas; ſed ſubdit Auguſtinus: " Illi vitam, ille pœnam.,, Hoc eſt indigne & ad damnationis judicium.

Reſpondeo Secundo negando minorem. Ad probationem, diſtinguo: Et S. Auguſtinus in loco pro objectione laudato non loquitur de Eucharistia, quam quidem jam ſuſceperat Judas, ſed de pane intincto in paropſide, quem Dominus illi dederat, & quo ejus declaravit perfidiam, dicendo Matt. 26. *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet;* concedo. Et ibi loquitur de pane Euchariſtico, nego. S. Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres, quippe qui explicans illum verſiculum capitis 15. Joannis: " Ut adimpleatur Scri-,, ptura: qui manducat mecum panem,,, levabit contra me calcaneum ſuum:,, Iſtud autem vaticinium impletum fuiſſe, cum panem intinctum Judas ſumpſit & comedit, S. Auguſtinus docet explicans illum verſum Pſalmi 40. *Qui edebat panes meos*: ubi ſubjungit: " Per bucellam il-,, lum deſignavit, ut apparet de illo di-,, ctum, *qui edebat panes meos*.,, Denique Tractatu 62. in Joannem clarius ſuam aperit mentem: " Nunc autem, *inquit*,,, poſt panem intravit in eum, non ad,, hoc ut alienum tentaret, ſed ut pro-,, prium poſſideret; non autem ut putant,, quidam negligenter legentes, tunc Ju-,, das Chriſti corpus accepit: Intelligen-,, dum eſt enim, quod jam omnibus eis,, diſtribuerat Dominus Sacramentum cor-,, poris & ſanguinis ſui, ubi & ipſe Ju-,, das erat, ſicut ſanctus Lucas eviden-,, tiſſime narrat. Ac deinde ad hoc ven-,, tum eſt, ubi ſecundum narrationem,, Joannis apertiſſime Dominus per buc-,, cellam tinctam atque porrectam ſuum,, exprimit proditorem.,,

Injungunt iterum: Qui aſſerit non idem corpus in Euchariſtia recipi quod in cruce pependit, abſque dubio explodit præſentiam realem ab Euchariſtia. Atqui ſic affirmat Auguſtinus: Et probatur. In Pſalmum 98. ſic loquitur: " Non hoc,, corpus, quod videtis, manducaturi eſtis,,, & bibituri illum ſanguinem quem fu-,, ſuri ſunt, qui me crucifigent.,, Unde Tractatu 25. in Joannem ait: " Quid paras dentem & ventrem? Crede, &,, manducaſti.,, Item Libro 3. de Trinitate, cap. 10. docet panem Euchariſticum celebratione conſumi; quis autem cordatus dicet corpus Chriſti in Euchariſtia conſumi? Ergo &c.

Reſpondeo, nego minorem. Ad primam probationem, diſtinguo: Non manducaturi eſtis in propria figura corpus quod videtis, & in eſſe naturali, concedo. Sub ſpecie ſacramentali, nego. Solutio eſt Lanfranchi L. de corp. Dom. Ad alteram probationem, dico S. Auguſtinum loqui de effectu ex Euchariſtia ſuſcipiendo, nemo enim abſque fide & accedere ad Deum, & illi placere poteſt. Ad alteram Confirmationem, diſtinguo: Corpus Chriſti non conſumitur in Euchariſtia ratione ſui, concedo: ratione exiſtentiæ ſacramentalis, nego. Conſumptis enim in ſtomacho ſpecibus, deſinit corpus Chriſti eſſe ſacramentaliter in pectore Fidelis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Auguſtinus propugnat præſentiam realem.

PRIMO: Epiſt. 12. ait Corpus Chriſti ſumi a Fidelibus qui ad ſacram menſam accedunt.

Secundo: Lib. 17. de Civit. cap. 20. ſcribit Chriſtum in confectione Euchariſtiæ ſuum exhibere in ſacrificio corpus præfiguratum ſacrificio Melchiſedech.

Tertio: Serm. ad Neophytos, aſſerit idem corpus quod crucifixum eſt, eſſe in Euchariſtia.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Cum S. Auguſtinus ait, id quod in Sacramento altaris videtur panem eſſe, loquitur de ſpeciebus, qui pe qui attendat ad illud quod oculis corporeis objicitur.

Secundo: Nec quemquam movere debet, cum Euchariſtiam, Sacramentum fidei vocat; ſenſus enim illius eſt, corpus Chriſti, tametſi realiter contentum in Euchariſtia, ibi tamen ſolis fidei oculis videri.

Tertio: Ne miremini etiam ſi in libro contra Adimantum vocet Euchariſtiam ſignum corporis Chriſti; intelligit enim ſignum plenum, ſeu Sacramentum corporis Chriſti.

§. XIV.

§. XIV.

Vindicantur Theodoretus & Gelaſius ab hæreſi Calviniſtarum circa præſentiam realem.

THEODORETUS fuit Epiſcopus Tyri in Syria, Neſtorianæ quidem hæreſeos ſuſpectus, ſed de cetero pietate & doctrina conſpicuus. Inter plurima quæ conſcripſit opera, tres Dialogos habemus, quorum primus inſcribitur *Immutabilis*; ibi probat Verbum eſſe immutabile. Secundus appellatur *Inconfuſus*; in iſto probat duas eſſe in Chriſto naturas diſtinctas. Tertius eujus titulus eſt *Impatibilis*; eo loci oſtendit Verbum non fuiſſe mutationi obnoxium. In his omnibus duo ſunt Collocutores, unus Orthodoxus, ſcilicet Theodoretus: alter vero Hæreticus, qui Eraniſtes nuncupatur, quique partes Eutychianorum ſuſcipit defendendas. Ex his operibus quædam depromunt Heterodoxi adverſus præſentiam realem. Contra quos ſit.

CONCLUSIO.

Theodoretus catholice de præſentia reali ſcripſit.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Qui dicit corpus Chriſti in Eucbariſtia dari; indigne illud ſumentem reum eſſe corporis & ſanguinis Domini, quippe qui, ſicut Judæi inſultarunt Chriſtum, ſic & eum probris afficiat; dubio-procul agnoſcit realitatem. Atqui ſic propugnat Theodoretus; & probatur. Comment. in cap. 11. 1. ad Cor. edit. Pariſ. 1608. pag. 704. ait: " Non ſolum „ undecim Apoſtolis, ſed etiam Judæ „ proditori pretioſum corpus & ſanguinem impertiit ..... Illud autem, *erit* „ *reus corporis & ſanguinis*, hoc ſignificat, „ quod quemadmodum tradidit ipſum Judas, ipſi autem inſultarunt, & eum „ probris & conviciis affecerunt Judæi; „ ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui ſanctiſſimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & inceſtum os immittunt. „

Secundo: Dial. 1. Eraniſti expoſtulanti quid ſecundum rei veritatem eſſet in Eucbariſtia? reſpondet clare Orthodoxus pag. 902. adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſymbolis. Igitur non relinquitur ambigendi locus circa Theodoretum de præſentia reali. " *Orthod.* Ut „ decet amicum veritatis dixiſti; etenim „ Dominus cum accepiſſet ſymbolum ſeu „ ſignum, non dixit: *Hoc eſt Deitas* „ *mea*; ſed, *Hoc eſt corpus meum*, & rur„ſus, *Hic eſt ſanguis meus*. „ In probationem veritatis hæc ſubdit Chriſti verba: " Et alibi; Panis autem quem ego dabo, „ caro mea eſt, quam ego dabo pro mun„di vita.

Tertio: Qui edocens Heterodoxum de eſſentia Euchariſtiæ, aſſerit ſymbola continere vere corpus & ſanguinem Chriſti, realem propugnavit præſentiam. Atqui ſic docuit Theodoretus; & probatur. Dial. 2. pag. 924. ait: " *Orthod.* Dic " ergo myſtice ſymbola, quæ Deo a Dei „ Sacerdotibus offeruntur, quorumnam di„cis eſſe ſymbola? *Eraniſtes*. Corporis „ & ſanguinis Domini. *Orthod.* Corpo„ris, quod vere eſt, vel vere non eſt? „ *Eran.* Quod vere eſt. *Orthod.* Optime; „ oportet enim imaginis eſſe exemplar „ archetypum. Etenim pictores imitan„tur naturam, & eorum quæ viden„tur depingunt imagines. *Eran.* Verum. „ *Orthod.* Ergo divina myſteria corpus „ quod vere eſt repræſentant; ergo cor„pus, etiam nunc Domini quoque cor„pus eſt. „

Diluuntur objecta Heterodoxorum ex Theodoreto deprompta.

OBJICIUNT: Qui Euchariſtiam vocat panem, vinum vero ſanguinem, non agnoſcit in Euchariſtia realitatem corporis Chriſti. Atqui Theodoretus Dial. 1. Euchariſtiam panem & vinum nuncupat. Ergo &c. Probatur minor; ibi ſic loquitur Orthodoxus pag. 901. " Scis quod „ Deus ſuum corpus panem appellavit. „ Ergo &c.

Reſpondeo primo, Theodoretum in iſto & ſequenti Dialogo, non agere ex profeſſo de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed ibi ex inſtituto inſectari Eutychianos, quibus probat duas abſque permixtione remanſiſſe in Chriſto naturas, alteram ſcilicet divinam, alteram

vero

vero humanam; quod quidem a ſimili probat exemplo Euchariſtiæ, in qua panis ſecundum ſpecies remanet, & corpus Chriſti ſub ſpeciebus velatur; quocirca nihil ex auctoritate Theodoreti adverſus realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia ſequitur.

Reſpondeo ſecundo juxta generalem ſolutionem jam traditam, Theodoretum ibi ſubobſcure loqui, ne myſterium omnibus indiſcriminatim aperiendo, illud Infidelium vel etiam Catechumenorum irriſioni committeret. Ipſe ſuam prodit mentem Dialog. 1. pag. 901. " *Orthod.* Ve„ lim te paulo magis myſtice reſpondere; „ adſunt enim fortaſſe nonnulli qui non „ ſunt initiati myſteriis. „ Rurſus Dial. 2. pag. 924. " *Eraniſtes*. Quid ap„ pellas donum quod offertur ante invo„ cationem Sacerdotis? *Orthod.* Non opor„ tet aperte dicere; eſt enim veriſimile „ adeſſe aliquos myſteriis non initiatos. „ *Eran.* Reſpondeatur ænigmatice. „ Ex quibus claret auctorem in ſuis Dialogis quandoque obſcure loqui, quandoque & ut plurimum juxta ſenſum litteralem.

Reſpondeo tertio negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Panem mutatum corpus ſuum appellavit, concedo: panem non mutatum, nego. Ut probet Theodoretus Eutychiano duas eſſe in Chriſto naturas impermixtas, ad Euchariſtiam recurrit, ubi duo ſunt impermixta, ſcilicet ſignum ſenſibile, & res contenta ſub ſigno & ſpeciebus, quæ impermixta permanent; quod autem non excludat in Euchariſtia realitatem corporis Chriſti ex verbis ſubſequentibus dignoſcitur. Dial. 1. pag. 902. ſic enim Orthodoxus reſpondet ad Eraniſtem, qui conceſſerat ea quæ appellationem ſuſceperant, eſſe corporis & ſanguinis Chriſti ſymbola. " *Orthodoxus*. Corporis & ſanguinis „ dicis? *Eran.* Ita dico. *Orthod.* Ut de„ cet amicum veritatis dixiſti; etenim „ Dominus cum accepiſſet ſymbolum ſeu „ ſignum, non dixit: *Hoc eſt Deitas* „ *mea*, ſed, *Hoc eſt corpus meum*; & rur„ ſus, *Hic eſt ſanguis meus*; & alibi, „ *Panis autem quem ego dabo, caro mea* „ *eſt, quam ego dabo pro mundi vita*. „ Audis Orthodoxum ſeu Theodoretum iterum atque iterum probare præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. Ceterum obſerves velim, Orthodoxum in verbis pro objectione appoſitis dicere Chriſtum corpus proprium appellare panem; " *Eran.* pag. „ 901. Scio. *Orthod.* Porro etiam alibi car„ nem triticum nominavit. „ Igitur ex mente Theodoreti, proprium Chriſti corpus & proprius ſanguis permanent in Euchariſtia.

Obſervat Bellarminus hic Lib. 2. de Euchariſtia cap. 27. explicans & ſolvens objectionem, Theodoretum non potuiſſe aliter cenſere. Et vero, inquit, ſi corpus Chriſti remaneret in Euchariſtia cum ſubſtantia panis, ut contendunt Lutherani, abſque dubio non ſolviſſet objectionem Eutychianorum contendentium naturas eſſe in Chriſto confuſas, dicendo in Euchariſtia duas eſſe ſubſtantias integras, ſcilicet panem & corpus Chriſti; ex quo cito citius & clariſſime argumentando ab exemplo Euchariſtiæ, probaſſet carnem non fuiſſe a divinitate abſorptam, ut contendebant Eutychiani.

Inſtant: Atqui ex Theodoreto non eſt mutatio in Euchariſtia niſi penes nomina & appellationem. Igitur Theodoretus non loquitur de pane tranſmutato. Probatur ſubſumptum: Dialogo 1. pag. 901. Orthodoxus ait: " Servator quidem certe noſter „ nomina commutavit, & corpori quidem „ id quod erat ſymboli ac ſigni nomen im„ poſuit. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et mutatio eſt penes nomina, ſed in realitate fundata, concedo: excludendo realitatem, nego. Orthodoxus ſemper ad ſcopum pergit, & probat inconfuſionem naturarum in Incarnatione ex paritate Euchariſtiæ, in qua ſymbolum ſeu ſpecies vocantur corpus Chriſti, tametſi in ſe remaneant; corpus vero Chriſti Sacramentum ſeu ſymbolum, licet ſit ſemper corpus Chriſti. Solutio patet ex antecedentibus eadem pagina; ſic enim Orthodoxus intonat: " In „ Myſteriorum autem traditione corpus „ panem appellavit, & ſanguinem id „ quod in calicem infuſum & commixtum „ eſt. „

Urgent: Qui eodem modo Euchariſtiam vocat corpus Chriſti, ſicut ſe ipſum nominat vitem, intelligit corpus Chriſti eſſe ſolum myſtice in ſacramento Altaris, cum conſtet non eſſe vitem, niſi improprie,

prie , & quoad denominationem ; porro debet eſſe relatio inter rem & illud cum quo comparatur . Atqui Theodoretus non alio modo vocat Euchariſtiam corpus & ſanguinem Chriſti , quam cum ipſe ſe nominat vitem ; ita ibidem pag. 901. Orthodoxus : " Sicut enim nos myſtice vi- ,, tis fructum , poſt ſanctificationem , Do- ,, mini ſanguinem nominamus , ita veræ ,, vitis ſanguinem uvæ ſanguinem nomi- ,, navit . ,,

In iſto loco tria ſubnotanda ſunt . Primo , quidem , Theodoretum eodem prorſus modo loqui de fructu vitis , ac de ſanguine Euchariſtico . Secundo , iſtum ſanguinem comparare cum vino de quo loquitur Patriarcha Jacob , videlicet de vino in figura . Tertio denique vocare ſanguinem conſecratum , myſticum vitis fructum ; quæ quidem omnia probant Theodoretum non recedere a ſenſu myſtico . Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem . Ad probationem diſtinguo : Ex Theodoreto Euchariſtia non alio modo eſt corpus Chriſti , quam vitis erat ipſe Chriſtus , quoad aliquid , & penes denominationem , concedo : quoad omnia , nego . Theodoretus eo loci potiſſimum agit de ſymbolis viſibilibus , ut probet Eutychianis humanitatem non fuiſſe in Aſcenſione a divinitate abſorptam , ita ut de ea nihil appareret ; quocirca inſtituit comparationem inter vitem & ſymbolum Chriſti continens ſanguinem , & ex eo concludit quod ſicut Chriſtus nominatus vitis , erat vere ſenſibilis homo , ſymbolum vero cui tribuitur nomen ſanguinis , eſt quoque ſenſibile ; ita pariter & humanitas poſt Aſcenſionem ſenſibilis permanebat . Et vero non loquitur Theodoretus de ſimplici nominum mutatione , verum etiam & de tranſubſtantiatione , obſcure tamen ; ſic enim habet ibidem pag. 901. explicans comparationem factam : " Manifeſtum eſt ,, inſtitutum iis qui ſunt divinis myſte- ,, riis initiati ; volebat enim eos qui ſunt ,, divinorum myſteriorum participes , non ,, attendere naturam eorum quæ viden- ,, tur , ſed propter nominum permutatio- ,, nem , mutationi quæ fit ex gratia cre- ,, dere . ,, Ecce ſuum ad initiatos dirigit ſermonem : quippe qui ad id ſolum quod apparet non attendebant , ſed ad id quod intus latet gratiæ , & vi conſecrationis factum , atque in corpus Chriſti tranſmutatum .

Ad confirmationem diſtinguo minorem : Theodoretus non recedit a ſenſu myſtico quantum ad appellationes , & Euchariſtiæ effectum , concedo : quantum ad id quod ſpectat Sacramentum ſecundum ſe & adæquate ſumptum , nego . Immo cum teſtetur Prophetiam Jacob fuiſſe Euchariſtiæ figuram , ſequitur ex ipſo Theodoreto Euchariſtiam eſſe veritatem & realitatem , cum figura non niſi in veritate conſummetur . Eſt igitur paritas in appellationibus : nam & Chriſtus vocatur vitis , & ſymbola ſanguinis ejuſdem Chriſti , & vinum a Jacob celebratum , ſanguis uvæ . Eſt etiam quid myſticum ratione effectus , quatenus vinum conſecratum lætificat cor hominis ſpiritualiter , ſicut vinum fovet & lætificat corpora . Non abs re erit hic totum afferre textum . Pag. 901. *Orthodoxus* . " Sanguinem ergo uvæ Servatoris ſan- ,, guinem appellavit : ſi enim Dominus ,, vitis eſt nominatus , fructus autem vitis ,, vinum appellavit : ſanguinis autem & ,, aquæ ex Domini latere manantis rivi ,, per reliquum corpus inferne deſcende- ,, runt : jure ergo & appoſite prædixit Pa- ,, triarcha : Lavabit in vino ſtolam ſuam ,, & in ſanguine uvæ veſtimentum ſuum . ,, Sicut enim nos myſticum vitis fructum , ,, poſt ſanctificationem , Domini ſangui- ,, nem nominamus , ita veræ vitis ſan- ,, guinem , uvæ ſanguinem nominavit . ,,

Quod autem Theodoretus non abnuat realitatem corporis Chriſti , patet ex pluribus locis . Dialogo 2. pag. 924. ſic loquitur Orthodoxus Eraniſti : " Dic ergo , ,, myſtica ſymbola , quæ & Deo a Sacer- ,, dotibus offeruntur , quorumnam dicis eſſe ,, ſymbola ? *Eran.* Corporis & ſanguinis ,, Dominici . *Orthod.* Corporis , quod ve- ,, re eſt , vel vere non eſt ? *Eran.* Quod ,, vere eſt . *Orthod.* Optime : oportet enim ,, imaginis eſſe exemplar archetypum ; ,, etenim & pictores imitantur naturam , ,, & eorum quæ videntur depingunt ima- ,, gines . ,, Audis Theodoretum eo loci docere ſymbola eſſe corporis & ſanguinis Chriſti imagines , Chriſtum vero archetypum ſub ſpeciebus latere . Deinde ad ſcopum pergens , ſic concludit : " Si ,, ergo divina myſteria corpus quod vere ,, eſt repræſentant , ergo corpus etiam ,, nunc Domini quoque corpus eſt , non

in

„ in naturam divinitatis mutatum, ſed „ impletum divina gloria.„

Inſtant: Atqui Theodoretus mutationem etiam ipſius naturæ panis non admiſit. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Dialogo 2. pag. 901. ait: " Ea ſymbola & ſigna „ quæ videntur, appellatione corporis „ & ſanguinis honoravit, non naturam „ quidem mutans, ſed naturæ gratiam „ adjiciens. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Non naturam accidentium mutans, concedo: naturam, hoc eſt panis ſubſtantiam, nego. Patres Græci nomine naturæ intelligunt in genere naturam cujuslibet rei, ſive ſubſtantiæ, ſive etiam accidentis; immo & Latini nonnumquam per ſubſtantiam intelligunt naturam accidentium. Petrus Cluniacenſis in libro de Sacrificio & Tranſubſtantiatione: " Annon cernis, *inquit*, præ- „ ter glacialem duritiem, præter lapi- „ deam firmitatem, quantum ad ſpeciem „ vel perſpicuitatem jam dicti elementi „ pertinet, nihil utique ſubſtantiæ de- „ tractum ? „ Eodem ſenſu loquitur Theodoretus, videlicet de natura ſymbolorum, quæ manent poſt conſecrationem ſicut ante, quod ipſe indigitat his verbis: " Sed naturæ gratiam adjiciens: „ id eſt ſubſtantialem, ſeu Chriſtum ipſum.

In Dialogo 2. clarius adhuc ſe explicat, ut ex contextu liquet. Pag. 924. Eraniſtes ſic interrogat Orthodoxum:" Cre- „ dis te fieri participem Chriſti corporis „ & ſanguinis ? *Orthod.* Ita credo. „ Obſerves velim Eutychianum ex tranſubſtantiatione in Euchariſtia inferre abſorptionem humanitatis in divinitatem, facta aſcenſione. Orthodoxus non negat tranſubſtantiationem, ſed contendit ex permanentia ſymbolorum naturam humanam non fuiſſe in divinitatem veluti tranſubſtantiatam. Audiendi ſunt utrique, ſcilicet Orthodoxus & Eutychianus.

Ibidem Eraniſtes: " Sicut ergo ſymbo- „ la Dominici corporis & ſanguinis alia „ quidem ſunt ante invocationem Sacer- „ dotis, ſed poſt invocationem mutan- „ tur, & alia fiunt: ita etiam corpus „ Domini poſt aſcenſionem mutatur in „ divinam ſubſtantiam. Quæ ipſe texui- „ ſti, retibus captus es; neque enim ſigna „ myſtica poſt ſanctificationem recedunt „ a ſua natura; manent enim in priore „ ſubſtantia, & figura, & forma, & vi- „ deri & tangi poſſunt, ſicut & prius. „ Audis Theodoretum loqui tantum de ſymbolis quæ poſt ſanctificationem manent in priore figura & forma, & tangi poſſunt; deinde hæc ſubjungit Orthodoxus pro contento: " Intelliguntur autem ea eſſe „ quæ facta ſunt, & creduntur, & ado- „ rantur. „ Quid clarius? Non adoratur accidens, ſed corpus, ſed ſanguis Chriſti, Verbo divino unita.

Replicant: Ut Orthodoxus directe concludat contra Eutychianum, utramque naturam manere incommixtam in Chriſto incarnato, opus eſt ut duæ ſubſtantiæ etiam poſt conſecrationem remaneant in Euchariſtia, ſcilicet ſubſtantia panis & vini. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Omnis enim comparatio non infert omnem & adæquatam ſimilitudinem; alias non comparatio, ſed ipſa res foret. Sufficit igitur ut panis penes accidentia remaneat, ut concludat Orthodoxus naturas in Incarnatione non eſſe confuſas & permixtas.

Perſiſtunt denique: Theodoretus Dial. 3. vocat Euchariſtiam typum Salvatoris. Igitur non recedit a figura. Probatur antecedens: Eraniſti totam redemptionem divinitati tribuenti, ſic reſpondet Orthodoxus: " Pagina 1643. Non nudi hominis „ corpus, ſed Domini noſtri Jeſu Chri- „ ſti unigeniti Filii Dei, nobis ſalutem „ procurare; quod ſi parum tibi ac vi- „ le videtur, quomodo ejus typum vene- „ rabilem & ſalutarem exiſtimas; cujus „ enim typus adorandus eſt & ſalutaris, „ qui poſſet archetypum ipſum deſpici & „ extenuari? „ Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Euchariſtia eſt typus Chriſti in cruce pendentis, concedo: corporis Chriſti in Euchariſtia, nego. Argumentatur enim Theodoretus ad hominem, & ſic urget Eutychianum: Tu adoras Chriſtum in Euchariſtia; igitur & debes adorare poſt aſcenſionem, cum ſit in humanitate & corpore ſenſibili.

Mens Gelaſii exponitur.

OBJICIES: Gelaſius Papa in libro de dua-

duabus naturis Biblioth. PP. Tom. 3. pag. 522. ſic habet: " Sacramenta quæ ſumi-
„ mus corporis & ſanguinis Chriſti, divina
„ res eſt; propter quod & per eadem di-
„ vinæ efficimur conſortes naturæ, & ta-
„ men eſſe non deſinit ſubſtantia vel natu-
„ ra panis & vini: & certe imago &
„ ſimilitudo corporis & ſanguinis Chri-
„ ſti in actione myſteriorum celebratur. „
Addit elementa permanere in proprietate ſuæ naturæ. Cenſet igitur ſubſtantiam panis remanere: alias ejus argumentum ex Euchariſtia ductum non concluderet contra Eutychianum aſſerentem duas in Chriſto manere naturas poſt Incarnationem.

Reſpondeo primo, librum illum de duabus naturis, non eſſe Gelaſii, ut recte oſtendit Melchior Cano Lib. 6. de locis Theologicis cap. ult. tum quia laudat Euſebium Cæſarienſem, cujus verus Gelaſius omnia fere opera apocrypha declaravit; tum quia in Catalogo Operum Gelaſii veri liber ille non recenſetur.

Reſpondeo ſecundo, nedum Patres eſſentiam accidentis nomine ſubſtantiæ deſignaſſe, quam Scholaſtici vulgo vocant *quidditatem*, verum etiam ſubſtantiæ nomen tribuere qualitatibus nativis, & ab origine rei inditis: quo ſenſu idem Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Picenæ Provinciæ ſcribit, ſubſtantiam hominis peccato hominis fuiſſe depravatam. Non eſt ergo mirum ſi congenitas panis proprietates ſubſtantiam vocaverit. Sic Auguſtinus in Enarratione in Pſalmum 68. " Quòd nulla ſubſtantia eſt, *inquit*, ni-
„ hil omnino eſt; ſubſtantia enim aliquid
„ eſt: „ vel dicendum quod nomen ſubſtantiæ ad alimentum tranſtulerit, quippe etiam corporaliter panis Euchariſticus nutrit.

Adde quod non requiratur ut ſit eadem paritas Chriſti in Euchariſtia ſub ſpeciebus, cum unione divinæ naturæ, humanæ conjunctæ; nam Gelaſius ſic probaſſet tres eſſe naturas, ſcilicet naturam Chriſti, naturam panis, naturam vini. In eo igitur ſtat comparatio, quod ſicut in Euchariſtia panis ſit reipſa natura cum corpore Chriſti, quia natura interna Sacramenti una ſubſtantia cum illo evadit, & naturalis nihilominus diverſitas manet, quia natura externa Sacramenti a ſubſtantia corporis Chriſti diſtincta, eſt ſupereſt; ita in perſona Chriſti ſit unio phyſica divinæ & humanæ naturæ, manet tamen naturalis inter utramque diſtinctio: id ipſum intendit Gelaſius, & ſic refellit Neſtorianos & Eutychianos.

Reſpondeo tertio, eum non vocaſſe Euchariſtiam imaginem, ut corporis realitatem excluderet, ſed nomen illud imaginis retulit ad diverſos ſtatus ejuſdem corporis: ſpectatur enim velut natum ex Virgine, vel ut crucifixum in carne. In eo ſenſu intelligendus eſt Gelaſius; ſic enim habet ibidem poſt verba in objectione laudata: " Satis ergo nobis evidenter
„ oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto
„ Domino ſentiendum, quod in ejus ima-
„ gine profitemur, celebramus & ſumi-
„ mus, ut ſicut in hanc, ſcilicet in divi-
„ nam tranſeant, ſancto Spiritu perficiente
„ ſubſtantiam, permanente tamen in ſuæ
„ proprietate naturæ, ſic illud ipſum
„ myſterium principale, cujus nobis effi-
„ cientiam virtutemque repræſentant. Ex
„ quibus conſtat proprie permanentibus
„ unum Chriſtum, quia integrum verumque
„ permanere demonſtrant. „

Inſtabis: Sequeretur inde quod ſola forma & ſpecies externa humanæ naturæ poſt incarnationem remanſiſſet diſtincta a natura divina, non vero forma interna, ſive ipſa naturæ noſtræ ſubſtantia. Falſum conſequens; Ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam. Immo ex eo quod forma externa ſit ſuperſtes, colligitur diſtinctio naturæ: nam & ex Catholicis poſt unionem nihil permanebat quod perſonæ divinæ hypoſtatice conjunctum non eſſet: at quia accidentia immediate deitati, utpote in corporeæ adhærere non poſſunt, inde colligit Gelaſius naturam humanam non fuiſſe abſorptam a divinitate.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Theodoretus non abnuit præſentiam realem.

PRIMO: Aſſerit Comment. in cap. 11. Epiſt. 1. ad Cor. corpus Chriſti realiter accipi a dignis & indignis, ab iſtis tamen ad condemnationem; quod non eſſet, ſi Euchariſtia nihil præter typum contineret.

Secundo: Dial. 1. ſciſcitanti Eutychiano num

num corpus Chriſti vere eſſet in Euchariſtia, reſpondet affirmative.

Tertio demum Dialog. 2. explicans Euchariſtiæ naturam, ait corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſymbolis realiter contineri.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Vocat quidem Euchariſtiam panem, ſed ſcribit poſt conſecrationem eſſe corpus Chriſti.

Secundo: Mutatio non eſt penes nomina, quippe quæ in realitate fundentur.

Tertio: Gelaſius non vocat Euchariſtiam figuram vacuam, ſed plenam; licet enim panis extrinſecus appareat, reipſa tamen ſub ea corpus Chriſti continetur.

§. XV.

De fide Iconomachorum circa Euchariſtiam.

CONSTANTINOPOLI ex multis Epiſcopis Synodum coegit Conſtantinus Copronymus, in qua bellum indictum eſt ſacris imaginibus. In hoc conciliabulo Epiſcopos ſtatuiſſe Chriſtum non eſſe realiter præſentem in Euchariſtia aſſerunt Calviniſtæ Scriptores; id eis concedunt multi Theologi, ſed nimis liberaliter, Quod ut conſtet, ſit

CONCLUSIO.

Epiſcopi Iconoclaſtæ realem præſentiam non negarunt.

Probatur iſto ratiocinio.

SI propter aliquam rationem hanc negarent Iconomachi præſentiam, ea potiſſimum eſt, quia vocant Euchariſtiam imaginem corporis & ſanguinis Chriſti. Atqui non meram imaginem eſſe propugnabant: Probatur ex definitione Pſeudo Synodi: " Lætentur & exultent, *aiunt*, & ,, fiducialiter agant hi qui veram Chriſti ,, imaginem ſinceriſſima anima faciunt, ,, & deſiderant, & colunt, & in ſalu- ,, tem animæ & corporis offerunt, quam ,, ipſe ſacratiſſimus immolator & Deus ,, noſter, ex nobis, ex toto maſſam aſſu- ,, mens, ſecundum tempus propriæ paſ- ,, ſionis in typum & rememorationem ,, evidentiſſimam tradidit miniſtris ſuis; ,, ſeſe namque voluntarie traditurus me- ,, morabili & vivificæ morti ſuæ, acce- ,, ptum panem benedixit, & gratias agens ,, fregit, & dans dixit: *Accipite & come-* ,, *dite in remiſſionem peccatorum*; *Hoc eſt cor-* ,, *pus meum*. Similiter & calicem tradens, ,, dixit: *Hic eſt ſanguis meus: hoc facite* ,, *in meam commemorationem*: veluti nulla ,, alia ſpecie ab eo electa ſub cœlo, vel ,, figura ejus Incarnationem inſtar ima- ,, ginis repræſentare valente. En ergo ,, imago vivifici corporis, quæ pretio- ,, ſe & honorabiliter fit. ,, Ibi aſſerunt nullam aliam eſſe imaginem Chriſti veram, quam Euchariſtiam, quam vocabant eatenus imaginem corporis Chriſti, habita ratione Incarnationis, ſeu modi ſingulariter mirabilis, quo formatum fuit Chriſti corpus; nam ſicut ex ſanguine Deiparæ per operationem Spiritus ſancti illud corpus fuit formatum, ita in Euchariſtia ex ſubſtantia panis abſque humana operatione, ſola ſancti Spiritus ſuper dona propoſita deſcendentis virtute fit corpus Chriſti. Unde & in Incarnatione & in Euchariſtia ſubſtantiam corporis Chriſti agnoſcebant, adeoque Euchariſtiam imaginem ſuperficie tenus & accidentariam eſſe nolebant corporis ac ſanguinis Chriſti, ſed conſubſtantialem, quæ ipſum quidem repræſentaret, ſpectata ſecundum externam & viſibilem ſui partem, verum ſecundum internam & inviſibilem foret corpus Chriſti reale.

Id patet ex verbis definitionem ſubſequentibus: " Sicut ergo, *inquiunt*, cor- ,, pus Chriſti quod ſecundum naturam ſan- ,, ctum eſt, utpote deificatum, ita ma- ,, nifeſtum eſt quod adoptione, id eſt, ,, ipſa imago ejus ſancta eſt, utpote per ,, quamdam ſanctificationem gratiæ deifi- ,, catæ; hoc enim & operatus eſt, ut ,, diximus, Dominus Jeſus, ut ſicut car- ,, nem quam ſuſcepit, propria ſecundum ,, naturam ſanctificatione, ex ipſa unitio- ,, ne deificavit. Similiter & Euchariſtiæ ,, panem, ut non falſam imaginem natu- ,, ralis carnis, per ſancti Spiritus adven- ,, tum ſanctificandum Dominus Chriſtus ,, fieri voluit mediante Sacerdote, qui ,, oblationem de communi ſeparans, ad

,, ſancti-

„ ſanctificationem pertingere facit. „ Quæ verba Nicæna Synodus approbavit Seſſione 6. hæc enim expendens, ſic habet: " Dimiſſo mendacio, tangunt pauxil- „ lum quid veritatem, divinum corpus „ dicentes fieri. „ Igitur illis Epiſcopi nullam agnoſcebant imaginem præter Euchariſtiam, quia, inquiebant, imago non poteſt repræſentare divinitatem, nec humanitatem ſeparatim; ſic enim eſſet admittere perſonam humanam in Chriſto, ſicut Neſtorius; ſola ſecundum eos Euchariſtia repræſentat divinitatem cum humanitate: aliæ autem imagines falſæ ſunt; unde imago juxta illos debet eſſe quid per ſe ſubſiſtens.

En ſunt alia verba Pſeudo-Synodi: " Itaque Domini caro ſecundum naturam „ mente prædita, uncta eſt per Spiritum „ ſanctum, divinitate. Similiter & di- „ vinitus tradita imago carnis ejus, divinus „ videlicet panis, repletus eſt Spiritu ſan- „ cto, cum calice vitam ferentis ſanguinis „ ejus. Hæc ergo demonſtrata eſt vera „ imago diſpenſationis, quæ in carne fa- „ cta eſt Chriſti Dei noſtri, quam ipſe „ nobis verus naturæ vivificator & fictor „ voce propria tradidit. „ Igitur Iconomachi non appellarunt Euchariſtiam imaginem eo ſenſu quo ſtatuæ aut ſculptæ, aut depictæ aliquorum figuræ vocantur, ſed imaginem Spiritu ſancto & divinitate eatenus plenam, quatenus corpus Chriſti hypoſtatice divinitati unitum complectitur.

Confirmatur: Nec Patres, Iconomachos hæreſis circa præſentiam realem inſimularunt: nec illius ætatis Scriptores eam ut Chriſti typum habebant. Igitur Iconomachi circa præſentiam realem minime errarunt. Probatur antecedens quoad utramque partem. Primum patet, cum altum ſit de hoc momento ſilentium in definitione fidei Concilii VII. generalis quæ habetur Act. 6. Secundum utique: Præſules enim eo loci aſſerunt Euchariſtiam inanem non eſſe corporis Chriſti figuram, quia non dixit Chriſtus, inquiunt: " Ac- „ cipite & comedite imaginem corporis „ mei. „ Quid plura? præſentiam realem agnovit S. Germanus L. de Theoria Myſteriorum: S. Joannes Damaſcenus L. 3. orthodoxæ fidei cap. 3. Nicephorus Patriarcha C. P. & alii qui circa illa tempora floruerunt. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES: Iconomachi dicunt: " Chri- „ ſtum, imaginem, materiam præcipuam, „ id eſt, panis ſubſtantiam offerri præce- „ piſſe, non figurantem hominis formam, „ ne idololatria ſubintroducatur. „ Atqui Euchariſtiam panis ſubſtantiam non vocaſſent, ſi credidiſſent panem eſſe tranſmutatum in ſubſtantiam Chriſti.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Iconomachi Euchariſtiam non vocaſſent ſubſtantiam panis, ad deſignandum quid ſit, concedo: ad deſignandam materiam ex qua ſit, nego. Hoc autem non ſibi ſumebant exponendum quid divina Euchariſtia in ſe ipſa ſit, ſed quam materiam aſſumpſerit Chriſtus, ut eam corporis ſui faceret imaginem; hæc autem duo cohærent optime, quod Euchariſtia corpus Chriſti verum & proprium ſecundum ſubſtantiam credatur, & quod a pane facta ſit; immo propter ſpecies panis ſuperſtites, panis dicitur: hanc autem materiam Domini corpus fieri profeſſi ſunt.

Urgebis: Iconoclaſtæ aſſeruerunt Euchariſtiam eſſe imaginem corporis Chriſti. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et nomen imaginis in ſenſu quodam peculiari, ſed non excluſivo ſumebant, concedo: excluſivo, nego. Imago non eſt res ipſa, ſed alterius rei figura. In ſenſu peculiari eſt imago alterius, & ipſa res ſimul. Sic Paſchaſius in Epiſt. ad Frudegardum hoc habet: " Myſtica ſunt in quibus veritas „ carnis ac ſanguinis, non alterius quam „ Chriſti, in myſterio tamen & figu- „ ra. „

Inſiſtes: Si orthotoxe locuti ſunt Iconomachi, cur reprehenſi ſunt a Patribus Nicænis?

Reſpondeo, quia tunc Scriptores Eccleſ. nomine figuræ aut imaginis non uterentur; cum autem nomen imaginis pluries Iconomachi uſurpaverint, durior viſa eſt eis illa locutio: unde pugnantia eo loqui Patres Nicæni oſtenderunt his verbis: " Aliquando quidem imaginem dicentes „ ſancti corporis Chriſti ſacrum ſacrificium „ noſtrum, aliquando vero poſitione cor- „ pus. „

Replicabis: Aſſerebant panem Euchariſticum imaginem eſſe non falſam myſterii In-

Incarnationis. Atqui imago falſa eſſet, ſi ſubſtantia panis conſecratione deſtrueretur; nam caro ſalutaris non deſtruitur aſſumptione ſua ad perſonam divinam. Ergo non habuerunt eamdem fidem ac nos.

Reſpondeo, nego minorem. Satis eſt enim ad rationem ſigni ſenſibilis, ut ſenſibus percipiatur, & ad rei ſignificatæ notitiam perducat, perinde vero eſt ad ſigni veritatem & falſitatem, ut ſubſiſtat vel non ſubſiſtat; ſiquidem ſubſiſtentia & ſubſtantia rei cum ſint extra ſenſuum objecta, ad rationem ſigni non pertinent. Sic Iris, reales aut fictitios habeat colores, ſemper eſt ſignum reconciliationis Dei cum hominibus: ita ad ineffabile myſterium ſignificandum ſufficit quod ſint ſpecies; ut autem illi Epiſcopi oſtendant imaginem non eſſe falſam, eam dixerunt plenam realitate Chriſti.

Inſtabis: Dicebant Iconomachi Chriſtum, imaginem, materiam præcipuam, id eſt panis ſubſtantiam offerri præcepiſſe, non figurantem hominis formam, ne idololatria ſubintroduceretur. Atqui ſi verum & proprium Chriſti corpus agnoviſſent in Euchariſtia, idololatriæ timendæ non fuiſſet locus: nam & ſub naturali forma & ſub ſpeciebus Euchariſticis Chriſtus eſt adorandus.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Timendi non fuiſſet locus ne Euchariſtiam adorantes idololatriæ rei fierent, vel ne Chriſtum adorando ſub naturali ac propria forma hominis, idololatræ evaderent, concedo: ne adoratio quæ Chriſto juſte exhibetur ſub aliena hominis forma, eſſet occaſio adorandi pictas vel ſculptas Chriſti imagines, quæ eadem qua Chriſtus adoratione coli non poſſunt ſine idololatria, nego. Porro illi prætendebant, quod ſi ſenſibilem in Euchariſtia formam habuiſſet Chriſtus, non fuiſſet eadem ac illa quam vivens habebat; alioqui, inquiunt, Euchariſtia non fuiſſet imago, cum Chriſtus ſine velo apparuiſſet: illi non diſtinguebant adorationem abſolutam a relativa, & quamcumque, idololatriam eſſe dicebant. Nolunt ergo quod Chriſtus voluerit ut Euchariſtia eſſet imago ſua, ſicut ceteræ imagines: unde Stephanus junior Conſtantinum Copronymum alloquens, hæc habet: " An tu quoque cor„ poris & ſanguinis Chriſti antitypa ab „ Eccleſia proſcribes, quæ imaginem ac „ veram illorum figuram teneant: quæ „ & adoramus, & oſculamur, & eo„ rum perceptione ſanctitatem conſequi„ mur?" Utuntur autem nomine antitypi, ſicut prius Patres Græci.

SYNOPSIS PROBATIONUM,

Iconomachi præſentiam realem non inficiati ſunt.

PRIMO: Quia in ſua definitione fidei vocant quidem Euchariſtiam imaginem, ſed Chriſti patientis.

Secundo: In eodem Decreto aſſerunt Chriſtum ſuum corpus feciſſe in Euchariſtia in remiſſionem peccatorum noſtrorum.

Tertio: Patres Synodi Nicænæ Iconoclaſtis hæreſeos labem non inuſſerunt circa Euchariſtiam. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Non diffitemur Iconomachos appellare Euchariſtiam Chriſti imaginem, ſed ab aliis imaginibus prorſus diſparem, imaginem ſcilicet ſanctam, & Spiritu ſancto refertam propter realem corporis Chriſti præſentiam.

Secundo: Nec quemquam movere debet, cum vocant Euchariſtiam Chriſti imaginem veram & non falſam: non enim per hoc excludunt corporis realitatem, ſed illam imaginem ab aliis quas rejiciebant, volunt ſecernere, eo quod non vacua & inanis, ſed vera & eatenus viva, quatenus a corpore Chriſti non eſt ſeparanda; hinc ſuis terminis & loquelis præſentiam realem potius aſtruunt, quam debellent.

Tertio: Neque concludendum eſt illos realem abnuiſſe præſentiam, ex eo quod a Patribus Nicænis reprehenſi ſint, quia non propter errorem circa Euchariſtiam, ſed ex eo quod vocabulo imaginis ſæpius uterentur,

§. XVI.

Utrum Paſchaſius Ratbertus præſentiam realem defenderit?

DUO momenta hic diſcutienda occurrunt. Unum de doctrina Paſchaſii circa præſentiam realem: Alterum de qualitate hujuſmodi doctrinæ, quam Proteſtantes novitatem ſpirare contendunt. Unde ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Paſchaſius Abbas præſentiam realem in ſuo de Corpore & Sanguine Domini libro propugnat.

Probatur ex textibus.

ILLE propugnat præſentiam realem, qui in iſto libro. I. eam ex omnipotentia Dei defendit. II. Qui aſſerit ab omnibus tenendam eſſe. III. Sacramentum quidem eſſe, ſed corpus Chriſti realiter continens. IV. Sub ſpeciebus adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti. V. Figuras veteris Teſtamenti ad Euchariſtiam ſicut ad veritatem terminari. VI. Per illud Sacramentum Chriſtum in nobis realiter manere. VII. Modum præſentiæ realis eum eſſe, ut ſub ſymbolis habeamus Chriſti corpus & ſanguinem. VIII. Indigne ſumentem Euchariſtiam judicium ſibi manducare. IX. Chriſtum tametſi in cruce jam immolatum, iterum tamen in Euchariſtia immolari. X. Corpus Chriſti rite panem dici, quippe quod animam nutriat & ſanctificet. XI. Aquam miſceri cum vino, & verum ſanguinem noſtrum eſſe potum. XII. Omnes totum Chriſtum in Euchariſtia accipere. XIII. Quod tametſi oculis nihil appareat, attamen corpus Chriſti intus lateze. XIV. Non ſemel miraculoſe vel ipſam corporis realitatem proditam fuiſſe. XV. Non hominum meritis corpus Chriſti in Euchariſtia exhiberi. XVI. Corpus Chriſti tametſi reale, poſſe tamen a termino a quo ſit tranſubſtantiatio, panem vocari. XVII. Illud myſterium omnem rationem tranſcendere: Porro ſi ſola adeſſet figura, quid in hoc humanum captum ſuperaret? XVIII. ait, Ante Paſſionem ideo Sacramentum inſtitutum fuiſſe, ut veritas figuram terminaret. XVIX. Perceptionem corporis & ſanguinis Domini nobis eſſe ad ſalutem neceſſariam. XX. Cœnatis Chriſtum, ſuam dediſſe carnem, ut finem obtineret figura. XXI. Illa Chriſti verba *Non bibam ammodo de hoc genimine vitis &c.* reali præſentiæ non opponi, ſed intelligenda eſſe de communione, quotieſcumque enim digne ſumitur Euchariſtia, vel ipſe Chriſtus novum vinum myſtice bibit in regno ſuo, hoc eſt in Eccleſia. XXII. Euchariſtiam prodeſſe Juſtis ad vitam, ſed impiis neutiquam. Atqui hæc omnia propugnat Paſchaſius in ſuo libro. Igitur eſt realis præſentiæ acerrimus defenſor. Probatur minor diſcurrendo per ſingula libri capita.

Capite 1. ſic loquitur pag. 247. „ Quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo „ & in terra. Et quia voluit, licet figura panis & vini hic ſit, omnino nihil „ aliud quam caro Chriſti & ſanguis poſt „ conſecrationem credenda ſunt.

Capite 2. pag. 249. " Sacramentum ita„ que Dominici corporis & ſanguinis, „ quod quotidie in Eccleſia celebratur, „ nemo Fidelium ignorare debet, nemo „ neſcire quid ad fidem, quidve ad ſcientiam in eo pertineat, quia nec fides „ in Myſterio ſine ſcientia recte defenditur. „

Capite 3. pag. 251. " Unde nec mirum, „ ſi Spiritus ſanctus, qui hominem Chriſtum in utero Virginis ſine ſemine „ creavit, etiam ipſe panis ac vini ſubſtantiam, carnem Chriſti & ſanguinem, invisibili quotidie potentia, per Sacramenti ſui ſanctificationem operatur. „

Capite 4. Ibidem: " Quod in veritate „ corpus & ſanguis fiat conſecratione myſterium, nemo, qui verbis divinis credit, dubitat. „

Capite 5. pag. 253. " In præfiguratione „ idem, ſed non idem in adimpletione „ veritatis: quia quod tunc adumbrabatur, in deſignatione futurorum imago „ veritatis, & umbra corporis atque „ exempla erant, nunc autem Myſterium „ impletæ veritatis & facta eſt Euchariſtia. „

Capite 6. pag. 254. " Hinc quoque eſt, „ quot ait: qui manducat meam carnem, „ & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Alioquin niſi „ prius in me maneat, & ego in illo, „ carnem meam manducare non poteſt. „

Capite

Capite 7. pag. 256. " Utique hoc Sa-
„ cramentum velint, nolint inimici,
„ magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia:
„ jam unitas naturæ amborum plenius
„ commendatur. Quapropter illo inte-
„ gro Agni carnes, noſtra ut tollat pec-
„ cata, mundi accipiamus: quatenus per
„ hoc Chriſtus in nobis maneat, & nos
„ in ipſo. „

Capite 8. ibidem: " Unde ut a primor-
„ dio hujus celebritatis indicium male ac-
„ cipientibus minatur, dum continuo poſt
„ buccellam de manu Domini perceptam,
„ Judam diabolus pervaſit. „

Capite 9. pag. 260. " Iteratur autem quo-
„ tidie hæc oblatio, licet Chriſtus ſemel
„ paſſus in cruce, per unam eamdemque
„ mortis paſſionem ſemel ſalvaverit mun-
„ dum .... quia profecto ſapientia Dei
„ Patris, neceſſarium pro multis cauſis
„ hoc providit. „

Capite 10. pag. 262. " In pane ideo ce-
„ lebratur, quia Chriſtus eſt panis, qui
„ de cœlo deſcendit. Sed ſicut ille panis
„ longe aliud ab iſto pane intelligitur; ita
„ longe aliud a mortali jam noſtra carne
„ ſecernitur ... Atque ideo nec mirum
„ ſi caro Chriſti panis dicitur, dum caro
„ porrigitur. „

Capite 11. pag. 265. " Plane aqua in ſan-
„ guine quare miſcebatur .... Poſtquam
„ emiſit ſpiritum, veniens unus militum
„ accepit lanceam & aperuit latus ejus:
„ unde quaſi de uno fonte, manavit ſan-
„ guis & aqua. Et hic eſt verus calix,
„ quia veraciter paſſus pro ſalute noſtra,
„ non minus ſanguinem pretii, quam un-
„ dam Baptiſmi fudit: Et quod tunc de
„ carne fluxit, hoc nunc credentes in ca-
„ lice bibunt. „

Capite 12. pag. 266. " Vere credere &
„ indubitanter ſcire debemus, intra Ca-
„ tholicam Eccleſiam, ubi catholica fi-
„ de hoc Myſterium celebratur, quod
„ nihil a bono majus, nihilque a malo
„ minus percipiatur Sacerdote, nihilque
„ aliud quam caro Chriſti & ſanguis dum
„ catholice celebratur, conſecretur; quia
„ non in merito conſecrantis, ſed in
„ verbo efficitur Creatoris, & virtute Spiri-
„ tus ſancti, ut caro Chriſti & ſanguis,
„ non alia quam quæ de Spiritu ſancto crea-
„ ta eſt, vera fide credatur, & ſpirituali
„ intelligentia deguſtetur. „

Capite 13. pag. 269. " Quod vero co-
„ lorem aut ſaporem minime præbet, vir-
„ tus tamen fidei & intelligentiæ quæ ni-
„ hil de Chriſto dubitat, totum illud ſpi-
„ ritualiter ſapit ... Nihil enim in eo-
„ dem eſt dubium, ubi efficax virtus ejuſ-
„ dem rei ſentitur, ubi plena ſimilitudo
„ exterius, & vera virtus Agni, atque ca-
„ ro ejus immaculata interius voratur. „

Capite 14. pag. 270. " Nemo qui San-
„ ctorum vitas & exempla legerit, poteſt
„ ignorare, quod ſæpe hæc myſtica corpo-
„ ris & ſanguinis Sacramenta, aut pro-
„ pter dubios, aut certe propter arden-
„ tius amantes Chriſtum, viſibili ſpecie
„ in Agni forma, aut in carnis & ſangui-
„ nis colore monſtrata ſint. „

Capite 15. pag. 272. " Hoc Sacramentum
„ non meritis, non verbis humanis, ſed
„ proculdubio divinis efficitur & conſe-
„ cratur mandatis.

Capite 16. pag. 273. " Quod panis etiam
„ quamvis vera caro ſit, hoc Myſterium
„ poſſit nominari, probat Apoſtolus, ubi
„ dicit: Probet ſe homo, & ſic de pane
„ illo edat, & de calice bibat: quia Chri-
„ ſti caro, vera caro, & tamen panis vi-
„ vus qui de cœlo deſcendit, jure catho-
„ lice prædicatur. „

Capite 17. pag. 274. " Neceſſe eſt qui
„ corpus ejus comederit, de plenitudine
„ divinitatis illud fide percipiat. „ Ratio-
nem, verbis antecedentibus hanc affert. „
„ quia corpus Chriſti eſt ager in quo the-
„ ſaurus vitæ abſconditus reperitur. „

Capite 18. Ibidem: " Ante Paſſionem au-
„ tem hoc Sacramentum ideo celebratum
„ eſt, ut de legali Paſcha continuo, quia
„ umbra removenda erat, veritas clare-
„ ſceret. „

Capite 19. pag. 275. " Patet ſenſus, quod
„ jam caro frangitur, quia ſanguis eſt in
„ calice qui de latere manavit, & ideo
„ quam recte caro ſanguini ſociatur, quia
„ nec caro ſine ſanguine, utique nec ſan-
„ guis ſine carne jure communicatur. Totus
„ enim homo, qui ex duabus ſubſtantiis,
„ redimitur, & ideo carne ſimul Chriſti
„ & ſanguine ſaginatur. „

Capite 20. pag. 277. " Apoſtoli ideo je-
„ juni jam non erant, quia neceſſe fuit,
„ ut Paſcha illud typicum prius complere-
„ tur, deinde ad verum Paſchæ Sacra-
„ mentum tranſirent. „

Capite 21. pag. 279. " Neque enim
„ hic ſanguis integre accipitur, niſi &

moraliter inebriet mentem, & ſpiritualiter de altari corporis Chriſti ob renovationem nos reſundat, ubi profecto Chriſtus convivium, & conviva noſter ſimul eſſe voluit ... Chriſtus jam illud bibit novum quoties Fideles intra Eccleſiam iſtud percipiunt. Sicut enim patitur in ſuis, & eſurit, & ſitit, & veſtitur, ac ſuſcipitur; ſic quoque bibit illud novum in regno Patris, id eſt, in Eccleſia. ,,

Capite 22. pag. 282. " Patet igitur ex lege divina, licet Chriſtus immoletur Agnus in Eccleſia: quod pro differentia meritorum, hæc & præmia tribuantur. ,,

CONCLUSIO SECUNDA.

Paſchaſius nihil novi de præſentia reali in ſuo libro de Corpore & Sanguine Domini vulgavit.

Probatur variis rationibus.

PRIMA ſic exponitor: Qui doctrinam a Chriſto datam, ab Apoſtolis vulgatam, a Patribus priorum ſæculorum ad oonum uſque ſæculum, & ad ſubſequentes poſtea ætates perpetua ſucceſſione tranſmiſſam, docet; certe eam ipſam primus non invexit in muodum, ut garriunt Proteſtantes: Atqui res ſic ſe habet. Et hoc patet tum variis Scripturæ locis ab ipſis Patribus explanatis, & ex perenni eorumdem Patrum traditione. Hoc ipſum infra probabitur definitione Conciliorum Occumenicorum, ipſo Paſchaſio longe antiquiorum. Ergo &c.

Altera hæc eſt: Qui ſimplici & naturali ſtylo abſque eloqueotiæ exquiſitæ apparatu ſcribit, novam doctrinam diſſeminare noo aggreditur; Novatores quippe ut fucum faciant, ſermonibus ambiguis ſimul & ſubtilibus uti ſolent. Sed Paſchaſius tamquam vir cordatus & fidelis Scriptor in quo noo eſt dolus, de fide ſacræ Euchariſtiæ ſcripſit, videlicet ut ingenuos Saxonum adoleſcentes io Monaſterio novæ Corbejæ degentes ſicut probis moribus, ſic etiam ſana fide inſtitueret: Igitur novam doctrinam prædicare nequidem cogitavit. Hoc ipſum patet ex ſua ad Carolum Calvum Epiſtola, ubi ſic loquitur: " Decrevi non ignavi ponderis metalli veſtræ Majeſtati munus offerre, ſed libellum, quamvis exiguum corpore, magnum tameo de Sacramentis ſacræ communionis, quem dudum placido meo Warino Abbati, volui ſtylo temperare ſubulco, ut, ea quæ de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti ſunt neceſſaria reſcire, quos nedum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum, & ſalutis hauſtum plenius caperent ad medelam. ,,

Tertia: Divulgare doctrinam veterum Patrum auctoritate ſuffultam, nou eſt novam celebrare: Atqui Paſchaſius in ſuo de corpore & ſanguine Domini libro doctrinam veterum Patrum calculo munitam tradit. Et probatur ex ſua ad Frudegardum Epiſtola: " Ecce habes amantiſſime io calce libelli hujus ſententias Catholicorum Patrum. ,, Citatis autem Cypriano, Hilario, Ambroſio, Auguſtino, Cyrillo Alexandrino & Leoue, ait: " Hoc ore ſumi, quod fide creditur, & fruſtra ab illis, Amen, reſponderi, a quibus contra id, quod accipitur, diſputatur. ,, Tum ſubdit: " Quod ſi quæris, cariſſime, ſuper quibus univerſaliter ab omnibus, Amen reſpondeatur in tota Eccleſia Chriſti, reſpice in Sacramentorum celebratione, inſtituente B. Petro, ut credimus, quid orat Sacerdos in canone, exceptis his quæ poſt communionem dicuntur, *ut fiat*, inquit, *corpus & ſanguis dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

Quarta: Si Paſchaſius fuiſſet oovator, eum haud dubie cognoviſſent Coetanei Monachi, Abbates & alii. Atqui e contra fuit laudatus in Concilio Pariſienſi ann. 846. ab Engelmundo Sueſſionenſi Epiſcopo, carmine ad id ficto, a Luppo Ferrarienſi, a viris præſtantiſſimis Ordinis Benedictini, præcipue ab Erigero Lobienſi Abbate, qui fidem ejus, & librum ipſius de reali præſentia laudat his verbis: " Sed Paſchaſius Radertus ſicut & alia multa in eodem libro ultra humanam exiſtimationem utiliter tractat, ita ut huic Sophiſmati fortiter obviat, dicens, figuram non ſemper umbram eſſe, & jure ſimul Myſterium & figuram & veritatem dici poſſe. ,, Quid plura? Regibus placuit, adſuit Conciliis; contra librum illum nihil pronuntiarunt ſummi Pontifices, immo Scriptores iſtius ætatis,

Digitized by Google

tis, ſteterunt pro præſentia reali, nempe Nicolaus I. Epiſt. 2. de Altari, Hincmarus Lib. de prædeſtinatione c. 31. Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis, Theodulphus Aurelianenſis, Florus Diaconus Lugdunenſis in opuſculo de actione Miſſarum. Ergo &c.

Proteſtantium objecta contra ſecundam concluſionem ſolvuntur.

OPPONUNT illa Paſchaſii verba, quæ in Epiſtola ad Frudegardum leguntur: " Tu „ autem, velim, relegas libellum no„ ſtrum....ad intelligentiam hujus My„ ſterii plures, ut audio, commovi. „ Sed nemo commoveri ſolet explicatione Myſterii, quæ fidei Eccleſiæ conſonat. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Plures commovi ad intelligentiam eorum quæ ſpectant dignitatem, & virtutem myſterii, concedo: Ad intelligentiam eorum quæ fidei aut myſterii ſubſtantiam ſpectant, nego. Hanc eſſe mentem auctoris declarant hæc verba ſequentia: " Ut ſciant „ & intelligant, digne cogitare de Chri„ ſto. Unde Odo Cluniacenſis Abbas L. 2. coll. caput 30. & 31. de Paſchaſio hæc habet: " Alia multo plura Paſcha„ ſius ex dictis Patrum ad reverentiam ip„ ſius myſterii commendandam, atque ma„ jeſtatem ejus demonſtrandam conſcri„ pſit. „ Deinde dici poteſt quod etſi conſtaret aliquos fuiſſe commotos ad intelligentiam eorum quæ fidem Euchariſtiæ ſpectant, non ideo dicendus foret Paſch. Novator; nam aut ibi loquitur de pueris, in quorum gratiam ſuum ſcripſit librum, aut de aliis Fidelibus qui nondum plenam hujus Myſterii cognitionem fuerant aſſecuti, cujus hactenus inaudita argumenta, piæ rationes, multa Patrum teſtimoniaque longe accuratius quam alius in unum colligerat ad explicandam Euchariſtiæ fidem, illos populos commoverant, non quidem dubitando, aut credere recuſando, ſed admirando.

Inſtant: Qui rogat amicum ut, diſcuſſo ejus libro, moneat quid ibi ſit arguendum, non cenſetur familiarem apud omnes doctrinam propugnare: Atqui Paſchaſius hoc expoſtulat in ſua ad Frudegardum Epiſtola: " Tu autem velim rele„ gas libellum noſtrum de hoc opere, quem „ olim te legiſſe dicis: & ſi quid in eo „ reprehenderis, aut dubitaveris, rele„ gere non pigeat. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Rogat ut modum quo Myſterium tractavit diſcutiat, concedo: ut ipſam fidem quam expoſuit, examinet, nego. Patet ex verbis ſequentibus, ſolum Paſch. de modo ſo ſolicitum eſſe, eo quod & pro ingenuis adoleſcentibus in fide recens ſuſcepta inſtituendis, & pro ſimplicibus, quos ipſe modus præſentiæ Chriſti in Euchariſtia latebat, ſcriberet: " Quia, *inquit*, & ſi ni„ hil in eo legentibus dignum ſcripſi, „ quem cuilibet puero dedicavi, tamen ad „ intelligentiam hujus Myſterii plures, ut „ audio, commovi. „ Et infra: " Quam„ vis plurimi dubitaverint, vel ignora„ verint tanti Myſterii Sacramenta. „ Rurſus: " Quamvis ex hoc quidam de „ ignorantia errent. „ Ceterum ſolemne eſt auctoribus, cum de aliquo fidei dogmate ſcribunt, amicorum expoſtulare cenſuram, quia, juxta illud tritum adagium, *plus vident oculi, quam oculus*. Hinc vel ipſe Alcuinus juxta illius temporis ſolitum morem, opus contra Felicianam hæreſim Carolo Magno obtulit examinandum: ſic Ratramnus librum ſuum de corpore & ſanguine Dom. concludens, Carolum Calvum ita alloquitur: Quæ ſi „ probaveritis catholice dicta, veſtræ me„ ritis fidei deputate. „

Urgebis: Paſchaſius ſupra laudatus ait alios dubitare de myſteriis, immo & alios ignorare. Igitur illud prædicando, nova pandebat.

Reſpondeo, illum loqui ſolum de Neophytis Saxonibus ad quos librum direxerat; non mirum autem eſt infirmos in fide aliqua ſubire dubia, & non nihil in explicandis myſteriis errare.

Inſtabis: In libro de corpore & ſanguine Chriſti, Hæreticos confutandos, non pueros erudiendos ſibi proponit Paſchaſius, nam cap. 21. ſic loquitur: " Nos autem „ catholice ſenſum ipſius Domini requi„ rentes, non Hæreticorum nænias ſe„ quamur, ſed eum qui ait: *Accipite & „ comedite ex hoc omnes*. „ Ergo &c.

Reſpondeo unicuique caput legenti patere Paſchaſium ibi deridere Millenariorum fabulam, non autem impugnare Hæreticos male de reali præſentia ſentientes; etenim hoc in capite expendit quiſnam ſit ſen-

ſenſus illorum Chriſti verborum : *Non bibam ammodo de hoc genimine vitis* &c. Ex hoc ergo loco , inquit , pag. 278. quidam mille annorum ſabulam aſtruunt , quod Chriſtus corporaliter ſit regnaturus , quando nova corporaliter debeat comedere vel potare.... Nos autem catholice ſenſum ipſius Domini &c.

Urgent : In cap. 26. Matthæi ſcribit aliquos eſſe qui dicuot non eſſe realitatem corporis vel ſanguinis in Sacrameoto, ſed virtutem quamdam carnis , & non carnem , virtutem ſanguinis , & non ſaoguinem . Ergo doctrina Paſchaſii nova erat . Quod enim commune eſt , ab omnibus ſcribitur. Ergo &c.

Reſpondeo ex his tantum concludi, Paſchaſii librum noo fuiſſe ab omoibus approbatum , & nonoullos negaſſe Chriſti carnem & ſanguinem io Euchariſtia reſidere eo modo quo probaverat Paſchaſius ; volebat enim eamdem eſſe carnem & eumdem ſanguinem , quem Chriſtus traxit ex utero Mariæ Virginis , propter quod a quibuſdam vel ignaris , vel Heterodoxis reprehenſione dignus viſus eſt , ut conſtat ex his verbis : *Audivi quoſdam me reprehendere*, Comment. io Matt.

Replicant : Certum eſt Joannem Scotum Erigenam , nono ſæculo docuiſſe Chriſtum noo eſſe realiter præſentem in Euchariſtia , & tamen nec ei contradixerunt Epiſcopi , oec ab ulla Synodo fuit proſcriptus : Igitur a pari etiamſi nullus contradixerit Paſchaſio , non inde ſequitur illum aotiquam propugnaſſe doctrinam . .

Reſpondeo , negando paritatem . Ratio diſcriminis eſt , quod doctrina Paſchaſii , applaudeote Eccleſia , a multis ſicut adoptata , ſic & celebrata fuerit . E contra vero Joaonis Scoti , eujus rei iſtud argumeotum eſt , quod ipſe e Galliis ſecedere compulſus ſit . Et quod majoris ſane ponderis eſt , hoc claret ex proſcriptione ejus errorum . Et vero Hincmarus librum Scoti de Euchariſtia in ſuo de prædeſtinatione libro cap. 31. proſcripſit . Ibi docet : " Quod Sacramentum Altaris non verum „ corpus & verus ſanguis ſit Domini , „ ſed tantum memoria veri corporis & „ ſanguinis ejus . „ Adrevaldus Floria„ cenſis Ord. S. Bened. Monachus *vete„ rum Patrum ſententias de corpore & ſanguine Chriſti contra ineptias Joannis Scoti* , *collegit* . Eumdem , propter & alios de prædeſtinatione errores ioſectati ſunt ex profeſſio & nominatim Prudentius Trecenſis , Eccleſia Lugdunenſis L. de tribus Epiſtolis , Patres Concilii III. Valentini can. 4. & 6. PP. Synodi Lingoneoſis cujus decreta in Tullenſi lecta & confirmata ſunt can. 4.

Inſiſtunt ; Rabanus Epiſt. ad Heribaldum hæc ſcribit : " Quidam nuper de ipſo Sa„ crameoto corporis & ſanguinis Domi„ ni non rite ſeotientes dixeruot , hoc „ ipſum corpus & ſaoguioem Domini , „ quod de Maria Virgine natum eſt ... „ idem eſſe quod ſumitur in altari . „ Rabano ſuffragari videntur Ratramnus & Herigerus . Audis iſtos graves auctores Paſchaſii de Euchariſtia doctrinam arguere ? Ergo &c.

Reſpondeo primo , verba in objectione allata inter Rabani nævos anoumerari . Ita P. Alex. Diſſ. 11. IX. ſæc. §. 2. pag. 351. col. 1.

Reſpondeo ſecundo , illos Auctores reprehendiſſe ſolum Paſchaſii loquendi modum , qui illis oovus noonihil apparebat , quippe qui diceret in Euchariſtia illud idem corpus eſſe quod natum erat de B. Virgine , quam quidem veritatem auctoritate S. Ambroſii ſuffultus , depromebat : Alii vero Ambroſio Hieronymum & Auguſtinum opponentes , diſtioguebant inter corpus Chriſti naturale & ſacrameotale , atque ex illa diſtinctione iſtos Patres Ambroſio & Paſchaſio hac in parte adverſari dicebaot . Nec mirum , putabant enim Paſchaſium docuiſſe eamdem eſſe etiam quantum ad exiſteodi modum in Euchariſtia Chriſti carnem , qualis in cruce pendens exiſtebat .

Jam vero quod Rabanus præſentiam realem de facto non abouerit , ex multis liquet capitibus , quandoquidem L. 7. de *Sacris Ordinibus ad Theotmarum* c. 10. & præſeotiam realem & transſubſtaotiationem his verbis aſtruit : " Quis unquam crede„ ret , quod panis io carnem potuiſſet „ converti , & vinum in ſanguinem , niſi „ ipſe Salvator diceret , qui paoem & „ vioum creavit , & omnia ex nihilo „ fecit ? Facilius eſt aliquid ex alio fa„ cere , quam omnia ex nihilo creare . „ Idem expreſſe docet L. 1. de inſt. Cleric. cap. 31. Herigerus vero Abbas Laubienſis in ipſo libro , quo modum quemdam loquendi Paſchaſii uſurpat , ejus librum de

reali

reali præſentia Chriſti in Euchariſtia celebrat: " Sed Paſchaſius Radbertus, *inquit*, ſicut & alia multa in eodem libro ultra humanam exiſtimationem utiliter tractat, ita & huic Sophiſmati fortiter obviat, dicens, figuram non ſemper umbram eſſe; & jure ſimul hoc myſterium & figuram, & veritatem dici poſſe." De Ratramno idem modo dicemus. Quid plura? Nec Amalarius a Paſchaſio diſſentit, quippe qui Epiſt. ad Rantgarium Epiſcopum loquendo de ſanguine veteris Legis victimarum: " Ille ſanguis figura fuit veri ſanguinis Chriſti. Quem calicem, id eſt, in quo bibimus ſanguinem Chriſti initiavit."

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Paſchaſius novam de præſentia reali doctrinam non ſcripſit.

PRIMO: Quia fidem a Deo revelatam vulgavit.

Secundo: De præſentia reali clara methodo ſcripſit; ſolemne vero eſt apud Novatores placita ſua obſcuris ſermonibus obtegere, ut facilius illudant ſimplicibus.

Tertio: Doctrinam auctoritate Patrum ſuffultam tradidit, & hoc applaudente Eccleſia.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ne miremini ſi Paſchaſius Frudegardum deprecetur, quatenus de his ea quæ in libro reprehendenda invenerit, eum admonere dignetur, cum tunc temporis eſſet pro more poſitum, ut Scriptores Catholici hanc ab amicis efflagitarent gratiam, ne incauti, fidei dogmata tentarent.

Secundo: Tametſi dicat nonnullos dubitare de Myſteriis, vel etiam ea ipſa ignorare, non ideo contendit doctrinam de reali præſentia apud Epiſcopos & Clerum non fuiſſe familiarem, ſed ſolum quoſdam eſſe qui ex ſupina inertia, credenda non ſine ſua culpa quædam ignorarent.

Tertio. Neque diffitemur aliquos modum deſcribendi Euchariſtiam arguiſſe, ſed abſque fundamento; namque hoc ipſum ut novus habetur. Ceterum non reprehenderunt realis præſentiæ doctrinam, cum vel illi, ut Rabanus, & Herigerus illam aſtruant.

§. XVII.

Utrum catholicam doctrinam circa Euchariſtiam contineat liber Ratramni?

ANTEQUAM, quid de præſentia reali cenſuerit Ratramnus, aperiamus, præmittendum eſt an illo liber de corpore & ſanguine Domini, qui ſub nomine Ratramni nono ſæculo vulgatus eſt, vere fuerit a Ratramno, vel a Joanne Scoto Erigena compoſitus? Ratramnus Monachus Ordinis Benedictini, & Abbas Orbacenſis florebat inter Doctos ſui ſæculi, referentibus Sigeberto & Trithemio, ab Epiſcopis Galliæ ſelectus eſt ad reſpondendum objectionibus Græcorum, quæ ad illos miſſæ fuerant a Nicolao primo ſummo Pontifice.

Joannes Scotus ex Hibernia oriundus, venit in Galliam ſub initio regni Caroli Calvi, ſed eum propter varios errores quos docebat circa prædeſtinationem & Euchariſtiam, poſtulante Nicolao I. e Galliis fuiſſet ejectus, in Scotiam rediit, ubi jubente Rege, a pueris quos edocebat minutis punctionibus occiſus eſt. Librum de corpore & ſanguine Domini utique ſcripſit, cujus auctoritate potiſſimum uſus eſt Berengarius, eo quod ipſius patrocinaretur errori. At ille liber in omnibus Conciliis, in quibus damnatus eſt Berengarius, pariter proſcriptus legitur; immo Patres in Synodo Romana, coegerunt Berengarium ut illum combureret.

Notandum eſt autem hic primo, quod ante annum 1657. omnes tam Catholici quam Hæretici hunc librum, de quo eſt quæſtio, tribuerent Ratramno. Verum eodem ferre tempore illuſtriſſimus Dominus Petrus de Marca Epiſcopus Pariſienſis ſcripſit Epiſtolam ad Doctiſſimum Patrem Lucam d'Acheri Benedictinum, S. Germani a Pratis Bibliothecarium, in qua oſtendit Scotum eſſe libri præfati auctorem. Eamdem opinionem propugnavit Canonicus quidam Regularis ſanctæ Genovefæ in ſpeciali diſſertatione, quæ quidem extat ad calcem libri de perpetuitate fidei Euchariſtiæ: At Calviniſtæ qui auctorem illum, ſibi favere glorientur ſub nomine

mine Bertrami prædictum librum Gallice & Latine typis mandari curarunt.

Prænotandum eſt ſecundo, duas eſſe partes libri Ratramni de corpore & ſanguine Domini. In priori parte quærit: " An „ quod in Eccleſia ore Fidelium ſumitur, corpus & ſanguis Chriſti in Myſterio fiat, an in veritate? Id eſt, utrum aliquid ſecreti contineat, quod oculis fidei ſolummodo pateat? An ſine cujuſquam velatione Myſterii in hoc aſpectu corporis intueatur exterius, quod mentis viſus inſpiciat interius, ut totum quod agitur in manifeſtationis luce clareſcat? In poſteriori vero parte: " Utrum ipſum corpus ſit, quod de Maria natum eſt? „

CONCLUSIO PRIMA.

Liber, de quo controverſia eſt inter nos & Calviniſtas, non eſt liber Joannis Scoti, ſed Ratramni.

Probatur multis argumentis.

PRIMO ex Sigeberto, qui vivebat circa initium 12. ſæculi. Hic autem libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 95. ait Ratramnum, ſeu ut quidam codices habent Berramum ſcripſiſſe librum de corpore & ſanguine Domini. Agens poſtea de Joanne Scoto nullam facit mentionem de libro quem conſcripſit de corpore & ſanguine Domini.

Secundo: Guitmundus Monachus Ordinis Benedictini, qui contra Berengarium ſcipſit, illi opponit librum de quo nunc agitur: ſed ſi liber ille fuiſſet Joannis Scoti, & non Ratramni, eum non laudaſſet Guitmundus; nam liber ille Scoti fuerat damnatus una cum Berengario. Ergo &c.

Tertio: Prædictum librum Ratramno vindicat codex antiquiſſimus circa finem ſæculi noni exaratus, quo tempore vivebat Ratramnus, ut patet ex titulo iſto: *Incipit liber Ratramni de corpore & ſanguine Domini*. Talem codicem reperit Pater Mabillonius in Monaſterio Laubienſi apud Belgas.

Dices: Liber ille qui Ratramno tribuitur eumdem habet titulum, ac liber Joannis Scoti, nec veriſſimile eſt Carolum Regem duobus Scriptoribus præcepiſſe ut de eadem materia tractarent: Rurſus uterque oratiunem quamdam S. Gregorii in patrocinium ſuum adducit. Ergo &c.

Reſpondeo ad primum, non eſſe mirum duos Scriptores de eadem materia tractare, eumdemque titulum ponere: ſic jubente eodem Rege, Lupus Ferrarienſis, & Ratramnus de prædeſtinatione ſcripſerunt.

Reſpondeo ad ſecundum, utrumque potuiſſe ex operibus S. Gregorii tamquam e communi fonte argumenta depromere, ſed ſub diverſo motivo; nam Scotus orationem prædictam Hæretico ſenſu exponit, ut teſtatur Aſcelinus in Epiſt. ad Berengarium; hanc autem catholico ſenſu Ratramnus, teſte Flodoardo Libro 3. Hiſtoriæ Rhemenſis cap. 15.

CONCLUSIO SECUNDA.

Liber Ratramni, nihil continet quod adverſetur præſentiæ reali.

Probatur iſto ratiocinio.

QUI ait veritatem eſſe in Euchariſtia, corpus Chriſti adeſſe, non quidem oculis corporeis, ſed mentis ſubjici, demum ex his omnibus quæ dicit concludendum eſſe corpus Chriſti vere in auguſtiſſimu Altaris Sacramento exiſtere, certe realem propugnat præſentiam: Atqui ſic docet Ratramnus: Et probatur.

Primo: Hæc in ſuo libro habentur: " Hic etiam, *ait*, ſurgit auditor & dicit, quomodo factum ſit. Bene quidem ſentire videris; ſed ſi vim verborum diligenter inſpexeris, corpus Chriſti quidem, ſanguinemque fideliter credis. „

Secundo ibidem: " Secundum inviſibilem ſubſtantiam, id eſt divini potentiam Verbi, corpus & ſanguis Chriſti exiſtunt. „

Tertio: ibidem: " Ex his omnibus quæ ſunt hactenus dicta monſtratum eſt quod corpus & ſanguis Chriſti, quæ Fidelium ore in Euchariſtia percipiuntur, figura ſunt ſecundum ſpeciem viſibilem: At vero ſecundum inviſibilem ſubſtantiam, corpus & ſanguis Chriſti vere exiſtunt. „ Ergo &c.

Sol.

Digitized by Google

Solvuntur objectiones Proteſtantium contra ſecundam concluſionem.

OBJICIUNT: Corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia oſſibus & nervis humaniſque membris compactum eſt & diſtinctum: Atqui in libro Ratramni legitur, quod caro Chriſti in Euchariſtia nullis nervis oſſibuſque compacta ſit, nulla humanorum varietate membrorum diſtincta, nulla rationabili ſubſtantia vegetata, ſed ſolum ſpiritualis ſit. Ergo.

Reſpondeo, Ratramnum his verbis ſtatuere diſcrimen inter corpus Chriſti natum ex Virgine Maria, ab eo in Euchariſtia poſito, quod ſecundum ſpeciem viſibilem haberet nervos & oſſa prout in corporali ſpecie natum erat ex Maria Virgine, non autem in Euchariſtia ſecundum relationem ſenſuum, cum ibi ſit modo ſpirituali. Agnovit ergo præſentiam realem, ſed modum exiſtendi diverſum. Ipſe ſuum prodit ſenſum: " Exte-
„ rius quidem panis, *inquit* .... aſt inte-
„ rius ... Chriſti corpus oſtenditur, quod
„ non ſenſibus carnis, ſed animi fidelis
„ contuitu, vel aſpicitur vel accipitur,
„ vel comeditur.

Inſtant: Ex Ratramno ſicut antiqui Patres in manna corpus & ſanguinem Chriſti perceperunt, ita Chriſtiani in Euchariſtia: Atqui prima perceptio fuit figuralis: Ergo & ſecunda.

Reſpondeo, Ratramnum comparationem inſtituere hoc modo, nempe ſicut Chriſti corpus fuit ſpiritualiter in manna, ita eſt ſpirituali modo in Euchariſtia, ſed per ſubſtantiam, quæ in hoc Sacramento inviſibiliter exiſtit: quia ibi loquitur de fide Euchariſtiæ, quæ ſecundum Apoſtolum eſt argumentum rerum non apparentium: " Ipſe, *ait*, tunc quoque manna de cœlo
„ datum, & aquam de petra profuſam,
„ proprium ſanguinem inviſibiliter opera-
„ tus eſt. „

Urgent: Ratramnus dicit Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti & ſanguinem inſtar imaginis & pignoris, ſeu illam eſſe corporis & ſanguinis Chriſti imaginem & pignus. Ergo.

Reſpondeo diſtinguendo: Ratramnus dicit Euchariſtiam eſſe pignus & imaginem vivam non corporis & ſanguinis Chriſti tantum, ſed æternæ vitæ, futurorum bonorum & viſionis beatificæ, concedo: vacuam, nego. Hoc patet ex his verbis: " Si requiras quod ſuperficie tenus
„ lavat, elementum eſt; ſi vero perpendas
„ quod interius purgat, virtus vitalis eſt,
„ virtus ſanctificationis, virtus immorta-
„ litatis. „

Inſiſtunt: Totum ex illo auctore quod geritur in Euchariſtia, ſpiritualiter accipiendum eſt. Ergo.

Reſpondeo diſtinguo antecedens: Quantum ad modum exiſtendi, concedo: quantum ad veritatem exiſtentiæ, nego. Corpus Chriſti natum ex Maria Virgine erat viſibile, mobile, ſenſibile; ſecus in Euchariſtia: " Quia fides, *inquit*, totum quid-
„ quid illud eſt aſpicit, & oculus carnis
„ nihil apprehendit, intellige quod non in
„ ſpecie ſed in virtute corpus & ſanguis
„ Chriſti exiſtant quæ cernuntur. „

Replicant: ex Ratramno: Euchariſtia eſt corpus Chriſti eo modo quo eſt corpus credentium; ſed eſt corpus credentium ſpiritualiter & non realiter. Ergo.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Secundum illud quod videtur exterius concedo: ſecundum illud quod latet interius, nego. Itaque quantum ad ſpeciem externam vult Euchariſtiam non eſſe magis corpus Chriſti reale, quam corpus Chriſti myſticum, minime vero quoad ſpeciem internam, unde ait: " Nihil in potu iſto cor-
„ poraliter ſentiendum, ſed totum ſpiri-
„ tualiter attendendum ... ſecundum in-
„ viſibilem ſubſtantiam, id eſt divini po-
„ tentiam Verbi, corpus & ſanguis Chri-
„ ſti exiſtunt.

Reponunt ex eodem: Sicut aqua in illo Sacramento populi geſtat imaginem; ſic vinum ſanctificatur per Miniſtrorum officium: Atqui aqua non convertitur in corpus Chriſti. Ergo &c.

Reſpondeo, Ratramnum velle aquam, quæ vino miſcetur, & populi imaginem geſtat, converti oportere in ſanguinem Chriſti, ſicut vinum quod gerit imaginem ſanguinis Chriſti, in ſanguinem convertitur. Ceterum non comparatione ſemper, ſed ex argumentis mens auctoris debet indagari. Jam vero in illo libro, & tranſſubſtantiationem, & realem præſentiam admiſit: Ex confeſſione quippe Hæreticorum, Centuriatores Magdeburgenſes centuria nona cap. de doctrina Ratramni, iſta ſcribunt: " Tranſſubſtantia-
„ tionis

„ tionis ſemina habet Ratramnus, utitur „ enim vocabulis *commutationis* & *converſionis*. „ Et capite 6. de cæremoniis Eccleſiæ: “ Bertramus, *inquiunt*, Lib. de „ corpore & ſanguine, oſtendit corpus & „ ſanguinem Domini, ſuper altare ſeu menſam poni, & inde populo diſtribui. „

Inſtant: Atqui converſio etiam corporalis panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem, eſt juxta Ratramnun mere myſtica. Ergo &c. Probatur ſubſumptum; eo loci ait non alio modo utriuſque ſubſtantiæ mutationem fieri, quam aquæ converſionem in ſanguinem, populi qui per eam repræſentatur; alioqui iſta comparatione nihil probaret. “ Si vinum illud, *inquit*, ſanctificatum per Miniſtrorum officium in Chriſti ſanguinem corporaliter convertitur, aqua quoque quæ pariter admixta eſt, in ſanguinem populi credentis neceſſe eſt corporaliter convertatur. „ Ergo &c.

Reſpondeo primo, duriora Ratramni loca per clariora quæ adduximus, eſſe explananda.

Reſpondeo ſecundo, negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, non alia eſt extrinſece, & ſignificative, concedo: intrinſece, nego. Attendendum eſt ad ſcopum auctoris: ibi debellat eos qui dicebant Euchariſtiam, etiam corporaliter, hoc eſt, extrinſece & ut ſignum ſenſibile quod ſubjacet oculis, eſſe corpus Chriſti; ipſe vero contendit non eſſe ſub iſto reſpectu, niſi myſtice, & quantum ad ſignificationem quæ competit ſigno ſacro: quod probat exemplo aquæ calici admixtæ; & in hoc eſt comparatio. Vult ergo & ſpecies Euchariſticas & aquam eſſe ſigna ſacra: ſpecies quidem ex verbis conſecrationis panis & vini, aquam vero ex benedictione facta antequam infundatur in calicem, & utrumque ſignum ſuam habere converſionem & myſticam ſignificationem; ſignum quidem ſenſibile deſignare converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, aquam vero, converſionem myſticam ſuæ ſubſtantiæ in ſanguinem populi, & ſigna extrinſecus nihil aliud importare. Quocirca negat in iſto ſenſu corpus Chriſti ex Maria natum ineſſe Euchariſtiæ, hoc eſt extrinſecus. Negat in eodem ſenſu corpus Chriſti ibi eſſe ſine figura & velatione: nam ſpecies ſunt ſigna corporis & ſanguinis velati & latentis.

His omnibus ponderatis, vel minima non remanet de fide Ratramni ſuſpicio. Primo quidem admittit realitatem paſſim in ſuo libro, & ſi quando ad fidei oculum confugiat, eſt ſolum ut demonſtret Chriſtum ibi velari, nec aliter quam per fidem in tanto Sacramento detegi. Secundo, nec alios impugnare intendit præter eos, qui ſilendo fidem, aſſerebant corpus Chriſti in Euchariſtia videri. “ Dicunt, *ait*, quod nulla ſub figura, nulla ſub „ obvelatione fiat, ſed ipſius veritatis nuda manifeſtatione peragatur. „ Quæ „ quidem opinio non fuit Paſchaſii, cum cap. 4. Lib. de corp. & ſang. Dom. aſſerat Euchariſtiam eſſe ſimul figura & realitatem ſecundum diverſos reſpectus; ſed videtur Haymonis Halberſtenſis.

Perſiſtunt: Qui non ſolum mutationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti comparat mutationi aquæ in ſanguinem populi, quam aſſerit non eſſe phyſicam converſionem, conſecrationem tum panis & vini, tum etiam aquæ, non cenſet alio modo tranſubſtantiari in Euchariſtia quam myſtice. Atqui ſic propugnat Ratramnus; ſubdit enim ibidem: “ Ubi namque una ſanctificatio eſt, una „ conſequenter operatio: & ubi par ratio, par quoque conſequitur myſterium. „ At videmus in aqua ſecundum corpus „ nihil eſſe converſum: conſequenter ergo & in vino nihil corporaliter oſtenſum. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Ratramnus eamdem panis, vini & aquæ dicit ſanctificationem quoad aliquid, concedo: quoad omnia nego. In ratione ſigni ſenſibilis ait, iſtorum eamdem eſſe conſecrationem, ſed non ratione rei contentæ. Mens Ratramni patet ex duobus, primo eo quod dicat de aqua nihil videri converſum, de vino ſolum nihil oſtenſum. Audis eum non dimittere adverſarios, qui volebant Chriſtum non eſſe ſub ſpeciebus velatum, & hoc unum a Ratramno impugnari. Secundo, nullibi ait iſte, aquam realiter converti in ſanguinem populi, at vero multoties aſſerit panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti converti.

Reponunt; Ratramnus ibidem non aliam admit-

admittit corporis & ſanguinis Chriſti ſuſceptionem, quam myſticam, ſicut in aqua nihil aliud accipitur quam corpus myſticum populi. Pergit: " Accipitur ſpi-„ ritualiter, quidquid in aqua de po-„ puli corpore ſignificatur. Accipiatur er-„ go neceſſe eſt ſpiritualiter, quidquid in „ vino de Chriſti ſanguine intimatur. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Ratramnus non aliam admittit Euchariſtiæ ſuſceptionem, quam myſticam, quantum ad ſignum ſacramentale ſenſibile, cujus eſt, ipſum Chriſti corpus ſignificare, concedo: quantum ad id quod intus latet, nego. Vel ipſi Auctoris termini iſtam indicant ſolutionem, dum ait: " Accipiatur ergo neceſ-„ ſe eſt ſpiritualiter, quidquid in vino „ de Chriſti ſanguine intimatur. „ Igitur ſignificatur & intimatur ſanguis Chriſti qui realiter eſt in Sacramento, ſicut populus qui realiter exiſtit in mundo, per aquam deſignatur; & in hoc comparatio optima eſt.

Replicant: Ibidem edit. Baſil. anno 1550. pag. 520. alia oritur comparatione, ſcilicet aquæ quam biberunt antiqui Patres in deſerto, & eſcæ quam ſumpſerunt, ut probet corpus Chriſti mere ſpiritualiter ſumi in Euchariſtia. Igitur in ea fuit opinione, quod mere moraliter & metaphorice ibi adſit: " Eſt quidem corpus Chriſti, „ *ait*, ſed non corporale, ſed ſpirituale. „ Eſt ſanguis Chriſti, ſed non corpora-„ lis, ſed ſpiritualis. Nihil igitur hic „ corporaliter, ſed ſpiritualiter ſentien-„ dum .... Unde & Apoſtolus, *inquit*, „ de typo ejus ait, quia Patres noſtri „ eſcam ſpiritualem manducaverunt, & „ potum ſpiritualem biberunt; corpus „ enim Dei, corpus ſpirituale eſt: cor-„ pus Chriſti divini eſt Spiritus. „ Ergo &c. Confirmatur: pag. 524. ait corpus Chriſti eſſe Fideles: " Vos eſtis corpus „ Chriſti & membra ... Hoc autem quod „ ſupra menſam Dominicam poſitum eſt, „ myſterium continet illius, ſicut etiam „ identidem myſterium continet corporis „ populi credentis, Apoſtolo teſtante, „ unus panis, unum corpus multi ſumus in „ Chriſto. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Nihil eſt corporale in Euchariſtia extrinſecus, ut putabant ii quos impugnat Ratramnus, concedo: nam corpus Chriſti eſt ad modum ſpiritus, & ſine extenſione locali in Euchariſtia; nihil corporale realiter, nego. Solutio claret ex duobus momentis; nam poſtquam dixit nihil eſſe corporale, hoc eſt ſenſibile, ibi agnoſcendum, ſubdit: " Corpus Chriſti eſt, ſed non corporali-„ ter; & ſanguis Chriſti eſt, ſed non cor-„ poraliter: „ modo ſcilicet circumſcriptivo; eo quippe loci per vocem *corporaliter*, intelligit, ſenſibiliter. Alterum notatu dignum illud eſt, , quod aqua, quam biberunt Patres antiqui, & eſca quam manducaverunt, fuerint typus Euchariſtiæ typus autem & figura ad veritatem terminantur.

Ad confirmationem diſtinguo: Et eo loci loquitur de corpore myſtico Chriſti, concedo: de Euchariſtia, ſubdiſtinguo: quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego. Quod loquatur de corpore myſtico, quod eſt Eccleſia, indicant voces & termini: corpus quidem eatenus ſignificatur per Euchariſtiam, quatenus ejus materia ſignificat unitatem populi cum Chriſto, panis ſcilicet qui ex multis granis, vinum vero ex multis botris confluit.

Inſiſtes: Pergit Ratramnus, & hæc ſubdit: " Monſtratum eſt quod panis qui „ corpus Chriſti, & calix qui ſanguis „ Chriſti appellatur, figura ſit. Ergo „ &c. „

Reſpondeo diſtinguendo: Figura ſit Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis, concedo: vacua figura excludens realitatem, nego. Ratramnus eſt ſui ipſius interpres: namque poſt iſta verba, *figura ſit*, ſubjicit: " Quia myſterium, & quod non „ parva differentia ſit inter corpus quod „ per myſterium exiſtit, & corpus quod „ paſſum eſt, & ſepultum, & reſurre-„ xit. „ Audis ex Ratramno idem eſſe corpus Euchariſticum & paſſum, nec aliam eſſe, niſi penes exiſtendi modum, differentiam.

Dices: Liber Ratramni juſſu Clementis VIII. Papæ in Indice librorum prohibitorum repoſitus eſt. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Repoſitus eſt propter duriores locutiones, quæ poſſunt ſimplicioribus ſcandalum eſſe, concedo: abſolute propter errores, nego. Solemne fuit a multis ſæculis apud Eccleſiam Romanam, libros nedum erroribus ſcatentes, ſed propter duriorem

ſtilum

ſtylum errorem ſpirantes, prohibere, ut conſulatur ſimplicium ſaluti.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Liber Ratramni non adverſatur præſentiæ reali.

PRIMO: Quia conſentit dicenti corpus & ſanguinem Chriſti vere & realiter eſſe in Euchariſtia, tametſi exiſtendi modus ignoretur.

Secundo: Verbis expreſſis in ſuo libro ait, utrumque ibi exiſtere per omnipotentiam Dei.

Tertio: Ibidem concludit ex omnibus quæ de hoc momento ſcripſit, corpus Chriſti ore Fidelium percipi.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Dicit quidem Ratramnus Chriſtum nervos & oſſa non habere in auguſtiſſimo Altaris Sacramento, ſed intelligit oſſa ſenſibilia.

Secundo: Nec a realitate præſentiæ diſcedit, cum inſtituit comparationem inter Euchariſtiam & manna, cum eſcam Patrum veteris legis typum eſſe Euchariſtiæ aſſerat; typus autem ad veritatem terminatur; unde comparatio in eo ſolum reponitur, quod eadem ſit & veteris & novæ legis, quantum ad ſignificationem, nuſquam vero quantum ad realitatem, quod eadem ſit quodammodo etiam myſtice, quatenus corpus Chriſti & realiter & ſpiritualiter ſimul ſumitur, in quantum ſolis fidei oculis ibi videatur. Hoc unum intendit auctor contra eos qui aſſerere non dubitabant, corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia ſub velamine.

Tertio: Eſto quod Ratramnus vocet Euchariſtiam typum, ſed intellige paſſionis Chriſti, vel etiam ſignum ſenſibile Chriſti realiter exiſtentis, & latentis in Euchariſtia.

PUNTUM QUINTUM.

Num fides de præſentia reali ſuum a ſæculo nono ducat initium, ut garriunt Proteſtantes.

PASCHASIUS Radbertus, Corbejenſis Abbas, ita clare præſentiam Chriſti in Euchariſtia realem in ſuo de corpore & ſanguine Domini libro & explicavit & probavit, ut Proteſtantes ad tantam auctoritatem evacuandam nihil non tentaverint. Ex Lutheranis Hiobus Gaſtus Hagenoenſis, tanti Abbatis librum anno 1528. vulgavit, ſed integris capitibus expunctis, verbis fallacibus ſubornatis & intruſis, quibus Paſchaſium in ſuas partes trahere enititur. Ex Calviniſtis vero Albertinus, De la Roch, & Claudius tanto pondere oppreſſi, ut ſeſe ab hac auctoritate expediant, opponunt ei Rabanum Maurum, Amalarium, Herigerum, Ratramnum, Joannem Scotum Erigenam; ſed ſi iſtum propter errores non ſemel proſcriptum excipias, ceteri doctrinæ Paſchaſii, ut ex dictis liquet, conſentiunt. Sit igitur

CONCLUSIO.

Fides de præſentia reali Domini in Euchariſtia eſt Chriſtianiſmo coæva.

Probatur ex teſtimoniis Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis, quæ, iſta per Apoſtolos ſemel accepta fide, in ea ad hæc uſque tempora perſeveravit.

§. I.

Eccleſia Occidentalis a primo ſæculo ad octavum uſque pro præſentia reali teſtimonia.

EX PRIMO SÆCULO: Habemus Apoſtolos Eccleſiæ Romanæ principes, qui ſanctum Petrum habentes caput, non aliam fidem quam eam quæ nomine omnium confeſſus eſt, habebant, ut legitur Matt. 16. *Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Ab eo eam fidem audire voluit ſanctus Paulus, ut primum ad Chriſtum converſus fuit; ait enim Gal. 1. *Cum autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi carni & ſanguini; neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abii in Arabiam, & iterum reverſus*

reverſus ſum Damaſcum. Deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Jam audiſtis quænam fuerit fides ſancti Petri de Euchariſtia ex ore Beati Pauli; nam 1. Cor. 11. ait quod Chriſtus inter cœnandum accipiens panem, dixerit Diſcipulis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, *&c.* Si idem corpus quod crucifixum eſt, dubio-procul non inanis & vacua figura.

Non injucundum erit hic texere de Euchariſtia profeſſionem quam ſanctus Andreas, germanus Petri & in fide ſocius, emiſit, qualis legitur in libro ejus Paſſionis, quem Bellarminus Libro 2. de Euchariſtia caput 1. ut genuinum habet iis ductus rationibus: 1. Quia nullus ad hæc uſque tempora in dubium revocavit. 2. Quia genus paſſionis Apoſtoli, & iſta ejus verba, *Salve ſancta crux*, in tota Eccleſia celeberrima ſunt. Petrus Damianus Sermone 2. de ſancto Andrea, ſuum addit libro laudato calculum, eumque multi facere aſſerit, eo quod teſtes martyrii Apoſtoli ſcripſerint. 3. Joannes a Lovanio in ſua cenſura de paſſionibus Sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani, hunc librum omnibus modis legendum cenſet. Idem indicavit graviſſimus Aloyſius Lipomanus, qui ex probatis Auctoribus vitas Sanctorum deſcripſit. In eo autem libro hæc reſpondiſſe Ægeæ ſciſcitanti videmus, & claret quænam foret Apoſtoli religio: *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie ſacrifico ..... qui cum ſit vere ſacrificatus, & vere a populo carnes ejus manducata, integer perſeverat & vivus*; ſubdit Bellarminius pag. 550. " In quibus ver-,, bis illud, *vere manducata*, excludit man-,, ducationem in ſolo ſigno & ſpiritu.,,

Ex ſecundo Sæculo: Sanctus Pius I. Papa, qui gravem imponit pœnam ei, cujus negligentia aliquid pretioſi ſanguinis in terram deciderit, juſſitque locum & lambi, radi, &c. Ita Gratianus de Conſecr. diſt. 1. Can. *Si per negligentiam*. Et legitur Libro 1. Decreti Ivonis, & Libro 6. Burckchardi. Excidit quidem Epiſtola, ſed Bellarminus hic Lib. 2. de Euchariſt. cap. 5. pag. 551. ut genuinam habet, nedum propter auctoritatem Gratiani, Ivonis & Burckchardi, verum etiam quia ſimile præceptum propter reverentiam erga corpus Chriſti realiter in ſanctiſſimo Altaris ſacramento exiſtens, legitur in Tertulliano, Origene & ſancto Cyrillo Jeroſolymitano.

Ex tertio Sæculo: Jamjam audivimus Tertullianum & Cyprianum. Celeberrimum eſt iſtud prioris oraculum Libro de reſurr. carn. " Caro corpore & ſanguine ,, Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſa-,, ginetur.,, Nec minus iſtud aliud ſancti Cypriani L. 2. Epiſt. ad Cæcilium: " Vi-,, demus in aqua populum intelligi, in vi-,, no vero oſtendi ſanguinem Chriſti.

Ex quarto Sæculo: Optatus Milevitanus Lib. 4. contra Parmenianum, eamdem celebrat veritatem. " Quid eſt, *inquit*, Al-,, tare, niſi ſedes corporis & ſanguinis ,, Chriſti? ..... Quid vos offenderat. ,, Chriſtus, cujus illic per certa momen-,, ta corpus & ſanguis habitabat,,, Mitto ejuſdem ævi Hilarium, qui L. 8. de Trin. eamdem propugnat veritatem, Ambroſium qui in libris de Sacramentis idem profitetur.

Ex quinto Sæculo: Audiſtis Hieronymum, Auguſtinum, quorum mentem fuſo calamo non ſemel expoſuimus. His accedit S. Leo Magnus, qui in ſua ad Clerum & Plebem Conſtantinopolitanam Epiſtola ſic loquitur: " In quo hactenus ,, deſidiæ torpore jacuere, ut nec audi-,, tu diſcerent, vel lectione cognoſcerent, ,, quod in Eccleſia Dei in omnium ore ,, conſonum eſt, ut nec ab infantium lin-,, guis veritas corporis & ſanguinis Chri-,, ſti inter communionis Sacramenta ta-,, ceatur? Quia in illa myſtica diſtribu-,, tione ſpiritualis alimoniæ hoc imperti-,, tur, hoc ſumitur; ut accipientes virtu-,, tem cœleſtis cibi, in carnem ipſius, qui ,, caro noſtra factus eſt, tranſeamus.,,

Non omittendus Gaudentius, qui Tract. de Exodo hæc fatur: " Ipſe naturarum ,, creator & Dominus, qui producit de ,, terra panem, de pane rurſus, quia & ,, poteſt, & promiſit, efficit proprium ,, corpus; & qui de aqua vinum fecit, & ,, de vino ſanguinem ſuum.,,

Ex ſexto & ſeptimo Sæculo ſe prodit Gregorius Magnus Papa, qui floruit in utraque ætate; Hom. 22. in Evangelio ait: " Quid ſit ſanguis Agni, non tam audien-,, do, ſed bibendo didiciſtis.,, Rurſus Libro 4. Dialogo caput 58. " Quis Fi-,, delium habere dubium poſſit, in ipſa

,, immo-

„ immolationis hora ad Sacerdotis vocem „ cęlos aperiri, in illo Jeſu Chriſti my„ ſterio Angelorum choros adeſſe, ſum„ mis ima ſociari? „ Sed quod omnium Calviniſtarum os occludit, veritatem præſentiæ realis magno conſignavit miraculo: nam teſte Paulo Diacono L. 2. vitæ ſancti Gregorii cap. 41. mulierem de veritate carnis Domini in Euchariſtia dubitatem ſic allocutus eſt: “ Diſce veritati, vel modo „ etiam conteſtanti credere; panis quem „ ego dabo, caro mea eſt, & ſanguis meus „ vere eſt potus. „

Ex octavo Sæculo: Laudari poteſt ex Latinis Auctoribus Paulus Diaconus, qui Lib. 2. de vita ſancti Gregorii Magni c. 41. hæc de ſancto Præſule ſcribit: “ Præ„ ſcius conditor noſter infirmitatis no„ ſtræ, ea poteſtate qua cuncta fecit ex „ nihilo, & corpus ſibi ex carne ſemper „ Virginis Mariæ, operante ſancto Spiri„ tu, fabricavit, panem & vinum aqua „ mixtum, manente propria ſpecie, in „ carnem & ſanguinem ſuum, ad Catho„ licam pacem, ob reparationem noſtram, „ ſpiritus ſui ſanctificatione, convertit. „ Ex quo teſtimonio liquet eamdem de præſentia reali fidem perſeveraſſe ſeptimo & octavo ſæculo; cum Paulus qui floruit nona ætate, ea de ſancto Gregorio, qui vixit ſexto & ſeptimo ſæculo referat.

§. II.

Fides Eccleſiæ Occidentalis de præſentia reali nono Sæculo refertur.

AGMEN ducet inter hujuſce fidei præcones, Nicolaus I. Papa, de Altari ſcribens Epiſt. 2. ubi: “ Panis qui ſuper „ eum offertur, panis eſt quidem commu„ nis, ſed quando ipſe Sacramento ſacra„ tus fuerit, corpus Chriſti in veritate „ fit & dicitur; ſic & vinum poſt ſancti„ ficationem ſpiritus, ſanguis Chriſti ef„ ficitur. „

Eamdem tenuere præſentiam Patres Concilii Pariſienſis an. 846. habiti, quippe qui laudent Paſchaſium propter ſuam mirabilem de præſentia reali doctrinam, & in ejus gratiam quædam Monaſterio Corbejenſi conceſſerint privilegia. Tantæ veritati faveat Petrus Siculus, qui florebat anno 870. in tractatu edito in Bibliotheca Patrum Colonienſi & Lugdunenſi. Inter errores Manichæorum a Paulinianis ſeptimo ſæculo renovatos, ait iſtos Hæreſiarchas in eo potiſſimum cæcutire: “ Quod e ſacris myſteriis divinam & tre„ mendam corporis & ſanguinis Domini „ noſtri Jeſu Chriſti converſionem negent. „ His accedunt Hincmarus Lib. de Præd. Sanct. caput 31. Anaſtaſius Bibliothecarius, in vita Nicolai I. Walafridus Strabo Lib. de rebus Eccleſiaſticis caput 17. Paulus Diaconus, in libro de vita ſancti Gregorii. Haimo Halberſtantenſis Epiſcopus in tractatu de corpore & ſanguine Domini. Angelomus Ordin. Bened. Monachus, Comment. in caput 6. Libro 1. Reg. Remigius Antiſiodorenſis Monachus, in expoſitione Miſſæ. Amalarius L. 3. de Eccleſiaſticis officiis caput 14. Florus Diaconus Lugdunenſis, opuſculo de actione Miſſarum. Homiliarium MS. Eccleſiæ Lugdunenſis, in expoſitione Epiſtolæ in cœna Domini. Milo Elnonenſis Monachus, Libro de ſobrietate. Chriſtianus Brutmarus Comment. in Matt. explicans enim illa Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſubdit: “ Id eſt, in Sacra„ mento vere ſubſiſtens. „

Eidem aſtipulantur veritati Liturgiæ, quibus Eccleſia Latina VII. VIII. IX. & X. ſæculo utebatur. Celeberrima eſt iſta poſt conſecrationem oratio, quæ in ordine Romano, vel ab ipſo tempore Pipini Caroli Magni Patris, frequentatur: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus Angeli tui in ſublime Altare tuum, ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur.*

Non omittenda Liturgia Mathiæ Flavi Illyrici centuriatorum & rigidorum Lutheranorum principis, quam ex vetuſto codice MS. typis mandavit Argentinæ anno 1557. In ea Euchariſtiam ſemper vocat, *corpus Jeſu Criſti*. Et vero Sacerdos Euchariſtiam ſumens dicebat: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit mibi remedium ſempiternum in vitam æternam, Amen. Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat me in vitam æternam.*

Præſentia realis utique celebratur in Miſſali MS. Vaticanæ Bibliothecæ ante annos 900. exarato. Illius meminit Cardinalis Bona Lib. 1. rerum Liturgicarum. Item

Digitized by Google

Item in Miſſali Gotthico-Gallicano, quod VIII. ſæculo exaratum creditur, & quidem optimæ notæ, a Thomaſio & Mabillonio juris publici factum. Varias autem complectitur Miſſas, in quibus clare admodum exhibetur præſentia realis, ſicut & in Miſſali Mozarabico MS. Biblioth. ſanctæ Genovefæ Pariſ. Ergo &c.

§. III.

Eadem floruit fides in Eccleſia Occidentali ætate decima, nec tunc fuit, ut garriunt hæreſeos Miniſtri, extincta.

POST perennem a Chriſto ad decimam uſque ætatem de præſentia reali corporis Chriſti in ſanctiſſimo Altaris Sacramento, fluxum & refluxum, Albertinus, Claudius, & quidam alii Calviniſtæ, illam fidem ſub finem decimi ſæculi non viguiſſe comminiſcuntur. Tametſi priorum ſæculorum teſtimonia omni ſane exceptione digna ſufficiant, ut quiſque cordatus intelligat hanc ſuavem & mirabilem doctrinam, non alium quam Chriſtum habere Auctorem; cum juxta iſtam ſancti Auguſtini regulam, dogma, cujus non invenitur initium, a Salvatore per Apoſtolos ad nos uſque tranſmiſſum fuiſſe conſtet; ad abundantiam tamen juris, & exaltationem amoris Chriſti erga nos ex præſentia reali demonſtrati, abſque negotio oſtendimus fidem præſentiæ realis decimo ſæculo non ceſſaſſe: & hoc multis argumentis.

Primo: Licet in Oriente, Ægypto, Africa, Mahumetiſmus invaluerit, non inde ſequitur Chriſti religionem non eſſe veram, ea dubio-procul ratione, quod quatuor primorum ſæculorum calculo munita ſit, quod dilucide ſuam divinam inſtitutionem oſtendit; hinc dato & non conceſſo, quod fides præſentiæ realis malorum hominum molitione exciderit in multis orbis terrarum vaſtiſſimis regionibus, non inde ſequitur dogma præſentiæ mere eſſe humanum, maxime cum vel ipſe Calvinus lib. 4. inſtit. ∫. 8. aſſerat ſe recipere quatuor priora Concilia generalia veluti ſanam & Catholicam continentia doctrinam. Porro præſentiam realem non uno ſolum commemoratam fuiſſe infra docebimus.

Secundo: Iſtam doctrinam ex ore Apoſtolorum per Patres, ut oſtenſum eſt, accepimus, omneſque unius eſſe circa iſtud momentum labii, nemo legens non videbit.

Tertio: Vana eſt Heterodoxorum gloriatio, dum fidem præſentiæ realis confugiendo ad ſilentium auctorum decimi ſæculi temerare auſi ſunt; nam argumentum negativum non ponderat in duobus caſibus; primo quidem, cum punctum controverſiæ perenni & veteri traditione innititur: Secundo, quando aliquam ſilentes veritatem, nihil quod ei adverſetur proferunt: certum eſt autem doctrinam præſentiæ realis novem priorum ſæculorum calculo eſſe roboratam: Nec minus claret, a nullo ætate decima fuiſſe impugnatam.

Quarto tandem, falſiſſimum eſt fidem præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia non floruiſſe decimo ſæculo. Et probatur multis teſtimoniis.

Hanc fidem tenuit Odo Abbas Cluniacenſis; ſic enim loquitur Lib. 2. collationum ſuarum: " Qui ſacro-ſanctum My„ ſterium Dominici corporis temerare „ præſumunt. " graviſſimum committunt peccatum. Immo L. 1. cap. 21. laudato libro Paſchaſii de corpore & ſanguine Domini, ait: " Per manus juſti aut in„ juſti Sacerdotis oblationem conſecrat ip„ ſe Chriſtus, & ſicut Joannes in ho„ milia de proditione Judæ diſſeruit, „ nunc ipſe Chriſtus præſto eſt, & non „ ipſe, Sacerdos corpus Chriſti conſecrat, „ ſed ipſe Chriſtus per ipſum. „

Suffragatur S. Odilo in vita ſanctæ Adelaidis Imperatricis, ubi de ea hæc memoranda ſcribit: " Tum ſacri olei unctione „ perancta, Sacramentum Dominici cor„ poris humiliter & devotiſſime adoran„ do percepit. " Concinunt antiquæ conſuetudines Monaſterii Cluniacenſis, Herigerus Abbas Laubienſis in libro de corpore & ſanguine Domini, Ratherius Epiſcopus Veronenſis in ſua ad Patricum Sacerdotem Epiſtola, ubi eum ſic alloquitur: " Sed forte tranſitorie accipis, aut „ etiam figurate te dicere ipſe putas, „ dum accipienti loqueris: *Corpus Domi„ ni noſtri Jeſu Chriſti propitietur tibi in „ vitam æternam*. Quod ſi ita eſt, cæci„ tas tui intellectus magis eſt dolenda, „ & inſtruenda, quam miranda & irriden„ da.

„ da. Quia ſicut in Cana Galilææ vinum „ Dei imperio verum & non figurativum „ fuit ex aqua factum, ita iſtud Dei be- „ nedictione vinum, verus & non figura- „ tivus efficitur ſanguis, & caro panis. „ Si quando vero dicat inexcogitabile eſſe quomodo impius manducet corpus Domini, citra dubium eſt, in hoc illum Abbatem fidem præſentiæ realis non tentare, ſed perſpicuum eſt ex antecedentibus & conſequentibus, eum loqui de effectu quem non recipit; hinc perinde eſt illi ac ſi Euchariſtiam non reciperet, cum nedum vitam, verum potius judicium manducet, ut liquet de Judæ proditione, qui ſcribendi modus ſolemnis eſt apud auctores, qui de præſentia reali libros compoſuerunt. Eidem ſubſcribit fidei Dunſtanus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ut refert Osbertus in ejus vita.

Quinto: Judicium de fide decimæ ætatis circa Euchariſtiam repetendum eſt, nedum ex his ſæculis quæ illum præceſſere, & ex Scriptoribus tali ſæculo coævis, verum etiam ex actitatis in materia fidei, labente decima ætate, & undecima inchoante: Atqui luce meridiana clarius apparet dogma præſentiæ realis intactum permanſiſſe ſub finem decimi ſæculi, & undecimo incipiente. Igitur incaſſum Proteſtantes fidem præſentiæ realis decimo ſæculo extinctam fuiſſe comminiſcuntur. Probatur minor.

Ut primum Berengarius novitate doctrinæ præſentiam realem temerare cœpit, & Theologi Doctores, & Concilia, & Summi Pontifices illum ſtylo ſuo cenſorio perſtringere non ceſſarunt, donec ad meliorem reverſus frugem, ſuos ejuraret errores. Quot impugnatores habuerit diximus in hiſtoria critica Proteſtantium, & iterum fuſiori calamo referemus infra. Unum præ oculis habendum & nuſquam oblivioni tradendum eſt, quod univerſa ferme Eccleſia adverſus Berengarium inſurgens, nullum ipſe habuerit tunc temporis ſuæ hæreſis patronum. Igitur fides de præſentia reali intacta permanſit, vel ipſo labente decimo ſæculo, & inchoante undecimo.

Ex eodem ſæculo habemus alia multa pro præſentia reali ſuffragia. Dunſtanus Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus eam propugnavit. Hæc in ejus vita de eo ſcribit Osbertus: " Reverſus, *ait*, ad altare panem & vinum in corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti immaculata benedictione convertit. „

Celeberrimum eſt quod accepit Willelmus Melmesburienſis ex vita Odonis ab auctore pervetuſto ſcripta, cujus iſtud fragmentum refert Mabillonius in Diſquiſitione de confeſſione fidei ſub Alcuini nomine edita, hom. 1. veterum Analectorum pag. 207. " Quidam Clerici maligno „ auctore ſeducti aſſeverare conabantur, „ panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem in priori „ ſubſtantia permanere, & figuram tantummodo eſſe corporis & ſanguinis „ Chriſti, non verum Chriſti corpus & „ ſanguinem. Quorum erroneam perfidiam B. Odo deſtruere cupiens, dum „ quadam die in conſpectu totius populi „ ſacro-ſanctis Miſſarum ſolemniis devotus intenderet, expreſſis lacrymis Dei „ omnipotentis potentiam in ſuo miniſterio adfore poſtulavit, quæ ad depellendos hominum errores, ſubſtantivam divinorum Myſteriorum declararet proprietatem. Cumque ad confractionem „ vivifici panis ventum fuiſſet, confeſtim „ inter manus Pontificis, fragmenta corporis Chriſti tenentis, ſanguis guttatim defluere cœpit. „

Continunt S. Bonifacius Ruſſorum Apoſtolus & Martyr, Hogerus ambo Hamburgenſium Archiepiſcopi. S. Adelbertus Pragenſis Archiepiſcopus Hungarorum, Pruſſorum, & Lituanenſium Apoſtolus, quos omnes fidei præſentiæ realis adhæſiſſe ſcribit Adam Bremenſis L. 2. Hiſt. cap. 4. 5. 6. 7. & 8.

§. IV.

Fides de præſentia reali 11. Sæculo adverſus malignantes propugnata in Occidente.

BELLUM præſentiæ reali indixit Berengarius, ſed intacta permanſit & triumphavit. Duobus momentis iſtud oſtendimus caput. Primo quidem demonſtrando iſtud dogma fuiſſe hujuſce ætatis fidem. Secundo Berengarium iteratis anathematibus percuſſum, propter, circa præſentiam realem, errores.

PRI-

PRIMA PARS.

Fides 11. *Sæculi de præſentia reali*.

PRIMUS nobis occurrit Fulbertus Carnotenſis, cujus auditor fuerat Berengarius. Ille in ſua prima ad Adeodatum Epiſtola ait: " Tria nobis ſunt ad profectum Chri-„ ſtianæ religionis propoſita, ſed ad „ conſummatam juſtitiam perinde neceſ-„ ſaria, ut in his tota humanæ ſalutis „ ſumma conſiſtat. Horum primum eſt in-„ telligere, & firmiter tenere Myſterium „ Trinitatis, & unius veritatem Deitatis. „ Secundum ſalutaris Baptiſmi rationem „ noſſe vel cauſam. Tertium, in quo duo „ vitæ Sacramenta, id eſt Dominici cor-„ poris & ſanguinis continentur. „

Eamdem profitetur fidem Adelmannus Scholaſticus Epiſt. ad Berengarium, cum quo ſub S. Fulberti diſciplina ſacris Litteris ſtuduerat, quem ſic alloquitur: " Ecce „ ſcandalum ... quaſi te ab unitate ſan-„ ctæ Matris Eccleſiæ divulſeris, & de „ corpore & ſanguine Domini, quod quo-„ tidie in univerſa terra ſuper ſanctum al-„ tare immolatur, aliter quam fides ca-„ tholica teneat ſentire videaris. „

Tantæ fidei ſubſcribit Hugo Lingonenſis Epiſcopus Epiſt. ad eumdem Hæreſiarcham: " Dicis, *ait ad Berengarium*, in „ hujuſmodi Sacramento corpus Chriſti „ ſic eſſe, ut panis & vini natura & eſſen-„ tia non mutetur: corpuſque quod di-„ xeras crucifixum, intellectuale conſti-„ tuis. In quo evidentiſſime patet quod in-„ corporeum confiteris. Qua in re univer-„ ſalem Eccleſiam ſcandalizas, ipſumque „ tuum offendis auctorem ... Sicut enim „ non capis quomodo Verbum caro factum „ eſt, ſic non poteſt capere quomodo pa-„ nis iſte mutetur in carnem, & vinum „ in ſanguinem transformetur, niſi te do-„ cuerit omnipotentiæ fides. „

Ejuſdem eſt Labii Deoduinus in ſua ad Henricum I. Galliarum Regem Chriſtianiſſimum directa Epiſtola: " Fama, *in-„ quit*, ſupremos Galliæ fines prætergreſ-„ ſa totam Germaniam pervaſit, jamque „ omnium noſtrum replevit aures, qua-„ liter Bruno Andegavenſis Epiſcopus, „ item Berengarius Turonenſis, antiquas „ hæreſes modernis temporibus introdu-„ cendo, adſtruant corpus Domini non tam „ corpus eſſe, quam umbram & figuram. „

Eumdem adverſus Berengarium & ejus aſſeclas ſermonem tenet Gozechinus Scholaſticus Moguntinus Epiſt. ad Valcherum Scholaſticum Leodienſem, in qua eos vocat Pſeudo-Magiſtros. Eumdem Durandus Troarnenſis Abbas L. de corpore & ſanguine Domini, parte 2. his verbis: " Abſit autem ut tam perverſis, & a „ veritate ipſa tantum averſis, pari jun-„ gamur perfidia, atque in ſancta Domi-„ nici corporis ac ſanguinis communione „ minus aliquid fateamur, quam catho-„ lica per univerſum orbem prædicat Ec-„ cleſia. In qua revera tam vera Chriſti „ caro, veruſque ſanguis extitit, quam ve-„ rax eſſe ipſe Chriſtus probatur, qui ea „ prior ſanctificavit, ſuiſque demum au-„ ctoritatem formamque ſanctificandi ſua „ poteſtate conceſſit. „

Eumdem Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus L. 3. de Euch. ubi multis argumentis irrefragabilibus demonſtrat Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia præſentem.

Inter omnes præſentiæ realis defenſores eminet Lanfrancus, qui ex profeſſo & hanc propugnat fidem, & Berengarium illam temerantem debellat L. de corp. & ſang. Dom. Heterodoxum cap. 22. ſic alloquitur: " Si verum eſt, quod de cor-„ pore Chriſti tu credis & adſtruis, falſum „ eſt quod ab Eccleſia ubique gentium de „ eadem re creditur, & adſtruitur. Om-„ nes enim qui Chriſtianos ſe & eſſe & „ dici lætantur, veram Chriſti carnem, „ verumque ejus ſanguinem, utraque ſum-„ pta de Virgine, in hoc Sacramento ſe „ percipere gloriantur. „

Anſelmus pro eodem dogmate audiendus eſt. Comment. in cap. 11. 1. ad Corinth. exponens illa verba, *Hoc eſt corpus meum : manducate &c.* ait: " Quod tri-„ buo, quia hoc eſt corpus meum. Senſi-„ bus quidem exterioribus videtur eſſe pa-„ nis, ſed ſenſibus cognoſcite mentis, quia „ hoc eſt corpus meum, non aliud, ſed „ idem ſubſtantialiter quod pro vobis re-„ dimendis tradetur ad mortem. „ Idem dicit Oecumenicus Comment. in eamdem Scripturam.

Digitized by Google

ALTERA PARS.

Berengarius ſcriptis & anathematibus propter ſuos circa præſentiam realem errores profligatus.

Ex dictis conſtat innumeros prope auctores ſuum acuiſſe calamum contra Berengarium ejuſque aſſeclas præſentiam realem abnegantes. Sufficit nunc definitiones Conciliorum pro iſto momento promere, in quibus duo habemus, videlicet Eccleſiam Occidentalem ſicut prioribus nominis Chriſtiani ſæculis, ſic & undecima ætate fidem tenuiſſe; deinde vero eam abnegantes damnaſſe.

In Concilio Romano ſub Leone IX. primum proſcripta eſt illa Hær. anno 1050. ut teſtatur Hermannus in chronica, ubi præfuit SS. Pontifex; lecta enim Berengarii Epiſt. ejus error proſcriptus fuit, ipſe vero communione privatus: Tum & purgatus Lanfrancus, qui propter Epiſtolam ad Berengarium ſcriptam, in ſuſpicionem hæreſeos venerat. Hujuſce Concilii hiſtoria legitur in libro de corp. & ſang. Dom. ab ipſo Lanfranco conſcripto cap. 4. ſed relapſus Berengarius anathemate iterum percuſſus eſt, & in pleniore Synodo Romana damnatus legitur. De iſta Synodo Anonymus Chiffletianus in opuſculo de multiplici Berengarii damnatione commemoratis ejus erroribus hæc ſcribit: " S. Leo Papa IX. eamdem hæreſim ſuo tempore ad Apoſtolicam Sedem per Litteras ipſius Berengarii delatam, generalis Synodi judicio diligentius ventilavit, & ventilatam Synodali judicio damnavit. Ipſum quoque Berengarium communione Eccleſiæ privavit, quam ipſe Dominici corporis & ſanguinis communione ſuis aſſertionibus voluit privare. ,,

Quia vero iterum atque iterum ex novis Berengarii ſcriptis & ſermonibus invaleſcebat error, indicta eſt Vercellis Leone IX. clavum Eccleſiæ adhuc tenente, Synodus Kalendis Septembris ann. 1050. ut conſtat ex Epiſtola 12. ejuſdem Papæ ad Britanniæ Principem data. Ad iſtud Concilium Hæreſiarcha duos miſit Clericos erroris ſui fautores. In ea rurſus ejus error damnatus eſt. Tum Joannis Scoti liber de Euchariſtia, quem patronum habere gloriabatur, etiam proſcriptus legitur. Lanfrancus Lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 4. idem Concilium commemorat, ſicut & Guitmundus initio libri primi.

Henricus I. certior factus de contumacia Berengarii, cum ad judicium Vercellenſe in Galliis non compareret, Synodum voluit Pariſiis XVII. Kalendas Novembris ann. 1050. adunari, ubi lectis Berengarii Epiſtolis, ipſe proſcripus eſt: " Harum lectio Litterarum, *ait Durandus Troarnenſis Abbas l. de corp. & ſang. Dom. parte* 9. quoniam nequiſſima ſordebant hæreſi, vehementer diſplicuit, damnato proinde communi ſententia talium auctore, damnatis ejus complicibus, cum codice Joannis Scoti, ex quo ea quæ damnabantur, ſumpta videbantur: Concilio ſoluto diſceſſum eſt, ea conditione ut niſi reſipiſceret ejuſmodi perverſitatis auctor, cum ſequacibus ſuis, ab omni exercitu Francorum præeuntibus Clericis cum Eccleſiaſtico apparatu, inſtanter quæſiti, ubicumque conveniſſent, eo uſque obſiderentur, donec aut conſentirent catholicæ fidei, aut mortis pęnam luituri caperentur. ,,

Ecce adhuc poſt tam celebres erroris damnationes contumacia. Ergo Nicolaus II. SS. Pontifex novam Romæ celebrandam indixit Synodum, in qua quidem Berengarius præſens, ſuos ejuravit errores, tum librum Joannis Scoti, ex quo peſtifera hæreſeos ſemina hauſerat, in ignem conjecit. Lanfrancus L. de corp. & ſang. Dom. cap. 1. In eodem Concilio fidei profeſſionem emiſit Berengarius, quam refert Lanfrancus ibidem cap. 2. Algerus L. 2. cap. 39.

Berengarius ſpretis SS. Pontificum monitis non ſtetit promiſſis; hinc iterum atque iterum damnatus eſt. I. in Concilio Rothomagenſi ann. 1053. Præſide Maurilio hujus Sedis Archipræſule, & præſente Warillelmo Normannorum Duce, ut ſcribit Mabillonius Tom. 2. *veterum Analectorum*. Tum in aliis duabus Romæ habitis Synodis ſub Gregorio VII. Prior ann. 1078. Mabillonius ibidem pag. 487. Poſterior ann. 1079. adunata. Proſcriptus eſt etiam in Concilio Pictavienſi ann. 1075. Idibus Januarii Gregorio VII. SS. Pontifice, Præſide vero Girando Epiſcopo Engoliſmenſi ejus Legato, P. Alex. Diſſ. 1. ſæcu-

Digitized by Google

1. ſæculi undecimi, art. 16. pag. 673. clarius Florianenſis Monachus in chronico S. *Petri Vivi* ad ann. 1083. ſcribit Berengarium pœnitentem, & catholicum obiiſſe.

§. X.

Ab II. Sæculo ad noſtrum uſque fides de præſentia reali floruit, & perſeveravit in Occidente.

Ex Sæculo 12. habemus S. Bernardum, qui hæc ſcribit in vita S. Malachiæ: " Fuit quidam Clericus, probabilis, ut „ fertur, vitæ, ſed fidei non ita. Is ſcio„ lus in oculis ſuis præſumpſit dicere, „ in Euchariſtia eſſe tantummodo Sacra„ mentum, & non rem Sacramenti, id „ eſt, ſolam ſanctificationem, & non cor„ poris veritatem. „ Obſerves, velim, iſtum incredulum a S. Bernardo increpari quod fidem præſentiæ realis tentaret.

Rurſus & expreſſius Serm. in cœna Dom. Tom. 2. pag. 388. vet. edit. ait: "Chri„ ſtus enim pridie quam pateretur, Di„ ſcipulis ſuis hujus Sacramenti formam „ præſcripſit, efficaciam exhibuit ..... „ De pane ita dicens: Accipite & co„ medite: Hoc eſt corpus meum. De vi„ no etiam ſic: Bibite ex hoc omnes: „ Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis „ effundetur in remiſſionem peccatorum „ .... Chriſtus in cœna illa munerans & „ munus, cibans & cibus, conviva & „ convivium, offerens & oblatio. "

Decima tertia nominis Chriſtiani ætate magni ſancti Doctores, ut S. Thomas, & S. Bonaventura de præſentia reali mira dixere & probavere; in primis ille 3. p. hic ex profeſſo tota quæſtione ſeptuageſima quinta. In opuſculo ſpeciali de eodem Sacramento, ſe maxime in celeberrima proſa, quæ in Miſſa corporis Chriſti in omnibus Occidentis Eccleſiis ſolemniter decantatur. Tum a ſancto Doctore ad noſtra uſque tempora cuncti Theologi in ſuis viciſſim tractatibus pro virili de hac fide ſcripſerunt.

Iſtam de præſentia reali perpetuitatem abſolvimus trium Conciliorum definitionibus. Prima eſt definitio fidei Concilii IV. Lateranenſis, in qua quidem Patres, expletis quæ Myſterium Trinitatis & Incarnationis ſpectant, de Euchariſtia ſic loquuntur: " Una vero eſt Fidelium uni„ verſalis Eccleſia, extra quam nullus „ omnino ſalvatur. In qua quidem ipſe „ Sacerdos & ſacrificium Jeſus Chriſtus, „ cujus corpus & ſanguis in Sacramento „ Altaris ſub ſpeciebus panis & vini ve„ raciter continentur, tranſſubſtantiatis „ pane in corpus, & vino in ſanguinem „ poteſtate divina, ut ad perficiendum „ Myſterium unitatis accipiamus ipſi de „ ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. „ Nomine tranſſubſtantiationis utitur Concilium, ne ſuperſit Heterodoxis evadendi locus.

Florentinum ann. 1436. celebratum non ſilet veritatem; nam in decreto unionis & inſtructionis Armenorum Eugenius IV. ſeptem enumerat Sacramenta, & de SS. Altaris Sacramento mentionem faciens, ait: " Divina nutrimur Euchariſtiæ alimonia. „ Si divina alimonia, certe non pane communi.

Tridentinum ann. 1545. adunatum adverſus Proteſtantes, errores Berengarii renovantes, mira fecit, dixitque pro aſtruenda præſentia reali. Seſſ. 13. cap. 1. hæc habet: " Principio docet ſancta Syno„ dus, & aperte ac ſimpliciter profite„ tur, in almo ſanctæ Euchariſtiæ Sacra„ mento poſt panis & vini conſecratio„ nem, Dominum noſtrum Jeſum Chri„ ſtum, verum Deum atque hominem, „ vere, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpe„ cie illarum rerum ſenſibilium contineri. „ Quibus terminis *vere*, *realiter*, *ſubſtantialiter*, omnem reſcindit Hæreticorum æquivocationem, omniaque ſophiſmata: Si enim vere, jam non figurative: ſi realiter, jam non mere myſtice: ſi ſubſtantialiter, jam non per vacuam & inanem repræſentationem corpus & ſanguis Chriſti adſunt ſub ſpeciebus.

Rurſus cap. 3. fidem hanc per partes explicat ſancta Synodus his verbis: " Com„ mune hoc quidem ex ſanctiſſimæ Eu„ chariſtiæ, cum ceteris Sacramentis, „ ſymbolum eſſe rei ſacræ & inviſibilis „ gratiæ formam viſibilem: verum illud „ in ea excellens & ſingulare reperitur, „ quod reliqua Sacramenta tunc primum „ ſanctificandi vim habent, cum quis il„ lis utitur; at in Euchariſtia ipſe ſan„ ctitatis auctor ante uſum, eſt: Nondum „ enim Euchariſtiam de manu Domini „ Apoſtoli ſuſceperant, cum vere tamen

„ ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe quod „ prebebat, & ſemper hæc fides in Ec„ cleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecratio„ nem verum Domini noſtri corpus, ve„ rumque ejus ſanguinem ſub panis & vi„ ni ſpecie una cum ipſius anima & di„ vinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub „ ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpe„ cie ex vi verborum; ipſum autem cor„ pus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub „ ſpecie panis, animamque ſub utraque vi „ naturalis illius connexionis & concomi„ tantiæ, qua partes Chriſti Domini no„ ſtri, qui jam ex mortuis reſurrexit, non „ amplius moriturus, inter ſe copulantur. „ Divinitatem porro propter admirabi„ lem illam ejus cum corpore & anima „ hypoſtaticam unionem. Quapropter ve„ riſſimum eſt, tantumdem ſub alterutra „ ſpecie, atque ſub utraque contineri; to„ tus enim & integer Chriſtus ſub panis „ ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei par„ te, totus item ſub vini ſpecie, & ſub „ ejus partibus exiſtit. „ Eamdem propugnat veritatem c. 4. aſſerens mutationem panis & vini fieri per tranſubſtantiationem, panis quidem in corpus Chriſti, vini vero in ejus ſanguinem.

Ecce quomodo hæc veritas Chriſtianiſmo coęva, tantis argumentis, tamque mirabili perrenitate probata & vulgata eſt, ut illam negare ſit ipſo illuceſcente undequaque ſole cæcutire.

Eccleſia Orientalis, ab ipſo vagiente Chriſtianiſmo, ad nos uſque, pro eadem veritate teſtes irrefragabiles.

QUOD Eccleſia Orientalis ab initio & ſemper una cum Latina tenuit, non debet revocari in dubium, falſas & commentitias novitates ad excuſandas excuſationes in peccatis, illi imputando. Atqui hæc fides a Chriſto per Apoſtolos accepta in Eccleſia Orientali, quidquid oblatrent Proteſtantes, ad noſtra uſque tempora perduravit. Ergo &c. Probatur minor, diſcurrendo per ſecula.

§. I.

Teſtes Eccleſia Orientalis præſentiam realem a primo ſæculo uſque ad nonum conclamantes.

IN prima ætate, præter ſanctum Andream, ſanctum Ignatium Martyrem jam laudatos, occurrit nobis Dionyſius, ſecundum Morinum & alios graviſſimos Auctores Areopagita, qui Libro de cœl. Hier. caput 3. part. 3. hæc de Euchariſtia mirabundus exclamat: " O diviniſſimum & „ ſacro-ſanctum Sacramentum! Obducta „ tibi ſignificantium ſignorum operimen„ ta dignanter aperi, & perſpicue no„ bis fac appareas, noſtroſque ſpiritua„ les oculos ſingulari & aperto tuæ lu„ cis fulgore imple. „ Rurſus ibidem & expreſſius: " Pontifex opertum pa„ nem & individuum aperit, & in fru„ ſta concidit. „ Paulo ante dixerat: " Pontifex, quod hoſtiam ſalutarem quæ „ ſupra ipſum eſt, litet, ſe excuſat ad „ ipſum exclamans, Tu dixiſti: Hoc facite „ &c. „ Subdit Bellarminus hic L. 2. de Euch. c. 3. pag. 553. " Certe purus panis „ non ſupra nos eſt; neque eſſet opus il„ la excuſatione, ſi merum panem tracta„ re deberemus, etiamſi is Chriſtum ſigni„ ficaret: alioqui debuiſſent etiam Aaroni„ ci Sacerdotes ſe excuſare, quod indigni „ eſſent qui tangerent oves & boves, quod „ ridiculum eſt. „

Pro ſecunda ætate teſtes omni exceptione majores, ſunt Juſtinus Apol. 2. Irenæus Lib. 4. contra Hær. cap. 34. & L. 5. cap. 2.

Tertia floruit ætate Origenes, qui eamdem prædicat veritatem Homil. 13. in Exod. Hom. 5. in diverſa Evangelii loca, Homil. 16. in Numeros, Comment. in c. 26. Matth.

Ex quarta nominis Chriſtiani ætate, ſplendida ſunt, quæ Concilium primum generale pro iſto momento dicit. Hæc Nicæna Synodus Can. 18. Euchariſtiam corpus Chriſti appellat. Gelaſius Cyzicenus in Libro de Actis Concilii Nicæni, cujus Photius in Bibliotheca cod. 88. meminit, Diatypoſim de Euchariſtia in eodem Concilio refert, quæ Eccleſiæ doctrinam de reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia mirum in modum confirmat; ſic autem habet illa Diatypoſis Lib. 11. cap. 30. " In divina „ menſa ne humiliter intenti ſimus ad „ propoſitum panem & poculum; ſed „ attollentes mentem fidei, intelligamus „ ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum „ Dei, tollentem peccata mundi, incruen„ te a Sacerdotibus immolatum: & pretio-

„ ſum

„ ſum ipſius corpus & ſanguinem vere „ nos ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ „ reſurrectionis ſymbola: propter hoc enim „ neque multum accipimus ſed parum ut „ ſciamus non ad ſatietatem, ſed ad ſan- „ ctificationem ſumi. „ Bellarminus hic L. 2. de Euch. cap. 10. pag. 587. non abſimili modo hæc verba commemorat, prout ea excerpſit ex Actis quæ extant in Bibliotheca Vaticana.

Sanctus Athanaſius, Alexandri ſucceſſor unus e Nicæni Patribus in Sede Alexandrina, in maiori Oratione de fide, cujus hæc verba profert Theodoretus in Dialogo 2. " Corpus eſt, cui dicit: Sede a „ dextris meis . . . . . per quod corpus „ Pontifex & Apoſtolus fuit & dictus eſt, „ per id quod nobis tradidit myſterium, „ dicens: Hoc eſt corpus meum, quod „ pro vobis frangitur, & ſanguis novi te- „ ſtamenti non veteris, qui pro vobis „ effunditur: Divinitas autem neque cor- „ pus habet, neque ſanguinem habet, ſed „ ille quem ex Maria geſtabat homo. „ Juxta verſionem ejuſdem Bellarmini ibidem cap. 11. pag. 585. ex alia addidimus, *quem ex Maria geſtabat homo*.

Eamdem veritatem confirmat ſanctus Epiphanius, tum in expoſitione fidei, tum in Anacephalæoſi, his verbis. " Ec- „ cleſia tranquillus pacis portus eſt, & „ ſuavitas quædam vitis Cyprum redo- „ lens, & botrum nobis benedictionis „ proferens, necnon & præſentiſſimum il „ lud abſtergendo mœroris potum, merum „ ſcilicet ac verum Chriſti ſanguinem „ quotidie largiens. „ Expreſſius in Anchorato: " Videmus quod accepit Salva- „ tor in manus ſuas, veluti Evangeliſta „ habet, quod ſurrexit a Cœna, & acce- „ pit hæc, & cum gratias egiſſet, dixit, „ Hoc meum eſt, hoc & hoc. Et videmus „ quod non æquale eſt, neque ſimile, non „ imagini in carne, non inviſibili Deitati, „ non lineamentis membrorum; hoc enim „ eſt rotundæ formæ, & inviſibile, quan- „ tum ad potentiam, & voluit per gratiam „ dicere: Hoc meum eſt, hoc & hoc; & „ nemo non fidem habet ſermoni: qui enim „ non credit eſſe ipſum verum, excidit a „ gratia & ſalute. „

Inſigne eſt teſtimonium ſancti Ephræm Lib. de natura Dei minime ſcrutanda cap. 5. " Hoc ſane, *inquit*, excedit om- „ nem admirationem, omnem mentem, „ omnemque ſermonem, quod fecit no- „ bis Unigenitus Filius Chriſtus Salva- „ tor noſter, ignem, & ſpiritum mandu- „ candum, ac bibendum præſtitit nobis, „ corpus ſcilicet & ſanguinem. „

Suffragantur Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. myſtag. Baſilius Lib. 2. de Baptiſmo cap. 2. Gregorius Nyſſ. Lib. de vita Moyſis, & Nazian. Orat. 2. de Paſchate.

Quinta ætate exſurgunt acerrimi præſentiæ realis defenſores, ut Chryſoſtomus Homil. 83. in Matth. Cyrillus Alex. Epiſt. ad Neſtorium, cum duodecim anathematiſmis approbata a Concilio Epheſino generali, Probus Patriarcha C P. qui Lib. de traditione divinæ Liturgiæ hanc auream profert ſententiam. " Per „ has preces, *ait*, Spiritus ſancti adventum „ expectabant, ut ejus divina præſentia „ propoſitum in ſacrificio panem & vi- „ num in aqua permixtum, ipſum illud „ corpus & ſanguinem Salvatoris noſtri „ Jeſſu Chriſti efficeret. „ Suum addit calculum Iſidorus Peluſiota Epiſt. 109. Lib. contra Macedonium. Idem dogma prædicat Theodoretus Ancyranus in oratione quam habuit de nativitate Chriſti in Synodo Oecum. Epheſ. cujus hæc ſunt verba: " Iſte *inquit de Salvatore*, „ qui tunc ineffabili virtute Magos ad „ pietatem traxit, & tunc ſplendidam „ hanc Feſtivitatem hodie convocavit, „ non adhuc in præſepi poſitus, ſed „ in hac ſalutari menſa eſt propoſitus, „ &c. „

Pro ſexta & ſeptima ætate, occurrit Heſichius qui in utraque floruit. Lib. 2. in Levitic. ait: " Eſt locus ſanctus Altare, „ ibi enim Sanctus ſanctorum requieſcit. „ Porro non dicitur de homine inani & figurato, quod alicubi requieſcat, ſed de homine perſonaliter præſenti. Cenſet igitur ille Pater Chriſtum verum Deum & hominem realiter eſſe in Euchariſtia præſentem.

Ex octava ætate ſe prodit ſanctus Joannes Damaſcenus, qui Lib. 4. de Fide cap. 14. ſic loquitur de tanto myſterio: " Pa- „ nis, vinumque & aqua per invoca- „ tionem Spiritus ſancti ſupernaturaliter „ tranſmutatur in corpus & ſanguinem „ Chriſti, & non ſunt duo, ſed unum „ & idem. Non eſt figura panis & vinum „ corporis & ſanguinis Chriſti; abſit

„ enim hoc; ſed eſt ipſum corpus Domi- „ ni deificatum. „

Iſtarum priorum ætatum magnifica teſtimonia, Concilii ſecundi Nicæni definitione claudimus. Act. 6. hæc habentur: " Nullus enim aliquando .... ſanctorum „ videlicet Apoſtolorum, aut illuſtrium „ Patrum noſtrorum, incruentum ſacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri, ac omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino ſic dicere vel confiteri, ſed audiunt evangelice dicentem eum: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non intrabitis in regnum cælorum.* „ Tum allatis verbis inſtitutionis, ſubjiciunt: " Et non dixit: Accipite & comedite „ imaginem corporis mei. „ Poſtea laudant auctoritatem Apoſtoli 1. Cor. cap. 11. & ſic ex locis Scripturæ laudatis concludunt: " Ergo liquido demonſtratum „ eſt, quod nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres, imaginem dixerint „ ſacrificium incruentum, quod per Sacerdotem offertur, ſed ipſum corpus „ & ipſum ſanguinem.

§. II.

Fides præſentiæ realis floruit nona ætate in Eccleſia Orientali.

THEOPHILACTUS in cap. 26. Matth. ait: " Porro dicens, *ſcilicet Chriſtus*, „ Hoc eſt corpus meum, oſtendit quod „ ipſum corpus eſt panis qui ſanctificatur „ in Altari, & non reſpondens figura. „ Non enim dixit, Hoc eſt figura: ſed, „ Hoc eſt corpus; ineffabili enim operatione transformatur, etiamſi nobis „ videatur panis. „ Quid efficacius ad propellenda Proteſtantium tela? Idem docet Comment. in cap. 14. Marci, in cap. 6. Joan. in cap. 10. & 11. primæ ad Cor.

Theodorus Studita eidem ſuffragatur veritati; hæc enim de eo Michael Monachus in ejus vita ſcribit, ipſum inedia fractum in carcere diſcipulo dixiſſe: " Collocemus ſpem noſtram in Deo, qui non „ in ſolo pane alere poteſt, ſed alio longe præſtantiori cibo, quandoquidem „ ſpiritus omnis ejus ſolius nutu ſuſtentatur, & quoniam mihi præ ceteris Dominici corporis participatio corporis „ ſimul & animæ alimentum eſſe ſolet; „ habebat enim ubique pater ſecum partes aliquas vivifici corporis, peragebatque myſteria, quandocumque celebrandi facultas erat.

Eidem ſubſcribit dogmati Theodorus Abucara, Cariorum Epiſcopus, Opuſcul. 22. ubi collationem refert, quam cum Saraceno de Euchariſtia habuit. " *Theodorus*: Panis igitur factus eſt tibi corpus? *Saracenus*: Intelligo, *Theod.* Et „ quomodo panis factus eſt tibi corpus? „ *Sarac.* Modum ignoro.... *Theod.* Eodem modo cogita fieri myſterium noſtrum. Ponit Sacerdos panem ſuper „ ſanctam menſam, ſimiliter & vinum, „ & precante eo precationem ſanctam, „ deſcendit Spiritus ſanctus in ea quæ „ propoſita ſunt, & divinitate ſua panem & vinum in corpus & ſanguinem, Chriſti mutat, non minus quam hepar „ cibum in corpus alicujus hominis. „ An, amice, non das ut poſſit Spiritus ſanctus perficere, quod hepar tuum „ poteſt? „

§. III.

Decima ætate perſeveravit fides præſentiæ realis in Eccleſia Orientali.

TAMETSI fides hujus ſæculi ex prioribus ætatibus colligatur, & adverſus eam nihil Sacramentarii audeant opponere, non abs re tamen erit aliquod teſtimonium in confirmationem afferre. Inſtar omnium ſit vita Lucæ junioris Anachoretæ, cujus excerpta Combefiſius noſter Tomo 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum edidit, locupletiſſime teſtatur, ipſum enim quæſiviſſe ſcribit ab Archiepiſcopo Corinthiorum: " Amabo, o Domine, qui „ propter multa peccata noſtra montes „ colimus ac ſolitudines, horrenda myſteria poſſimus percipere? Vides enim „ ut nedum Collecta, ſed neque Sacerdos „ ſuppetat: *Archipræſulem vero Lucæ reſpondiſſe*; Bene, Pater, deque bona re ac „ maxima, interrogaſti. Nam bonum „ quoque, ut aiunt, non bonum eſt, ut „ non bene fieri contingat. Primo igitur „ ac principaliter Sacerdotem adeſſe decet, „ quod ſi ille neceſſaria omnino ratio- „ ne

„ ne abſit, imponendum ſacræ menſæ „ præſanctificatorum vaſculum, ſiquidem „ eſt oratorium; ſin autem cella, ſcamno „ mundiſſimo. Tum explicans velum mi- „ nus, proponet in eo ſacras particulas, „ accenſoque thymiamate typicorum pſal- „ mos aut hymnum ter Sanctus cantabis, „ cum ſymbolo fidei: trinaque genuum „ flexione adorans, manus quidem con- „ trahes, ore autem ſalvum pretioſi Chri- „ ſti ac Dei noſtri corpus ſumes, dicen- „ do, Amen. „

§. IV.

Ab undecimo ſæculo ad duodecimum uſque fides de præſentia reali rutilavit in Eccleſiis Orientalibus.

PRIMO: hanc veritatem ingenue fatentur ipſimet Lutherani & Calviniſtæ; primo quidem Cruſius Lutheranus: hic autem Univerſitatis Tubingenſis, linguæ tam Græcæ quam Latinæ Profeſſor fuit, & perpetuum fovit cum Jeremia Patriarcha CP. Epiſtolarum commercium, quipequi ad hunc Præſulem confeſſionem Auguſtanam tranſmiſerit, & ejus ad eam acceperit reſponſum; noverat haud dubie Jeremias Græcorum circa Euchariſtiam religionem: de illis autem „ tradit: “ Septem Sacramenta ha- „ bent, ac tranſmutari panem in corpus „ Domini, & vinum in ſanguinem pu- „ tant. „

Subſcribit Cruſio Sandius Lib. de variis Religionibus cap. 42. his verbis: “ Græ- „ ci medii ſunt inter Græcos & Roma- „ nos, in rebus eſſentialibus eodem ſe ex- „ plicant modo ac Roma, ſcilicet in do- „ ctrina de Tranſubſtantiatione & Sacrifi- „ cio. „

Ejuſdem eſt labii Grotius, vir ſcientia omnibus notus; in diſcuſſione autem Apologetici Riveti ait: “ In Decretis Jere- „ miæ & Concilii habiti a Parthenio „ eadem legimus Sacramenta, eadem & „ dogmata, quæ ſunt in uſu apud Lati- „ nos. „

Forbeſius in Scotia Epiſcopus Edimburgenſis in conſideratione modeſta de Sacramento Euchariſtiæ cap. 4. pag. 412. probat tranſubſtantiationem agnitam fuiſſe a Latinis & Græcis. Dannavertius Argentinenſis in tractatu contra Allatium pag. 46. inter errores Græcorum reponit fidem tranſubſtantiationis.

Secundo: Illud claret ex diſſidio orto inter Michaelem Cærularium & Leonem IX. Summum Pontificem. Etenim Michael Cærularius Eccleſiæ Romanæ furens hoſtis, qui & eam multis impetiit dicteriis, eo quod pane azimo uteretur in confectione Sacramenti Euchariſtiæ, ne vel leviter ei exprobrat, quod Chriſtum in Euchariſtia realiter præſentem doceret; illud autem certe non prætermiſiſſet, ſi ea non fuiſſet Eccleſiæ Græcæ fides, quandoquidem Leo IX. anathemate recens percuſſerat Berengarium præſentiæ realis impugnatorem in Concilio Romano & Vercellenſi.

Nec poteſt dici Patriarcham Conſtantinopolitanum ignoraſſe Latinos, fidei de præſentia reali toto corde adhæſiſſe, cum in Italia multi eſſent Græci, & apud Græcos infiniti prope Latini, quorum Sacrificii erant teſtes oculati; noverant igitur quid actitatum fuerat contra Berengarium, nec ipſius condemnationem improbavit vel ipſa Eccleſia Græca. Quid plura adjiciam? Jam ab octodecim circiter annis errores undequaque ſparſerat Berengarius, cujus nævi citra dubium uſque ad aures Græcorum pervenerant, nec tamen ullus eorum dixit Eccleſiam Græcam in eadem fuiſſe opinione cum eo. Demum Eccleſiæ Romanæ objeciſſent quod teneret præſentiam realem, a quo tamen religioſe abſtinuerunt: quod argumentum eſt eos in eadem fuiſſe fide.

Tertio: In Epiſtola Cardinalis Humberti data nomine Leonis IX. ad Imperatorem Græcorum, & in Urbe Conſtantinopolitana omnibus græce tradita, palam hic Præſul profitetur præſentiam realem his verbis: “ Taliter præparatus azymus „ fideli invocatione totius Trinitatis fit „ verum & ſingulare corpus Chriſti. „ Quod tamen nullus aut rejecit, aut condemnavit.

Quarto: Legati Summi Pontificis publice falſi ſunt urbem CP. eſſe orthodoxam, quantum ad columnas Imperii & ejus honoratos cives; illud autem non fuiſſent profeſſi, ſi Berengarianæ hæreſes ibi viguiſſent. Quod quidem comprobatur ex celebri diſputatione Cardinalis Humberti habita cum Niceta Pectorato; hic autem Monachus inſulſis dicteriis Ec-

Digitized by Google

cleſiam Romanam laceſcere non erubuerat: quæ tamen improperia Cærularius Monachi inſiſtens veſtigiis renovavit; quia vero Euchariſtiam ſolvere jejunium effutiebat ipſe, Cardinalis profitendo præſentiam realem, reſpondit: " Quis dicat ,, manducando vitam æternam frangi jejunium? ,, Tum omnia congerit Scripturæ teſtimonia, quibus Catholici præſentiam realem aſtruunt, cui ipſe Niceta ne unum ad illam impugnandam verbum protulit, ſed ſolam conſequentiam, quam deducebat Humbertus, ille negat, ſcilicet Græcos, ex eo quod afferant per Euchariſtiam jejunium violari, eſſe Stercoraniſtas; quod autem ille Monachus agnoſcat præſentiam realem, hæc ipſius verba teſtantur: " Sanctus autem Spiri- ,, tus, vivificuſque in vivificata ejus car- ,, ne permanſit, quam comedentes in pa- ,, ce qui immutatus eſt per ſpiritum, & ,, effectus corpus Chriſti, vivimus in ipſo ,, tamquam vivam & deificatam ejus car- ,, nem edentes. ,,

§. V.

Eccleſia Orientalis a duodecimo Sæculo ad decimum-tertium uſque agnovit præſentiam realem.

HÆC veritas non uno modo ſe prodit: primo quidem ex eo quod, cum tunc temporis ex toto Occidente viri bellatores advolaverint in Orientem, ad hoc ut a ſervitute Saracenorum & Turcarum liberarent Aſiæ & Syriæ urbes, in quibus ſplendide floruerat Religio Chriſtiana, in illis exercitibus erant Epiſcopi multi, Principes plurimi, immo Reges, Imperatores, populi fere infiniti, & Doctores qui ſane noverant quid contra Berengarium fuerat pronuntiatum in diverſis Conciliis, quorum definitionibus toto adhærebant corde. Ut primum autem vi armorum ſuo ſubjiciebant imperio urbes & provincias, in eis abſque mora & Epiſcopos & Clerum conſtituebant; immo multi profugi Præſules Græci ſuis reſtituebantur ſedibus, ut Joannes Patriarcha Antioch. Eccleſiæ. Urbi quidem Jeroſolymit. datus eſt Patriarcha Latinus: ſed ab exercitio ſuarum functionum non abſtinebant Epiſcopi Græci, ut teſtatur Balſamon Lib. 21. Jacobus Vitriacus Hiſtor. Jeroſol. cap. 74. ſcribit Chriſtianos Græcos ſuos habuiſſe Præſules; idem de ceteris Orientalibus dicendum, ſcilicet de Armenis, Jacobitis, Neſtorianis; Monaſteria etiam ex utroque ſexu omniumque Ordinum, eodem teſte, fuerunt his temporibus ædificata.

Viderunt hæc Orintales, nec ipſi tamen conqueſti ſunt, quod Occidentales præſentiam realem agnoſcerent; ſic nec vice verſa, ipſi Occidentales arguerunt Græcos, quod illam abnegarent. Eorum refert errores Vitriacus, ſed ne quidem indirecte dicit, quod debellarent Eccleſiæ Romanæ de præſentia reali articulum. Altum quoque ſervat ſilentium circa illud punctum Guillelmus Tyriorum Archiepiſcopus, qui certe non ſcribit ſe aliquos reperiiſſe qui idem docerent ac Berengarius.

Neque vero ignoravit mentem Occidentalium circa illud myſterium Eccleſia Conſtantinopolitana, & ceteræ Orientales norunt omnes debellatores Latinos una cum viris Eccleſiaſticis primum Conſtantinopolim appuliſſe, tum Aſiæ minoris urbes peragraſſe. Conſtantinopolitani autem & Antiochenſes, & Jeroſolymitani oculis propriis ritus Latinorum conſpiciebant: ſed ne unum reperieſt qui Latinis exprobraverit quod perperam tenerent Chriſtum eſſe realiter præſentem in Euchariſtia. Milites Græci cum Latinis erant permixti; immo & inſignes victorias ab Alexio Comneno reportatas tribuit vel ipſa ejus filia Gallis militibus. Guillelmus Tyri Archiepiſcopus refert juniorem Alexium in ſponſam duxiſſe Agnetem filiam Regis Francorum, & præcipuas imperii dignitates penes Latinos fuiſſe; illi omnes in urbe CP. Eccleſias ſuas habebant. Noverant igitur Græci Occidentalium religionem, quippe qui in magno erant numero, & decurſu temporum ſibi juſta de cauſa arrogaruot Orientis imperium; ſed ne unus quidem memoriæ mandavit, Græcos in puncto Euchariſtiæ a Latinis fuiſſe divulſos.

Confirmatur auctoritate Hiſtoricorum, qui de diſcrimine quod erat inter Latinos & Græcos ſcripſerunt, qui omnes nullam de realitate præſentiæ & tranſubſtantiatione motam inter eos controverſiam commemorant. Ex quibus liquido claret eamdem tunc fuiſſe fidem utriuſque Eccle-

Eccleſiæ, circa Euchariſtiæ articulos. Euhymius, Zigabenus, Nicolaus Methonenſis, Joannes Phurnus, Euſtratius vir eruditione ſingulari præditus, hi omnes in hoc ſolum Græcam Eccleſiam a Latina diſcrepare aſſerunt circa proceſſionem Spiritus ſancti, & azimos. Et vero Baſilius Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, apud Allatium, affirmat in utraque Eccleſia eumdem eſſe Agnum qui tollit peccata mundi, eumdem Chriſtum qui immolatur. Simon junior in ſuis ſacris Meditationibus hæc habet: " Cum ſuper men-
,, ſam panis ſacer & vinum reponun-
,, tur ad formandum corpus tuum divi-
,, num, Verbum Dei, præſens ibi ades,
,, & hæc fiunt vere corpus & ſanguis
,, tuus virtute Altiſſimi.,,

Rurſus confirmatur: Iſto ſæculo multa Concilia in Oriente fuerunt habita, in quibus varii anathemate percuſſi ſunt Hæretici. Jam vero ſi nova fuiſſet doctrina de præſentia reali & de tranſubſtantiatione, dubio-procul omnes illam propugnantes condemnaviſſent Græci, quippe qui tunc temporis commixti eſſent cum Latinis, quibus non uno conjungebantur modo.

Confirmatur III. ex Scriptoribus iſtius ſæculi, quorum unus eſt, & non contemnendus Euthymius Monachus Zigabenus; hic autem commentario in Matth. cap. 64. ſic habet: " Aptiſſime nominavit
,, Chriſtus teſtamentum propter appropin-
,, quantem mortem ..... non dixit au-
,, tem: Hæc ſunt ſigna corporis mei &
,, ſanguinis mei; ſed, hæc ſunt corpus
meum & ſanguis meus.,, Quæ quidem verba declarant Euthymium non uſurpaſse textum in ſenſu figurativo, ſed litterali. Tum ſubdit: " Sicut Chriſtus deifica-
,, vit carnem quam divinitati ſuæ univit,
,, ita mutat dona, operatione ineffabili
,, in corpus & ſanguinem ſuum.,, Quid clarius?

Alter veritatis teſtis eſt Nicolaus Epiſcopus Methonenſis, qui multa ſcripſit contra Latinos. Hic autem libro expreſſe exarato contra quoſdam qui dubitabant de præſentia reali, ſic fatur: " Quis il-
,, le qui conculcat Filium Dei? Nonne
,, qui ſanguinem ingratus abrogat, nec
,, admittit, & veram ab omnique men-
,, dacio alieni oris traditionem, & man-
,, datum nihili facit, Hoc eſt corpus me-
,, um dicentis, &, Hic eſt ſanguis me-
,, quid hæſitas? quid omnipotenti impo-
,, tentiam attribuis? Nonne ipſe eſt qui
,, ex nihilo omnia ut eſſent fecit?,,

Tertius eſt Zonaras in Epiſtola relata a Georgio Douza ex urbe Conſtantinopolitana, quam refert Allatius: " Panis,
,, *inquit*, qui offertur in myſteriis, eſt
,, hæc eadem caro Chriſti quæ fuit im-
,, molata tempore Paſſionis, & repoſita
,, in ſepulcho; & hoc claret ex verbis
,, Chriſti ad Apoſtolos, cum inſtituit
,, myſterium novi Teſtamenti; dans enim
,, dixit eis: Accipite, hoc eſt enim cor-
,, pus meum, quod pro vobis frangetur in
,, remiſſionem peccatorum.,,

Quarto loco venit Nicetas Choniates, qui in Alexio Augeli Lib. 3. ſic habet:
" Qualiſcumque particula recipiatur, to-
,, tum corpus integrum Chriſti ſumitur,
,, quod Thomas tetigit; manducatur enim,
,, ut ait ſanctus Chryſoſtomus, & qui eſt
,, ad dexteram Patris, reperitur inter ma-
,, nus peccatorum.,,

His adde profeſſionem fidei quam Græci expoſtularunt a Saracenis, qui ad Chriſtum convertebantur; hæc autem typis mandata eſt a Silburgo anno 1595. namque teſtatur ſe manuſcriptam habuiſſe e Bibliotheca Palatiniana ad Rhenum; his autem terminis concipitur: " Confiteor
,, panem & vinum myſtice conſecrari inter
,, Chriſtianos, & quibus participant in
,, celebratione ſanctorum Myſteriorum:
,, eſſe in rei veritate corpus & ſangui-
,, nem Chriſti Domini, mutatis virtute
,, divina, modo non oculis, ſed ſpiritu
,, agnito, ſed qui ſuperat intelligentiam,
,, non Dei ſed hominis.,,

§. VI.

Eccleſia Orientalis Sæculis 14. & 15. non receſſit a fide præſentiæ realis, & tranſubſtantiationis.

HOC Sæculo nedum urbs Conſtantinopolitana, ſed & fere totum Græcorum Imperium ſub ditione fuit Latinorum; illi quippe omnia exercebant munia temporalia: quinimmo omnes imperii Græcorum urbes, auctoritati Summi Pontificis pro ſpiritualibus erant ſubditæ. Si ergo vel leve veſtigium hæreſis Berengarianæ adfuiſſet, iſtud noviſſent haud dubie Latini.

Porro

Digitized by Google

Porro nec novus Imperator Latinus, aut Principes in ſua ad Innocentium III. Epiſtola, in qua errores Græcorum enarrant, vel minimum proferunt verbum, quod Græci circa præſentiam realem errarent; hinc idem Pontifex ſcribens ad eos, ut pro conſociatione Eccleſiæ Græcæ cum Latina laborarent, id unum eis commendat, ut Græcis ſuadeant Spiritum Sanctum a Filio procedere, nec eis injungit ut probent eis præſentiam realem. Igitur Græci illam credebant.

His adde quod tunc temporis multi Græci ſincere amplexi ſint communionem Romanam; non tamen refertur eos ejuraſſe errores ſuos circa Euchariſtiam. Rurſus in Oriente Latini permanſerunt annis circiter 160. & 60. regnarunt in urbe CP. & cum alternata vice modo ad Græcos modo ad Latinos, urbes deflecterent, errorumque fieret mutua exprobatio, altum tamen ſervatum eſt ſilentium de præſentia reali.

Obſerves velim quod eo ſæculo Bulgari, Theodorus Comnenus, & Dux Moſcoviæ, anno ſcilicet 1250. ſeſe Romano in ſpiritualibus ſubmiſerint Pontifici; nec tamen dicitur Papam ab eis fidei de præſentia reali profeſſionem expoſtulaſſe. Quod quidem multis confirmatur momentis.

Primo, In Concilio Lateranenſi anno 1215. habito, tranſubſtantiatio fuit conclamata; in eo autem aderant multi Præſules & Principes Græci: aderat & Patriarcha Alexandrinus, qui omnes contra hanc definitionem non inſurrexerunt.

Secundo: In celebri collatione habita inter Legatos Gregorii IX. & Epiſcopos Græcos, terminato Concilio, referente Rainaldo, illi dixerunt ſe dumtaxat a Latinis differre circa proceſſionem Spiritus ſancti, & materiam Euchariſtiæ; an ſcilicet panis azymus foret materia legitima; nec quidquam retulerunt de præſentia reali, immo ſummus Pontifex in profeſſione fidei, ipſis per Legatos communicata, clare enuntiat tranſubſtantiationem: "Uterque panis, *inquit*, ante ſacrificium ſimplex eſt panis, verum tranſacta tranſubſtantiatione non eſt panis... Sed eſt panis vivus qui de cœlo deſcendit." Nullus certe Græcus illum abnuit articulum; hæc autem Epiſtola Pontificia ab Imperatore, & Patriarcha in Concilio percelebri lecta fuit, & ponderata.

Tertio: Hoc idem patet ex eo quod peractum eſt inter Gregorium & Michaelem Paleologum; cum iſte Princeps, præcipiente Papa, pro virili laboraſſet, ut profeſſio fidei, a Clemente IV. data, in qua quidem tum proceſſio Spiritus ſancti a Filio, tum tranſubſtantiatio continebantur, reciperetur, ne unus quidem Græcus renuit ſubſignare tranſubſtantiationis articulum, ſed dumtaxat de altero mota eſt controverſia; hinc vel ipſe Joannes Veccus vir ſcientia percelebris, qui antea reſtiterat, ut primum ex lectione Patrum novit, Spiritum ſanctum a Filio procedere, ceſſit illico, nec ullam difficultatem circa tranſubſtantiationem movere tentavit. De illo refert Pachimerus, quod ſola veritate ſuperatus, ad meliorem redierit frugem: Quocirca in Concilio Lugdunenſi, referente Rainaldo ad ann. 1272. Legati Imperatoris Græci, detulerunt profeſſionem fidei Clementis IV. ab omnibus fere Græcis Præſulibus obſignatam; ex quo manifeſte liquet, eos agnoſcere tranſubſtantiationis punctum, cujus rei argumentum irrefragabile eſt, quod Græci Præſules ad ſchiſma iterum atque iterum deflectentes, reunionem quidem cum Latinis, & Michaeli Paleologo Imper. & Joanni Vecco uti grande ſcelus exprobraverint, nuſquam vero tranſubſtantiationis articulum; tametſi ægre admodum Spiritus ſancti proceſſionem a Filio eis objecerint.

Veccus cum ſuarum partium Præſulibus, alii vero, ſcilicet Schiſmatici & Hæretici multa conſcripſere opera: illi quidem pro aſtruenda proceſſione Spiritus ſancti a Filio, iſti vero pro ea eximenda, ſed nullum pro explodenda realitate compoſitum legitur, ut nullum de tranſubſtantiatione refert Allatius ſub nomine Græciæ orthodoxæ; hinc divus Thomas, cui Provincia fuerat demandata ſcribendi contra Græcos, id unum intendit, ſcilicet eis probare Spiritum ſanctum etiam a Filio procedere.

Quod ſpectat ad. 14. Sæculum rationes ſupra allatæ hanc fidem perſeveraſſe apud Græcos comprobant; quibus addimus formulam fidei ſuperiori tempore ſubſignatam, quam ultro Græci recentiores receperunt.

Ipſe

Ipſe Joannes Paleologus Romam petiit anno 1369. & cum a ſchiſmate receſſiſſet, teſte Allatio de perp. conſ. pag. 846. hanc fidei profeſſionem ſolemniter amplexus eſt his terminis conceptam : " Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo ſacrificat Eccleſia Romana prædicta tenens & docens, quod in ipſo Sacramento panis vere tranſmutatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. ,, Porro quicumque ex Græcis, Eccleſiæ Romanæ reconciliari cupiebat, huic ſubſcribere tenebatur. Noverant ergo Græci fidem de tranſubſtantiatione, nec illam tamen aut abnuere, aut tentare moliti ſunt.

His adde, quod Baarlamus, qui ex ſchiſmatico, factus fuerat Epiſcopus in Italia, in eo repnnit controverſiæ inter Latinos & Græcos ſtatum, quod priores propugnarent proceſſionem Spiritus ſancti a Filio, & in azymo conſecrarent, e contra vero poſteriores. Igitur de tranſubſtantiatione doctrinam non eliminant Orientis Epiſcopi ; nec iſtud fidei caput Latinis uſquam exprobavere. Ita omnes, qui tunc pro Græcis ſcripſere, ſcilicet Maximus Plennudes Monachus Græcus, ipſe Imperator Manuel filius Joannis Paleologi, Nicolaus Cabaſilas Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, &c.

Confirmatur: Vel ipſi Scriptores Græci eruditiores, qui acriori ſtylo contra Latinos dederunt Operam, tranſubſtantiationem agnoverunt: Inter ceteros eminet Nicolaus Cabaſilas : hic autem in expoſitione Liturgiæ ſic fatur : " Proprius effectus ſanctorum Myſteriorum eſt mutatio donorum in corpus, & ſanguinem Chriſti. ,, Cap. 24. ſcribit Fideles procumbere, & adorare dona, & ad ea preces ſicut ad corpus & ſanguinem Chriſti dirigere. Cap. 27. ait: " Panis non eſt amplius figura corporis Chriſti, non eſt donum, quod imaginem præ ſe ferat veri doni, & quod contineat ſicut in tabella, repræſentationem Paſſionis Chriſti, ſed reipſa eſt verum donum, eſt idem corpus Salvatoris plenum ſanctitate, corpus quod paſſum & immolatum eſt ſub Pontio Pilato. ,,

§. VII.

Eccleſia Græca a XV. Sæculo ad noſtra uſque tempora conſtanter perſeverat in fide præſentiæ realis.

HÆC veritas claret, primo ex auctoritate Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, unus ex Græcis doctiſſimus Scriptor ; Allatius in ſuis exercitationibus contra Creigtonium, p. 426. hæc de illo refert : " Poſtquam reliquiæ panis divini in ſacro calice repoſitæ ſunt, omnibus calix oſtenditur, qui eſt Jeſus Chriſtus, & vere idem ejus corpus, & idem ſanguis, quem ſacrificavit pro populo, quem ſibi proprium facit & dat ad guſtandum, videndum, tangendum, deſiderans, ut omnes ſua fruantur liberalitate. Quare populus qui ei conſecratus eſt, eum videt oculis animæ, eum adorat, & petit id quod eſt ad ſalutem neceſſarium. ,,

Secundo: Idem patet ex iis quæ peracta ſunt in concilio Florentino; in illa quippe Synodo, ut norunt omnes, clare admodum & dilucide pronuntiatum eſt Chriſtum eſſe vere & realiter in Euchariſtia, & ſubſtantias mutari. Huic ſubſcripſerunt omnes Græci Præſules qui aderant, immo nec unione ſoluta ullus declaravit, ſe violenter aut policite illum agnoviſſe articulum: nullus profeſſus eſt doctrinam Berengarii ; nec alia materia ex utraque parte, diuturnis collationibus, præter Spiritus ſancti a Filio proceſſionem diſcuſſa legitur. Igitur inter Græcos & Latinos non erat de tranſubſtantiatione controverſia; quandoquidem omnes Græci citra moram, definitionem de præſentia reall & tranſubſtantiatione, ſuo munierunt calculo.

Hoc ipſum colligitur ex actis poſt illud Concilium ; etenim Marcus Epheſinus, qui noluit unioni ſubſcribere, non negavit tranſubſtantiationem, ſed id unum intendit, ſcilicet, eam fieri complete per orationem Sacerdotis : ſic enim loquitur : " Hæc verba quæ communi conſenſu ab omnibus pronuntiantur, in memoriam revocant ea quæ facta ſunt in hoc Myſterio, & donis quæ ſunt ſuper altare vim, & poteſtatem tribuunt ut mutentur : ſed ipſa oratio & benedi-

,, ctio

Digitized by Google

,, ctio Sacerdotis, quæ ordinem Liturgiæ ,, conſequuntur reipſa tranſmutant dona ,, in ipſum prototypum illud corpus & ,, ſanguinem Dominicum. ,, Hinc Cardinalis Bellarminus, qui contra ipſum ſcripſit, illud dumtaxat in eo arguit, non quod præſentiam realem negaret, ſed quod tranſubſtantiatiouem tribueret orationi Sacerdotis.

Quod ſpectat ad decimum ſextum ſæculum, Græcos idem cenſuiſſe cum Latinis de præſentia reali, & tranſubſtantiatione liquet ex diſputatione habita inter Jeremiam Patriarcham CP. & Lutheranos; ut primum enim ad eum confeſſio Auguſtana pervenit; ſuam de tranſubſtantiatione expoſuit mentem, ſcilicet in ſuam prima reſponſione c. 10. p. 65. " Eccleſia ,, Catholica, ſic docet, *ait*, panem mutari ,, in idem corpus, & eumdem ſauguinem ,, Chriſti ... non quod dederit Diſcipulis ,, carnem quam ſerebat manducandam, ,, aut quod deſcendat de cęlo: ſed quia tunc ,, in cœna Domini, & nunc in noſtro ,, ſacrificio invocatione, & gratia Spiri- ,, tus ſancti omnipotentis, qui operatur, ,, & precibus ſacris, & verbis Domini, ,, panis mutatur, & convertitur in idem ,, Domini corpus, & vinum in eumdem ,, ſanguinem ſuum. ,, Unde ſenſus eſt Chriſtum non relinquere cœlum, ut ſit in altari, & ita dediſſe carnem manducandam, ut amplius nón ſoret ſupeſtes; ſed illud fit mutatione. Hac explicatione ſolvitur difficultas propoſita a Claudio Miniſtro. Demum in fine articuli ſic jugulat Calviniſtas; " Panis, corporis Domi- ,, ni nec eſt typus, aut figura, nec azy- ,, mus. ,, Quum ergo Græci vocant Euchariſtiam panem fermentatum, ſenſus eorum eſt, quod ille ſit materia hujus Sacramenti.

Rurſus hoc ipſum patet ex reſponſione ſeu confeſſionem fidei, adverſus ipſam confeſſionem Auguſtanam, a Jeremía Patriarcha Conſtantinopolitano data, & Juris publici facta, ubi hæc leguntur. *Statuit Eccleſia Catholica, quod conſecratione facta, panis mutatur in ipſum corpus Chriſti, & vinum in ipſum ſanguinem. Non igitur typus eſt aut azymum quoddam Dominici corporis, panis qui a Sacerdote perficitur, ſed fermentatum, & ipſum Domini corpus.*

Subſcribit Euthymius Monachus Zigabenus qui in caput 26. Matth. ſcribens, ita loquitur: " Aptiſſime nominavit ,, Chriſtus teſtamentum propter appropin- ,, quantem mortem .... non dixit autem ,, hæc ſunt ſigna corporis mei & ſangui- ,, nis mei, ſed hæc ſunt: CORPUS MEUM ,, ET SANGUIS MEUS...... Quemad- ,, modum ſupernaturaliter aſſumptam car- ,, nem deificavit, ſi ita loqui liceat; ita ,, & hæc ineffabiliter tranſmutat in ip- ,, ſum vivificum corpus ſuum. ,, Nihil clarius poteſt pro iſto dogmate enarrari; namque Euthymius omnes ſubnotat circumſtantias, quibus aſtruitur præſentia realis.

Jeremiam igitur, & Græcos omnes docere, & tenere tranſubſtantiationem, ita clarum apparuit Theologis Wirtembergenſibus, ut iſti eos ad illam abnegandam adducere tentaverint, ſed incaſſum; namque Jeremias reſponſione ſecunda num. 3. pag. 240. iterum ita dilucide hanc profitetur veritatem, ut illud Lutherani ultro ingenue faſſi ſint: Igitur Orientales a fide tranſubſtantiationis non receſſerunt.

Confirmatur ex facto Cyrilli Lucaris. Iſte relectis Calviniſtarum operibus, eorum ſuſcepit errores, & accepta a Batavis pecunia ad Patriarchatum CP. pervenit: Verum luit perfidiæ pęnas, quippe qui in Synodo a Græcis habita & proſcriptus, & in exilium miſſus fuerit, patrocinante Turcarum Imperatore, & tum multoties in Sedem reſtitutus, & toties etiam relegatus, tandem laqueo ultimum clauſit diem.

Cyrillo Lucari e vivis ſic erepto, Cyrillus Beroenſis ejus ſucceſſor, coegit Concilium, in quo aderant Patriarcha Alexandrinus, & Jeroſolymitanus, cum viginti circiter Epiſcopis, illique iterum anathema dictum eſt: " Primo: quia dixit ,, Eccleſiam Orientalem idem ſentire ac ,, Calvinus: ſecundo, anathema, *inquiunt*, ,, ei qui docet, & credit panem qui of- ,, fertur, & vinum, non mutari benedi- ,, ctione Sacerdotis, & virtute Spiritus ,, ſancti, in verum corpus, & verum ſan- ,, guinem Jeſu Chriſti. ,, Cui definitioni parere non dubitarunt omnes populi.

Parthenius etiam Cyrilli ſucceſſor, quique ejus molitus fuerat exilium, novam adunavit Synodum ex viginti quinque Epiſcopis; in eo Moſcoviæ Metropolitanus aderat; ibique rurſus articuli Cyrilli Lucaris proſcripti ſunt: " Ejus, *in-*

,, *quit*,

Digitized by Google

„ *ſeriunt*, fides, ei eſt peculiaris, nec eſt „ Eccleſiæ Græcæ. „ Acta iſtius Concilii referuntur ab Allatio. Præſules vero loquendo de Cyrillo Lucari ſic habent: “ Ita deſtruit Euchariſtiam divinam, ut „ ei nudam figuram relinquat ....negat „ panem poſt conſecrationem eſſe verum „ corpus Chriſti .... quod eſt impietatis „ meta ultima; Chriſtus enim non dixit, „ hoc eſt figura corporis mei, ſed meum „ corpus, & meum ſanguinem. „

§. VIII.

Conſenſus aliarum Eccleſiarum Orientalium cum Eccleſia Romana circa præſentiam realem.

Illam agnoſcunt Moſcovitæ.

HOC conſtat ex multis momentis. Primo quidem ex relatione facta religionis Moſcovitarum, a Joanne le Fevre, juſſu Archiducis Ferdinandi, cujus erat a confeſſionibus, quamque accepit a Legatis Joannis Baſilii Ruſſorum magni Ducis, quos ad Carolum V. transmittebat. Porro de illis ſic habet pag. 170. & latine ſic redditur. “ Conſecrato fit inter eos „ verbis a Chriſto pronuntiatis, eiſque „ talem tribuunt virtutem, quod ſtatim a „ Sacerdote pronuntiata ſunt, credunt „ creaturam cedere Creatori. „

Succinit Dominus Olearius Lutheranus, Ducis Holſteni Bibliothecarius; qui in ſua ad D. de Ponchateau Epiſtola die 14. Januarii ann. 1667. ait: “ Quæ de hac „ re, Ruthenos credere tranſubſtantia- „ tionem, ſcripſi, non fuerunt mea ſom- „ nia, ſed accepi ex ore eorum, qui hu- „ jus rei bene conſcii erant, nempe a „ Paſtoribus noſtræ Eccleſiæ in ipſa Mo- „ ſcua. 2. Quibuſdam Zuaris interpre- „ tibus, qui a noſtra Religione diſceſ- „ ſerant in Ruthenicam. 3. Ab ipſis „ Ruthenicis mercatoribus, immo ab ip- „ ſis Sacerdotibus & Monachis.... Si „ quis inſuper meæ relationi non vult „ credere, ducat in conſiderationem Epi- „ ſtolam, quam Joannes Metropolita „ Ruſſiæ ſcripſit ad Papam ..... men- „ tionem facit tranſubſtantiationis. „

Hoc ipſum aſſerit Payſius Ligaridius Gazæ Epiſcopus, in Epiſtola de Græcorum & Moſcovitarum fide data ad D. De Lilienthal pro Sueciæ Rege Moſcuæ reſidentem, ann. 1666. Ea vero in Epiſtola Moſcuæ conſcripta & miſſa deinceps ad magnum Sueciæ Cancellarium ſic loquitur: “ Manifeſte conſtat nullatenus nos „ admittere impanationem auditam & „ prædicatam in hoc ferreo noſtro ſæcu- „ lo tantummodo, neque ſimiliter ample- „ ctimur figuram ſymbolicam, & typi- „ cam repræſentationem, ſed realem „ tranſubſtantiationem tam Græci, quam „ Latini fatemur. „

§. IX.

Eadem eſt fides Melchitarum, & Syrorum.

EORUM fidem exprimit Abrahamus Echellenſis Maronita ſupra catalogum librorum Chaldæorum, qui exaratus fuit a Abdjeſu Epiſcopo Neſtoriano, quod opus a Melchitis Orientalibus recipitur; de illis autem hæc tradit: “ Cum Sacerdos „ ſtans ante altare orat... virtute & con- „ ſecratione ſua hæc efficit; ut panis fiat „ corpus, & ut vinum mixtum aqua fiat „ ſanguis; ita ut nil quidquam quod ſit „ craſſum & terrenum remaneat. „ Hoc ipſum docent & Liturgiæ Ægyptiacæ, quæ ab his frequentantur populis.

§. X.

Ejuſdem ſunt Sententiæ Armeni,

OMNES norunt Armenos fuiſſe amplexos doctrinam Eutychetis de unitate naturæ in Chriſto: ex his autem alii putarunt naturam humanam fuiſſe abſorptam a Divinitate, multo plures propugnant ex duabus unam factam fuiſſe; ſicut ex anima & corpore unus fit homo. Ut ut ſit, illi ne uno quidem excepto, præſentiam realem & tranſubſtantiationem tenent. Et hoc multis probatur argumentis.

Primo quidem, Lanfrancus in ſua contra Berengarium opere expreſſe affirmat Armenos idem ſentire de utroque iſto dogmate cum Eccleſia Romana: “ Interro- „ ga, *inquit*, Græcos & Armenos, & uni- „ verſaliter omnes Chriſtianos cujuſcumque „ nationis, & reſpondebunt tibi ſe eam- „ dem nobiſcum fidem tenere. “ Scilicet de Euchariſtia.

Secundo id claret ex relatione collationis habi-

habitæ inter ipſum & Patriarcham, Epiſcopoſque Armenos; hic autem eruditiſſimus vir miſſus fuit a Manuele Comneno Imperatore anno 1170. ut hunc Patriarcham, ſi fieri poſſet, ad fidem orthodoxam revocaret, ne ulterius, in Aſia errores Armenorum in pejus creſcerent. Porro ex relatione ipſius Legationis, liquet eum ne vel levem diſputationem cum eis habuiſſe, aut de præſentia reali, aut de tranſubſtantiatione; quod argumentum eſt, Armenos de hoc duplici momento a Græcis non diſceſſiſſe. Licet autem punctum controverſiæ de illis articulis non fuerit, mentem tamen ſuam de his prodit Patriarcha in ſua ad Imperatorem Manuelem Epiſtola, quæ lecta & diſcuſſa eſt in hac collatione, aitque: " Cum vinum „ ſit materia ſanguinis Chriſti, qualecum„ que ſit vinum, nihil refert; quia Li„ turgia illud conſecrat, & facit ut fiat „ ſanguis Jeſu Chriſti. „

Sæculo duodecimo Gregorius Armenorum Patriarcha, & Leo minoris Armeniæ Rex, Legatos ad Innoc. III. miſerunt, ad agnoſcendum Primatum Eccleſiæ Rom. nec apparet hunc Pontificem expreſſam eis injunxiſſe fidei profeſſionem, tum præſentiæ realis, tum de tranſubſtantiatione, quod quidem non levius probat illos agnoviſſe utrumque memoratum articulum. Ann. 1202. ea de re datæ ſunt adhuc Epiſtolæ a Principe & Patriarcha, in quibus ſummus Pontifex appellatur, *Pater fidei totius Chriſtianitatis*; ex quo colligitur Armenos aliam a Papa fidem non habuiſſe, maxime de Euchariſtia tempore bellorum pro recuperatione Terræ ſanctæ ſuſceptorum. Quinimmo tale erat tunc temporis inter Latinos & Armenos commercium, ut Principum Latinorum filiæ cum eis matrimonio conjungerentur. Quid plura? Juſſu Honorii Papæ, Archiepiſcopi Armeni reſtituti ſunt urbibus iſtius ditionis, in quibus erant Latini, quod probat diverſam a Latinis apud eos non fuiſſe fidem.

Eadem unio Armenorum cum Eccleſia Romana illibata permanſit a Gregorio IX. uſque ad Benedictum XII. Anno 1318. Oſſinius Rex ad Joannem XXII. Legatos miſit, unionis renovandæ cauſa, inter quos unus erat Epiſcopus: eis autem, referente Rainaldo ad annum 1318. hæc profeſſio fidei data eſt: " Sacramen„ tum Euchariſtiæ ex azymo conficit ea„ dem Eccleſia Romana, tenens, & do„ cens quod in ipſo Sacramento panis „ vere tranſubſtantiatur in corpus Chri„ ſti, & vinum in ſanguinem Domini no„ ſtri Jeſu Chriſti. „ Porro profeſſionem juris publici fecit ille Epiſcopus in conſpectu ſummi Pontificis, & Cardinalium; hæc omnia refert Joannes XXII. in ſua ad Regem Armenorum Epiſtola, & in altera ad Patriarcham, & Epiſcopos Armenos. Hinc colligitur eos in hac fide permanſiſſe ab anno 1053. uſque ad ann. 1348.

Tametſi autem Armeni in fide nutaverint, ſecundum quod fuerunt conjuncti, vel divulſi ab Eccleſia Romana, nuſquam tamen præſentiam realem abnegaverunt; apparet quippe & in Catholicis, & in Schiſmaticis eadem fides, quod ulterius probatur ex iis quæ acta ſunt in Concilio Florentino, ad quod ab Eugenio IV. advocati ſunt. Tunc poſtulatum eſt ab eis 1. ut apponerent ſymbolo, *Filioque*. 2. Ut reciperent Concilii Chalcedonenſis definitionem circa duas naturas, ſed de præſentia reali & tranſubſtantiatione non loquitur ſummus Pontifex Eugenius IV.

Cæterum, Decretum unionis lubenti animo receperunt Armeni. Demum tempore quo perſeveravit illa conſociatio, certum eſt illos perſeveraſſe in fide præſentiæ realis & tranſubſtantiationis. Id teſtatur Dominus Olearius profeſſione Lutheranus in Epiſtola jam ab eo citata his verbis: " Quod Armeni etiam credunt „ tranſubſtantiationem, cognovi ex Pa„ triarcha, qui nos inviſebat Scamachiæ „ in Media; & quia hæ nationes credunt „ tranſubſtantiationem, hoc eſt tranſmu„ tationem panis & vini, dubium non eſt „ quin veram præſentiam credant. „ Certum eſt etiam omnes nationes quæ in Eccleſia ſancti Sepulchri Jeroſolymis varias Capellas habent, adorare Chriſtum in Altari, a quocumque Sacerdote ſive Romano, ſive alio elevetur. Quem quidem cultum niſi corpus Chriſti adeſſet in Euchariſtia, non præberent.

Ex his facile colligitur, quantum aberret Claudius Miniſter dum refert teſtimonium Lezicii Poloni aſſerentis Armenos non tenere tranſubſtantiationem; illud ſiquidem tantum dicit de quibuſdam, non autem

autem de omnibus; nam referente Caſſandro in fragmento quodam eorum Liturgiæ, hæc pronuntiat Sacerdos: " Verum corpus Salvatoris Domini noſtri; & hoc ter dicit ſuper calicem, ſanguis verus eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti. "

Hallucinatur pariter Guido Carmelita, dum aſſerit Armenos negaſſe præſentiam realem; id equidem dixit ex eo quod quidam accuſaſſent eos apud Benedictum XII. multoſque eis impoſuiſſent errores, inter quos refertur quoſdam Doctores Armenos negaſſe præſentiam realem, hac de re cum ſcripſiſſet ſummus Pontifex ad eorum Regem & Patriarcham, ut ſeribit Rainaldus ad ano.1341.n. 118. Hiſt. ſe ab iſtis nævis immunes eſſe, & Patriarcha, & Epiſcopi, ſcriptis declararunt: Immo, adunata Synodo has hæreſes anathemate confixerunt. Talem etiam poſtea Clementi VI. dederunt fidei profeſſionem, qualem verus & ſincerus ſubminiſtrare non potuiſſet catholicus.

§ XI.

Tenent præſentiam realem Neſtoriani.

ILLUD conſtat, primo ex eo quod Hiſtorici ſacri referentes eorum errores, ne minimum verbum promant, quo eos in hoc momento ab Eccleſia Romana dicant diſcedere. Sic ſcribit Jacobus Vitriacus dum erat in Palæſtina Epiſcopus, & Legatus Apoſtolicus: noverat quippe adamuſſim quid ſentirent Neſtoriani, cum ubique forent ſparſi: Idem ſilentium ſervant Hiſtorici Calviniſtæ, ut Brerevod, Hornebec, & Hottinger.

His adde quod ſummi Pontifices ab anno 1244. ad hæc uſque tempora, ex Ordinibus præcipue ſancti Franciſci, & divi Dominici Miſſionarios in Orientem miſerint, ut ad gremium Eccleſiæ diverſarum Sectarum Chriſtianos reducerent; hi autem numquam retulerunt hos omnes Hæreticos eraſſe aut circa præſentiam realem, aut tranſubſtantiationem: hinc quicumque poſtea ad unitatem redierunt, ut hanc profiterentur fidem non eſt ab eis poſtulatum, num crederent Chriſtum realiter eſſe in Euchariſtia præſentem. Tales fuerunt Cypri Inſulæ Epiſcopi tempore Concilii Florentini. Fidem de Euchariſtia ſub Julio III. tradidit his verbis nomine Neſtorianorum, qui redierant, Simon Sulaca Monachus, eorum creatus Patriarcha: " Credimus in ſanctum Baptiſma, & in Sacrificium quod eſt corpus & ſanguis Chriſti. " Tum in urbe Caramita in Meſopotamia Sedem poſuit ejus ſucceſſor Abdjeſu, qui adfuit Concilio Tridentino: Primum iſte acrius hæreſim propugnaverat, & præcipue in libro inſcripto, *Margarita*, de quo tamen Echellenſis hæc verba refert: " Juſſu Domini panis mutatur in corpus ſuum, & vinum in pretioſum ſanguinem ſuum. " Poſtea vero ſecedens ad fines Perſarum, quidquid erroneum tenuerat, abjecit. Cum autem Paulus V. Pontifex maximus benigne excepiſſet Chaldæos Romæ, Elias eorum Patriarcha Legationem miſit, cum expoſitione eorum fidei; in hac autem ne unum quidem verbum dicit, quo aſſerat ſe ab Eccleſia Romana diſcrepare in articulis de præſentia reali, & tranſubſtantiatione; tribus autem annis Romæ permanſerunt, & cum oculati teſtes forent cultus qui redditur adorandæ Euchariſtiæ, nullus tamen eorum, illum improbaſſe legitur. Tum ad Patriarcham Paulus V. multa miſit opera, quibus probat unitatem naturæ in Chriſto, duas eſſe voluntates, ſed nihil de præſentia reali. Nullos Adæ Legato dedit libros in quibus hæc veritas probaretur; licet multos alios circa alia momenta ſecum iſte deportaverit.

Verum hic Legatus, qui Eccleſiæ Romanæ fidem profeſſus fuerat, celebriores de fide Euchariſtiæ dedit probationes, in colloquio, in quo refert hæreſes contrarias Eccleſiæ Romanæ, Petro Strozza Amanuenſi Pontifici his verbis: " Neſtorius, *inquit*, docet de Sacramentis nutriri nos corpore & ſanguine puri hominis qui non eſt Deus, ſed illi non adhæremus, manducamus enim verum corpus Dei incarnati, bibimus verum ſanguinem hominis Dei. " His adde teſtimonium Chriſtianorum San-Thomæ in India Orientali, qui in magno ſunt numero in his regionibus, quique obedientiam præſtant Patriarchæ de Muſal, quæ eſt antiqua Selucia; ſic autem conſecrant: " Hoc eſt in veritate corpus meum; Hic eſt in veritate calix ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in debitorum propitiationem, & in remiſſionem peccatorum. "

§ XII.

Digitized by Google

§. XII.

Non diſſimilis eſt fides Jacobitarum.

NEGATIVÆ probationes jam allatæ, valent pro iſtis Hæreticis; ad hos enim miſſa eſt profeſſio fidei Clementis VI. ſicut & ad ceteros Græcos; hanc fidem eos profiteri quotquot ad urbem Aleppi pervenere, aſſerunt. Id & affirmant Carmelitæ Diſcalceati, qui identidem a Pontifice ad haoc miſſi civitatem, fidem propagaodi cauſa; nullus eorum refert, quod Jacobitæ, qui ibi ſunt in magno numero, circa illud punctum aberreot. His accedit expreſſum teſtimonium Dionyſii Berſaliby Epiſcopi Damed, qui in ſuo commentario ſuper Liturgiam S. Jacobi, hæc tradit: " Dicimus, panem hunc „ cœleſtem in veritate & effectu eſſe „ corpus Filii Dei, & illud idem eſſe „ corpus perſonæ ipſius, quod aſſumpſit „ ex Maria, & factum eſt ſacrificium in „ cruce pro nobis. „

§. XIII.

Fides Maronitarum.

ISTI ſuot Chriſtiani, & cum Eccleſia Romana a multis ſæculis cooſociati, qui io monte Libano, aliiſque ſyriæ locis commoraotur. Pro eis erexit Romę Seminarium Gregorius XIII. Porro cum ioterſint ſacrificiis a Latinis oblatis, ſupervacaoeum eſt eorum pro Euchariſtiæ dogmate mentem promere; quocirca Calviniſtæ Scriptores, eos a Romanis non ſecernuot. Hoc autem notatu dignum eſt, quod aote ſuam cum Eccleſia Romana reconciliationem, nuſquam circa tum præſentiam realem, tum tranſubſtantiationem erraverint. Hujuſmodi errores nullus eis exprobrat; nec ſummi Pootifices ab eis exegerunt, ut circa illos articulos fidem Romanam profiterentur. Quin immo Abraham Echellenſis Maronita, ſplendida nationis ſuæ de illis momentis exhibet argumenta; in notis quippe ſuis ſuper catalogum operum Abjeſu, quæque tribuit Joaoni Maroni, hæc habet: " Eadem manus, quæ initio ſumpſit pulvurem ex terra, & eam mutaodo formavit corpus Adami, mutat etiam hunc „ panem, & efficit corpus Verbi ſumptum „ ex Virgine, & mutaodo vinum efficit „ ſanguinem extractum ex Virgine. „

§. XIV.

Fides Coptitarum & Æthyopum de præſentia reali.

NON abſimili modo præſentiam realem, & tranſubſtantiationem propugnant Coptitæ, & Æthiopes. Præter probationes negativas jam toties laudatas, ſequentes poſitivas ſubjicimus. Aono 1533. Franciſcus Alvarez nomine Imperatoris Æthiopum obedieotiam præſtitit Romano Pontifici, ipſius offerendo Litteras, quibus ille Princeps ſe abſolute amplecti fidem Eccleſiæ Romanæ teſtatur; noverat haud dubie quid iſta teneret circa Euchariſtiam, cum longo tempore io ipſius Aula permaoſerit memoratus Alvarez.

Damianus Gaz, qui adfuerat collationi, in qua Rex Emmanuel a Legato Æthiopum ſcire volens in multorum cooſpectu quid tenerent illi populi, refert in Epiſtola data ad Archiepiſcopum Upſalenſem articulos collationis, quos inter hic eſt: " Indubitatum Chriſti cum corpus, tum „ ſanguinem eſſe ſincera fide profitentur. „

Confirmatur ex teſtimonio trium Æthiopum, & relatum a Rartholdo Nihuſio in ſuo Programmo dato Romæ ann. 1671. his verbis: " Nos Æthiopes in veritate „ atteſtamur gentem noſtram venerari „ imagines Saoctorum, & credere cor„ pus, & ſanguinem Jeſu Chriſti præ„ ſentialiter adeſſe in ſancta Euchari„ ſtia. „ His adde totam Liturgiam inſcriptam, *Canon generalis Æthiopum*; hæc autem conſtat precibus pręſentiam realem vere denotantibus. Et vero poſtquam Sacerdos protulit verba conſecrationis, populus dicit ter, Amen: " Credimus & „ confitemur & laudamus te, Deus no„ ſter, HOC VERE CORPUS TUUM „ EST. „ Ita ſimiliter poſt cooſecratiooem calicis de ſanguine Domini creduot, & dicunt: HIC VERE SANGUIS TUUS EST.

Neque ab hac fide diſcedunt Indiarum Chriſtiani, qui S. Thomæ nomioe inſigniri gloriantur. In eorum Liturgia Sacerdos

dos dividens hoſtiam, hæc ſubjungit: " Accedimus Domine in fide veritatis „ nominis tui ad hæc ſancta Myſteria, ac „ pietatem tuam frangimur, & miſeri- „ cordia tua ſignamus corpus & ſanguinem „ Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in nomi- „ ne Patris & Filii & Spiritus ſancti. „

His omnibus addimus, fidem Orientalium de præſentia reali affulgere ex Concilio Lugdunenſi Gregorio X. Eccleſiæ clavum tenente, habito, in quo quidem Græci fidei profeſſionem nomine Clementis IV. & Grgorii X. eis oblatam ultro amplexi ſunt. In ea fides præſentiæ realis declaratur; neque tamen ſicut in iſto Concilio, ſic & in Florentino quidquam controverſiæ inter Latinos & Græcos motum eſt. Igitur credebant iſti citra dubium corpus & ſanguinem Chriſti in auguſtiſſimo Altaris Sacramento realiter adeſſe.

Hoc utique patet ex Auctorum Græcorum ſilentio, qui contra Eccleſiam Latinam 11. ſæculo & duodecimo acuerunt ſtylum. In primis Euthymius Monachus Zigabenus, Nicolaus Methonenſis, qui adverſus Chryſolanum Mediolanenſem Archiepiſcopum multa ſcripſerunt. Ne mireris tamen, amice Lector, ſi inter diſputandum ſiluerint Euchariſtiam; ratio non alia legitur, niſi quod præſentiam realem ex Traditione perpetua tenerent. Eam ipſam Nicolaus Cabaſilas Theſſaloni cenſis Præſul multis momentis probat in expoſitione Liurgiæ cap. 24. 27. 29. 30. 32. 47. & 49. Eamdem ſcriptis multo plures propugnavere.

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium ab auctoritate Patrum petitis.

OBJICIUNT: S. Ephræm nihil præter figuram in Euchariſtia admittit. Ergo &c. Probatur antecedens: L. *De natura Dei curioſe non ſcrutanda*, ait: " Diligenter „ intuere quomodo in manibus panem ac- „ cipiens, benedixit ac fregit in figuram „ immaculati corporis ſui, calicemque „ in figuram pretioſi ſanguinis ſui benedi- „ xit, deditque Diſcipulis ſuis: Et eſto „ tu quoque Sacramentorum ejus parti- „ ceps. „

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Chriſtus panem fregit, calicemque dedit in figuram Paſſionis ſuæ futuræ, concedo: in figuram corporis contenti ſub ſpeciebus, nego. Immo hoc repugnat vel ipſis terminis & ſcopo S. Ephræm: non enim omnem panem, omnemque calicem dari in figuram a Chriſto, ſed panem fractum, & calicem diviſum ſeu Diſcipulis diſtributum, qui corpus in cruce dilacerandum & calicem ſeu ſanguinem in ara crucis fundendum optime ſignificant, ſed ab Euchariſtia realitatem non excludit. Hunc ipſum aperiunt ſenſum iſta ſancti Præſulis ſubſequentia verba: " Particeps immaculatum cor- „ pus & ſanguinem Domini tui fide ple- „ niſſima, certus quod Agnum ipſum in- „ tegre comedas. „

Inſtat Albertinus: S. Epiphanius inhæret doctrinæ S. Ephræm, qui Eccleſiæ Edeſſenæ fuit Diaconus. Sed S. Epiphanius tum in expoſitione fidei, tum in Anacephalæoſi de Euchariſtia ſermonem inſtituens, ait: " Cibus quidem panis eſt, ſed „ virtus in eo eſt ad vivificationem. „ Quibus verbis nonniſi virtutem in pane vivificantem, nuſquam vero ipſum Chriſti corpus agnoſcit. Igitur ſicut S. Ephræm, ita nec S. Epiphanius præſentiam realem admittunt.

Reſpondeo primo, S. Epiphanius non in uno loco præſentiam realem deſendre; in Anchorato enim ita loquitur: " Vi- „ demus enim Salvatorem ipſum panem „ in manus accepiſſe, ut in Evangelio le- „ gitur: Quod a cœna ſurgens, hunc acce- „ pit, & gratias agens dixerit, *Hoc meum eſt* „ *hoc*... Neque quiſquam eſt qui ei ſermo- „ ni fidem non adhibeat. Nam qui verum „ illum eſſe non credit, a gratia & ſa- „ lute prorſus excidit. „

Reſpondeo ſecundo, diſtinguendo minorem: Et S. Epiphanius nomine virtutis vivificantis intelligit Verbum incarnatum quod latet ſub ſpeciebus, concedo: virtutem accidentalem a Chriſto divulſam, nego: unde nego utramque conſequentiam. Porro Verbum non ſemel a Patribus ut a S. Hilario, vocatur virtus vivificans, & hunc eſſe ſancti Epiphanii ſenſum annuntiant ejus verba modo laudata, quibus clare admodum præſentiam realem & explicat & tuetur.

Reponunt: Heſychius qui vixit ſeptimo circiter ſæculo, nonniſi ſanguinem intelligibilem, hoc eſt metaphyſicum & imaginarium agnoſcit in Euchariſtia. Igitur ea

ea tunc temporis erat ſententia de altaris Sacramento nihil præter figuram remanere. Ecce Heſychii verba L. 2. " Ipſe Dominus, *inquit*, primus in cœna ,, myſtica intelligibilem accepit ſanguinem, atque deinde calicem Apoſtolis ,, dedit. ,,

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Heſychius ſanguinem in Euchariſtia intelligibilem vocat, ratione modi eum agnoſcendi & videndi, concedo: ratione ſui, nego. Corpus & ſanguis Chriſti realiter, & nemine etiam cogitante latent ſub ſpeciebus; quia vero ſolo fidei intellectu videntur, ideo corpus intelligibile, & ſimiliter ſanguis intelligibilis ab Heſychio vocantur, quibus terminis unum dumtaxat probare intendit, Chriſtum in Euchariſtia oculis corporis non videri, ſed ſolum mentis, per fidem adjutæ, conſpici.

Inſtat Albertinus: Heſychius ibidem ait, Euchariſtiæ reliquias igne comburendas eſſe: ſed abſurdum eſt dicere corpus Chriſti igni tradendum eſſe. Igitur non credidit Heſychius corpus Chriſti eſſe realiter in Euchariſtia.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem: Abſurdum eſt dicere corpus Chriſti in ignem projiciendum eſſe, ut comburatur ratione ſui, concedo: ratione ſpecierum, nego. Sacramentum altaris cum ſit ſignum, ſupponit pro ſpeciebus ſenſibilibus & corpore Chriſti. Non ſemel evenit, morem inoleviſſe, graſſantibus Berengarii, & Proteſtantium erroribus, reliquias Euchariſtiæ igni ob reverentiam tradere, ne ſcilicet Sacramentum in pixide ſervatum exponeretur improperiis impiorum, qui furore in Myſterium ſanctæ religionis acti, tantum Sacramentum ſępius conculcaverunt. Solutio colligitur ex Guitmundo, qui L. 2. loquitur: " Sacramenti ſubſtantia nullatenus crematur, qualitates vero ſenſuales, quas ibidem poſt ,, immutationem ſubſtantiæ Deus remanere altiſſimo conſilio voluit, oſtendunt ,, quod ſuum eſt. ,,

Non abſimilia dicit Algerus Lib. 2. cap. 1. his verbis: " Quod autem etiam a religioſis incendio tradi, & ibi diſparere dicuntur ipſæ ſacramentales ſpecies, ,, non ad indignitatem Chriſti fit, quaſi ,, ignibus exurendus tradatur, quod impoſſibile eſt, cum ſit omnium elementorum Deus. Sed quoties aliqua talis ,, indignitas ipſi Sacramenta negligenter ,, acciderit, ut horrorem ſumendi incutiant ipſæ ſenſuales ſpecies, quas ibidem Deus altiſſimo ſuo conſilio poſt ,, mutationem ſuæ ſubſtantiæ remanere ,, voluit, ignibus tradunt, ut oſtendant ,, quod ſuum eſt, deficiendo & diſparendo ſine omni fæditate in illo puriſſimo ignis elemento. ,,

Replicans: Pagani, Chriſtiani nominis infenſiſſimi hoſtes, nihil exprobarunt Catholicis circa Euchariſtiam, quod tamen citra dubium feciſſent, ſi ea fuiſſet Fidelium fides Chriſtum realiter adeſſe ſub ſpeciebus. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Ethnici nihil Chriſtianis circa Euchariſtiam dixerunt, quia œconomiæ cauſa Catholici tum eis, tum etiam Catechumenis occultabant Religionis Myſteria, concedo: Ex eo quod fides de præſentia reali inter Chriſtianos non floreret, nego. De hac œconomia multus eſt in operibus Patrum ſermo; eam commendant Synodus Alexandrina apud ſanctum Athanaſium Apol. 2. Cyrillus Hieroſolymitanus Cath. 6. illuminatorum, Epiphanius Hereſ. 42. Tertullianus Apol. cap. 7. & Lib. 2. ad uxorem cap. 5. Inter omnes vero ſanctus Baſilius de Spiritu ſancto cap. 27. his verbis: " Qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres ,, in occulto, ſilentioque Myſteriis, ſuam ,, ſervavere dignitatem. Neque enim ,, omnino Myſterium eſt, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc ,, eſt ratio cur quædam citra ſcriptum ,, tradita ſunt, ne dogmatum cognitio, ,, propter aſſuetudinem, vulgo veniret in ,, contemptum. ,,

Inſiſtunt: Julianus apoſtata Myſteria Eccleſiæ, optime noverat, quippe qui fuerat Baptiſmo initiatus, & inter Chriſtianos viveret: Apoſtata vero factus fidem per omnia tentare verbis & ſcriptis conatus eſt. Atqui tamen nec in ſcriptis ejus, nec in auctoribus qui ejus errores vel recenſuere, vel etiam impugnavere, nihil adverſus præſentiam realem eum dixiſſe referunt, quod dubio-procul non omiſiſſet, cum cuncta voluerit religionis chriſtianæ explodere myſteria. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et non certum eſt Julianum non impugnaſſe Euchariſtiam, concedo: & hoc compertum

Digitized by Google

cum habemus, nego. Hujuſce ſolutionis non una eſt ratio. Prima eſt, quod ex tribus libris quos ad debellandam fidem ſcripſerat, duo poſteriores exciderunt, & prior ſolum, ſed & mutilatus apud S. Cyrillum habeatur. Altera: Julianus non in primo ſed in ſecundo dumtaxat Evangelii libro miracula & prodigia ſibi impugnanda propoſuerat. Tertia demum: dato & non conceſſo, PP. in libris Apoſtatæ non dixiſſe præſentiam realem impugnari, hoc ipſum ſcriptis mandare æquum non duxerunt, ne Myſterium ab Ethnicis illuderetur: " Ne detis, *ait Cyrillus* ,, *Alex. in libris contra Julianum*, ſanctum ,, Canibus, neque projiciatis margaritas ,, veſtras ante porcos. ,, Et cum pauca de Baptiſmo dixiſſet, ſubjicit: " Plurima de ,, his alia, veraque dicerem ... ,, Niſi ,, prophanorum aures metuerem. Fere ,, enim rideri ſolent, quæ vulgo percipi ,, nequeunt, quoniam ſub mentis imbecillitatem non vident, & quæ omni admiratione proſequi par eſſet, ea nihil faciunt.,,

Solvitur objectio Proteſtantium, quam ex antiquitate prætenſa ſuæ Sectæ ducunt.

OPPONUNT: Doctrina multis retro ſæculis celebrata uti Catholica haberi debet. Atqui doctrina de ſola corporis & ſanguinis Chriſti figura in Sacramento Altaris talis habenda eſt. Ergo &c. Probant minorem: Hujuſmodi opinionem Valdenſes tenuerunt, ipſi vero ab Albigenſibus acceperant. Ergo &c.

Reſpondeo primo, doctrinam Catholicam non quacumque antiquitate fulciri, ſed ea quæ ſuam a Chriſto per Apoſtolos ducit originem: unde dato & non conceſſo, quod Sacramentariorum circa Euchariſtiam hæreſis, a Valdenſibus & Albigenſibus, immo & a primis ſæculis ortum haberet, ſi conſtet non promanaſſe ab Apoſtolis, prorſus abdicanda eſt. Et vero Cerdon vel ipſo primo ſæculo docebat Chriſtum eſſe merum hominem. Manes ſecunda circiter Chriſtiani nominis ætate, eſſe duo prima principia ajebat: & ſic de ceteris hæreſibus, quæ decurrentibus ſequentibus ſæculis in mundo graſſatæ ſunt. Ergone veritatem annuntiabant? Abſit vel cogitare, cum ubique terrarum eis contradictum ſit. Et ex ipſa nota arguuntur de novitate & falſitate Proteſtantes, cum ipſe Chriſtus refellendo Capharnaitas, illos etiam ex præoccupata damnatione exploſerit: quæ quidem proſcriptio repetita legitur, quoties adverſus præſentiam realem reclamatum eſt. Quaſi vero ex antiquitate obrepens error prævalere deberet, & haberi ut veritas.

Reſpondeo ſecundo, fidem præſentiæ realis eſſe Patrum primi Concilii generalis, ſimiliter & tertii calculo muniri & obſignari; quæ quidem Concilia, ut veram Chriſti doctrinam continere fatetur Calvinus. Qua fronte igitur & quo ſcopo eam, quæ eſt de præſentia reali ejus aſſeclæ temerare audent?

Reſpondeo tertio negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Valdenſes novi a Calviniſtis deluſi Euchariſtiam typum Domini dixere, concedo: antiqui Valdenſes & primarii, nego. Ut igitur novitatem Proteſtantium oſtendamus, nec duces Luthero & Calvino antiquiores eos habere, non injucundum erit Valdenſium, immo & Albigenſium, quos Scriptores Calviniani cum iſtis confundunt, originem texere.

Hiſtoria critica Albigenſium, eorumque errores.

Ortus.

ALBIGENSES ſunt hæretici qui Manicheiſmum exſuſcitarunt. Primum ex Bulgaria ad Italiam, ab Italia in Galliam, poſtremo a Gallia in Germaniam Hiſpaniamque tranſmigrarunt. Magnas tempore Alexandri III. & Friderici Primi anno circiter 1176. in Eccleſia moverunt tragœdias. Suos in primis Albiæ, unde Albigenſes dicti, & in mille ferme Vaſconiæ urbibus diſſeminavere errores, ut refert illuſtriſs. Boſſuetius Lib. 11. Variet. pag. 170, & ſeq.

Manichæi in Occidente ſerpere cœperunt anno 1000. Quædam fœmina Aureliæ eorum vulgavit errores, anno 1017. ſub rege Roberto? duo iſtius urbis Canonici, quorum unius nomen Heribert, alterius vero Liloſus, venenum ebiberunt. Leges Romanæ cod. de Hær. Lib. 6. mortis ſupplicio inſectantur Manichæos. Viguier, quem Proteſtantes ut hiſtoriæ reſtauratorem habent, ſcribit 2. part.

hiſt. pag. 672. Robertum regem anno 1022. igni eos tradidiſſe. Eos Albigenſes ut Manichæos habent, Ecbert Serm. 1. & 11. D. Bernardus in duobus ſermonibus in Cantica. Alanus Monachus Ciſtercienſis, qui anno 1202. ſcribebat. Item & Reinerus, qui gnarus in Manicheiſmo erat, quippe qui primum Manichæus, deinde Dominicanus, Tom. 4. 2. part. cap. 6. pag. 733. ubi Valdenſes ab eis ſecernit. Namque Manichæi abnuebant Euchariſtiam, e contra vero Lugduni pauperes. Ex quo ſequitur hanc infamiæ labem inuri poſſe Proteſtantibus, quod ſuam trahant a Manichæis originem, ſiquidem Valdenſes eos ut patres ſuos agnoſcunt, & ab Albigenſibus promanare contendunt.

Quod autem Albigenſes Manichæorum ægritudinibus laborarent, ex tribus potiſſimum conſtat. Primo quidem ex Hiſtoricis ſacris; ſecundo ex erroribus qui illis, nemine præter Heterodoxum aliquem reclamante, tribuuntur; tertio ex Summis Pontificibus, Conciliis, Patribus & Theologis, qui eos uti tales inſectati ſunt. Ex quibus mox patebit quantum aberret a veritate Beza, qui Lib. 2. pag. 35. & 39. aſſerit Valdenſes ab ævo e memoria præ diuturnitate elapſo, ſeſe ut murum æreum Eccleſiæ Romanæ abuſibus oppoſuiſſe, Sectamque eorum ab anno 120. cœpiſſe invaleſcere.

Progreſſus.

SERPSIT in pejus zizania in agro Domini ab inimicis hominibus diſſeminata: & nedum Toloſam, & Albiam, & mille circiter Vaſconiæ civitates, ſed & multo plures in Germania Hiſpaniaque occupavit contagio erroris, quem quidem primum occulte, tum & publice Novatores prædicabant, & quod pejus, ſuadebant.

Errores Albigenſium.

PRIMO: Duos admittebant Deos, bonum unum & inviſibilium creatorem: Malum alterum rerum viſibilium quæ mutationi obnoxiæ ſunt, auctorem. *Baronius ad annum* 1176.

Secundo: Aſſerebant Chriſtum nec Deum, nec etiam purum hominem eſſe. *Antoninus part.* 4.

Tertio: Ex iſto fucatu principio inferebant Chriſtum non niſi carnem phantaſticam habuiſſe; & conſequenter nec vere manducaſſe, bibiſſe, paſſum fuiſſe, reſurrexiſſe. *Guido.*

Quarto: Contendebant Eccleſiam non poſſe quemquam excommunicare, nec malos ullo modo perſequi. *S. Antoninus 2. part. Summæ tit. 11. cap. 7. §. 5.*

Quinto: Negabant corpus Chriſti confici poſſe in Euchariſtia a Sacerdote aliquibus criminibus irretito. *Baron. ad annum* 1176.

Sexto: Exiſtimabant novas animas non ſemper creari, ſed eas de uno in aliud corpus, etiam animalium, tranſmigrare. *Guido Carmelita.*

Septimo: Peccatum non a libero hominis arbitrio, ſed potius a Deo profluere non ſine blaſphemia effutiebant. *Cæſarius Heiſterbachius l. 5. cap. 22.*

Octavo: Si aliquis eſt in Spiritu ſancto, dicebant, & faciat fornicationem, aut alia quævis obſcœna, non peccat, quia ille Spiritus qui eos movet & regit, impeccabilis eſt. *Cæſarius Heiſt. ibidem.*

Nono: Putabant Sacerdotes, eo ipſo quo peccabant, & vitam Apoſtolicam non ducebant, a ſua excidere poteſtate. *Baronius ad an.* 1176.

Decimo: Corporis & ſanguinis Chriſti floccifaciebant ſacrificium, unde vaſa ſacra dehoneſtabant. *Matthæus Pariſius ad annum* 1213.

Undecimo: Nolebant templa in honorem tum Dei, tum Sanctorum erigi. *Baronius ad annum* 1176.

Duodecimo: Ad ſalutem ſufficere cuilibet homini ſua deponere peccata, & confeſſione facta, inutilem eſſe pœnitentiam. *ibidem. Baron.*

Decimo tertio: Statuebant nec paradiſum, nec infernum eſſe, ſed cognitionem Dei, qualem ſe habere jactitabant, eſſe paradiſum, infernum vero, peccatum mortale in anima reſidens. *Cæſarius Heiſt. l. 5. cap. 12.*

Decimo quarto: Magdalenam Salvatoris pediſſequam eſſe mulierem in adulterio deprehenſam. *Petrus Vallis-Sarnenſis in hiſtoria Albigenſium.*

Decimo quinto: Duos fuiſſe Chriſtos ſomniabant, alterum in Bethlehem civitate natum & crucifixum: alterum qui terram a noſtra diverſam ſortitus, in qua naſceretur & mortem ſubiret. *Petrus Vallis-Sarnenſis ibidem.*

Deci-

Decimo-ſexto: Bonum Chriſtum numquam comediſſe dicebant, nec umquam in hoc mundo fuiſſe niſi ſpiritualiter in corpore ſancti Pauli Apoſtoli. *Idem ibidem*.

Decimo-ſeptimo: Corporum reſurrectionem impugnabant, aſſerebantque animas noſtras eſſe ſpiritus illos rebelles, qui propter ſuperbiæ ſcelus e cœlo dejecti, corpora ſua glorificata in aere deſtituerunt, & ipſas animas poſt ſucceſſionem qualiumcumque corporum ſeptem, & terrenorum inhabitationem, quaſi tunc demum pœnitentia peracta, ad illa derelicta corpora remeare. *Petrus Vallis-Sarnenſis ibidem*.

Decimo-octavo: Arbitrabantur non eſſe peccatum gravius inceſtum vel in primo & ſecundo gradu, quam quolibet aliud impuritatis ſcelus cum extranea perpetratum. *Idem ibid.*

Decimo-nono: Non dubitabant aſſerere illos omnes fœtidos errores ſe ex Evangelio & Apoſtolorum Epiſtolis excerpſiſſe. *Baron. an.* 1176.

Interitus ſeu Proſcriptio.

INNOCENTII III. hortatu Catholici Principes ſacram militiam, Simone Montfortio duce conſtituto, ſuſceperunt. Quem Albigenſes ad Muretum in agro Toloſano oppidulum adorti ſunt, habentes in ſuo exercitu centum millia armatorum, quorum ducebant phalanges ſeu legiones Rex Aragonum, & Toloſanus Comes. Verum Montfortius ope divina, & precibus Dominici in aere certaminis conflictu præſentis fretus, cum octingentis equitibus & mille peditibus ſolum, ingentem hanc hoſtium multitudinem vicit & profligavit, inter quos Rex Arragoniæ vulneratus, occubuit cum octoginta ſuorum millibus. *Antonius le Grand. Fr. Minorum Recollectorum quondam Miniſter Provincialis Hiſt. Hær.*

Proſcripti ſunt Albigenſes, ut Manichæiſmum reſtaurantes, I. in Concilio Gallicano an. 1176. tempore Alexandri III. Papæ. II. In Concilio Oecumenico Lateranenſi an. 1179. ſub eodem Alexandro III. & in alio Lateranenſi an. 1215. ſub Innocentio III. III. In Concilio Toloſano an. 1228. tempore Gregorii IX. Papæ. IV. In Concilio Biterrenſi tempore Innocentii III. Adverſus eos ſuum acuerunt ſtylum Reinerus, Echertus, Alanus, S. Bernardus &c. *Petrus Vallis-Sarnenſis*.

Hiſtoria critica Vvaldenſium.

Ortus.

A Petro Waldone Lugduni quondam divite mercatore, Waldenſes nuncupati ſunt. Iſte judiciorum Dei timore perterritus, ſuas pauperibus erogavit divitias, ut, relictis omnibus, vitam duceret Apoſtolicam: ſed Evangelicæ vitæ profeſſionis prætextu, varios tum viva voce, tum ſcriptis vulgavit errores: ſuo quippe proprio inflatus ſpiritu, aſcitis ſibi quibuſdam ſectatoribus, munus prædicandi ſibi arrogare auſus eſt. Eccleſiæ Prælatos & Clerum peſſundans, de ſua impietate monitus non reſipuit, dicere ſolitus, magis Deo quam hominibus obediendum eſſe. Reinerus Hiſt. 2. part. cap. 5. pag. 749. Illuſt. Dom. Boſſuetius Meld. Epiſc. Hiſt. Variar. tom. 2. p. 213. & ſeq.

Waldenſes Romam an. 1181. ut ſcribit Conrad Abbas Durſpergenſis Chron. 1212. venerunt ut ſuarum ſuperſtitionum confirmationem a Papa obtinerent: ſed a Lucio III. propulſi abierunt. Alphonſus Arragoniæ Rex eos inter Hæreticos a Lucio damnatos an. 1194. annumerat. Bernardus Narbonis Præſul eoſdem proſcripſit Tom. 4. BB. PP. 1. pag. 1195. ex quo liquet, *ait Boſſuetius pag.* 216. Waldenſes nondum tunc temporis ab Eccleſia receſſiſſe; cujus rei argumentum eſt, quod collatio, ut ad meliorem redirent frugem, eis conceſſa eſt cum Presbytero pio & erudito, cujus nomen eſt gallice, *Raimon de Davantrie*, in qua quatuor ſolum diſcuſſa, tum & ab eis expoſtulata ſunt: I. An obedientiam Paſtoribus non præſtarent? II. Cur laici utriuſque ſexus abſque miſſione verbum Dei prædicarent? III. Cur pro mortuis preces fundere recuſarent? IV. Cur Eccleſiis aſſiſtere renuerint, & Deum non niſi in abſcondito orare ſtuderent? Sed nihil de Euchariſtia eis objicitur.

Alanus Lib. 2. pag. 175. errores Waldenſium recenſet, nec eis aliud exprobrat, niſi quatuor iſta modo recenſita, maxime vero quod Donatiſmum ſpirantes, ma-

malos Sacerdotes, commiſſo aliquo peccato, ſtatim a poteſtate conficiendi Sacramenta exciderent: quam tamen ſibi arrogare, & mulieribus virtuoſis concedere non erubeſcebant.

Quid plura adjiciam? Petrus de Vaucernay, vir cordatus & fidelis Hiſtoricus anno 1209. ſcribit, Waldenſes non abiiſſe in exceſſus Albigenſium, nec alios præter citatos errores eis tribuit, ſed nihil de Euchariſtia; addit quoque illos appuliſſe Romam anno 1212. ut ab Innocentio III. ſuorum errorum diſſeminandorum licentiam impetrarent, ſed repulſos, ſe ſaltem extrinſecus Eccleſiæ decreto ſubmiſiſſe.

Ex his ſplendida deteguntur Miniſtrorum mendacia; falſum eſt enim quod Paulus Perrin ſcribit Hiſt. Wal. caput 1. anno 1160. mortis pœnam inflictam fuiſſe iis omnibus qui præſentiam realem abjudicarent, & Waldenſes ſeſe huic edicto per fas & nefas oppoſuiſſe, cum nullos tunc temporis haberent circa præſentiam realem nævos, quam certe & Petrus Waldo, & ſui tenuerunt quinquaginta annorum ſpatio, inquit Boſſuetius hic p. 225. Namque primum Concilium contra Waldenſes adunatum eſt Tarracone anno 1242. Tum centum poſtea elapſis annis, Pylicdorſ. refut. Wald. tom. 4. BB. PP. 2. part. pag. 778. nihil de Euchariſtia actitatum refert. Silet quoque iſtud caput Emericus inquiſitor, qui interrogatis Waldenſibus, hic ſolum de eis loquitur, quod ex Gallico Illuſtriſſ. Boſſuetii ſermone pag. 229. latine ſic reddimus: " Volunt panem non tranſubſtantiari in corpus Jeſu Chriſti, ſi Sacerdos peccator eſt. ,, Non diſſimilia leguntur Tom. 4. BB. PP. 2. part. p. 820. 832. & 836.

Incaſſum Albertinus reponit Seiſſel, qui floruit regnantibus Ludovico XII. & Franciſco I. propter eruditionem Archiepiſcopus Taurinenſis inauguratus, Libro adverſus Waldenſes anno 1520. fol. 1. & ſequentibus eorum texere errores, & eo loci fol. 55. & 56. æquum non duxiſſe de Euchariſtia ſermonem inſtituere, eo quod quidam inter eos Euchariſtiam irriderent: namque de omnibus Waldenſibus hoc non ſcribit Seiſſel. Quæ enim eſſet apud Sectam de præſentia reali opinio, ex duobus irrefragabilibus argumentis conſtat, ſcilicet ex uno teſtimonio quod ille Præſul commemorat: 2. ex actibus authenticis qui reperti in Manuſcriptis Domini de Thou, nunc extant, inquit illuſtriſſ. Boſſuetius hic pag. 233. in Bibliotheca Marchionis de Seignelay.

Primum eſt quod Seiſſel unum e Waldenſibus ſic loquentem inducit, & latine ſic redditur: ," Quomodo Epiſcopus & ,, Sacerdos qui eſt Dei inimicus, Deum ,, poterit aliis propitium reddere, ille ,, qui a regno Dei ejectus eſt? Quomodo ,, poterit illius claves habere, cujus nec ,, preces, nec ceteræ actiones utiles ,, ſunt? Quomodo ad ejus preces Chri- ,, ſtus panem & vinum in corpus & ,, ſanguinem ſuum transformabit, & ab ,, illo ſinet ſe tangi? ,, Audis Waldenſem præſentiam realem profiteri anno circiter 1517.

Celeberimæ ſunt inquiſitiones factæ anno circiter 1495. per modum proceſſus verbalis, & Waldenſium valles Sabaudiæ incolentium reſponſiones, quales leguntur in manuſcriptis laudatis. *Thomas Quoti* incola vallis Pragellæ, interrogatus num eorum ſeniores, quos Barbes nuncupant, illos docerent fidem præſentiæ realis? reſpondit: " Quod Barbes prædica- ,, rent & docerent, Capellanum ſacris ,, ordinibus initiatum proferentem verba ,, conſecrationis ſuper altare ex pane cor- ,, pus Chriſti efficere. Adhuc dixit preces ,, inter ambulandum, vel etiam in domo ,, factas, æqualis eſſe ponderis cum eis ,, quæ in templo funduntur. ,,

Rurſus idem *Quoti* reſpondit: " Se ſe- ,, mel in anno tempore Paſchatis recipere ,, corpus Chriſti, & Barbes docere ne- ,, ceſſe eſſe accedentes prius confeſſione ,, ſe probare, ſed confeſſionem potius Bar- ,, bes quam Capellano faciendam eſſe: ,, quia Barbes ſanctiorem ducebat vitam. Illuſtriſs. Boſſuetius pag. 234.

Quod tunc ab Eccleſia nondum diſceſſerint patet ex pluribus momentis: 1. Quia conſulebant ſummos Pontifices, quibus ſaltem extrinſecus obediebant. 2. Non errabat circa Sacramenta, cum & Pœnitentiam, & Euchariſtiam, & Ordinem ſpecialiter admitterent, & alia non abjudicarent. Illuſt. Boſſuetius pag. 237. & 238. Alteram ſuppeditat rationem Renier hiſt. de Albigenſibus & Waldenſibus, quos diſtinguit; namque caput 5. pag. 752. ſcribit Waldenſes diebus ſupra

modum

modum feſtivis templum inviſere, & ne detegerentur, cum turbis Fidelium promiſcue ad ſacram ſynaxim accedere. Ecce hæretici occulti quos perperam ut Euchariſtiæ hoſtes ventilant Calviniſtæ.

Non negamus Waldenſes non nihil temeraſſe Extremam-Unctionem, ſed potius uſum quam rem, eo quod ſolis divitibus non ſine ſcandalo concederetur; cæremonias Baptiſmi, non ipſum Baptiſma flocci faciebant: hinc abſolutionem pueris factam uti cæremoniam ad ſalutem non prodeſſe effutiebant. De Confirmatione nihil contrarium aſſerebant. Non abnegabant Sacramentum Matrimonii, ſed abuſum. Ita Renier ibidem refert 711. Illuſtriſſim. Boſſuetius pagina 241. ubi hæc verba Renier referuntur. " Damnant „ Sacramentum Matrimonii, dicendo uxo- „ ratos peccare mortaliter, cum ſecluſo „ prolis generandæ motivo, illo utun- „ tur. „ Suos habebant illi hæretici Paſtores, quod gallice *Barbes*, latine *Barbas* appellabant.

Progreſſus.

WALDENSES calamitatibus oppreſſi, poſt multas variaſque ſolicitationes ut auxilium haberent, protectores voluerunt habere Proteſtantes anno 1530. Bucerus, & Oecolampadius, tum Zuingliani multos novos articulos credendos eis propoſuerunt & contra Euchariſtiam, & contra liberum hominis arbitrium, ſicque an. circiter 1536. Calviniſtæ & Sacramentarii evaſerunt. Illuſt. Boſſuetius a pagina 246. uſque ad 274.

Tunc in pejus crevit Waldenſium hæreſis, cum ab hoc tempore unam compoſuerunt cum Calviniſtis ſectam, quæ poſtea invaſit Sueciam, Daniam, Bataviam, partem Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ & Galliæ. Ex Waldenſibus orti ſunt Iſabbatati, hoc nomine inſigniti, quod qui inter illos perſectiores haberentur, notam aliquam in ſuperiori parte calcei ſeu ſubtalaris, quod ſabbatum appellabant, gerere ſolerent. Circa dogmata cum Waldenſibus conveniunt.

Errores Vvaldenſium.

PRIMO: Iterum atque iterum propulſi a Romanis Pontificibus, qui eorum factionem approbare renuerant, nihil ſibi cum eis agendum eſſe dixerunt, & in apertum ſchiſma irruentes, prædicare non ceſſarunt Decreta Pontificia, etiam dogmatica, nullius eſſe momenti; quin immo totum Romanæ Eccleſiæ ſtatum nedum in membris, ſed & in capite damnare non erubuerunt. *Conradus Veſpergienſis ad annum* 1180.

Secundo: Eccleſiam Romanam tempore ſancti Sylveſtri Pontificis defeciſſe, ac proinde nulla vera in ea fieri miracula non ſine auſu temerario conclamabant. *S. Antonius* 4. *part. Summæ tit.* 11. *cap.* 7. §. 2.

Tertio: Omnes benedictiones, quas Eccleſia ſuper panem, vinum, aquam, oleum, ſalem, ceram, incenſum, ramos palmarum, veſtes ſacerdotales, vaſa ſacra, cœmeteria, & ſimiles facit, irridebant, immo & ſubſannando peſſundabant. *Reynerius in fragmentis.*

Quarto: Tempore Quadrageſimæ carnem, ova & reliqua his temporibus prohibita comedunt, dicentes in hoc nullum perpetrari peccatum. *Alphonſus.*

Quinto: In eam prorupere ſententiam, ut aſſerere non dubitaverint, urente libidine, omnem carnalem commixtionem, tam inter viros reſpective, quam inter mulieres licitam eſſe. *Guido Carmelita.*

Sexto: Imagines tum Chriſti, tum Beatæ Virginis, & Sanctorum ab Eccleſiis expungendis expulſandiſque contendunt, earum cultum ut idololatriam habentes. *Prateolus*,

Septimo: Indulgentias irrident, nullamque in Eccleſia eas conferendi poteſtatem agnoſcunt. *Alphonſus.*

Octavo: Semel in anno, hoc eſt, in cœna Domini, Miſſam celebrant, non cum illa verborum forma, *Hoc eſt corpus meum*: ſed recitando ſepties, *Pater noſter*. *Guido cap.* 9.

Nono: Exiſtimant Sacerdotes in grave peccatum prolapſos nec Euchariſtiam conficiendi, nec a peccatis abſolvendi habere poteſtatem, ita ut omnis poteſtatis character vel ex ipſis laicis peccantibus excidat. *S. Thomas Lib.* 4. *contra Gentes*, & *alii ſupra citati auctores*.

Decimo: Nullum ſtatuunt inter Sacerdotes diſcrimen: hinc non minus ſimplicem Sacerdotem, quam Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis miniſtrum autumant. *Alphonſus.*

Undecimo : Ut primum ad partes Calviniſtarum abiere , Confirmationem & Extremam Unctionem e numero Sacramentorum expunxerunt . *Antonius le Grand Recollectus Hiſt. Hær.*

Duodecimo : Sanctos eſſe colendos & invocandos abnegant . *Alphonſus* .

Miſſo ceteras eorum ſuperſtitiones , de quibus ſupra dictum eſt .; P. Alexander Hiſt. 12. Sæculi §. 2. & 3. eas fuſo calamo recenſet .

Interitus ſeu Preſcriptio .

DAMNATA eſt Waldenſium hæreſis 1. ab Alexandro III. Summo Pontifice in Concilio Turonenſi anno 1163. II. In Concilio Lumbarienſi a Girardo Albigenſi Epiſcopo. III. In Concilio Occumenico Lateranenſi ſub Alexandro III. Can. 27. anno 1179. Rurſus in alio Lateranenſi ſub Innocentio III. anno 1215. Item a Gregorio IX. in Conſtitutione edita anno 1236. quæ inſerta eſt libro 5. Decretalium tit. 7. *de Hæreticis* . caput *Excommunicamus & anathematizamus univerſos Hæreticos* , *Catharos* , *Patarenos* , *Pauperes de Lugduno* , *Paſſagines* , *Arnaldiſtas* , *Speroniſtas* , &c. Contra Waldenſes ſcripſere Ecbertus Abbas ſanctæ Eliſabethæ , Eberardus de Bethunia Flandrenſis , Bernardus Fontis-Calidi , Ermengardus , & alii quorum opera extant in Biblioth. Patrum .

Ex his hiſtoriis liquet quod Miniſtri cauſam ſuam deploratam animadvertentes , fruſtra , pro more Heterodoxorum , ad loca Hiſtoritorum obſcura confugerint , ut pro peſſima Calvini ſecta , antiquitatem ab Albigenſibus efflagitarent ; ſed certe incaſſum , cum luce pomeridiana clarius affulgeat , Waldenſes & ab Albigenſibus in immenſum diſtare , & errores Proteſtantium non niſi poteſt multa ſæcula a Zuinglio , Farel , & Bucero mutuaſſe .

Replicant Miniſtri de la Roque , pag. 457. & Albertinus , 964. Apud illuſt. Boſſuetium pagina 261. dicuntque , 1. juxta Cæſarium Heſterbenſem Lib. 5. caput in Bib. Ciſter . quidam erant Hæretici qui : " Corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti blaſphemabant . ,, Quos Waldenſes fuiſſe contendunt illi Novatores . 2. M. de la Roque ibid. p. 458. citat Petrum Moran , qui ut refert Baronius ad ann. 1178. compulſus ſuam declarare fidem , ingenue confeſſus eſt , quod : " Panis conſecratus eſſet corpus Domini noſtri . ,, 3. Subdit p. 457. " Emericus tribuit , *Waldenſibus* ut hæreſim , quod non crederent panem tranſubſtantiari in corpus Chriſti , & vinum in ejus ſanguinem . ,, Ecce , inquit Miniſter , primi Waldenſes qui nihil aliud præter figuram corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtiæ Sacramento agnoſcunt 4. Albertinus pagina 968. De la Roque p. 460. ultro quidem fatentur inter Albigenſes fuiſſe quidem Manichæos , qui Cathari , ſeu Puri vocabantur , ſed numero paucos , cum vel ipſe Reinerus c. 6. aſſerat eos in toto terrarum orbe ſexdecim ſolum occupaſſe Eccleſias , & Catharos non exceſſiſſe 4000. hominum numerum . Supereſt igitur , inquiunt , Albigenſes , quorum erat in diverſis regnis numerus magnus , fuiſſe Waldenſium primos parentes . Et omnes ſimul ſenſum dumtaxat figuratum propugnaſſe in Euchariſtia . Ad hæc inania breviter , ſed ſed efficaciter poſt illuſt. Boſſuetium reſpondeo .

Ad primum quidem , Hæreticos de quibus loquitur Cæſarius , fuiſſe Manichæos , quippe qui vel ipſo teſte Cæſario duo admitterent principia . Boſſuet . pag. 261.

Ad ſecundum dico , Petrum Moran fuiſſe quoque Manichæum , ut videre eſt apud Baron. anno 1178. quod liquet ex ipſo auctore a Miniſtro De la Roque citato . Boſſuet pag. 262. Nec felicior eſt ille Miniſter dum deflorat canonem 3. Concilii Toloſani ann. 1119. ſub Calixto II. ubi agitur de Hæreticis , qui corpus & ſanguinem Chriſti abjiciebant , in eodem quippe canone habetur quod utique & Baptiſmum pro pueris , & Matrimonii Sacramentum exploderent . Igitur non alii quam Manichæi erant . Boſſuet pagina 263.

Ad tertium diſtinguo : Emericus loquendo de prioribus Waldenſibus ait , eos negare tranſubſtantiationem , ſi Sacerdos impius & malus conſecraret , concedo : ſin minus , nego . Emericus eſt ſui ipſius interpres . Ecce eius verba a Miniſtro de induſtria forſan omiſſa : " Nonus error Waldenſium eſt , quod panis non eſt tranſubſtantiatus in corpus Jeſu Chriſti , ſi Sacerdos conſecrans peccato laboret . ,, Purgant quidem Waldenſes Miniſtri

niſtri a Manichæiſmo, ſed nullo modo probant eos negaſſe tranſubſtantiationem. Illuſt. Boſſuet. pag. 263. & 264.

Ad quartum dico, Rainerum eo loci nomine Eccleſiæ non intelligere unam Eccleſiam particularem, ſed pro una tota Provincia, vel etiam Regno: ſicque inter ſexdecim Eccleſias laudatas, computantur Eccleſiæ Bulgariæ, Galliæ, Hiſpaniæ ubi erant diſperſi Albigenſes; immo tota Lombardia nomine duarum tantummodo Eccleſiarum comprehendebatur: ſimiliter & Vaſconia nomine unius ſolum ſic intellexit Reinerus cap. 6. Eſto quod ex illis, quos ex Auguſtino Manichæi vocabant electos & perfectos, ſeu Catharos juxta Reinerum nonniſi ad 4000. hominum numerum aſcenderent, ſed erat infinitus prope numerus ceterorum, qui a Manichæis *Credentes* nuncupabantur, de quibus non ſemel locutus eſt Pylicdorf cap. 1. 14. p. 780. &c. ſicque manet Albigenſes a Waldenſibus diſtingui. Illi abnuebant quidem Euchariſtiam, iſti vero minime, hinc novitas Sectæ Calviniſtæ ubique ſe prodit. Quorſum igitur, o vos quondam amici & fratres, veritatem catholicam Dei verbo, & continua ſerie traditionis invicte probatam, omnium Patrum, & utriuſque Eccleſiæ, Occidentalis ſcilicet & Orientalis ſententia firmatam, Miniſtrorum veſtrorum argumentis fruſtra impetitam, quo uſque rejicere pergetis? Redite ad cor quæſo, tales enim vos opto in viſceribus Jeſu Chriſti, ut cum Eccleſia Romana matre noſtra amantiſſima reconciliati, ſit inter nos ad ſalutem, conſolationem & gloriam omnium unum ovile & unus Paſtor.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Præſentiam realem tenuit ſemper Eccleſia tum Occidentalis, tum Orientalis.

PRIMO: Eccleſiæ Occidentalis tot teſtes habemus veritatis, quot in ea eluxere Patres & ſancti Doctores: hanc ultro annuntiant innumera prope contra Berengarium, & Proteſtantium errores adunata Concilia: hanc Scriptores, hanc Academiæ, hanc manuſcripta, hanc demum perennis divinæ Euchariſtiæ uſus & poſſeſſio.

Secundo: Neque relictus eſt etiam circa illud momentum de fide Eccleſiarum Orientalium ambigendi locus, & hoc ex duobus potiſſimum patet: Primo quidem ex omnium nationum confeſſione: Tum ex variis Græcorum cum Latinis conflictibus, in quibus nihil aut dubii, aut controverſiæ inter eos circa præſentiam realem emerſit, ita ut fuerint omnes ſemper unius labii de hoc articulo populi.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Iniquitas mentitur ſibi, dum dicit decimo & undecimo ſæculo præſentiæ realis fidem in Occidente ceſſaſſe, nam ut primum increbuit Berengarii novitas, & Italia, & Gallia in variis Conciliis adverſum eum inſurrexerunt, & iteratis anathematibus ſummi Pontifices eumdem percuſſerunt.

Secundo: Neque minus claret mendaces lacunas parare Proteſtantes, dum ut fucum faciant, contendunt Græcos præſentiam realem abnuiſſe ann. circiter 1633. tempore Cyrilli Lucaris Apoſtatæ, qui numerata a Batavis pecunia, confeſſionem Calvinianam ſuſcepit, cum abſque mora ab ipſis Græcis in Synodo Jaſſii in Moldavia habita, ut fidei Patrum ſuorum proditor damnatus ſit.

Tertio: Non demum feliciores in propugnandis ſuæ Sectæ mendaciis evadunt Calviniſtæ, dum ut ſubripiant pro ſua religione antiquitatem, agnoſcunt ut ſuos fratres Waldenſes, quos confundunt cum Albigenſibus, ſed Albigenſes fuiſſe Manichæos conſtant. Vel igitur iſtos pro Patribus habeant, ſed qualis infamia? vel abnuant Waldenſes. Demum ultro fatemur pauperes Lugduni a Miniſtris Farel, Bucero & Zuinglio deluſos eorum adhæſiſſe erroribus, ſed dubio procul non ante illorum Heterodoxorum tempora, cum potius præſentiam realem tenerent.

Appendix eorum quæ Eccleſia Græca contra Cyrillum Lucarem Calviniſtam fecit.

PRIMO: Unanimis fuit uſus omnium Eccleſ. Orient. Græcorum ſcilicet, Melchitarum, Neſtorianorum, Jacobitarum Sy-

Syriæ, Jacobitarum Alexandriæ ſeu Coptitarum, & etiam Æthiopum, qui Patriarchæ Alexandriæ ſubduntur, circa ſeptem Sacramenta; unanimis huc uſque omnium Orientalium Eccleſiarum cum Eccleſia Latina conſenſus. Theologi Witembergenſes anno circiter 1575. miſerunt confeſſionem Auguſtanam ad Jeremiam Patriarcham CP. verum eam fortiter debellavit tribus Epiſtolis ſeu reſponſionibus. Prima ſub data 1575. poſtrema 1581. diſputatio quinque annorum ſpatio perduravit, poſtea dixit nihil amplius illis velle reſpondere, eo quod & Scripturæ, & Traditioni eorum doctrina eſſet oppoſita.

Anno, circiter 1635. Cyrillus Lucaris Patriarcha Conſtantinopolitanus pecunia captus recepit confeſſionem Genevenſem. Gregorius Protoſyncellus in ſua de divinis officiis appendice, & poſt ipſum Sirugus, & celeberrimi Theologi iſtam confeſſionem impugnarunt doctiſſimis ſcriptis. Quia vero Cyrillus quandiu vixit; ſimulabat ſe catholicum eſſe, refutabant, tacito nomine, ejus doctrinam. Ipſo vero mortuo, damnatus & proſcriptus eſt in Concilio Jaſſii Moldaviæ, Conſtantinopol. maxime in Jeroſolymitano ubi præerat Doſitheus Patriarcha, qui & opere ſpeciali pag. 180. eum debellavit: Tum proſcriptus eſt anno 1691. per Patriarcham Callinicum. Anno 1694. Doſitheus anathematiſmos oppoſuit propoſitionibus Caryophili qui Calviniſmum profitebatur circa Sacramenta: “ Si quis dixerit certa eſ- ,, ſe ſola fidei ſignacula &c. anathema ſit. ,, Renaudotius fuſe exponit doctrinam aliarum Eccleſiarum Orientalium Tomo 4. perp. fidei. In Synodo Conſtant. anno 1638. damnatus eſt Cyrillus Lucaris immediate poſt mortem per Cyrillum Beroeæ ſuum ſucceſſorem. Deinde vero 28. Novemb. 1640. confutatus eſt a Meletio Syrugo, de quo ſupra. Egregie & erudite omnia Sacramenta, Euchariſtiam maxime contra Proteſtantes probat. An. 1672. Dom. de Nointel habuit & obtinuit profeſſiones fidei Patriarcharum, Metropolitanorum, Epiſcoporum, qui omnes, ne uno quidem excepto, profitentur realitatem corporis Chriſti, ut doctrinam a Chriſto per Apoſtolos acceptam. Adſunt Pariſiis in Abbatia ſancti Germani a Pratis illa teſtimonia.

PUNCTUM SEXTUM.

Dogma de præſentia reali Chriſti in Euchariſtia firmatur potentiſſimis rationibus.

QUOD mentis captum longe ſuperat, non ideo rejici debet, maxime ſi rationibus Theologicis comprobetur: Atqui rationibus luculentiſſimis oſtenditur corpus Chriſti eſſe realiter in Euchariſtia; item & ex variis congruentiis, immo & ex teſtimoniis ipſorum adverſariorum declaratur. Ergo &c. Probatur minor, his omnibus momentis.

Rationes Theologicæ.

PRIMA hæc eſt: Sub ſpeciebus idem Chriſti corpus quod ex Virgine natum eſt, & quod nunc in cœlis ſedet, reperitur: Ergo &c. Iſta ratio eſt Catechiſmi Rom. parte 2. de Euch. n. 27. ubi ait: “ Pri- ,, mus igitur D. Ambroſius fidem ſuam ,, proferat, qui in libro de iis qui ini- ,, tiantur myſteriis, teſtatus eſt, verum ,, Chriſti corpus in hoc Sacramento ſumi, ,, ſicut verum ex Virgine ſumptum eſt, &c.

Secunda: Quod ſumitur non ſolum ore mentis per fidem, verum etiam & ore corporis, ibi eſt realiter ſubſtantialiter: Atqui Chriſtus non ſolum fidei ore, ſed & corporis, in ſacra Euchariſtia percipitur: Ergo. Hæc ratio eſt ſancti Auguſtini & ſancti Leonis; prior Lib. 2. contra adverſarium legis & Prophetarum cap. 9. ait: “ Chriſtum Jeſum carnem ſuam no- ,, bis manducandam, bibendumque ſan- ,, guinem dantem, fideli corde & ore ,, ſuſcipimus. ,, Poſterior vero Sermone 6. de jejunio ſeptimi menſis hæc ſcribit: “ Sic ſanctæ Menſæ communicare debe- ,, tis, ut nihil prorſus de veritate corpo- ,, ris Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc ,, enim ore ſumitur quod fide creditur. ,,

Tertia: Chriſtus per Euchariſtiam ſemetipſum nobis commiſcet: Sed hoc nonniſi præſentia reali fieri poteſt, cum commixtio duorum importet contactum; ergo. S. Chyſoſtomus Homil. 61. ad pop. Ant. ſic loquitur: “ Semeptiſum nobis im- ,, miſcuit, & corpus ſuum in nos contempe- ,, ravit, ut unum quid ſimus. ,, Similia dicit ſanctus Cyrillus Alex. L. 1. in Joan. cap. 13.

Quar-

Quarta: Sancti Patres ad litteram & in ſenſu obvio verba de inſtitutione Euchariſtiæ pro realitate corporis & ſanguinis Domini intellexerunt. Igitur nefas eſt ad ſenſum tantummodo figurativum ea contrahere. Probatur antecedens: Illa ſic intellexit Irenæus Lib. 4. Hereſum cap. 34. Sic Hilarius Lib. 8. de Trinitate. Sic Chryſoſtomus Hom. 16. in cap. 9. Epiſt. ad Hebræos. Sic Damaſcenus Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. Sic Theophilactus in cap. 27. Matthæi.

Quinta: Patres paſſim docent panem in corpus Chriſti, vinum vero in ejus ſanguinem converti: Igitur ex eis utrumque realiter ſubeſt ſpeciebus Euchariſticis. Ita Juſtinus Apolog. 2. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. Myſt. 4. & ſanctus Gregorius Nyſſenus oratione Catechetica cap. 37. Chryſoſtomus Homil. de proditione Judæ. Ambroſius de iis qui initiantur cap. 9. & Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & 5.

Sexta: Patres non in uno loco prædicant idem Chriſti corpus quod eſt in cœlo, utique in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reperiri: ergo. Hoc ipſum propugnat Chryſoſtomus Hom. 24. in 1. ad Corinthios, & Sermone 66. in Joan. Gaudentius Tractatu 2. in Exodum. Optatus Milevitanus Lib. 6. contra Parmenianum. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis Hom. de 5. Paſchate.

Septima: Patres volunt non eſſe judicandum de Euchariſtiæ contento juxta ſenſus, ſed potius juxta fidem, nos de præſentia reali docentem. Auguſtinus Serm. 33. de verbis Domini. Cyrillus Hieroſ. Catech. 4. Myſ. Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. Ambroſius Lib. 4. de Sacrament. cap. 4.

Octava: Patres dicunt non concludendum eſſe figuram inanem eſſe in Euchariſtia, eo quod Chriſtus ſub ſpeciebus lateat, quia ſapientiæ motivo voluit carnem ſuam, non in propria ſpecie, ne homines ab ejus uſu abhorrerent, ſed modo ſacramentali manducari. Cyprianus Epiſt. 63. pag. 103. Cyrillus Alex. Epiſt. ad Coloſyrum. Theophilactus Enarr. in Marcum, Alcuinus L. de divinis officiis cap. 40. Hugo a ſancto Victore L. de Sacr.

Nona: Patres injungebant Sacerdotibus ut præcaverent ne aliqua hoſtiæ particula in terram decideret, eo quod corpus Chriſti ibi ſubeſſe firmiter crederent. Origenes Hom. 14. Exod. circa medium, Auguſtinus Lib. 50. Homil. 26. Nyſſenus oratione catechetica cap. 37. Ambroſius apud Theodoretum L. 5. Hiſt. Eccl. cap. 18.

Rationes convenientiæ.

PRIMA: Quando exurgit aliqua novitas & ulla abſque mora adverſus eam inſurgit Eccleſia, argumentum eſt contrarium eſſe fidei dogma: Sed ut primum Berengarius ſolam in Euchariſtia figuram reperiri docuit, Eccleſia in variis Conciliis adunata illum perſtrinxit: ergo. Hæc ratio a Catechiſmo Romano ibidem num. 28. affertur his verbis: “At vero conſtat ſemper corporis Chriſti veritatem in ſancto Euchariſtiæ Sacramento, ita per univerſam Eccleſiam diffuſam & diſſeminatam eſſe, & conſentienti voluntate ab omnibus Fidelibus perceptam, ut cum ante quingentos annos Berengarius id negare auſus eſſet, ibique ſignum tantummodo eſſe aſſereret, ſtatim in Vercellenſi Concilio, quod Leonis X. auctoritate convocatum fuerat, omnium ſententiis condemnatus, ipſe hæreſim ſuum anathemati addixerit.”

Altera: Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Igitur ſi Chriſtus potuit aquas in Cana Galilææ convertere in vinum, potuit & de facto voluit, ac convertit panem in corpus ſuum, vinum vero in ſanguinem, maxime cum Euchariſtia, teſte divo Thoma, ſit omnium miraculorum Dei maximum, & ineffabilis erga homines charitatis irrefragabile argumentum, ut docet ſanctus Doctor, hic quæſt. 75. art. 1. his verbis, quibus probat præſentiam Chriſti in Euchariſtia: “Hoc, *inquit*, competit charitati Chriſti, ex qua pro ſalute noſtra corpus verum noſtræ naturæ aſſumpſit: quia maxime proprium amicitiæ eſt convivere amicis, ut Philoſophus dicit 6. Ethicorum, ſui præſentiam corporalem nobis promittit in præmium, dicens Matthæi 24. ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Interim tamen nec ſua præſentia corporali nos in hac peregrinatione deſtituit, ſed per veritatem corporis & ſanguinis ſui, nos ſibi conjungit in hoc Sacramento: unde ipſe di-

„ cit Joan. 6. qui manducat meam carnem, „ & bibit meum ſanguinem, in me manet, „ & ego in eo. „ Ibidem ſanctus Doctor eamdem probat hoc ratiocinio veritatem: conveniens eſt ut lex nova habeat in realitate, quod vetus habuit ſolum in figura. Sed ſacrificia in veteri lege Paſſionem Chriſti præfigurabant; ſacrificium vero novæ incruentum illam exhibere præſentem debet. Ergo &c.

Catechiſmus Romanus ibidem num. 29. de eadem præſentia ſic diſcurrit: “ Nam „ cum Dei ſummam omnium rerum po„ teſtatem credunt, & confitentur, cre„ dant etiam neceſſe eſt, poteſtatem ei non „ defuiſſe maximi hujus operis efficiendi, „ quod in Euchariſtiæ Sacramento admi„ ramur & colimus. Deinde cum credunt „ ſanctam Eccleſiam Catholicam: neceſ„ ſario ſequitur, ut ſimul credant eam „ eſſe, quam explicavimus, hujus Sacra„ menti veritatem.

Tertia ſic proponitur: Miracula ſunt mira fidei argumenta ſeu motiva; ſed non ſemel Deus optimus, veritatem præſentiæ Chriſti in Euchariſtia miraculis comprobavit: Ergo &c. Probatur minor. Sanctus Cyprianus tractatu de lapſis ſcribit puellam, ſuſcepto pane intincto in ſanguine idolorum, non potuiſſe poſtea ſuſcipere ſacram Euchariſtiam; “ Tunc, *inquit*, ſequitur ſingultus & vo„ mitus: in corpore atque ore violato Eu„ chariſtia permanere non potuit, ſanctifi„ catus in ſanguine Domini potus, de pol„ lutis viſceribus erupit. „

Ibidem aliud pro eodem momento refert, ſcilicet vindictam erga perſonam, quæ indigne Dominicum corpus tractaverat: “ Cum quædam arcam ſuam, in qua „ ſanctum Domini fuerat, manibus in„ dignis tentaſſet aperire, in igne inde „ ſurgente deterrita eſt, ne auderet attin„ gere; & alius quia ipſe maculatus, ſa„ crificio a Sacerdote celebrato, partem „ cum ceteris auſus eſt latenter accipere, „ ſanctum Domini edere & contrectare non „ potuit; cinerem ferre ſe apertis mani„ bus invenit; documento unius oſtenſum „ eſt, Dominum recedere cum negatur; „ nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe „ quod ſumitur, quando gratia ſalutaris „ in cinerem, ſanctitate fugiente, mu„ tatur. „

Mitto alia plurima quæ referuntur apud Optatum Milevitanum L. 4. contra Parmenianum, Pelagium electum Papam an. 555. Sigebertum de Script. Eccleſ. cap. 116. Joannem Diaconum L. 2. cap. 41. de vita ſancti Gregorii Magni; ſed non omittendum illud, quod in vico Diœceſis Andegavenſis, vulgo gallice, *les Ulmes de ſaint Florent*, prope Salmurium, ibi contigit menſe Junii anno 1668. non ſine magna providentia, eo ſcilicet tempore, quo Calviniſtæ conveniebant Salmurium ad Synodum celebrandam, pro ſuis defendendis erroribus. Die Sabbati infra octavam corporis Chriſti, Parocho decantante, *Verbum caro*, *panem verum*, viſa fuit loco hoſtiæ perfecta & integra hominis imago, per horæ circiter quadrantem, & ab omnibus conſpecta; deinde vero cœpit parva quædam nubes totam hanc hominis ſpeciem involvere, & ab intuentium oculis ſubducere; quo facto, hoſtia eodem ſtatu quo erat antea, remanſit; de quo certior factus Epiſcopus Andegavenſis, auditis teſtibus, eaque adhibita diligentia, qua major dari non poteſt, inſtrumento authentico facto, per Gallias promulgavit miraculum Epiſtola circulari, Ergo &c.

Teſtimonia ex inimicis noſtris.

LUTHERUS nuſquam a præſentia reali voluit diſcedere; ſic loquitur in Epiſt. ad Argentinenſes: “ Vellem quod poſſet „ mihi aliquis perſuadere nihil eſſe in „ Euchariſtia præter panem & vinum, „ magno ille beneficio me devinciret; jam „ ſæpe gravibus curis in hac materia de„ ſudavi; verum ego me captum video, „ nulla elabendi via relicta eſt, textus „ Evangelii nimis eſt apertus. „

Zuinglius in commentariis de vera & falſa Religione cap. de Euchariſtia, ingenue fatetur nonniſi occulte admodum, ne omnes offenderet, ſeſe locutum fuiſſe in ſenſu figurativo de Euchariſtia. Rurſus ibidem pag. 214. ſcribit Auguſtinum non auſum fuiſſe palam profiteri corpus Chriſti eſſe tantummodo per typum in Euchariſtia; ea ductus ratione, quod tunc temporis invaluerat opinio de reali corporis & ſanguinis Chriſti præſentia in hoc mirabili Sacramento. Hæc ſunt verba Zuinglii: “ Facile adducimur, Augu„ ſtinum præ aliis acuto perſpicacique in-

Digitized by Google

„ ingenio vivum , ſua tempeſtate non „ fuiſſe auſum diſerte veritatem prolo- „ qui, quæ jam caſum magna parte de- „ derat ; vidit omnino pius homo quid „ hoc Sacramentum eſſet, & in quem „ uſum eſſet inſtitutum ; verum invalue- „ rat opinio de corporea carne. „

Eamdem præſentiam realem Joannes Hus tract. de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti cap. 3. confitetur : " Dixit, *ait* „ ulterius ſupra, quod Chriſtus virtute „ propria & verbis propriis tranſubſtan- „ tiat panem in corpus ſuum, juxta can- „ ticum iſtud Eccleſiæ : *Verbum caro, pa-* „ *nem verum, Verbo carnem efficit*. „

Theologi Wittembergenſes concinunt in refutatione *Orthodoxi* p. 661. " Hoc, *in-* „ *quiunt*, cum Luthero aſſerere non eru- „ beſcimus ; ſic ſi opinio ex his duabus eli- „ genda eſſet, male nos præſentiam cor- „ poris & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus „ & accidentibus panis & vini cum Pa- „ piſtis credere, quam cum Zuinglianis „ & Calvinianis, veram & realem præ- „ ſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, „ contra tam aperta verba Teſtamenti „ Chriſti negare. „

Celebre teſtimonium pro præſentia reali peti- tum ex confœderatione quam Calviniſtæ cum Lutheranis inierunt.

QUOD conſociati cum Calviniſtis pro- pugnant, & illi in confratribus tolerant, dubio-procul a Sacramentariis non eſt ab- negandum. Atqui Calviniſtæ inierunt cum Lutheranis unionem : illi præſentiam rea- lem profitentur ; immo in multis aliis punctis a Sacramentariis diſſident : At- qui tamen, his non obſtantibus, Cal- viniſtæ Lutheranos ut fratres habent. Igitur non debent præſentiam realem ab- nuere. Probatur minor ex ipſa illorum capitum relatione.

Hiſtoria critica confœderationis Calvini- ſtarum cum Lutheranis confeſſionis Au- guſtanæ, facta in Synodo Carentonica prope Pariſios ann. 1631.

Relatio Unionis factæ.

CALVINISTÆ unionem cum Luthera- nis confeſſionis Auguſtanæ & expoſtula- runt, & expoſtulatam iniere anno 1631. in Synodo Carentonica art. 4. Sic litteris mandarunt Miniſtri ; videlicet Gregue Apol. Dallæus Epiſt. ad D. de Monglat pag. 17. Eamdem commemorant Mini- ſtri Gallicani in ſua ad Duræum Epiſto- la, in qua decretum confœderationis re- ferunt iis verbis : " Unum eſt, *inquiunt*, „ quod cetera concordes *Lutheranos &* „ *Reformatos* dirimit, modus quo Chriſti „ caro, nobis in eo myſterio communi- „ catur. Res apud utroſque eadem, rei „ tantum ratio diverſa. Tantulum diſſi- „ dium fatemur quidem non eſſe tanti mo- „ menti, ut tam neceſſariam orbi Chri- „ ſtiano Fratrum gratiam, tam mirabi- „ liter planeque divinitus coeuntem, ab- „ rumpere debeat : id vero eſt quod „ conſtantiſſime negamus . . . . „ Id vero hoc loco tacere non poſſu- „ mus, Eccleſias reformatas, quas Chri- „ ſtus in hoc Galliarum regno habet „ plurimas, ſic ſemper de his litibus ju- „ dicaſſe, ſuumque hoc judicium variis „ antehac argumentis, tum noviſſime in „ Synodo generali, quæ his apud nos Ca- „ rentonii in ſuburbano Pariſienſi anno „ 1631. habita eſt, diſertiſſimo luculentiſ- „ ſimoque decreto teſtatas eſſe. Nam cum „ ex occaſione cujuſdam civis Lugdunen- „ ſis, cujus filiam ambibat adoleſcens no- „ ſcio quis Germanus, Auguſtanæ, ut lo- „ quuntur, confeſſioni addictus, quæſi- „ tum eſſet, quo loco habendi forent ii „ quos Lutheranos vocant, Fratres qui „ iſthic convenerunt ex omnibus Gallia- „ rum provinciis, ab Eccleſiis miſſi, „ univerſi ita cenſuerunt. „

Forma Decreti confœderationis.

PERGUNT Synodici Theologi cum ſuis Præpoſitis : *Quando Auguſtana confeſſionis Eccleſiæ cum ceteris reformatis in omnibus veræ religionis principiis articuliſque funda- mentalibus conveniunt, cultumque exerent pu- rum ab omni idololatriæ & ſuperſtitionis la- be, ſi qui ſint illius profeſſionis homines, qui cum caritatis & lenitatis ſpiritu ſacros Ec- cleſiarum noſtrarum cœtus frequentent, ea- rumque communionem expetant, ii ſine ulla abjuratione prævia liberum eſſe ad ſanctam Chriſti menſam nobiſcum accedere, Ma- trimonia cum noſtræ confeſſionis fœminis con- trahere, & infantes Baptiſmo tingendos, de more efferre atque ſuſcipere, dum noſtris*

Syne-

ſynedriis in hoc ultimo caſu ſancte ſpondeant, ſe infantes quos de ſacro lavacro ſuſceperint, neque directe umquam, neque indirecte adverſus eam quam noſtræ Eccleſiæ credunt atque profitentur, doctrinam ſollicitaturos, ſed ea dumtaxat fidei capita edocturos de quibus inter noſtras ipſorumque Eccleſias convenit.

Ex Calviniſtis dogma præſentiæ realis neque ſeparationis cauſa eſt, neque aliquid veneni habet.

APOLOGETICUM pro iſto decreto edidit Dallæus anno 1633. cui Miniſtri omnes Carentonici ſubſcripſerunt, in quo ſic habetur cap. 7. " Diſſidium nos inter &
,, fratres noſtros, quos Lutheranos nun-
,, cupant, enatum, pietati præjudicium ne-
,, quaquam facit. Agnoſco non magis poſ-
,, ſe nos credere quam concipere, quod
,, ponunt corpus Domini eſſe præſens rea-
,, liter intra panem Euchariſtiæ. Nihilo-
,, minus hæc, quam tuentur, opinio,
,, hos intra manens terminos, *nullum habet*
,, *venenum*, non tollit Chriſto formali-
,, ter, directe & immediate, nec ſubſtan-
,, tiam ſuam, nec proprietates ſuas. Hy-
,, potheſis hæc nulli nos involvit, quod
,, ſit oppoſitum ſeu pietati, ſeu caritati,
,, ſeu honori Dei, aut bono hominum.
,, Ea propter Regni hujus Eccleſiæ, aut
,, pridem in ultima earum Synodo Natio-
,, nali Carentonii anno 1631. Decreto ex-
,, preſſe ſancito, Lutheranos, ut vocant,
,, communioni & menſæ admittunt pro-
,, priæ, hac non obſtante opinione, &
,, paucis aliis minoris adhuc momenti,
,, particularibus, nec nobiſcum communi-
,, bus. ,,

Calviniſtæ Poloniæ confœderationis pactum cum Lutheranis jamjam inierant in Synodo generali *Sandomirienſi* anno 1570. Namque de Lutheranis confeſſionis Auguſtanæ loquens ſic ait: " Nihil
,, agnoſcere *in illis* quod ſit abſonum ab or-
,, thodoxa veritate, & puro verbo Dei
,, ... Deinde vero quantum ad infelix
,, illud diſſidium de cœna Domini atti-
,, net, convenimus in ſententia verborum
,, Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut illa or-
,, thodoxe intellecta ſunt a Patribus, ac
,, in primis ab Irenæo, qui duabus rebus,
,, ſcilicet terrena & cælesti hoc myſterium
,, conſtare dicit. Neque elementa ſignave
,, nuda & vacua illa eſſe aſſerimus, ſed
,, ſimul reipſa credentibus exhibere &
,, præſtare fide quod ſignificant. Denique
,, ut expreſſius, clariuſque loquamur, con-
,, venimus ut credamus, & confiteamur,
,, ſubſtantialem præſentiam Chriſti non
,, ſignificari dumtaxat, ſed vere in
,, cœna eo veſcentibus, repræſentari, di-
,, ſtribui, & exhiberi *Corpus & ſangui-*
,, *nem Domini*, *ſymbolis adjectis ipſi rei*
,, *minime nudis ſecundum Sacramentorum*
,, *naturam*. Ne vero diverſitas formula-
,, rum loquendi, contentionem ali-
,, quam pariat, placuit præter articulum,
,, qui eſt inſertus noſtræ confeſſioni, mu-
,, tuo conſenſu, adſcribere articulum con-
,, feſſionis Saxonicarum Eccleſiarum de
,, Cœna Domini, ad Tridentinum Con-
,, cilium anno Domini 1551. miſſæ:
,, quem etiam pium agnoſcimus & recipi-
,, mus ... Ad hæc recipimus mutuo con-
,, ſenſu, omni ſtudio noſtris Fratribus
,, omnibus perſuaſuros, atque eos invi-
,, taturos ad hunc Chriſtianum & unani-
,, mem conſenſum amplectendum colen-
,, dum & conſervandum, illumque alen-
,, dum & obſignandum, præcipue auditio-
,, ne verbi, frequentando tam hujus, quam
,, alterius cujuſque confeſſionis cœtus, &
,, Sacramentorum uſu: obſervato tamen
,, recto ordine & gradu tam diſciplinæ,
,, quam conſuetudinis uniuſcujuſque Eccle-
,, ſiæ. ,,

Eadem Sendomirienſis conſociatio, eodem anno 1570. 20. Maji Poſnaniæ inter Lutheranos & Boemos ſolemniter roborata eſt. Hanc ſuſcepere Confirmationem Superattendentes confeſſionibus Auguſtanæ, Boemicæ, & Helvetiæ in Synodo generali *Cracovienſis* ann. 1573. die 29. Septembris

Iſta omnia rurſus ſtabilita fuere in Synodo generali Petricovienſi ann. 1578. diebus 1. 2. & 3. Junii. In Synodo generali *Waladiſlavienſi* anno 1585. menſe Auguſto. Demum in altera *Torunienſi* ann. 1595. die 21. Auguſti.

Cum Lutheranis confœderationis actum abnuere non poſſunt Calviniſtæ, quippe qui legatur in eorum diſciplina Eccleſiaſtica art. 1. cap. 14. Dallæus illum citat Apolog. cap. 7. cui ſubſcripſerunt Meſtrezat Synodi Carentonicæ Præſes, tum Drelincour & Aubertin, ab ipſa Synodo nominati pro diſcutiendis fidei libris,

quique

quique Lutheranos ad confederationem ineundam invitaverant. Eamdem cum Lutheranis unionem laudat Miniſter Bochart in reſponſione ad P. R. Delabarre pagina 6. & 7. editionis 1661. Ex quo manifeſte ſequitur Calvinum, & inanis reformationis Primates impoſtores eſſe, dum præſentiam realem uti quid monſtruoſum & damnabile explodunt, eum hoc ipſum eorum diſcipuli negent.

Aliud teſtimonium excerptum ex capitibus momentoſis de quibus, ſalva pace, Proteſtantes inter ſe diſſident.

ILLI non ſunt audiendi circa præſentiæ realis abnegationem, inter quos alii eam habent ut in verbo Dei & Patribus fundatam, alii eam in ſuis confratribus ut quid ab omni veneno immune tolerant, alii ſervata ad invicem unione, de aliis multis palmaribus religionis dogmatibus, non conveniunt. Atqui res ſic ſe habet. Et probatur: Primum quidem patet ex Synodo Sandomirienſi, ſibi hæc habentur de Euchariſtia: *Convenimus in ſententia verborum Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ut illa, orthodoxe intellecta ſunt a Patribus, ac in primis ab Irenæo.* Alterum utique claret ex Synodi Carentonicæ decreto, de quo ſic loquitur Dallæus pro Euchariſtiæ capite, *nullum habet venenum*. Tertium etiam veriſſimum eſt, cum ex eodem decreto laudato, Lutherani præter Euchariſtiam, in aliis multis articulis tanti momenti a Calviniſtis diſcrepent, ut audita eorum de confœderationis ſeeum definitione, in variis Synodis tum Sueciæ tum Daniæ habitis, eos exeommunicaverint. Immo Lutherus ſcribens contra Lovanienſes Tom. 2. Theſi. 27. ait Calviniſtas eſſe Hæreticos.

Capita Lutheranorum a Calviniſtis objecta.

PRIMO, Lutherani admittunt præſentiam realem, ut liquet ex ſcriptis Lutheri, ex ejus ad Argentinenſes Ep. maxime vero ex confeſſione Auguſt. art. 10. Calvinus e contra tract. de cœna opuſc. col. 215. vocat præſentiæ realis articulum, errorem damnabilem. Rurſus opuſc. contra Weſphalum Lutheranum columna 1928. eamdem, ſomnium deteſtabile appellat; ejuſdem ſunt Labii Dumoulin, & Bochart. Iſte *de fide* Serm. 2173. non erubeſcit ſcribere articulum præſentiæ realis eſſe omnium hæreſum originem, & totius religionis ſubverſionem; ſed iniquitas mentitur ſibi in Synodo Carentonica.

Secundo: Calviniſtæ Apocalypſim, Epiſtolam ad Hebræos, S. Jacobi, ſecundam D. Petri; ſecundam & tertiam S. Joannis, item & S. Judæ, uti Scripturam Sacram & Canonicam habent. Dallæus Apolog. cap. 7. p. 141. Synodus Carentonica art. 4. Confeſſio fidei Eccleſiarum reformatarum nuncupatarum Galliæ art. 3. Non ſic Lutherani, namque iſta omnia rejiciunt. Inſtitutiones Catechiſmi Comradi Dieterici Ulmæ civitatis Eccleſiæ Rectoris & Paſtoris ann. 1613. juris publici factæ art. de Scriptura Sacra pagina 17.

Tertio: Calviniſtæ non putant Baptiſmum eſſe de neceſſitate abſoluta ſalutis, quippe qui exiſtiment pueros Fidelium vel ex ipſo matris utero Sanctos. Sic docet Synodus Carentonica anno 1607. Sic altera Synodus Privatii habita anno 1612. ſic diſciplina Eccleſ. cap. 11. art. 6. Sed e contra in confeſſione Auguſtana art. 11. Lutherani Anabaptiſtis hæreſeos labem inurrunt eo quod infantes abſque Baptiſmo vita functos ſalvari autumarent: Iſtud Lutheranorum caput commemorat Calvinus II. defenſ. contra Weſtphalum opuſc. col. 1794.

Quarto: Calviniſtæ exiſtimant eum, qui laudes Domini latino decantat idiomate, & ſibi ignoto, ipſum Deum irridere, ſed hoc propria ſibi lingua ab unoquoque peragendum eſſe, Dominica 35. Lutherani non ita cenſent in confeſſione Auguſt. art. 5. de Miſſa. Quin immo magnas orationes & preces Latinas ad uſum Eccleſiæ Catholicæ retinuerunt.

Quinto: Calviniſtæ Miſſam omnem abrogarunt. Synodus Salmurii anno 1596. art. 23. Calvinus Inſt. l. 4. c. 8. n. 18. Lutherus ſolam privatam reſcidit. tom. 7. edit. Witembergæ anno 1558. col. 228.

Sexto: Calviniſtæ ſanctas imagines reputant idola, hinc eas & peſſundant & frangunt, Dominica 23. Derelincourt I. ſalſi Paſtores p. 199. & 377. Lutherani e contra eas ſervant, & cultu ſaltem civili proſequuntur. Conrad Dieteric. 1. prec. pag. 8.

Se-

Digitized by Google

Septimo: Calviniſtæ nulla præter Dominicam diem feſta celebrant: ſed Lutherani quædam obſervant: Angli multo plura, ut feſtum omnium Sanctorum &c. Liturg. Angl.

Ex tot magni ponderis contradictionibus Luce clarius aſſulget a veritate catholica prorſus excidiſſe Calviniſtas, & Sacramentarios omnes, cum non ſibi conſtent in ſuis viciſſim dogmatibus, ut ex dictis patet, & fuſe probavit illuſt. D. Boſſuetius in libris de eorum variationibus, adeoque eis non eſt credendum, cum Chriſtum in Euchariſtia realiter ſubſtantialiter non eſſe effutiunt; maxime cum vel in iſto errore defendendo nutent & deficiant, aliis præſentiam realem ex integro confitentibus, quales ſunt Synodi Sandomirienſis Miniſtri, aliis illam tolerantibus, ut de Carentonicis legitur.

Confirmatur: Illi cauſam deploratam habent, catholicum debellando de præſentia reali dogma, quorum Religio eſt mere negativa: Atqui talis eſt Calviniſtarum & Sacramentariorum Secta ſeu Eccleſia: Et probatur. Calviniſtæ vano reformationis prætextu. I. ab Eccleſia Romana proprio nutu divulſi ſunt, nec ei in Concilio adunatæ obedierunt, tametſi inter eos auctores doctiores fateantur ad Concilium Oecumenicum recurrendum eſſe quando aliqua fidei controverſia dirimenda occurrit. II. Sacramenta, Traditione Apoſtolica firmata, duobus exceptis, a quibus omnem adimunt virtutem exſufflaverunt. III. Sacrificium verum, ſine quo nulla ſtat ſincera religio abſtulerunt. IV. Sanctas imagines non ſine ſumma impietate, itaut effoſſis etiam, quod Mahumetani nuſquam fecere, Sanctorum reliquiis, fregerunt. V. Omnes ferme veternas hæreſes reſtaurarunt, maxime Manicheiſmum, propugnando, & prædeſtinationis neceſſitantis fatum, & gratiam victricem liberum hominis arbitrium perimentem admittendo. VI. Inter Calviniſtas plurimi in Socinianiſmum deflexere, nec deſunt in Batavia, qui propugnent non eſſe de fide Chriſtum eſſe Deum.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

OBJICIUNT: Idem corpus non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis; alias eſſet, ut ſupponitur, & etiam non eſſet, cum inhabitet cœlum: Igitur corpus Chriſti, ejuſque ſanguis non ſunt realiter niſi in cœlo.

Reſpondeo diſtinguendo: Idem corpus non poteſt ſimul eſſe in diverſis locis naturaliter, concedo, miraculoſe nego. Ad probationem ſimiliter diſtinguo: Eſſet & non eſſet in eodem loco ſub diverſo reſpectu concedo: ſub eodem nego. Corpus Chriſti eſt in cœlo circumſcriptive & cum extenſione in ordine ad locum; definitive vero in Euchariſtia, hoc eſt totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ, eo quaſi modo quo anima ineſt tota in corpore, & tota in ſingulis membris; quocirca nullus eſt contradictionis locus.

Inſtant: Atqui corpus nequidem definitive poteſt eſſe in uno loco; circumſcriptive vero in altero: Et probatur. Jam eſſet definitive in pluribus locis, ſcilicet in pluribus hoſtiis conſecratis, & ſic redit difficultas, nimirum eſſet in una hoſtia, & non in altera: eſſet in una, ut ſupponitur, non eſſet in altera, quippe quæ haberet totale eſſe ſuum definitivum in primo loco. Confirmatur: Licet anima ſit tantum definitive in corpore, in duobus tamen corporibus ſimul eſſe non valet: ergo a pari, &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo: Idem corpus non poteſt eſſe definitive in pluribus locis per eamdem actionem, & non adhibita nova tranſubſtantiationis materia, concedo: per diverſam actionem, & adhibita nova materia, nego, & hoc nullam implicat contradictionem. Igitur corpus Chriſti Euchariſticum duplici modo ſpectari poteſt, nimirum ſecundum ſe, deinde vero per ordinem ad actionem tranſubſtantiativam, & ad materiam conſecratam; priori modo conſideratum, eſt ſemper idem cum extenſione partium in ordine ad ſe; poſteriori modo, ſcilicet ut connotat diverſam conſecrationem, diverſamque materiam, jam eſt numero multiplex, non quidem corpus, ſed Sacramentum, multiplicata quippe actione conſecrativa, multiplicatiſque conſecratis hoſtiis, tot eſſe ſacramentale habet, quot ſunt hoſtiæ conſecratæ. Sic in miraculo converſionis aquæ in vinum in Cana Galilææ, tot fuerunt numero converſiones, quot erant hydriæ aqua plenæ.

Reſpondeo ad confirmationem, negando parita-

paritatem. Ratio diſcriminis illud eſt, quod anima limitetur a corpore, & ipſa limitet corpus, quocirca non poteſt eſſe niſi in uno corpore, maxime vero cum virtute creationis in illud infundatur; ſed corpus Chriſti præſens eſt in Euchariſtia per tranſubſtantiationem, limitatum quidem ab hoſtiis præſentibus, in quibus ſolum reperitur per conſecrationem, ſi tamen novæ apponantur in altero Altari quæ de novo conſecrentur, ad novam tranſubſtantiationem multiplicabitur eſſe ſacramentale corporis Chriſti.

Reſpondeo ſecundo ad eamdem confirmationem: Auctores non ignoti nominis, ut Collegium Conimbricenſe in Luſitania propugnare eumdem numero hominem poſſe divinitus eſſe ſimul in pluribus locis etiam circumſcriptive per reproductionem.

Et vero nonne eumdem numero Petrum Deus in uno & alio loco reproducere poteſt. Hiſtorici referunt hoc ipſum divo contigiſſe Ambroſio, & B. Antonio de Padua; a fortiori poterit & Sacerdos virtute omnipotenti Chriſti ejus corpus per tranſubſtantiationem in diverſis hoſtiis ponere.

Urgent: Iſtud corpus in multiplici hoſtia poſitum non eſſet idem numero corpus in omnibus hoſtiis; ſed hoc implicat; immo & adverſatur fidei, quæ docet idem corpus Chriſti in omnibus hoſtiis conſecratis reperiri; ergo &c. Probatur ſequela majoris: Individuatio numerica corporis petitur ab omnibus accidentibus, maxime vero a quantitate: Sed in hypotheſi foret diverſa quantitas in corpore Chriſti Euchariſtico, & in corpore Chriſti in cęlo exiſtente: ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo: Individuatio numerica localis petitur ab omnibus accidentibus & ſimul a loco, concedo: individuatio ſubſtantialis, nego. Operæ pretium eſt hic ſubnotare corpus aliquod dici unum duplici modo, ſcilicet ſubſtantive & localiter, ſubſtantive quidem a propria dumtaxat quantitate; localiter vero & a quantitate, & a loco: porro ſi ſpectetur ſecundum ſe, eſt ſemper & ubique unum ſubſtantialiter, ſed per ordinem ad locum quandoque eſt multiplex; id eſt non implicat corpus Chriſti habere eſſe naturale in cęlo, & eſſe ſacramentale in Euchariſtia; quinimmo illud eſſe ſacramentale, numerice multiplicatur ſecundum multiplicitatem actionum tranſubſtantiativarum, & hoſtiarum conſecratarum; unitas quippe numerica ſacramentalis deſumitur ab actione tranſubſtanriativa ſimul & a materia de novo conſecranda: Igitur exiſtere, ſeu eſſe corporis Chriſti eſt multiplex; videlicet unum connaturale in cœlo diſtinctum aliqualiter ab eſſe Euchariſtico, ſeu quoad modum exiſtendi; multiplex vero Euchariſticum numerice diſtinctum juxta multiplicationem hoſtiarum conſecratarum; ex quo ſequitur corpus Chriſti ſecundum ſe ſumptum, idem eſſe & in cęlo & in Euchariſtia, ſed modum exiſtendi non eſſe unum, ſed diverſum; eſt enim in cęlo & in Sacramento, ſed ſolum multiplicatum numerice in Euchariſtia, quippe quod appellet formaliter ſupra exiſtere novum; at vero corpus Chriſti ſecundum ſe, idem in omni loco perſeverat.

Inſiſtunt: Corpus Chriſti jam haberet multiplex eſſe & exiſtere, & quidem multiplicabile in infinitum per conſecrationem hoſtiarum, quæ in immenſum apponi poſſent conſecrandæ: Sed implicat idem corpus habere eſſe multiplex in infinitum in eodem ordine, atque in eadem linea, ſicut de facto haberet corpus Chriſti in Euchariſtia juxta opinionem Eccleſiæ Romanæ. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Implicat idem corpus habere multiplex eſſe naturaliter & circumſcriptive concedo: multiplex eſſe definitive, ſeu ſacramentaliter per miraculum, nego. Ex hoc enim ſolum ſequitur poſſe in infinitum ſyncategorematice multiplicari ad multiplicationem hoſtiarum, quæ abſque termino a parte poſt præſentari poſſunt ad conſecrationem.

Perſiſtunt: Hoc ſemel admiſſo, corpus Chriſti habebit immenſitatem, & erit ubique; Sed hoc ipſum, eſt error Ubiquiſtarum, ab Eccleſia proſcriptus; ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Habebit immenſitatem accidentalem & participatam, concedo: eſſentialem nego; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam: immenſitas eſſentialis caret termino a parte ante & a parte poſt, ſolique Deo convenit; participata vero nonniſi a parte poſt, abſque limitibus eſſe poteſt. Sic Deo volente, homine primo producto, poſ-

ſunt in infinitum hominum dari generationes : non abſimili modo, abſque termino, poſſunt apponi hoſtiæ conſecrandæ ; tunc ſequitur, non quidem corpus Chriſti ſecundum ſe conſideratum, ſed Euchariſtiæ Sacramentum, in infinitum multiplicari poſſe.

Neque vero ex hac doctrina Theologi Catholici impingunt in errorem Ubiquiſtarum ; iſti quippe propugnant corpus Chriſti naturale, propter unionem cum divinitate eſſe ubique, etiam circumſcriptive, & ſecundum eſſe naturale quomodo corpus ſolet eſſe in loco ; ſed Catholici concedunt ſolum corpus Chriſti poſſe eſſe ſimul in pluribus locis ſacramentaliter & definitive.

Obſtrepunt : Corpus Chriſti eſt cum ſua quantitate in Euchariſtia, ut ſupponunt Catholici : Sed corpus quantum non poteſt eſſe niſi in uno loco, alias eadem eſſet quantitas, & non eſſet. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Corpus Chriſti eſt cum ſua quantitate in ordine ad ſe, concedo ; in ordine ad locum nego. Et ſic nulla ſequitur implicantia, maxime vero cum corpus Chriſti non habeat exiſtere in Euchariſtia ratione propriæ quantitatis, alias eſſet in hoc mirabili Sacramento circumſcriptive, ſed ratione quantitatis panis, quæ remanet, ſub qua obtegitur ; addo & per actionem tranſubſtantiativam.

Reponunt : Idem corpus non poteſt habere ſimul niſi unum eſſe in eadem linea : Sed admiſſa præſentia reali corporis Chriſti in Euchariſtia, jam idem corpus habet multiplex eſſe ejuſdem ordinis, ſcilicet ſacramentale. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Idem corpus non poteſt habere multiplex eſſe circumſcriptivum, tranſeat ; multiplex definitivum & ſacramentale, nego. Nec mirum ; illud enim eſſe appellat, & ſupra materiam, & ſupra ejus conſecrationem ; quocirca multiplicata materia per additionem repetitam, multiplicata etiam conſecratione, jam non corpus Chriſti, ſed Sacramentum corporis Chriſti multiplicatur.

Replicant : Corpus non poteſt eſſe alicubi cum ſua quantitate in ordine ad ſe : Igitur ruit prorſus fundamentum præſentiæ realis corporis Chriſti in Euchariſtia : Probatur antecedens multipliciter.

Primo quidem : Si corpus propria ſpoliaretur quantitate in ordine ad locum, tunc partes haberet confuſas & veluti commixtas, nec ulla daretur diſtinctio inter caput & pedes, cum cuncta locarentur in puncto indiviſibili. Secundo, corpus utpote materiale, dicit & importat eſſentialiter extenſionem in ordine ad locum. Tertio, in hypotheſi, eſſet ſpiritus & non corpus : Sed hæc omnia implicant contradictionem ; ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens. Ad primam probationem, diſtinguo : Partes forent confuſæ in ordine ad locum concedo : in ordine ad ſe, nego. Anima rationalis eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ; & tamen juxta divi Thomæ opinionem, intellectus & voluntas ab ipſa realiter diſtinguuntur ; & utique a ſe invicem, ita ut abſque confuſione in ea & permaneant & operentur ; idem proportionaliter dicendum de partibus corporis Chriſti in Euchariſtia præexiſtentibus. Ceterum aliter ratiocinandum eſt de opere miraculoſo ; aliter de re mere naturali.

Ad alteram probationem, diſtinguo : Corpus utpote materiale dicit eſſentialem relationem actualem ad extenſionem radicalem in loco, concedo : ad extenſionem ſenſibilem, nego. Extenſio quippe actualis eſt effectus tantummodo ſecundarius quantitatis, qua miraculoſe privari poteſt ; ſicut ignis in fornace Babylonica non ſine magno prodigio ſpoliatus eſt calore actuali, ne Hebræos benedicentes Deum, læderet.

Ad ultimam probationem, etiam diſtinguo : Corpus in hypotheſi foret ſpiritus quantum ad aliquid, & penes exiſtendi modum, quatenus non eſt in loco circumſcriptive, concedo : ſecundum ſe, nego ; quippe quod a propria non recedat natura, & habet partes vere corporales in ordine ad ſe.

Inſtabis : Implicat corpus Chriſti eſſe in loco niſi ibi ſit circumſcriptive. Igitur & juxta extenſionem actualem & ſenſibilem. Probatur antecedens : Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt corpus vivens : ſed corpus vivens abſolute exigit ubique extenſionem in ordine ad locum. Et probatur : Corpus vivens habet motum localem, alias foret mortuum : Ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens. Ad primam probationem diſtinguo minorem : Cor-

Corpus vivens exigit extenſionem, ubi eſt modo ſibi connaturali concedo : modo ſupernaturali & ſacramentali, nego. Porro extenſio actualis non eſt de eſſentia corporis, & ideo poteſt impediri, ſicut calor actualis in fornace Babylonica impeditus eſt in gratiam puerorum, & gravitas corporis pro Petro quando ambulavit ſuper aquas : Igitur; poteſt impediri illa extenſio ſenſibilis.

Ad alteram probationem ſimiliter diſtinguo : Corpus vivens habet motum localem ſecundum ubiquitatem naturalem, concedo : juxta ſacramentalem, nego. Et de facto docent communiter Theologi corpus Chriſti non moveri per ſe in Euchariſtia, ſed ſolum per accidens & mediate ad motum ſpecierum. Nec inde ſequitur eſſe mortuum. Eſt quidem modo quaſi mortuo, juxta illud Joan. de Chriſto in Euchariſtia, Apoc. 5. *Vidi .... Agnum ſtantem quaſi occiſum, &c.* Sed tamen vivens propter tria : I. quia eſt idem corpus cum eo, quod eſt in cœlo, ubi vivit vita naturali : II. quia habet totam & eamdem ſubſtantiam; ibi namque eſt anima cum corpore. III. motus, localis actualis non eſt de ratione eſſentiali vitæ, quando enim homo gravi tenetur ſopore, etiam abſque ſomnio, anima tamen rationalis ibi eſt, tametſi nullas tunc habeat operationes ſpirituales.

Inſiſtes : Implicat corpus vivens eſſe in Euchariſtia abſque motu locali. Sed ut corpus ſit vivens, debet eſſe in eo circulatio ſanguinis : Igitur ad vitam abſolute requiritur motus localis.

Reſpondeo primo, multos non tenere circulationem ſanguinis. II. Deum poſſe ſupernaturaliter conſervare vitam abſque motu locali, ſicut Chriſtus per ſuam potentiam quadraginta dies pertranſiit abſque fame; omnia quippe cedunt & obediunt Auctori ſupremo, qui naturæ non aſtringitur legibus. III. diſtinguo : circulatio ſanguinis debet fieri in corpore, ſi corpus vivat modo conſueto & naturali, concedo : ſin minus, nego.

Repones : Licet Chriſtus habeat in Euchariſtia exiſtentiam ſacramentalem, conſervat tamen naturalem : Igitur ibi non poteſt eſſe niſi cum extenſione formali & actuali in ordine ad locum.

Reſpondeo diſtinguendo : Chriſtus conſervat exiſtentiam naturalem in cœlo, concedo : in Sacramento, ſubdiſtinguo : conſervat in ordine ad ſe, concedo, namque habet partes extra partes : in ordine ad locum, nego. Hic quippe effectus impeditur in Sacramento per miraculum. Quid mirum ? Eſt Sacramentum fidei.

Perſiſtes : Ex hoc ſequitur non eſſe idem numero corpus Chriſti in Euchariſtia & in cœlo : Et probatur : individuatio numerica petitur a quantitate. Igitur cum non ſit eadem in cœlo & in Euchariſtia, erit diverſum numero corpus, quod citra fidei diſpendium dici non poteſt.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo : Individuatio petitur a quantitate connotata, concedo : extenſa, ſubdiſtinguo; individuatio perfecta, hoc eſt tam eſſentialis quam integralis, concedo : individuatio eſſentialis nego : Corpus Chriſti in Euchariſtia connotat quantitatem : Porro eſſentia deſumitur magis ex aptitudine quam ab actu; eo enim ipſo quo anima v. g. eſt principium ratiocinationis; puer tametſi recens natus & non loquatur, dicitur tamen homo & rationalis : Igitur ſufficit, ut corpus Chriſti connotet eamdem quantitatem quam habet in cœlo, ut ſit idem numero corpus. Ceterum dato & non conceſſo individuationem a quantitate extenſa in ordine ad locum repeti, cum corpus Chriſti in Euchariſtia non habeat extenſam niſi in ordine ad ſe, non impedit individuationem, quæ quidem non interrumpitur per eſſe ſacramentale, ſed eadem manet in eo juxta modum exiſtendi connaturalem, quem habet in cœlo.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Præſentia realis aſtruitur rationibus Theologicis.

PRIMO : Patres docent idem corpus ex Maria natum, & idem quod in cruce pependit, eſſe in Euchariſtia, & a fidelibus ſuſcipi. Aug. S. Leo &c.

Secundo : Hæc veritas ex omnipotentia Dei repetitur, & omnium miraculorum maximum eam vocat S. Thomas Opuſc. 51.

Tertio : Vel ipſi ſacramentarii hanc veritatem agnoverunt in Synodo tum Sandomirienſi, tum Carentonica.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Implicat quidem corpus eſse in loco circumſcriptive naturaliter, ſed non ſupernaturaliter.

Secundo: Non implicat etiam corpus Euchariſticum multiplicari poſse in infinitum ſyncategorematice.

Tertio: Licet corpus Chriſti habeat in Euchariſtia modum exiſtendi diverſum, ab eo quem habet in cœlo, quia tamen quantitatem ſuam in ordine ad ſe retinet, & connotat actualem & ſenſibilem, eſt idem entitative corpus in cœlo & in Sacramento.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Tranſubſtantiatione.

LUTHERANI duo contendunt, videlicet panem & vinum remanere in Euchariſtia cum corpore & ſanguine Chriſti; deinde vero corpus & ſanguinem non niſi in uſu reperiri; qui quidem duo errores totis viribus ſunt impugnandi.

SECTIO PRIMA.

Utrum detur Tranſubſtantiatio?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ſic procedit: Chriſtus eſt realiter in Euchariſtia vi verborum inſtitutionis, ut liquido conſtat ex omnibus quæ ſupra dicta ſunt: Sed eſt contra verba inſtitutionis panem & vinum remanere; falſa quippe eſset hæc propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*; & iſta: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*. Ita ex profeſso Divus Thomas, hic quæſt. 75. art. 2. Et vero corpus Chriſti ibi eſt vel per actionem adductivam, ita ut de cœlo deſcendat ad altare; vel per creativam, vel etiam per generativam: ſed nullis ex his modis ibi eſt præſens: Igitur per tranſubſtantiationem. Probatur minor: Non ibi eſt per actionem adductivam, alias relinqueret cœlum: non per creativam, Euchariſtia quippe non fit ex nihilo; ſed neque per generativam; quis enim ſanæ mentis dixerit panem generare corpus Chriſti, ſeu corpus Chriſti Euchariſticum, & ita ex pane conſtare, ut ſit corpus panaceum.

Iſta ratio eſt Catechiſmi Romani parte de Euch. num. 37. his verbis: "Si eſt verum Chriſti corpus ſub panis & vini ſpecie poſt conſecrationem; omnino neceſse eſt, cum ibi antea non eſset, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipſum converſione factum eſse. At vero fieri non poſſe conſtat, ut corpus Chriſti in Sacramento ſit, quod ex uno in alium locum venerit; ita enim fieret, ut a cœli ſedibus abeſſet; quoniam nihil movetur, niſi locum deſerat, a quo movetur. Creari autem corpus Chriſti minus credibile eſt, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc poteſt: Relinquitur ergo ut in Sacramento ſit corpus Domini, & quod panis in ipſum convertatur. Quare ut nulla panis ſubſtantia remaneat neceſſe eſt."

Altera ratio iſto comprehenditur argumento. Quod diſcuſſum, & poſtea de fide definitum eſt in Conciliis adverſus Hæreticos obſtrepentes, quorum alii tranſubſtantiationem penitus abnuebant, ut Berengarius, & poſt ipſum Calviniſtæ; alii vero ut Kemnitius, definitum quidem dicebant, ſed veluti quæſtionem ſcholaſticam non ſpectantem fidem, ita ut contraria anathemate non fuerit percuſſa, ſaltem in Concilio magno Lateranenſi ſub Innocentio III. dubio procul non poteſt abſque peccato mortali abnegari: Atqui tranſubſtantiatio ſic definita fuit in variis Conciliis. Ergo &c. Probatur minor.

Primo quidem in Concilio Romano ſub Nicolao II. anno 1060. contra Berengarium adunato, in quo ipſe ejuravit ſuos de tranſubſtantiatione errores his verbis: "Ego Berengarius anathematizo eam hæreſim, de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe." Lanfrancus qui aderat Concilio Lib. de

cor-

corpore Domini ſic perſtringit Berengarium: " Nicolaus Papa comperiens te „ docere panem, vinumque altaris poſt „ conſecrationem ſine materiali mutatio„ ne in priſtinis eſſentiis remanere, con„ ceſſa tibi reſpondendi licentia, cum non „ auderes pro tuæ partis defenſione ali„ quid reſpondere, pietate motus ad pre„ ces tuas præcepit tradi ſcripturam tibi. „ Ergo &c. Audis Berengarium damnari eo quod negaret tranſubſtantiationem, & hanc veritatem ibi Scripturarum teſtimonio comprobari.

Huic Concilio ſuccedit altera Synodus Romana ſub Gregorio VII. anno 1079. adverſus eumdem propter iteratum lapſum congregatam; cum enim Berengarius primam fidei confeſſionem datam mente verſipelli explicaret, alteram exhibere coactus eſt, quæ his concipitur verbis: " Ego Berengarius, corde credo, & ore „ confiteor, panem & vinum, quæ po„ nuntur in altari, per Myſterium ſacræ „ orationis, & verba noſtri Redempto„ ris, ſubſtantialiter converti in veram & „ propriam ac vivificatricem carnem & „ ſanguinem Jeſu Chriſti Domini no„ ſtri. „ *edit. Binii*.

Concilium Magnum Lateranenſe anno 1215. capite *Firmiter, credimus & ſimpliciter confitemur*, iſtud dogma nomine tranſubſtantiationis celebravit. Eo loci eodem modo de fide definit dogmata de ſanctiſſima Trinitate, de creatione mundi, de incarnatione Verbi, de Eccleſia, ubi agit & de Sacramentis. Tum cap. 3. ſic pronuntiat. *Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæreſim extollentem ſe adverſus hanc ſanctam, orthodoxam, Catholicam fidem, quam ſuperius expoſuimus*. Videas, velim, abſque fundamento Kemnitium docere tranſubſtantiationem non fuiſſe de fide definitam in iſto Concilio, nec contrariam opinionem anathemate fuiſſe percuſſam.

Concilium Conſtantienſe univerſale anno 1414. varios Wicleſi articulos damnavit, quorum primus eſt: *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanet in Sacramento altaris*. Secundus vero, *Accidentia panis non manet ſine ſubjecto in eodem Sacramento*.

Florentinum in inſtructione Armenorum, ait: " Subſtantia panis in corpus Chriſti, & „ ſubſtantia vini in ſanguinem convertun„ tur. „

Denique Tridentinum Seſſ. 13. cap. 4. hanc mirabilem tradit & explicat doctrinam. Canone vero 2. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini una cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti; negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit*.

Hujuſce Concilii Catechiſmus ex variis ſententiis Chriſti Joannis 6. contentis, eamdem probat tranſubſtantiationem; deinde his allatis, ſic concludit, parte 2. num. 37. " Cum ergo tam claris, & per„ ſpicuis verbis carnem ſuam, panem & „ cibum verum, ſanguinem item, verum „ potum nominaverit; ſatis videtur decla„ raſſe, nullam in Sacramento ſubſtantiam „ panis & vini remanere. „ Pergit & idem probat dogma, teſtimoniis Patrum maxime SS. Hilarii & Ambroſii. Ergo &c.

Tertia: Quod ab ipſius Chriſti ore promanavit, citra temeritatem, immo & blaſphemiam non negatur. Atqui tranſubſtantiatio panis & vini in Euchariſtia eſt fidei dogma, quod fluxit ab ipſius Chriſti ore. Et probatur ex multiplici traditionis momento.

§ I.

Traditio Patrum pro Tranſubſtantiatione.

S. IRENÆUS Lib. 4. adv. Hær. cap. 34. aſtruit Tranſubſtantiationem his verbis: " Quemadmodum enim qui eſt a terra panis „ percipiens invocationem, jam non com„ munis panis eſt, ſed Euchariſtia ex „ duabus rebus terrena & cœleſti: ſic & „ corpora noſtra percipientia Euchari„ ſtiam, jam non ſunt corruptibilia ſpem „ reſurrectionis habentia. „

Accedit Alter veritatis teſtis, Cyprianus, qui quidem variis locis eam profitetur, & docet, præcipue vero Epiſt. 54. tum Serm. de Cœna Domini, ubi ſic ait: " Pa„ nis iſte, quem Dominus diſcipulis por„ rigebat, non effigie, ſed natura, mutatus „ omnipotentia verbi, factus eſt caro. „

Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 4. " Aquam, *inquit*, aliquando mutavit in ,, vinum ... non erit dignus, cui creda-,, mus, quod vinum in ſanguinem tranſ-,, mutaſſet ? ,,

Ambroſius Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. " Tu forte dicis, meus panis eſt uſita-,, tus; ſed panis iſte panis eſt ante verba ,, Sacramentorum; ubi acceſſerit .conſe-,, cratio, de pane fit caro Chriſti. ,,

Auguſtinus Sermone 28. de verbis Domini vet. edit. " Dixi vobis, *inquit*, quod ,, ante verba Chriſti, quod offertur, panis ,, dicatur; ubi Chriſti verba deprompta ,, fuerint, jam non panis dicitur, ſed cor-,, pus appellatur. ,,

Cyrillus Alex. Epiſt. ad Neſt. in Concilio Eph. lecta & approbata. Eo loci de Euchariſtia loquens, ait: " Neque enim ,, illam ut carnem communem ſumi-,, mus.... Sed tamquam vere vivificam, ,, ipſiuſque Verbi propriam. ,, Idem expreſſius dicit Anath. XI. Si Euchariſtia non panis communis eſt: Igitur tranſubſtantiatus.

Gregorius Magnus adſtipulatur; Homilia 14. in Evang. de Chriſto ita loquitur: " Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ,, ovibus ſuis. Fecit quod monuit.... ,, Ut in Sacramento noſtro corpus ſuum ,, & ſanguinem verteret, & oves quas re-,, dimeret, carnis ſuæ alimento ſatiaret. ,,

Concinit Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 14. " Panis vinumque & aqua per ,, invocationem & adventum Spiritus ſan-,, cti ſupernaturaliter tranſmutatur in cor-,, pus & ſanguinem Chriſti, & non ſane ,, duo, ſed unum & idem. ,,

Amalarius Trevirenſis, qui floruit nono circiter ſæculo Lib. 3. de Eccleſiaſticis officiis cap. 24. " Sic credimus, *ait* natu-,, ram ſimplicem panis & vini mixti verti ,, in rationabilem, ſcilicet corporis & ,, ſanguinis Chriſti. ,,

Nedum iſti Patres, ſed & multo plures apud Bellarminum Lib. de Euchariſtia cap. 20. a Chriſto nato uſque ad Berengarium expreſſe tranſubſtantiationem docuerunt, cum inter eos alii dicant panem mutari in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem, alii Euchariſtiam non eſſe panem communem, ſed miraculoſum. Igitur panis terreſtris, & vinum uſuale non remanet. Ita definiere Concilia, ſcilicet Turonenſe, Vercellenſe, & duo Romana, in quibus iterum atque iterum errores Berengarii contra præſentiam realem & tranſubſtantiationem proſcripti fuere; eumdem impugnarunt Lanfrancus, ut jam dictum eſt, in Lib. de corpore & ſanguine Domini; Adelmannus Epiſt. ad ipſum Berengarium. Hugo Lingonenſis Epiſt. ad eumdem; Guitmundus Averſanus Libro 3. contra eumdem; Libro 1. de corpore Domini caput 7. Petrus Cluniacenſis in Lib. de ſacrificio & tranſubſtantiatione contra Henricum & Petrum de Bruis, & Hugo Victorinus Lib. 2. de Sacramentis parte 8. cap. 7. qui omnes ab anno 1100. uſque ad 1200. floruere; quique ex profeſſo tranſubſtantiationem, ſicut Divus Thomas, Divus Bonaventura, aliique Theologi ſubſequentium ſæculorum, de fide propugnant.

§. II.

Eadem traditio perſeverat in Eccleſiis Orientalibus.

Teſtimonia magna ex parte expoſtulata a Ludovico XIV. pro confirmatione fidei adverſus Miniſtrum Claudium referuntur.

PRIMO: Menti ſe offerunt liber Agapii montis Athos Monachi; deinde Synodus in inſula Cypri coacta; tum Catechiſmus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Venetiis 1635. in lucem editus, poſtremo confeſſio Orthodoxa a quatuor Patriarchis, & permultis Epiſcopis ſubſcripta. His accedit confeſſio Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Hilarionis Cicada majoris Eccleſiæ Theologi. Neque prætereundæ ſunt octo Monachorum montis Athos, & Michaelis Coartacii Cretenſis Presbyteri teſtificationes, in quibus omnibus & realitas præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, & tranſubſtantiatio proclamatur.

Secundo: Eadem confeſſi ſunt dogmata ſeptem Metropolitani, in inſtrumentis authenticis datis Peræ 18. Julii 1671. in quibus perſtringunt Calviniſtas, eo quod Eccleſiam Græcam pro ſuis erroribus adverſus tranſubſtantiationem laudare auderent; eoſdem ſtylo, propter hoc proſequuntur cenſorio Eccleſiæ Archipelagi.

Tertio: Prioribus annumerantur Abbas & Mo-

Digitized by Google

& Monachi Moromolaoi, qui in tabulis publicis 14. Octobris 1671. ab eis ſubſcriptis, eamdem profeſſi ſunt fidem, maxime vero Panagatta Nicuſius litteris ſcriptis Adrianopoli 20. Decembris anno 1671. ad excellentiſſimum Dominum Carolum Franciſcum Olier Marchionem de Nointel Regis Chriſtianiſſimi ad portam Ottomanam Legatum, in quibus ſic alloquitur Proteſtantes : " Hæc ſcrutentur ,, Calviniſtæ *loquitur de libris ubi fides Græcorum exponitur*, & invenient veram ,, Orientalis Eccleſiæ confeſſionem, & ,, non a Cyrillo ob perverſa ſua dogmata ,, ſede expulſo, occiſo, & damnato, fabricatam. ,,

Quarto: Eamdem profeſſi ſunt veritatem Dom. de Nointel ſcriptis & factis Abbates & Monachi in inſulis Principum commorantes : deinde Patriarcha C P. inſtrumento authentico a tribus aliis Patriarchis Orientalibus, a Patriarcha Alexandrino, &c. Tum a tribus ſupra triginta Metropolitanis ſubſignato, in domo Patriarchali indictione 10. menſis Januarii 1672. ubi ſic loquuntur : " Quoad ,, terribile Euchariſtiæ Sacramentum credimus, & ſine dubitatione confitemur ,, vivum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus ,, eſſe inviſibiliter præſens præſentia reali ,, in Sacramento ; nam operatione ſanctiſſimi Spiritus modo ſupernaturali & ,, ineffabili panis in proprium Jeſu Chriſti corpus, & vinum in vivum ejuſdem ,, ſanguinem realiter, vere, & proprie ,, commutatur.

Quinto: Suum huic fidei addunt calculum Epiſcopi Orientales Colchidis & Iberiæ, quorum teſtimonium Pater Joſephus Maria Zampio Clericus Regularis, Hilarionis præcipui Epiſcopi Catholici dicti ſyngrapha munitam ad præfatum Dominum de Nointel miſit ; Oratores ceteri reſidentes appellati, poſt multa cum Eccleſiæ Græcæ Epiſcopi colloquia habita, omnibus mature diſcuſſis, teſtati ſunt Domino de Nointel eamdem eſſe in omni Oriente fidem. Sic legitur in Epiſtolis Andreæ Ridolphi Epiſcopi Calaminæ & Vicarii Apoſtolici, datis Kalendis Auguſti 1671. & Franciſci Caſimiri de Viſocha Regis Poloniæ ad portam Ottomanam Legati, datis Conſtantinopoli die 7. Septembris 1671. His accedit teſtificatio Sinibaldi Fieſchi pro Republica Genuenſi reſidentis ſubdata Conſtantinopoli 13. Auguſti 1672. Item & Marini Bernardi de Caboga, atque Georgii 2. Brutchia reipublicæ Raguſinæ ad Portam Oratorum data Adrianopoli 14. Octobris 1671. nec non totius communitatis Perotarum, quibus novemdecim ſubſcripſerunt Peræ 2. Novembris 1671.

Sexto: Nectarius Patriarcha Jeroſolymitanus in ſuis ad Paiſium Patriarcham Alexandrinum litteris menſe Martio 1671. ſcriptis, eamdem doctrinam toto corde amplectitur ; Patriarcha vero Conſtantinopolitanus ad conſulta Moſcovitarum ſic reſpondet : " Mutatur panis in perfectum ,, vere corpus Chriſti, & vinum in perfectum vere ſanguinem Chriſti, ut nudæ relinquantur ſpecies panis, & nudæ ,, ſpecies vini ſine eorum ſubſtantia. ,, Ceterum in proceſſu ſynodali a Doſiteo Patriarcha Jeroſolymitano die 20. Martii 1672. perſtringuntur Calviniſtæ, & Lutherani eo quod Orientalibus ſuos de Euchariſtia errores attribuant ; Cruciador vero Patriarcha Armenus in teſtimonio authentico dato in civitate Siſenſi anno 1672. primum enumerat errores Calviniſtarum & Lutheranorum, tum circa realitatem, tum circa tranſubſtantiationem ; deinde ſubjungit : " Abſit ut talium Hæreſum ſola cogitatio in mentem ,, noſtram incidat. ,, Hæc cenſura a quatuor Archiepiſcopis & multis Sacerdotibus ſubſignata legitur. Percelebre eſt teſtimonium Davidis Archiepiſcopi civitatis Regiæ Aſpahami ad Regem Chriſtianiſſimum a natione Armena, quæ commoratur in Perſide, miſſum, ſubdatum in conventu Epiſcoporum & Doctorum 10. Decembris anno 1671. ubi perſtrictis Calviniſtis, ſubjungunt : " Credimus & dicimus ,, Chriſtum habere corpus, & animam humanam, quæ largitur pretioſe omnibus ,, digne accipientibus ; & habemus firmum ,, fundamentum in verbo Domini Matth. ,, 26. Hoc eſt corpus meum, & ſanguis ,, meus, & non ſignum. ,,

§. III.

De motivis continuationis Perpetuitatis fidei pro præſentia reali apud Orientales.

EXHIBITIS teſtimoniis omni exceptione

majoribus, metam ſaltem ad tempus obtinuit congreſſus inter Miniſtrum Claudium, & perpetuitatis fidei auctorem. Incaſſum Fridericus Spanheim Bataviæ in Theologia Profeſſor in ſuo libro, cujus titulus, *Stricturæ contra fidei expoſitionem Boſſuetii*, tractatum perpetuitatis de præſentia reali & Græcorum de hac fide teſtimonia ut quid levioris ponderis eſſe jactitat; namque & Confeſſio orthodoxa, & Synodorum actus in ſcriniis Orientalium aſſervati, & eorumdem adverſus Calviniſtas & Lutheranos eruditiſſimi Theologiæ pro defendendis & præſentiæ realis, & tranſubſtantiationis dogmatibus tractatus dilucide probant, nec Græcos, nec ceteros Orientales in iſta fide vel minimum titubaſſe.

Quia tamen Caucus Corcyre Archipræſul, & Guido Carmelita in religione Græcorum non ſatis verſati, quoſdam circa Sacramenta errores, tametſi abſque fundamento, tribuunt Orientalibus, Thomas Smith Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter putavit fracta Claudii contra fidem præſentiæ realis agmina ſe erigere poſſe; maxime ſtipatus manuſcripto Synodi Jaſſii in Moldavia contra Cyrillum Lucarem habitæ, ab apoſtata quodam Catholico e bibliotheca regia ſubrepto, ſed tandem expoſtulante Ludovico XIV. a Bataviæ proceribus poſtea bona fide reſtituto. Hac armatura muniti quaſi novi Goliath incedebant Miniſtri & Angliæ & Bataviæ adverſus Eccleſiam Romanam, exprobrantes ejus Præſulibus, & Doctoribus, quod nuſquam probare poſſent & Cyrillum Lucarem damnatum fuiſſe, & ejus de ſenſu figurativo & typico doctrinam ceteris Græcis proſcriptam & rejectam manere, cum potius totius Eccleſiæ Græcæ uſus probaret, eam nedum laudata dogmata crediſſe, & ad noſtra uſque tempora retinere, ſed & cetera quæ ſeptem ſpectant Sacramenta.

Ludovicus XIV. indefeſſus fidei patronus & protector de miniſtrorum jactantia commotus juſſit, voluitque eorum proterviam perſtringi. Hanc provinciam non ignoti nominis Scriptor ſuſcepit operibus Gallico idiomate conſcriptis defendendam: nos vero eamdem pro more Theologorum omnium argumentorum pondere aggredimur adimplere; ut Heterodoxi cauſam ſuam ex omni parte prorſus deploratam videntes, erroribus depoſitis, Deum in ſpiritu & veritate colant. Felices, ſi ad vana commenta, pro hæreſi propugnanda, non confugiant. Namque pro more apud Heterodoxos ſemper poſitum fuit deflorare, modo Scripturam ſacram, modo Patrum textus, ut vinculis pluſquam ferreis ſe alligent.

Neque vero hoc commemoraſſe pigebit, ut Lector benevolus intelligat, nos ea quæ de hac pretioſa Sacramentorum materia juxta Orientalium placita in his cum Latinis adamuſſim concordantia tractamus, fidem intactam prodere. Allatius, & Arcudius Græci multa pro iſta corcordia ſuppeditant; in primis vero prior, quippe qui Urbano VIII. clavum Eccleſiæ tenente, jam maturus ætate, & conſequenter in Græcorum diſciplina peritiſſimus, Romam appulerit, e contra vero poſterior adhuc juvenis hinc & doctrinæ Orientalium non omnino gnarus; quocirca non mirum ſi quandoque aliquos leviores nævos Græcis recentioribus circa Sacramenta affingat: adeoque non eſt illi pro iſtis momentis credendum.

Prænotandum eſt teſtimonia laudata §. 11. eſſe optimæ notæ. nec ea veluti aut dubia aut falſa propelli poſſe ab Heterodoxis. Neque enim Græci poſteriores ignorarunt Latinos eis adverſus Calviniſtas, in primis contra MS. Claudium uſos fuiſſe; vel ipſe Doſithæus in præfatione ad opus Syrugii hoc ſubnotat. Et vero hujuſmodi actus, omni adhibita ſolemnitate facti ſunt. Nullus e Patriarchis Epiſcopiſve, qui eis ſubſcripſerant, pro præſentia reali & traoſubſtantiatione, ſeſe retractavit. Nectarius civitatis Jeroſolymæ quondam Patriarcha decem poſt actuum ſubſignationem annos, vixit; Doſithæus vero ejus ſucceſſor, quique Synodo Jeroſolymitanæ 1672. præfuit, non niſi 35. annis poſtea elapſis ultimum ſuæ vitæ clauſit diem. Illi, obſerves velim, non proſcripti ſunt, ſicut de facto fuerant Cyrillus Lucaris, Corydalis, & Caryophyllaris. Quid plura? confeſſio Græcorum orthodoxa ad debellandos Proteſtantes data ab anno 1642. bis in gratiam Græcorum typis mandata, nuſquam abnegata eſt.

Quibus prælibatis, ſequitur iſtum adverſus Sacramentarios argumentum. Illi præ-

præſentiam realem cum tranſubſtantiatione debent admittere, quæ ſicut ab Eccleſia Latina, ſic & a Græca ad noſtra uſque tempora ſervatur & creditur, immo quam vel ipſi Calviniſtæ celebriores, ut articulum fidei contrarium explodendum eſſe non putant: Atqui res ſic ſe habet. Et probatur: Quod utrumque dogma ab Eccleſia Latina admittatur, oſtenſum eſt. Quod præſentia realis & tranſubſtantiatio non ſint articuli adverſantes fidei, aſſerit Pſeudo-Synodus Sandomirienſis; aſſerit Carentonica: aſſerit & Dallæus 3. art. cap. 1. Apol. c. 7. ubi fatetur Catholicos Romanos omnes articulos eſſentiales propugnare. Quod Eccleſia Græca vetuſtior in ea ſemper fuerit fide, conclamant antiqui Orientis Patres. Quod recentior ab iſta religione non diſceſſerit demonſtrant teſtimonia jam laudata. Quod demum, abſoluta diſputatione inter M. Claudium & Auctorem perpetuitatis fidei dogma præſentiæ realis & tranſubſtantiationis perſeveret, annuntiat iſtud argumentum negativum, ſcilicet, Præſules, qui huic fidei ſubſcripſerant, ſe retractaſſe non legitur. Sed hoc ipſum argumentis & teſtimoniis poſitivis nunc oſtenditur.

§. III.

Teſtimonia Theologorum Græcorum, quibus probatur a fine diſputationis, Græcos non receſſiſſe a præſentia reali & tranſubſtantiatione.

NON abs re erit primo loco hic referre Synodum Jeruſalem 1672. & alteram in eadem civitate anno 1691. congregatam ſub Patriarcha Calinico, & Doſithæo, & Nectario, qui variis Theologorum ſententiis probant & realitatem & tranſubſtantiationem adverſus Calviniſtas malignantes, qui etiam ſubnotant Neſtorianos, Armenos, Coptitas, Syros & Æthiopes, tametſi aliqua hæreſi detentos, omnes tamen de dogmatibus Euchariſtiæ convenire.

Vincentius Epiſcopus Cophtos civitatis Thebaidis, qui creditur floruiſſe ante captam a Saracenis Ægyptum, cujus memoria celebratur in Eccleſia Coptitarum & Æthiopum, in opuſculo manuſcripto Armeniæ, cujus titulus *Teſtamentum* complectens confeſſionem fidei Jacobitarum, ſic loquitur: “ Eſt corpus & ſanguis Jeſu Chriſti ut ipſe aſſerit. Qui audebit dicere panem & vinum in altari oblata non eſſe corpus & ſanguinem Verbi Dei, quæ ex Maria Virgine aſſumpſit; reſcindatur a communione Chriſtianorum. „

Dionyſius Barſalibi Metropolitanus civitatis Amid tractatu de Euchariſtia manuſcripto ait: “ Cum Jeſus Chriſtus appellaverit panem Euchariſtiæ ſuum corpus, quis hoc firmiter non credet ſicut & de vino quod ſuum fecerit ſanguinem? „

Concinit Iſa filius Zaraa celeberrimus Theologus Jacobita: “ Corpus Jeſu Chriſti unitum perſonæ Verbi divini, *inquit*, & animæ rationali hominis, eſt illud ipſum quod recipitur in ſacra Euchariſtia, & de quo intelligenda ſunt hæc verba: Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. „ Iſti omnes & infra citandi Theologi explicant caput 6. Joannis, & verba inſtitutionis de realitate & tranſubſtantiatione panis & vini. Abulfar 222.

Suffragatur Severus cognominatus filius Mokſa Epiſcopus urbis Aſchemonin in Thebaida, qui florebat anno 977. ſub Patriarcha Ephræm filii Zaraa, qui eſt ſexageſimus-ſecundus in catalogo Jacobitarum: Iſte plura compoſuit opera Theologica: in uno manuſcripto quod inſcribitur, *Confirmatio fidei orthodoxæ*, ſic loquitur de Euchariſtia: “ Jeſus Chriſtus manducavit panem, & bibit vinum aqua temperatum ſicut nos, ut habeamus ejus carnem ejuſque ſanguinem ex his formata. „ Eamdem fidem explanat in explicatione Myſterii Incarnationis. Rurſus in expoſitione myſtica legis. Item in tractatu de Paſchate, & Agno.

In manuſcripto Bibliothecæ Regis legitur opus Anonymi percelebre complectens formulam confeſſionis fidei Presbyteri Jacobitæ recens conſecrati. In ea hæc leguntur: “ Quod videmus oculis corporis, panis & vinum eſt; ſed oculis fidei ea contemplantes, attendendo ad poteſtetem ſupremam quæ omnem intellectus ſuperat captum, ſignificat panem vitæ qui de cœlo deſcendit pro remiſſione peccatorum. „

Dionyſius Berſallibi Epiſcopus Jacobita civitatis Amid, qui duodecimo florebat

ſeculo,

ſæculo, in Prolegomentis ad Evangelia eamdem propugnat veritatem, ſicut & in tractatu de inſtitutione Euchariſtiæ & maxime vero commentario in caput 6. beati Joannis, ubi clariſſime tranſubſtantiationem proclamat his verbis: " Sacra Myſteria vocantur corpus & ſanguis Jeſu Chriſti, quippe quæ non ſint quod apparent, hoc eſt panis & vinum. " Subjungit hæc fieri deſcenſu Spiritus ſancti in oblata.

Echmimi auctor Jacobita Ægyptiacus, qui vivebat undecimo ſæculo, vel verſus duodecimum, canonum collectionem elucubravit, cujus manuſcriptum in Bibliotheca Regia aſſervatur, cap. 14. ſic loquitur: " Certum eſt & de hoc cuncti Chriſtiani firmiter perſuaſi ſunt Euchariſtiam a legitimo Miniſtro Presbytero orthodoxo, fieri corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, juxta veritatem verborum iſtorum quæ protulit, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*. " MS. Ar. Bib. Reg.

Idem docet Joannes Abuzacharia in tractatu de Scientia Eccleſiaſtica. c. 83. Idem & Monachus Ægyptiacus in opere abſque ullo quidem titulo, ſed qui in ſuſpicionem incertæ fidei non venit apud Renaudotum tom. 4. perpet. fidei l. 2. c. 5.

Non prætereundus Elias Babylonis Patriarcha anno 1100. Neſtorianus, qui varia eaque mira dedit opera; in expoſitione fidei Religionis Chriſtianæ, juxta Neſtorianorum ſyſtema caput 12. ex profeſſo propugnat & Realitatem & tranſubſtantiationem; hic de Chriſto loquens ait: " Quocirca ea nocte qua decreverat tradi pro redemptione & ſalute mundi, ut & ſuæ reſurrectionis & promiſſionum de beatitudine æterna veritatem firmaret, ut Evangelium refert, ſumpſit inter puras & ſanctas manus panem, benedixit, fregit, deditque Diſcipulis ſuis dicens: *Hoc eſt corpus meum, quod frangetur pro vita mundi, & pro remiſſione peccatorum &c.*

Subſcribit auctor Jacobita in Scientia Eccleſiaſtica peritus c. 84. " Quicumque, *inquit*, manducat de hoc pane, qui factus eſt caro, me indigno Miniſtro, qui que bibit de calice qui factus eſt ſanguis illapſu Spiritus ſancti in eum, & ea mutatione qua a natura vini tranſlatus eſt in ſubſtantiam ſanguinis Jeſu Chriſti, & qui hæc dona digne ſuſcipit, manet in Chriſto, & Chriſtus in eo. "

Quid plura adjiciam? Manuſcriptum Bibliothecæ Colbertinæ codice 4684. complectitur exhortationem ſancto quidem Ignatio Martyri attributam, ſed veroſimilius cuidam paulo recentiori Patriarchæ Antiocheno, ubi veritas Euchariſtiæ aſtruitur: Alia multa loca pro eadem veritate exhibet collectio Homiliarum pro diebus feſtis & Dominicis juxta ritum Copticarum, maxime in Homilia ad initium Evangelii ſecundum Lucam; in altera ſuper canticum Zachariæ, cujus auctor hæc laudat verba: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent*, & in altera in cap. 6. ſancti Joannis; aliiſque permultis.

In Manuſcripto Bibiliothecæ Vaticanæ reperitur tractatus Lingua Arabica exaratus, qui inſcribur, Quæſtiones Eccleſiaſticæ juxta doctrinam Eccleſiæ Ægypti: Art. 4. explicans iſta verba Chriſti Joannis 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*; ſubjungit: " Non dicit figura corporis mei eſt, ſed ſuum ipſum corpus. " Deinde explicat mirabilem mutationem dicens: " Si quis expoſtulet quid panis & vinum ante conſecrationem erant; reſpondebitur fuiſſe certum corpus creatum ..... certi ſumus panem illum qui frangitur in nomine verbi Dei, mutatum eſſe & ejus corpus factum. "

§. V.

Teſtimonia ex Liturgiis & Orationibus Orientalium deprompta.

AUDISTIS Theologos Orientales verba & promiſſionis & inſtitutionis Euchariſtiæ explicare de realitate corporis Chriſti, & de Tranſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Domini; nunc operæ pretium eſt eamdem deducere veritatem tum ex Liturgiis, tum ex Orationibus in quibus fides explicatur.

In Liturgia Syriaca ſancti Jacobi conclamat Diaconus: Et latine ſic redditur: " Tremeutes & modeſti ſimus, eo quod ſacrificium modo offerendum eſt; Majeſtas adeſſe cœpit. " In Liturgia Æthiopum populus ter dicit, *Amen*. Deinde vero ſubjungit: " Credimus & certi

„ certi ſumus hoc eſſe vere corpus & ſanguinem Chriſti, & de hoc laudamus Dominum Deum noſtrum . „

In Liturgia Copticarum S. Baſilii, ubi agitur de pene & de vino, hæc habentur: “ Benedic ea , ſanctifica ea , purifica ea , eaque immuta ; ita ut panis fiat tuum ſanctum corpus , & vinum aqua mixtum in calice exiſtens, fiat tuus pretioſus ſanguis . „ Idem habetur in Liturgia Copticarum S. Gregorii ; idem in Liturgia Jacobitarum Syriæ ; idem in Liturgia Neſtorianorum .

Si de Orationibus loquamur , eamdem inveniemus veritatem in horologio ſeu libro precum ad uſum Eccleſiæ Neſtorianæ, ubi hæc leguntur de Chriſto: “ Quotidie te videmus ſuper altare ,& participamus de tuo corpore , & tuo pretioſo ſanguine . „ In libro Miniſtri ſeu Diaconi juxta ritum Jacobitarum habetur: “ Quem Moyſes vidit in Monte Sinai , & Ezechiel in curru myſtico, ecce offertur ſuper altare , populi illum ſuſcipiunt & habent vitam . „

Inter omnes orationes ubi agitur de ſacra Eucharistia , celeberrima eſt ea quæ inſcribitur , *invocatio ſancti Spiritus* ; & hæc complectitur recitatis verbis inſtitutionis, populo reſpondente , *Amen*. “ Precamur te , Domine, ut mittas ſanctum tuum Spiritum ſuper nos & ſuper iſta dona oblata , quatenus deſcendens & ſuper ea quieſcens , faciat panem , corpus ſanctiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti , & quod in calice continetur , fiat ejus ſanguis pretioſus. „ In Liturgia Græca S. Chryſoſtomi , Oratio his verbis finitur. “ Ea ſpiritu tuo immutans. „ Μεταβαλὼν αὐτὰ τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ.

In Liturgia Bibliothecæ Regis hæc oratio invenitur Græco idiomate conſcripta , quæque latine ſic redditur : “ Tu igitur, Domine, voce tua immuta res propoſitas . Tu præſens abſolve iſtud myſticum Liturgiæ miniſterium .Tu ipſe conſerva nobis tui cultus memoriam . Tu ipſe emitte tuum ſanctum Spiritum, ut ſua bona & glorioſa præſentia deſcendens, ſanctificet & immutet iſta ſancta & pretioſa dona propoſita in corpus ipſum, & in ſanguinem noſtræ redemptionis . „ Αὐτὸς οὖν δέσποτα τῷ σῷ φωνῇ τὰ προκείμενα μεταποίησον. αὐτὸς παρὼν τὴν μυστικὴν ταύτην λειτουργίαν κατάρτισον. αὐτὸς ἡμῖν τῆς σῆς λατρείας τὴν μνήμην διάσωσον. αὐτὸς τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον κατάπεμψον, ἵνα ἐπιφοιτῆσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ, καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ μεταποιήσῃ τὰ προκείμενα τίμια, καὶ ἅγια δῶρα ταῦτα εἰς τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα τῆς ἡμετέρας ἀπολυτρώσεως.

Inter alias preces , hanc Græci, quam ſancto tribuunt Chryſoſtomo , recitant “ *Credo* Domine & Confiteor te vere eſſe Chriſtum Filium Dei viventis , qui veniſti in mundum ſalvare] peccatores , quorum ego primus ſum. Credo etiam, hoc eſſe *proprium tuum immaculatum corpus* , & *tuum proprium ſanguinem*. Rogo te igitur ut mei miſerearis . & mihi concedas remiſſionem peccatorum meorum . „ Πιστεύω καὶ ὁμολογῶ ὅτι σὺ εἶ ἀληθῶς ο χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι ὧν πρῶτος εἰμὶ ἐγώ. Ετι πιστεύω ὅτι τοῦτο αὐτό ἐστι τὸ ἄχραντον σῶμά σου, καὶ τοῦτο αὐτὸ ἐστι τὸ τίμιον αἷμά σου. δέομαι οὖν σου ἐλέησόν με, καὶ συγχώρησόν μοι τὰ παραπτώματά μου.

§. VI.

Teſtimonia Oriental. pro præſentia reali ex adoratione Euchariſtiæ, deprompta.

CERTUM eſt Græcos ante & poſt Concilium Florentinum cultu adorationis divinam proſecutos fuiſſe Euchariſtiam , ut erudite probat Simeon Theſſalonicenſis , cuius auctoritas eſt apud eos magni ponderis , quique ante illam Synodum florebat ; ſic loquitur Sim. Theſſ. edit. Jaſſii pag. 112. “ Poſt orationem , pacem, & capitis inclinationem , quæ noſtram erga Deum demiſſionem , & cum eo unionem oſtendit, fit elevatio panis vivifici , qui repræſentat Chriſtum pro noſtro amore crucifixum , ipſum Jeſum Chriſtum venire , ſe nobis dare , & eum ipſum eſſe qui pro nobis crucifixus eſt . „ Μετὰ δὲ τὴν προσευχὴν καὶ τὴν εἰρήνην καὶ τὴν κλίσιν τῆς κεφαλῆς ἃ δὴ τὴν πρὸς Θεὸν δούλωσιν δηλοῦσι, καὶ ἕνωσιν ἡ τοῦ ζωοφόρου ἄρτου γίνεται ὕψωσις, αὐτὴν τυποῦσα τὴν ὑπὲρ ἡμῶν τοῦ σωτῆρος σταύρωσιν , καὶ τὸ αὐτὸν τὸν Χριστὸν ἐλθεῖν , καὶ ἑαυτὸν ἡμῖν μεταδοῦναι , ὅτι καὶ αὐτός ἐστιν, ὁ ὑπὲρ ἡμῶν σταυρωθείς .

Poſtea ſcribit alta voce dici hæc verba

ba τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις , *Sancta Sanctis* . Tunc fit profeſſio fidei : *Unus eſt Dominus Jeſus Chriſtus* . Tunc diviſio ſeu fractio . Tunc unio ambarum ſpecierum . Tunc ſequitur communio Epiſcopi , Sacerdotum , Diaconorum , quibus expletis dicit : " Allatis ſacris reliquiis panis di- ,, vini , & in ſacro calice poſitis , hoc ,, omnibus oſtendit , id eſt Jeſum Chri- ,, ſtum , & quod eſt proprium ejus cor- ,, pus & verus ſanguis , quem obtulit ,, pro nobis , ejus populo ſibi acquiſito , ,, quem exhibet & ſinit guſtare , videre , ,, tangere . Quapropter ſacer populus in ,, intimis animæ Chriſtum videt , illum ,, adorat , & neceſſaria ad ſalutem ab ,, eo petit .... Oportet ad terram uſque ,, ſeſe inclinando adorare panem vivum ,, cum ſanguine qui eſt in calice . ,, Τεϐρο δ' αὖθις εἰσκομισθέντων τῶν ἁγίων λειψάνων τοῦ θείου ἄρτου ἐν τῷ ἱερῷ ποτηρίῳ, δείκνυται τοῦτο πᾶσιν, ὅπερ ἐστὶν ὁ Χριστὸς, αὐτὸ αὐτοῦ ἀληθῶς τὸ σῶμα καὶ αἷμα, ὃ διὰ τὸν λαὸν αὐτοῦ τὸν περιούσιον ἡμᾶς ἱερούργησε , καὶ γεύεσθαι καὶ βλέπειν, καὶ ἅπτεσθαι, παρέχεται , καὶ ἐφίεται . Διὸ καὶ ὁ ἱερὸς λαὸς , ἐκ ψυχῆς ὁρᾷ τοῦτον , καὶ προσκυνεῖ, καὶ τὰ πρὸς σωτηρίαν αἰτεῖται ..... Καὶ αὐτὸν δὴ τὸν ἐν τῷ ποτηρίῳ ζῶντα ἄρτον μετὰ τοῦ αἵματος ἄχρις ἐδάφους ὁλοψύχως δεῖ προσκυνεῖν .

Patriarcha Dionyſius in ſolemni teſtimonio , quod de fide Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ an. 1672. dedit , cujus exemplar extat in Bibliotheca Regia ſic habet : " Iſtud Euchariſtiæ Myſterium , eſt ,, verus cultus divinus , ſicut præ ſe fert ,, nomen , namque in eo adoratur cultu , ,, qui Deo competit , corpus Domini no- ,, ſtri Jeſu Chriſti deificatum . ,, Audis eum eſſe Græcorum etiam his temporibus morem ſacram adorare Euchariſtiam ? quem citra dubium , non exhiberent ei cultum , ſi præſentiam Chriſti realem non agnoſcerent . Ecce textus græcus . Ὅπερ μυστήριον καὶ λατρεία ἐστὶ καὶ λέγεται , καὶ θεοπρεπῶς ἐν αὐτῷ λατρεύεται τὸ τεθεωμένον σῶμα τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ . apud Renaud. tom. 4. pep. fid. l. 3. c. 3.

Concinit Synodus Jeroſolymitana eodem anno celebrata , aitque : " Corpus & ſanguis Domini qui ſunt in Myſterio Eu- ,, chariæ extraordinarie , tum veneran- ,, da , tum cultu latriæ adoranda ſunt : ,, cum adoratio quæ ſanctæ redditur ,, Trinitati , eadem ſit quæ debetur cor- ,, pori & ſanguini Domini . ,, Ἔτι αὐτὸ τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου ἐν τῷ τῆς εὐχαριστίας μυστηρίῳ ὀφείλειν τιμᾶσθαι ὑπερβαλλόντως καὶ προσκυνεῖσθαι λατρευτικῶς. μία γὰρ ἡ προσκύνησις τῆς ἁγίας τριάδος καὶ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου.

Coptitæ eodem cultu ſacram venerantur Euchariſtiam . In pluribus manuſcriptis ſic habetur . Sacerdos accipit *Asbodicon* , hoc eſt corpus Domini σῶμα δεσποτικὸν , illudque elevat quantum fieri poteſt , clamans , *Sancta Sanctis* . Idem expreſſus habetur in Rituali Patriarchæ Gabrielis L. 3. cap. 3. perp. fidei apud Renaud. tom. 4. p. 219. & 220. Idem cultus habetur apud Syrios in Nomocanone Abulfragi cap. 7. Eadem eſt apud Neſtorianos pro adoratione Euchariſtiæ , ut liquet ex eorum Liturgia .

Quid plura adjiciam ? Orientales fidem adhibent multis miraculis in Euchariſtia patratis , quod non levius eſt argumentum eos credere præſentiam realem . Græci recentiores multa referunt , Agapius Monachus Græcus in libro juris publici anno 1640. facto nonnulla commemorat. Vaza , qui apud Jacobitas ut ſanctus habetur in vita ſua ab ipſo conſcripta , ſcribit magnum Dominum cujus nomen Haſchami vidiſſe in Euchariſtia puerum tempore quo Liturgia celebrabatur MS. Ar. Iſtius miraculi hiſtoria refertur etiam in vita Patriarcharum Alexandriæ quos texit Severus Epiſcopus d' Auſchmonin. Perp. tom. 3. pag. 797. multo plura commemorat Renaudotius tom. 4. perp. l. 3. cap. 4.

Demum ut multa paucis dicamus , citra dubium eſt Orientales non ſine odio & horrore profanationis Euchariſtiæ ſcelus totis viribus inſectari . Quorſum hæc ? Quia Chriſtum in tanto Sacramento realiter præſentem credunt . Palladius in vita ſancti Chryſoſtomi grande crimen ducit quod milites ad exagitandos Monachos miſſi , ſacra Myſteria in terram projiciendo peſſundaſſent . S. Athanaſius Apol. 2. reſpondens Arianorum calumniis ait ; " Quantum impius eſt , qui corpori my- ,, ſtico Chriſti improperat , ille multo ,, magis qui ſanguini Chriſti illudit . ,, Ὅσον τὸ μυστικὸν θλαύων ἀσεβεῖ, τοσοῦτον ἀσεβέστερος ὁ ἐνυβρίζων τὸ αἷμα Χριστοῦ . S. Joannes Chryſoſtomus conqueſtus eſt apud Innocentium I. quod , ſanctiſſimus Jeſu Chriſti ſanguis ſparſus fuerat ſuper militum veſtimenta ,

§. VII.

§. VII.

Teſtimonia ex ipſis Hæreticis pro eadem veritate.

QUOD vel ipſi Euchariſtiæ adverſarii fatentur, dubio-procul aſtruit veritatem: ſed ipſi Proteſtantes occaſione diſputationis cum Græcis, non ſemel confeſſi ſunt fidem tranſubſtantiationis ab eis propugnari. Igitur non eſt relictus ambigendi locus circa fidem Orientalium, tum de realitate corporis Chriſti in Euchariſtia, tum de tranſubſtantiatione panis & vini. Probatur minor multis momentis.

Primo quidem Legati Anglorum & Batavorum videntes teſtimonia Orientalium, quæ, Domino de Nointel Oratori Ludovici XIV. ad Portam Othomanam data fuerant, ſtupentes demirati ſunt Miniſtrum Claudium adhuc pertinaciter propugnare Orientales fidem præſentiæ realis & tranſubſtantiationis, non tenere: ſic aſſerit Contenſonius, ubi de Euchariſtia tractat.

Secundo, Theologi Wittembergenſes quinque annorum ſpatio congreſſum habuere cum Jeremia Patriarcha Conſtantinop. ut eum in ſuos adducerent errores; quos vero omni argumentorum genere conſutavit, pro dogmatibus maxime Euchariſtiæ defendendis, ut dictum eſt, ubi de numero ſeptenario Sacramentorum: Igitur credebant Wittembergenſes ab Orientalibus propugnari Realitatem, & Tranſubſtantiationem.

Tertio, Arnoldus Bootius Calviniſta pertinaciſſimus ſcribens ad Uſſerium de commentario Dionyſii Barſalibi in Evangelia, quod ab ipſo legendum ſuſceperat, ultro fatetur in eo multa reperiri quæ manifeſtant fidem Orientalium pro Realitate & Tranſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: Epiſtola Bootii eſt 198. inter Epiſtolas Uſſerii: " Dum tuam, *inquit*, in Evangelia
,, catenam Syriacam percurro, obiter de-
,, prehendi, quod præter ineptas illas al-
,, legorias, de quibus jam tum ex prima
,, inſpectione R. D. T. locutus fueram,
,, multa etiam ſeria, ac lectu omnino
,, digna contineat, ſed & non pauca ibi
,, reperi ad controverſias hodie inter nos
,, & Pontificios agitari ſolitas ſpectantia:
,, Et quidem ejuſmodi partim, ut ipſis
,, potius quam nobis favere videantur.
,, Sane de ſacra communione ita loqui-
,, tur; ac ſi panis & vini tranſubſtantia-
,, tionem, ut nunc loquimur, planiſſime
,, agnoſceret; adeo quidem ut ſi quis Pa-
,, piſtarum velit veterum quempiam pro
,, ſua cauſa loquentem introducere,
,, non videam quid ultra deſiderare poſ-
,, ſit. ,,

Fit ſatis objectionibus Hæreticorum ex auctoritate Scripturæ & Patrum depromptis.

OBJICIUNT: Chriſtus in Cœna Euchariſtica diſtribuit quod præ manibus tenebat, & fregit: Sed ex Scriptura ſacra panem in manibus habebat, eumque fregit ac dedit Diſcipulis, juxta illud Evangelii Math. caput 26. verſ. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.* Non igitur corpus fregit, ſed ſolum frangendum in cruce annuntiavit; alias, quod abſit dicere, non fuiſſet vera Chriſti locutio. Ergo non fit tranſubſtantiatio, ſed panis remanet.

Reſpondeo diſtinguendo: Chriſtus diſtribuit quod præ manibus tenebat, ſed tranſmutatum in ſuum corpus, ut iſta indicant verba, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, concedo; immutatum manens, ſubdiſtinguo: penes accidentia concedo: penes ipſam panis ſubſtantiam, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Neque vero inde ulla ſequitur contradictio, quandoquidem alio modo corpus Chriſti frangitur in Euchariſtia, alio in cruce: in Euchariſtia, nonniſi ratione ſpecierum, ſeu Sacramenti, quod ſupponit pro ſpeciebus, quippe quod eſſentialiter ſit ſignum ſenſibile, in cruce vero ratione ſui, & immediate a tortoribus dilaceratum eſt.

Inſtant: Scripturæ ſenſus ex Patribus colligi debet: atqui ex Tertulliano panis remanet facta conſecratione: Et probatur: L. de oratione Tom. 2. p. 181. ſic loquitur explicans iſta Orationis Dominicæ verba: " *Panem noſtrum quotidianum da*
,, *nobis hodie*: Quamquam, *panem noſtrum*
,, *quotidianum da nobis hodie*, ſpirita-
,, liter potius intelligamus; Chriſtus enim

,, panis

,, panis noſter eſt, quia vita Chriſtus, &
,, vita panis; *Ego ſum*, inquit, *panis vi-*
,, *tæ*; & paulo ſupra; panis eſt ſermo Dei
,, vivi, qui deſcendit de cœlis; tum
,, quod & corpus ejus in pane cenſe-
,, tur hoc eſt corpus meum. ,, Tria ibi
docet Tertullianus: primo quidem panem
a nobis ſumendum, ſpiritualiter intelligi
debere: II. illum panem vel etiam in
Dei ſermonibus concludi: III. Panem Eu-
chariſticum etiam eſſe corpus Chriſti. Igi-
tur cenſet ſaltem, facta conſecratione, re-
manere panem in Euchariſtia.

Reſpondeo primo, opponendo Tertullia-
num Tertulliano, qui Lib. 2. ad uxorem
ſuadet feminis catholicis ut cum Ethnicis
non nubant; & in hypotheſi, conſilium
hoc dat tom. 2. pag. 182. " Non ſciet
,, maritus quid ſecreto ante omnem ci-
,, bum guſtes; & ſi ſciverit panem, non
,, illum credit eſſe qui dicitur. ,, Quibus
verbis liquido conſtat Tertullianum, eo
loci propugnare in Euchariſtia non eſſe
panem materialem, quem Ethnicus vita
lem reputat; affirmat enim ſe non crede-
re illum eſſe panem qui dicitur, ſed cor-
pus Chriſti, quod ſpiritualiter nutrit ani-
mas.

Reſpondeo Secundo, negando minorem.
Ad probationem diſtinguo: Et ibi Tertul-
lianus ſpirituales celebrat effectus, tum
Verbi incarnati, quod dicitur panis qui
de cęlo deſcendit, tum ſermonis Dei,
quo, accedente fide & amore, ipſi con-
jungimur Deo; tum etiam Euchariſtiæ
quæ eſt animæ cibus, concedo: & pro-
pugnat Euchariſtiam eſſe panem, ſubdi-
ſtinguo: ratione termini a quo, & mate-
riæ conſecratæ, concedo: ratione termini
ad quem, ita ut vel realitatem exſufflet,
vel panem cum realitate conſociet, nego.
Magnus ille Doctor eſt ſui ipſius interpres;
tametſi enim eodem quaſi modo loquatur
de effectu panis mere ſpiritualis, &
ſermonis Dei, diſtinguit tamen panem
Euchariſticum in duobus: primo quidem
ex eo quod ſit ipſum Chriſti corpus:
" Tum quod, *ait*, & corpus ejus in pa-
,, ne cenſetur: hoc eſt corpus meum. ,,
Certe ſi corpus Chriſti eſt, jam non am-
plius eſt panis; & hanc eſſe Tertulliani
mentem conſtat, ex eo quod ſubjungat
verba inſtitutionis, eaque practica; II. Pa-
nem Euchariſticum eo loci etiam carnali-
ter intelligendum eſſe docet: Igitur non
panis materialis, ſed ille qui eſt caro Chri-
ſti remanet; ſic enim habet Tertul. de
Euchar. poſt verba, hoc eſt corpus meum,
ſcilicet Lib. de orat. p. 181. " Itaque peten-
,, do panem quotidianum, perpetuitatem
,, poſtulamus in Chriſto, & individuita-
,, tem a corpore ejus. Sed & quia carna-
,, liter admittitur iſta vox, non ſine religio-
,, ne poteſt fieri & ſpiritalis diſciplinæ;
,, panem enim peti mandat, quod ſolum
,, Fidelibus neceſſarium eſt; cetera enim
,, nationes requirunt. ,, Audis Tertullia-
num ibi non loqui de pane materiali, qui
eſt communis etiam Gentilibus, ſed de Eu-
chariſtico, qui ſolis convenit Fidelibus &
Chriſtianis.

Urgens: Atqui ex Tertulliano nihil eſt
in Euchariſtia præter panem & vinum:
Et probatur. Qui cenſet jejunium ſol-
vi Euchariſtæ ſumptione, exiſtimat ibi
remanere ſubſtantiam & panis & vini,
namque ex uſu Eccleſiæ non ſolvitur je-
junium ſacra communione, quocirca non
ſemel licentiam facit eidem Sacerdoti, non
ſumpta ablutione, plures celebrare Miſ-
ſas; Atqui Tertullianus hoc ipſum do-
cet: ſic enim loquitur tom. 2. Lib. de ora-
tione pag. 183. " Sic & die Paſchæ quo
,, communis & quaſi publica jejunii reli-
,, gio eſt, merito deponimus oſculum, ni-
,, hil curantes de oſculando quod cum om-
,, nibus faciamus; ſimiliter de ſtationum
,, diebus, non putant plerique ſacrificio-
,, rum orationibus interveniendum, quod
,, ſtatio ſolvenda ſit, accepto corpore
,, Domini; ergo devotum Deo obſequium
,, Euchariſtia reſolvit, an magis Deo ob-
,, ligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua,
,, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto
,, corpore Domini, & reſervato utrum-
,, que ſalvum eſt, & participatio ſacrificii,
,, & executio officii: ,, His verbis conten-
dit Tertul. per Euchariſtiæ ſumptionem
ſolvi obſequium Religionis, videlicet je-
junii & ſacrificii; quocirca ſuadet illam ac-
cipere & reſervare uſque ad horam come-
ſtionis, ne jejunium ſolvatur & ſacrificium
interrumpatur.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad pro-
bationem diſtinguo minorem: Solvitur
jejunium Eccleſiaſticum ſumptione Eu-
chariſtiæ, nego. Jejunium naturale ſub-
diſtinguo; ſi ſpecies in magna quantitate
ſumantur, concedo: puta ſi quis mandu-
caret libram panis conſecrati: ſin minus,
nego.

Digitized by Google

nego. Duo igitur ſecernenda ſunt, videlicet jejunium Eccleſiaſticum, & materiale: Primum non cenſetur ſolvi ſumptione Euchariſtiæ, eo quod fides teneat ſubſtantiam panis & vini ibi non remanere; naturale vero diſſolvi cenſetur, cum aliquid, quod nutrit, in magna quantitate ſumitur, quod certe contingeret, ſi quis libram panis conſecrati ſumeret, maxime cum ſpecies vim nutriendi habeant: ſic enim habetur in Catechiſmo Romano parte 2. num. 38. his verbis: " Sed moneant „ Paſtores, hoc loco, mirandum non eſſe, „ ſi poſt conſecrationem, panis etiam vo- „ catur; hoc enim nomine Euchariſtia „ appellari cenſuit; tum quia panis ſpe- „ ciem habeat, tum quia naturalem alen- „ di & nutriendi corporis vim, quæ panis „ propria eſt, adhuc retineat. „ Quia vero Tertullianus maxime auſterus erat, & in jejunio ſervando fideliſſimus, volebat communionem protrahi ad veſperam uſque, & cœnæ tempus, ne vel ipſa ſumptione Euchariſtiæ aliquid a ſeveritate jejunii detraheretur.

Reponunt: Ex Patribus Græcis vel ipſa panis ſubſtantia & vini remanet in Euchariſtia; ergo &c. Probatur antecedens: Inſtar omnium ſit ſanctus Chryſoſtomus, qui in Epiſtola ad Cæſarium Monachum ſic loquitur: " Sicut enim antequam ſan- „ ctificetur panis, panem nominamus; „ divina autem illum ſanctificante gratia, „ mediante Sacerdote, liberatus eſt qui- „ dem appellatione panis, dignus autem „ habitus eſt Dominici corporis appel- „ latione, etiamſi natura panis in ipſo „ permanſit, & non duo corpora, ſed „ unum corpus Filii prædicatur; ſic etiam „ hic divina inſidente corpori natura, „ unum filium, unam perſonam utrum- „ que conſtituit; agnoſcitur tamen extra „ diviſionem & confuſionem, non in una „ tantum natura, ſed in duabus perfectis. „ Eo loci ſanctus Doctor vocat Euchariſtiam panem, nec aliam ibi prædicat niſi appellationis mutationem. Igitur non datur tranſubſtantiatio.

Reſpondeo primo, apud nonnullos iſtam Epiſtolam in ſuſpicionem dubiæ fidei venire, quippe quæ deſideretur in collectione Epiſtolarum ſancti Chryſoſtomi; eam tamen eſſe genuinum ſancti Doctoris fœtum probat validiſſimis argumentis P. Joannes Harduinus Societatis Jeſu Theologus in Diſſertatione de Sacramento Altaris anno 1689. Pariſiis in lucem edita. His ſufultus rationibus 1. Emericus Bigotius primum eam prælo mandari curavit ex Bibliotheca Dominicanorum Florentiæ depromptam. 2. Invenitur in manuſcripto Anaſtaſii Presbyteri Bibliothecæ Collegii Societatis Jeſu Pariſienſis; 3. Labbæus in fronte novæ editionis operum S. Damaſceni pag. 31. eamdem indicat; tametſi Anaſtaſii eam collectionem eſſe non vidiſſet: 4. Codex ille Anaſtaſii eſt circiter annorum 700. 5. Editio Græca cum Latina congruit, ſi excipias extremam fere Epiſtolæ clauſulam, quam unus Bibliothecæ Regiæ codex ſubminiſtrat; cum ex hiſce quatuor, inquit R. P. Harduinus, quæ dixi, fragmentis, tria pariter reperire ſit, tum in illa Regia, tum in Colbertina, in Attereticis Nicephori Conſtantinopolitani.

Reſpondeo ſecundo, S. Chryſoſtomum aperte propugnare tranſubſtantiationem, maxime Homil. 83. in cap. 26. Matth. apud Bell. Lib. 2. de Euch. cap. 27. his verbis: " Credamus itaque ubique Deo, „ nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & „ cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videa- „ tur, quod dicit. Superet & ſenſum & „ rationem noſtram ſermo ipſius; quod in „ omnibus rebus, & præcipue Myſteriis „ fateamur, non illa quæ ante nos ja- „ cent ſolummodo aſpicientes, ſed verba „ quoque ejus tenentes, nam verbis illius „ defraudari non poſſumus, ſenſus vero „ noſter deceptu facillimus eſt. Quoniam „ ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, „ nulla dubitatione teneamur, ſed cre- „ damus. „ Mens igitur ſancti Doctoris eſt quod etſi ſpecies annuntient panem communem, aliud tamen eſſe credendum. In eadem homilia aſſerit S. Chryſoſtomus nos ea re ſpiritualiter nutriri, quam Angeli conſpicientes, præ reverenria tremunt, & adorant; nos in Euchariſtia eumdem ſanguinem qui fluxit e Chriſti latere accipere, idemque corpus, quod Magi in præſepe venerati ſunt, adeſſe. Ceterum ex ſancto Doctore oculi reſpicientes ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum decipiuntur. Igitur ex eodem, facta conſecratione, nec panis, nec vinum ibi reperiuntur; ſin minus non foret deceptio.

Reſpondeo tertio ad argumentum diſtinguendo antecedens: Adeſt in Euchariſtia appel-

appellationis mutatio, fundata in conſecratione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, concedo: non fundata, nego. Eoprorſus ſenſu Tertull. L. 4. contra Marcionem cap. 40. ait de Chriſto: " Corpus ſuum vocat panem; quam ob cæremoniam? Et quia corpus ſuum illum fecit. " Photius apud Allatium in Creygbt pag. 443. in Epiſt ad Nicolaum Papam, ait: " O rem miram! Panis communis in corpus Chriſti immutatur; & vinum commune ſanguis illius appellatur. " Jeremias Patriarcha CP. in cenſura confeſſionis Auguſtanæ pag. 80. ejuſdem eſt labii; loquens enim de Chriſto, ait: " Novum tradidit ſacrificium, dum panem fregit, & diſtribuit ipſis, eumque corpus ſuum nominavit. " Theodoretus ut ſupra oſtenſum eſt dialogo 1. & 2. eodem modo quo Chryſoſtomus adverſus Monophyſitas locutus eſt; ſicut enim, inquiunt SS. Patres eos perſtringendo, ſymbola remanent cum corpore Chriſti; ita divinitas cum humanitate in Chriſto, & tamen eſt unicus filius, ſicut in priori eſt unum Sacramentum.

Inſtant: Ubi eſt tantum unio panis cum corpore Chriſti, ſicut eſt unio duarum in Chriſto naturarum, ibi certe remanet panis; nam & ſub unione hypoſtatica perſeverat integra humanitas: Atqui ex textu Chryſoſtomi fit unio panis cum corpore Chriſti, & illam comparat ſanctus Doctor cum unione hypoſtatica, ſeu potius unionem hypoſtaticam cum unione quæ intercedit inter corpus & ſanguinem Chriſti; ait enim: " Sic etiam hic divina inſidente corporis natura, unum filium, &c. " ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Fit unio inter panem & corpus Chriſti quoad aliquid concedo: quoad omnia, nego. Dubio-procul comparatio non eſt omnimoda, cum unionem hypoſtaticam nullus Catholicus dixerit eſſe inter panem & corpus Chriſti.

Neque vero ulla eſt unio cum ſubſtantia panis, ſed cum ſymbolis; quocirca ſpecies ſunt in corpore Chriſti ſicut pars Sacramenti in toto. Obſerves velim juxta Philoſophos aliquid dici eſſe in alio octo modis, videlicet I. Ut partem in toto. II. Ut totum in partibus: III. Ut ſpeciem in genere: IIII. Ut genus in ſpecie: V. Ut formam in ſubjecto, ſive illa ſit accidentalis, ſive eſſentialis: VI. Ut effectum in cauſa efficiente: VII. Ut effectum in fine: VIII. Ut effectum denique in loco. Porro Sacramentum eſt genus & ſpecies, & corpus Chriſti, & ea omnia veluti partes ex quibus coaleſcit, complectitur; accidentia quoque ſubjectantur in quantitate ut formæ in ſubjecto; quantitas vero per ſe ſubſiſtit magno & ſtupendo miraculo.

Hanc unionem abſque diſpendio tranſubſtantiationis ſymbolorum cum corpore Chriſti, agnoſcit ſanctus Joannes Damaſcenus Lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. " Conjunxit, *inquit*, Deus ipſis, *ſcilicet & ſymbolis*, divinitatem ſuam, & ipſam effecit corpus & ſanguinem ſuum." Ecce quomodo ſubſequentium ſæculorum Patres unionem corporis Chriſti cum ſymbolis panis & vini juxta perantiquam Chryſoſtomi doctrinam expreſſerunt, ille vero Hom. 24. in primam ad Corinth. c. 10. ſuam prodit mentem. " Quemadmodum enim corpus illud (*videlicet panis*) unitum eſt Chriſto, ita & nos ipſi per hunc panem unimur. " nimirum per Euchariſtiam.

Dices: Chryſoſtomus Hom. 45. in Joannem ait panem eodem modo uniri Chriſto, ſicut nos ipſi cum illo conſociamur: " Quid enim dico communicationem corporis Chriſti, *inquit*, & ipſum illud corpus ſumus; quid enim eſt panis & corpus Chriſti? Quid vero fiunt qui ſumunt & corpus Chriſti? non multa corpora, ſed unum corpus. " Atqui non niſi moraliter Chriſto incorporamur, & ſumus Chriſti corpus. Igitur nec alio modo ipſa eſt Euchariſtia ex ſancto Chryſoſtomo.

Reſpondeo diſtinguendo: Et paritas eſt inadæquata, concedo: & adæquata cenſenda eſt, nego. Similitudo eſt in aliquibus; primoquidem in eo quod ſicut corpus Chriſti ſub ſpeciebus realiter obtegitur, ita & ſubſtantialiter in ſtomacho illius qui ſacram ſumpſit ſynaxim, qua fit unus cum Chriſto, ſicut contentum in vaſe unum cum illo evadit, quo ſenſu Abbas Paſchaſius demirando exclamat: *O Deus ſubſtantia mea*! Eſt etiam ſimilitudo quantum ad unitatem, quatenus Sacramentum Euchariſtiæ deſignat unitatem Fidelium, eo quod coaleſcat ejus Materia

ex

ex multis granis tritici, & botris uvæ ad invicem unitis ac coagulatis; ſed præter hæc omnia Fideles & fide, & amore, quorum corpus Chriſti eſt veluti nexus, Domino conjunguntur, & hæc unio dubio-procul non convenit pani ſeu ſymbolis.

Replicant: In textu Epiſtolæ S. Chryſoſtomi aperte dicitur panem remanere in Euchariſtia; ſic enim ſcribit: " Etiamſi ,, natura panis in ipſo permanſit. " Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Natura panis, hoc eſt panis proprietas, ut jamjam dictum eſt, remanet concedo: ipſa panis individua ſubſtantia, nego. S. Chryſoſtomus eſt ſui ipſius interpres verbis ſubſequentibus: " Et non duo corpora, *inquit*, ,, ſed unum corpus Filii prædicatur. ,, Quis autem non videat duo eſſe corpora, ſi panis remaneat cum corpore Chriſti, ut effutiunt Lutherani. Quia tamen hujuſce vocis φύσις notio non parum prodeſt ad multorum & de Trinitate, & de Incarnatione, & etiam de Euchariſtia intelligentiam, operæ pretium eſt hic texere in quo ſenſu Patres & Græci & Latini illam ſumpſerint.

Explicatio vocis φύσις, ſeu οὐσία

VOCABULUM iſtud a SS. Patribus quandoque ſumitur in genere & univerſim pro idea quadam generali naturæ cujuslibet rei, ſive ſit ſubſtantia, ſive etiam accidens; quo ſenſu dicimus naturam albedinis eſſe, diſgregare viſum: nonnumquam etiam illa idea vocatur eſſentia, prout nomen eſſentiæ, indiſcriminatim ſubindigitat naturam cujuslibet. Eadem vox ſumitur etiam in particulari; & hoc triplici modo, videlicet pro natura cujuslibet individui; pro ipſa ſubſiſtentia, & pro proprietatibus naturæ. In primo ſenſu natura in Petro dicitur Petreitas, ſeu determinata natura; in ſecundo, ſubſiſtentia & exiſtentia, vocantur ſubſtantia, hoc eſt ſubſtantiæ ſeu naturæ complementa; denique in tertio ſenſu figura v. g. quantitas, & quædam aliæ qualitates materiales non ſemel materia nuncupantur.

His ſuppoſitis, Dicimus unicam eſſe in Trinitate naturam, quatenus natura eſt in aliquo determinata; nonnumquam Patres dixere plures eſſe in Trinitate ſubſtantias, ſed relative, & non abſolute, hoc eſt, quatenus ſubſtantia eſt quid idem ac hypoſtaſis. Poſtremo iidem SS. Doctores prout affuit neceſſitas, nomine naturæ celebrarunt ipſas naturæ proprietates; in quo ſenſu ſpecies poſſunt dici panis, id eſt, panis proprietates. Nunc juvat triplicem iſtum ſenſum ex Patribus oſtendere.

Patres Græci.

GREGORIUS Nazianzenus agmen ducet: " φύσις, natura eſt, *inquit*, eſſe unum, ,, quodque tale vel tale. ,,

Anaſtaſius Presbyter, in Philoſophico compendio manuſcripto ait: " Natura, ,, eſſentia, forma, eſt qualitas ſive pro- ,, prietas exiſtens rerum exiſtentium. ,,

Theodoretus dialogo 2. pag. 85. ſic loquitur: " Illud corpus, *ſcilicet Chriſti re-* ,, *ſurgentis*, priorem habet formam, fi- ,, guram, circumſcriptionem, & ut ſe- ,, mel dicam, corporis eſſentiam. ,, Nomine eſſentiæ ſic intelligit proprietates corporis.

Alexander Epiſcopus Alexandriæ in Epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, ait Patrem & Filium, eſſe duas hypoſtaſis naturas, non certe abſolute, ſed relative; nam Paternitas in ſolo Patre, filiatio vero in ſolo Verbo adinvenitur.

Neque vero prætereundus eſt S. Chryſoſtomus qui Hom. 12. in Geneſim tractans de igne fornacis Babylonicæ ſic ſcribit: " Dominus prout vult, unumquodque ele- ,, mentorum in contrariam convertit eſ- ,, ſentiam, οὐσίαν. ,, Rurſus in Pſalmum 10. ait: " Nec fornax, fornax ,, fuit. ,, Quibus locis ſanctus Doctor ſicut elementa, ſic & fornacem pro qualitate caloris ſumit, cum calor ignis eatenus ſolum immutatus dicitur, quatenus & impeditus.

Non abſimili modo Origenes in caput 25. Matthæi pag. 254. proprietates materiæ Euchariſtiæ ipſam materiam nuncupat his verbis: " Et cibus ipſe per ver- ,, bum Dei & orationem conſecratus ſe- ,, cundum illud quidem ipſum, quod ma- ,, teria conſtat, in ventrem abit, & in ,, ſeceſſum ejicitur. ,,

Patres Latini.

EODEM modo iſti ſancti Doctores non ſemel uſurpant proprietates pro eſſentia: ſic S. Hilarius canone 10. in Matthæum ait: " Corpus ipſum per fidem mortifica- ,, tum, in naturam animæ evadit. ,, Hoc eſt animæ proprietates induit, aut imitatur.

Sic S. Ambroſius in Hexameron Lib. 3. cap. 2. " Dicant, *inquit*, naturam poſſe ,, converti, quando petra aquas fluxit, & ferrum aquæ ſupernatavit. ,, Quæ natura, quæſo immutata eſt? Niſi ſoliditas in fluiditatem, dum ferrum ſupernatavit.

Sic S. Auguſtinus Lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 2. " Nam & ipſa na- ,, tura nihil aliud eſt, *ait*, quam id quod ,, intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe; ,, itaque ut nos jam novo nomine ab eo ,, quod eſt, eſſe, vocamus eſſentiam, ,, quam plerumque ſubſtantiam etiam no- ,, minamus. ,, Quibus verbis propugnat ſanctus Doctor eſſentiam quamlibet vel etiam ipſius accidentis eſſe rei ſubſtantiam.

Robertus Pullus perantiquus Scholaſticus, parte 8. cap. 5. ſic loquitur de Euchariſtia: " Tranſit itaque ſubſtantia, ſed ,, remanet forma; neutrum miraris, ſed ,, omnipotentem contemplaris: quamobrem ,, non eſt ſenſuum deluſio, ſed vera rei ,, comprehenſio; quod cum Dominica in ,, menſa ſit ſolum caro & ſanguis, nihil- ,, ominus tamen vini natura percipiatur, ,, & panis. ,, Sicque evaneſcunt Heterodoxorum contra tranſubſtantiationem objectiones; namque ſi Patres quandoque ſcribant in Euchariſtia remanere panem & vinum, loquuntur de utriuſque ſubſtantiæ accidentibus.

Pro coronide ſit Innocentius III. qui L. 4. Myſteriorum Miſſæ cap. 9. ita pronuntiat: " Ibi forma panis videtur, ubi ,, ſubſtantia panis non eſt..,... non ſo- ,, lum autem accidentales, verum etiam ,, naturales proprietates remanere viden- ,, tur, ut paneitas, quæ ſaturando famem ,, expellit, & vinitas, quæ ſatiando ſitim ,, extinguit. ,,

Fit ſatis objectionibus ex ratione prodeuntibus.

OBJICIUNT Heterodoxi: Converſio eſt quædam mutatio, ſed in omni mutatione remanet aliquod commune ſubjectum, ſcilicet materia: Igitur non fit tranſubſtantiatio.

Reſpondeo diſtinguendo: In converſione formali remanet commune ſubjectum, concedo: in tranſubſtantiatione, ſubdiſtinguo: remanet ſubjectum denominationis & virtuale, concedo: Phyſicum & commune nego: Solutio eſt divi Thomæ hic quæſt. 75. art. 4. ad 2. " Dicendum, ,, *inquit*, quod illa objectio procedit de ,, converſione formali, ſeu mutatione: ,, quia oportet ſicut dictum eſt, formam ,, eſſe in materia vel ſubjecto; non au- ,, tem habet locum in converſione totius ,, ſubſtantiæ, cujus non eſt accipere ali- ,, quod ſubjectum. ,, Ceterum quantitas non ſine magno miraculo ſubſiſtit per ſe, & in ea ſubjectantur alia accidentia.

Inſtant: Facta conſecratione remanent accidentia: Sed forma panis eſt accidens, quandoquidem eſt ens artificiale: Igitur forma panis remanet, etiam poſt conſecrationem. Confirmatur: forma corporis Chriſti eſt anima: Sed formam panis converti in animam Chriſti nemo dixerit: Igitur panis, facta conſecratione, remanet formaliter.

Reſpondet S. Thomas quæſt. 75. hic art. 6. ad primam difficultatem his verbis: " Dicendum quod nihil prohibet arte fie- ,, ri aliquid, cujus forma non eſt ac- ,, cidens, ſed forma ſubſtantialis, ſicut ,, arte poſſunt produci ranæ & ſerpen- ,, tes, talem enim formam non producit ,, ars virtute propria, ſed virtute natu- ,, ralium principiorum, & hoc modo ,, producit formam ſubſtantialem panis, ,, virtute ignis decoquentis materiam ex ,, farina & aqua confectam. ,,

Ad confirmationem ibidem ad 2. ſic reſpondet: " Dicendum quod anima eſt ,, forma corporis dans ei totum ordinem ,, eſſe perfecti, ſcilicet eſſe, & eſſe cor- ,, poreum, & eſſe animatum, & ſic de ,, aliis; convertitur igitur forma panis in ,, formam corporis Chriſti, ſecundum quod ,, dat eſſe corporeum; non autem ſecundum ,, quod dat eſſe animatum tali anima.,,

Urgent:

Digitized by Google

Urgent : Si panis & vinum non remanent, ſignificatio Sacramenti Euchariſtiæ prorſus tollitur; quandoquidem, teſte D. Thoma, eſt unio Fidelium, quæ denotatur pane & vino; pane quidem ex multis granis; vino vero quatenus ex multis uvis confluit : Sed hoc eſſet inconveniens : ergo &c. Confirmatur. Chriſtus magis unitur cum Fidelibus quam cum ſpeciebus Euchariſticis: Atqui tamen nonniſi moraliter unitur Fidelibus: ergo & ſpeciebus.

Reſpondeo negando minorem : Significatio quippe Sacramenti totaliter remanet ratione ſpecierum.

Ad confirmationem diſtinguo : Chriſtus magis unitur Fidelibus quam cum ſpeciebus quoad aliquid, concedo : quoad omnia, nego. Unitur per amorem & charitatem Fidelibus, quod certe competere nequit ſpeciebus : verum iis unitur ſubſtantialiter, quatenus eſt in loco ratione ſpecierum ſub quibus latet.

Replicant: Divus Thomas hic art. 5. aſſerit corpus Chriſti per conſecrationem non fieri, quippe quod jam antea erat : ergo &c. Et quæſt. 76. art. 6. ad. 3. docet corpus Chriſti conſtitui in hoc Sacramento per habitudinem ad ſpecies: Igitur non producitur in Euchariſtia, adeoque non fit tranſubſtantiatio.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo : Corpus Chriſti non fit in Euchariſtia ſimpliciter & ſecundum ſe, concedo : Secundum quid, nego. Fit enim Sacramentum, hoc eſt, accipit novum eſſe quod antea non habebat.

Ad confirmationem diſtinguo : Et ibi loquitur S. Thomas de termino ſecundario conſecrationis, videlicet de præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus, quæ reſultat ad tranſubſtantiationem, concedo : de termino primario qui eſt corpus Chriſti productum ſub novo eſſe, nego.

Ad multorum Sophiſmatum ſolutionem præ oculis ſemper habendum eſt, corpus Chriſti non produci ſecundum ſe, ſed tantummodo ad eſſe ſacramentale.

Perſiſtunt : Corpus Chriſti non poteſt ſemetipſum producere : Sed ſi produceretur per conſecrationem, jam ſeipſum produceret, quandoquidem humanitas ſancta eſt inſtrumentum divinitatis, quæ ut cauſa principalis totum efficit Sacramentum.

Reſpondeo diſtinguendo : Corpus Chriſti ſub eodem reſpectu non poteſt ſeipſum producere, concedo : ſub diverſo, nego. Humanitas conjuncta divinitati, & ſecundum ſe ſpectata producit corpus Chriſti inſtrumentaliter in eſſe ſacramentali. Ceterum Chriſtus ſeipſum a mortuis ſuſcitavit, quidni & ſeipſum reproduceret in Euchariſtia?

Inſurgunt : Si corpus Chriſti producitur, mutatur. Abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo : Mutatur metaphyſice, in quantum ſeſe extendit ad novum exiſtendi modum, concedo : Phyſice & novas acquirendo partes, nego.

Replicant : Corpus Chriſti privatur in ordine ad locum naturali extenſione: Igitur etiam phyſice mutatur.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Et extenſio naturalis remanet in cœlo ubi eſt connaturaliter & circumſcriptive, concedo; & non remanet, nego. Igitur non poteſt excogitari in illo mutatio phyſica.

Pergunt : Idem formaliter ſpectatum non poteſt produci ſimul & multipliciter a diverſis actionibus totalibus : Sed ſi detur tranſubſtantiatio hoc evenit, eo ipſo quod multi Sacerdotes ſimul conſecrent,ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Idem non poteſt produci ſimul & multipliciter per converſionem unius materiæ, tranſeat; ſiquidem in ordinatione Sacerdotum, omnes cum Epiſcopo eamdem conſecrant hoſtiam : poſitis diverſis materiis, diverſiſque ſacrificiis, nego. Tunc enim licet ſit idem corpus Chriſti ſpecifice in hoſtiis conſecratis, non tamen numerice idem eſt Sacramentum; dictum eſt enim ſupra non multiplicari corpus Chriſti ſecundum ſe in diverſis ſacrificiis, ſed ſolummodo relative ad Sacramentum : hoc eſt, ſunt diverſa numero Sacramenta, quando diverſæ celebrantur Miſſæ, ſed non diverſum Chriſti corpus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur Tranſubſtantiatio in Euchariſtia.

PRIMO: Scriptura ſacra hoc ipſum ſufficienter explanat, cum ipſe Chriſtus dixerit Joannis 6. *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. De quo miraculo multum ſcandalizati ſunt

Capharnaitæ ; quod certe non contigiſſet, ſi vel ipſum panem materialem exhibuiſſet Chriſtus ; quam quidem mirabilem tranſubſtantiationem prędicavit & docuit, dum tenens panem præ manibus, ſic locutus eſt : *Hoc eſt corpus meum* : dubio-procul ſi panis remanſiſſet, non fuiſſet verum dicere, *hoc*, videlicet id quod præ manibus teneo, *eſt corpus meum*, namque fuiſſet panis, qui ſublata tranſubſtantiatione, & remanet panis, & talis denominatur.

Secundo : Concilia hoc tamquam de fide definierunt, quod Patres explicant exemplo aquæ, quam Chriſtum Dominus in Cana Galilææ mutavit in vinum.

Tertio : Chriſtus eſt realiter ſubſtantialiter in Euchariſtia, ut in priori ſectione demonſtratum eſt ; ſed hoc non fit per creationem, quandoquidem immutatio fit ex materia præſuppoſita ; neque per generationem, cum non remaneat commune ſubjectum, ſed ipſa tota materia immutetur ; neque etiam per adductionem, alias Chriſtus relinqueret cœlum, quod nemo Catholicorum dixerit : Igitur per tranſubſtantiationem.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Non negamus Euchariſtiam, facta conſecratione, nonnumquam vocari & panem & vinum ; ſed hoc intelligendum eſt ratione termini a quo, ratione ſcilicet ſpecierum, quæ & panem repræſentant, & cibandi vim retinent.

Secundo ; Neque vero aliquod faceſſit negotium, cum Patres dicunt vel ipſam panis & vini naturam etiam facta conſecratione, remanere ; nam nomine naturæ intelligunt accidentia utriuſque ſubſtantiæ, φύσις & οὐσία apud Patres Græcos univerſim ſumitur pro eſſentia cujuslibet rei, ſive ſit ſubſtantia, ſive etiam merum accidens.

Tertio : Ergone ſequitur idem Chriſti corpus non eſſe in omnibus hoſtiis conſecratis? Abſit dicere, ſed ſequitur ſolum Sacramentum numerice multiplicari juxta multiplicitatem & hoſtiarum conſecratarum, & ipſarum actionum conſecrationis.

SECTIO SECUNDA.

Utrum S. Joannes Damaſcenus tranſubſtantiationem admiſerit ?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ex ejus ſententiis.

PRIMO : Ille admiſit tranſubſtantiationem, qui panis & vini conſecrationem docet eſſe practicam, qua ſcilicet ſubſtantiæ creatæ in corpus & ſanguinem Chriſti convertuntur. Atqui S. Joannes Damaſcenus ſic tenet Lib. 4. fidei ortod. cap. 14. p. 279. col. 1. ubi de Chriſto loquens ait : " Tum fractum panem porrexit eis, „ dicens : Accipite & manducate, hoc „ eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum. Conſimilique modo acceptum calicem ex „ vino & aqua conſtantem, impertivit „ eis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic „ eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui „ pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. „ Ergo &c.

Secundo : Qui aſſerit panem ipſum fieri corpus Chriſti, vinum vero ejus ſanguinem, contendit utrumque adeſſe realiter in Euchariſtia per tranſubſtantiationem : Atqui ſic propugnat ſanctus ille Pater ibidem his verbis : " Tu quoque nunc „ quæris quomodo panis corpus Chriſti, „ & vinum cum aqua conjunctum ſanguis „ Chriſti fiat ? Tibi item reſpondeo, Spiritus ſanctus ſupervenit, eaque efficit, „ quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt. „ Certe ſi panis & vinum remanerent, Chriſtus eſſet in Euchariſtia per adductionem, quod non foret, ſuppoſita incarnationis fidè, magnum Myſterium, quale eſt Euchariſtiæ Sacramentum ; quod ut miraculorum omnium maximum a Patribus celebratur.

Tertio : Aſſimilare panis & vini converſionem rei temporalis creationi, quæ fit ex nihilo ſui, & ſubjecti, tum & generationi creaturarum quæ producuntur ex præjacente materia, puta ex terra, ita tamen ut non remaneat compoſitum præcedens ex quo eductæ ſunt, eſt docere nihil de ſubſtantia & panis & vini, facta conſecratione, remanere : Sed S. Joan. Damaſ. ibidem hæc prædicat, quippe qui probet ſubſtantias creatas corpus & ſangui-

acem

nem Chriſti evadere ab exemplo, tum creationis, qua cuncta Deus virtute omnipotentiæ ſuæ a nihilo eduxit, tum Incarnationis, in qua Spiritus ſancti operatione productum eſt corpus humanam ex virgineo BB. Virginis ſanguine, & ſimul Verbo divino hypoſtatice unitum. Ecce verba ibidem col. 1. " Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum. . Quamobrem ſi ſermo Dei vivus eſt & efficax, ac Dominus omnia quæcumque voluit, fecit: Si dixit, fiat lux, & facta eſt .... Si ipſemet Deus Verbum, poſteaquam ita voluntas ipſius tulit, homo factus eſt, atque ex puris & immaculatis ſanctæ ac ſemper Virginis ſanguinibus carnem ſibi ipſi ſine ſemine condidit, quid tandem afferri poteſt, quin ex pane corpus ſuum, ex vino & aqua ſanguinem ſuum efficere queat? "

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Qui ait panem & vinum in Euchariſtia adhiberi, ne homines ab Euchariſtia recederent, ſi ſola hominis Dei caro adeſſet, ſane exiſtimat, panem in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento remanere; alias fruſtranea foret iſta ratio: quandoquidem non panis, ſed caro humana ſola eſſet cibus: ſed ſic ratiocinatur S. Joan. Damaſcenus ibidem col. 2. " Panis porro & vinum ob eam cauſam adhibentur, quia Deo nota & explorata eſt humana imbecillitas, quippe quæ ut plurimum ea quæ uſu & conſuetudine minime trita ſunt, graviter ferat, & averſetur. Quo fit ut ille, pro ea, qua uti ſolet, erga nos indulgentia, per ea quæ naturæ uſitata, ac familiaria ſunt, ea quæ naturam ſuperant efficiat. " Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Qui ait panem adhiberi in Euchariſtia pro Sacramenti materia, ut corpus Chriſti velatum ſub ſpeciebus manducetur, concedo: ut vel ipſe panis remaneat, & manducetur, nego: Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Nedum S. Joan. Damaſcenus, ſed & alii Patres afferunt corpus Chriſti non nude, ut intelligebant Capharnaitæ, ſed ſub ſpeciebus ſumendum tradi, eo quod horrorem præ ſe ferat manducare carnem alterius hominis ſenſibilem, ſicut caro, quæ venditur in macello, comeditur. Manent igitur ſpecies, quæ panis effigiem & proprietates habent, ſed non ipſe panis. Quod autem hic ſit genuinus ſancti Doctoris ſenſus, ex verbis immediate antecedentibus liquet: Dicit enim panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutari: Jam vero ſi tranſmutetur, dubioprocul non remanet; ſic autem loquitur: " Tu quoque nunc quæris quomodo panis corpus Chriſti; & vinum cum aqua conjunctum ſanguis Chriſti fiat? Tibi autem reſpondeo, Spiritus ſanctus ſupervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt. "

Inſtabit: S. Joan. Damaſcenus ibidem docet eodem modo ſe habere panem & vinum in Euchariſtia, ſicut ſe habent aqua & oleum in Baptiſmate: Sed nec aqua, nec oleum tranſmutantur dum aſſumuntur pro alicujus Sacramenti materia, cum vel in ipſo uſu & in confectione Sacramenti remaneant. Igitur & panis ſubſtantia in Sacramento Euchariſtiæ abſolute perſeverat, nec aliud requiritur ut anima de Deo ſaginetur. Pergit ſanctus Joannes: " Et quemadmodum ipſe, quoniam in hominum more poſitum eſt, ut aqua laventur, & oleo unguantur, idcirco in Baptiſmo Spiritus cum oleo & aqua copulavit, fecitque illud lavacrum regenerationis: Eodem modo quoniam ita fert hominum uſus atque conſuetudo, ut panem edant, vinumque & aquam bibant, idcirco divinitatem ſuam cum ipſis conjunxit. "

Reſpondeo diſtinguendo: Et comparatio eſt inadæquata, concedo: & eſt omnimoda, nego. Vult ſolum S. Damaſcenus, quod ſicut aqua aſſumitur in Baptiſmo ad regenerationem ſpiritualem conferendam, ſic panem & vinum aſſumi pro Sacramento Euchariſtiæ conficiendo ad noſtrarum vegetationem animarum; ſed cum hoc diſcrimine, quod aqua in ſe manens elevetur ad gratiam regenerationis producendam, panis vero & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutentur, ut vel ipſa Chriſti carne ſpiritualiter ſaturemur. Ipſe Damaſcenus hunc prodit ſenſum, quippe qui immediate poſt verba in objectione laudata, ſubdat: " Idcirco divinitatem ſuam cum ipſis conjunxit, eaque corpus & ſanguinem ſuum fecit. " Si Chriſtus panem fecit ſuum cor-

corpus, vinum vero ſuum ſanguinem, jam non adſunt panis & vini ſubſtantiæ.

S. Thomas hic q. 76. art. 2. ad 1. hanc ſibi proponit difficultatem, & ſic explicat S. Damaſcenum: " Ad primum ergo „ dicendum, quod Deus conjugavit divi„ nitatem ſuam, id eſt, divinam virtu„ tem, pani & vino, non ut remaneant „ in hoc Sacramento, ſed ut faciat inde „ corpus, & ſanguinem ſuum. „

Inſiſtes: Sanctus Doctor eodem prope modo dicit divinitatem uniri pani, quo Verbum unitum eſt naturæ aſſumptæ, ita ut ſicut ex Verbo & natura humana unus eſt Chriſtus, ſic ex pane Euchariſtico & Chriſti corpore, non ſint duo, ſed quid unum. Atqui humana natura tametſi aſſumpta, non tamen abſorpta & deſtructa eſt: Igitur nec panis in Euchariſtia. Adſunt verba ſancti Præſulis: Recenſito Incarnationis opere & Annuntiatione B. Virginis, ait: " Tu quoque quæ„ ris quomodo panis corpus Chriſti fiat? „ Tibi item reſpondeo, Spiritus ſanctus „ ſupervenit..... Idcirco divinitatem „ ſuam cum ipſis conjunxit, eaque corpus „ & ſanguinem fecit. „ Scilicet per ſimplicem cum pane & vino unionem.

Reſpondeo primo, diſtinguendo: Divinitas unita eſt pani, hoc eſt virtus divina, ut tranſmutetur, concedo: unita eſt immediate & hypoſtatice, nego. ſolutio eſt D. Thomæ mox laudati, nec diſſentit S. Damaſcenus, quippe qui ſcribat panem & vinum mutari, adeoque non remanere niſi ratione ſpecierum. Ex quo ſequitur comparationem ex unione Verbi cum humanitate non eſſe omnimodam, ſed ſolum in aliquo, videlicet quod ſicut ſancta humanitas ſanctificata eſt ſubſtantaliter vi unionis hypoſtaticæ, ita & nos tier Euchariſtiam recipimus Chriſtum, pum & gratiæ filiationis adoptivæ augmentum.

S. Joannes Damaſcenus utrumque prædicat, primum quidem nempe converſionem panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem. Ibidem col. 2. " Sane, *ait*, „ corpus divinitati vere unitum eſt illud „ corpus, quod ex ſancta Virgine ortum „ eſt: non quod aſſumptum illud corpus „ e cœlo deſcenderit. Sed quia panis ipſe „ ac vinum in corpus & ſanguinem Dei „ immutantur. Quod ſi, quo pacto id „ fiat, requiris, ſat tibi ſit audire, „ quod per Spiritum ſanctum id fiat... „ Modus ejuſmodi eſt, ut nulla ratione „ indagari queat. „ Alterum quoque docet non recedendo a tranſubſtantiatione, hinc comparationem cum Incarnatione ſolum leviorem & diminutam, ratione ſcilicet ſanctificationis noſtræ a Verbo incarnato ut a cauſa principali fluentem, inſtituit: „ Panis ac vinum & aqua per ſancti Spi„ ritus invocationem & adventum mira„ bili modo in Chriſti corpus & ſanguinem „ vertuntur, nec ſunt duo, ſed unum & „ idem. „

Repones: Ille putat panem remanere, qui dicit panem non alio modo corpus Chriſti fieri, quam Fideles dum fide pura ad ſacram accedunt Euchariſtiam: Atqui ſic propugnat S. Joannes Damaſcenus: Et probatur. Ibidem pag. 280. col. 1. ait: " Quoniam ex uno pane participamus, „ omnes unum Chriſti corpus, & unus „ ſanguis, & alii aliorum membra effi„ cimur, Chriſtique concorporei exiſti„ mus. „

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et eo loci S. Damaſcenus loquitur de effectu Sacramenti, concedo: de ipſo Sacramento, ſubdiſtinguo; ut de cauſa noſtræ cum Chriſto unionis, & inter nos ipſos conjunctionis, concedo: Excludendo corporis Chriſti præſentiam realem, nego. Primo in antecedentibus pag. 279. ex profeſſo variis argumentis probat Chriſtum realiter eſſe in Euchariſtia per converſionem panis ita efficacem, ut aſſerat panem & vinum non eſſe corporis & ſanguinis figuram, & conſequenter ſubſtantias creatas non ibi adeſſe: " Nec vero, *ait*, „ panis & vinum corporis Chriſti figura „ ſunt; abſit enim hoc, verum ipſum„ met Domini corpus divinitate affectum: „ quippe cum Dominus ipſe dixerit, hoc „ eſt, non corporis ſignum, ſed corpus, „ nec ſanguinis ſignum, ſed ſanguis. „ Tum ad diſpoſitiones pro fruge ex ſacra Synaxi ſuſcipienda ſuum convertit ſermonem, & ex præſentia reali per converſionem ſubſtantiarum creatarum in corpus & ſanguinem Chriſti concludit, quod Fideles cum fide ſumma, & ardentiſſimo in Chriſtum amore ſacram Euchariſtiam ſuſcipere debeant, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Sic loquitur ibidem: " Qui manducat „ me vivet. „ Loquitur de Chriſto. Tum „ per-

Digitized by Google

„ pergit: " Ac proinde ſummo cum me„ tu, & pura conſcientia, fideque haud „ quaquam dubia accedamus .... ardenti „ cupiditate ad eum adeamus, manibuſ„ que in crucis formam compoſitis cru„ cifixi corpus ſuſcipiamus, atque & ocu„ lis, & labiis, & frontibus impoſitis „ divini carbonis participes efficiamur, „ ut ignis deſiderii in nobis inſiti, aſſum„ pta ea, quæ ex carbone oritur, inflam„ matione, peccata noſtra exurat, ac pe„ ctora noſtra culluſtret: demuſque ope„ ram, ut per divini ignis perceptionem „ inardeſcimus, diique efficiamur. „

Demum pag. 280. col. 1. enarrat quo ſenſu unio cum Chriſto, & reſpective inter nos fiat, ſcilicet per participationem realitatis corporis Chriſti, qua concorporei myſtice Chriſto evadimus, & quodammodo etiem realiter, quatenus Sacramentum corporis Chriſti realiter reſidet in pectore Fidelis qui ad ſacram Menſam accedit. Sic ſe explicat loquendo de diverſis nominibus, quibus Euchariſtia inſignitur: " Participatio autem etiam hoc " Sacramentum dicitur: quia per illud „ divinitatis Jeſu participes efficimur. „ Communio autem optimo jure appellatur, „ quia per illud cum Chriſto commer„ cium habemus, ac carnem ipſius & di„ vinitatem percipimus, atque adeo nos „ inter nos communicamus atque copula„ mur. Quoniam enim ex uno pane &c. Audis ex verbis antecedentibus objectionis ſolutionem ex D. Damaſceno ut ex primigenio fonte profluere.

Dices: Ibidem ſcribit S. Baſilium dicere panem & vinum eſſe corporis & ſanguinis Chriſti figuram: Igitur panis & vinum remanent. Sin minus ſubſtantiæ creatæ non dicerentur utriuſque typus.

Reſpondet S. Joannes Damaſcenus S. Baſilium hæc dixiſſe de pane & vino ſolum ante conſecrationem, nuſquam vero facta conſecratione: " Quod ſi nonnulli, „ *inquit*, panem ac vinum corporis & „ ſanguinis Domini figuram eſſe dixe„ runt, quemadmodum ille divinitus af„ flatus Baſilius, non hoc poſt conſecra„ tionem dixerunt, ſed antequam obla„ tio ea conſecraretur, hoc vocabulum „ uſurparunt. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Joannes Damaſcenus Tranſubſtantiationem defendit.

PRIMO: Quia panem ac vinum conſecrari, & mutari aſſerit.

Secundo: Dona creata eaque oblata dicit corpus & ſanguinem Chriſti fieri omnipotentia Verbi, & modo mirabili, qui humanum prorſus excedit & ſuperat captum.

Tertio: Aſſimilat Euchariſtiæ conſecrationem & creationi quæ cuncta ex nihilo produxit, & generationi Chriſti ex virgineo beatiſſimæ Mariæ ſanguine: Porro tametſi generatio fiat ex præſuppoſito ſubjecto, ea tamen facta & tranſacta, non remanet præcedens compoſitum ſeu materia ſecunda; cum reſolutio fiat in generatione ſecundum S. Thomam, uſque ad materiam primam. Igitur ex Damaſceno a fortiori, poſt verba conſecrationis nec panis remanet, nec vinum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Eſto quod S. Damaſcenus admittat panem & vinum adhiberi in Euchariſtia, ne eam adhorreant homines, ſi caro Chriſti ibi nude manducanda foret, ſed intelligas velim ex ſancto Doctore eam ſub ſpeciebus & ſymbolis tum panis tum vini ſumi, ſicut Eccleſia tenet & propugnat.

Secundo: Nec a tranſubſtantiatione recedit ſanctus Damaſcenus dicendo panem & vinum cum divinitate & Chriſto conjungi; hoc enim juxta ipſum fit immutatione utriuſque ſubſtantiæ in corpus & ſanguinem Chriſti.

Tertio: Sanctus ille Pater ait quidem nos corpus Chriſti Euchariſtiæ ſumptione evadere, ſed myſtice & modo prorſus diverſo a pane qui reali immutatione fit corpus Chriſti: quod eam admittat diſcrepantiam Damaſcenus, liquet ex eo, quod eu loci de effectibus Sacramenti Altaris loquatur.

SECTIO TERTIA.

Utrum Rupertus Tuitienſis Abbas Tranſubſtantiationem abnuat?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur ex ejus textibus.

PRIMO: Dicere corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, eſt panem & vinum, facta conſecratione, a ſacro-ſancto Altaris Sacramento excludere, alias non eſſet vera iſta locutio, corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus latent, dicendum foret corpus & ſanguis Chriſti ſimul ſunt cum pane & vino; ubi enim præſentes ſunt ſubſtantiæ, non ſpecies; ſed ipſæ res ſubſtantiales commemorantur. Atqui Rupertus ait corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis latere & adeſſe: Et probatur. Tom. 3. L. 10. in cap. 26. Matthæi pag. 124. ſic habet loquens de Chriſto Euchariſtiam inſtituente: " Non ante
„ hac tradidit, vel condidit hoc Sacramen-
„ tum corporis & Sanguinis ſui, ſed tunc
„ primum, quando in Paſſione jam ago-
„ nizabatur, ipſa nocte qua tradebatur...
„ Tunc adipem ſuum pro peccato ipſe
„ obtulit, ſcilicet omnem neceſſariam
„ nobis utilitatem ſuæ Paſſionis ſub iſtis
„ ſpecibus panis & vini, dicendo: Hic
„ panis eſt corpus meum: Hic calix novum eſt teſtamentum in ſanguine meo,
„ qui pro vobis fundetur. „

Rurſus ibidem ait: " Remiſſionem pec-
„ catorum contulit prioribus illis caro
„ Chriſti mortua, & eodem ventre re-
„ cepta, quo ſepulta continebantur eo-
„ rum corpora: & ſanguis ille, quem
„ & vivens illa nocte ſudando emanavit,
„ & jam mortua, cum aqua de latere
„ ſuo fudit, remiſſionem peccatorum ope-
„ ratur, & nobis Sacramentum ejuſdem
„ carnis & ſanguinis ſub iſtis ſpeciebus
„ panis & vini. „

Secundo: Qui verbis expreſſis aſſerit tranſubſtantiationem, ſeu converſionem panis in corpus, & vini in Chriſti ſanguinem, dubio procul erroris impanationis abſque fundamento inſimulatur: Atqui Rupertus verbis expreſſis ita docet: Et probatur duobus momentis: primo quidem paſſim aſſerit Chriſtum panem & vinum practice conſecraſſe, hoc eſt, ex pane & vino in Euchariſtia ſuum corpus, ſuumque ſanguinem feciſſe, quod certe dici non poſſet, ſi utraque ſubſtantia, facta conſecratione, remaneret; quando enim aliquid fit ex alio, iſtud aliud tranſacta rei efficientia, non eſt amplius. Secundo, clare ſcribit ſubſtantias creatas tranſire in corpus & ſanguinem Chriſti: Porro ſi tranſeunt in aliud, jam non ſunt amplius ſecundum ſe ſpectatæ.

De priori, ſcilicet quod Chriſtus per conſecrationem practicam panis & vini ſuum corpus, ſuumque ſanguinem fecerit, non in uno loco prædicat Rupertus. Lib. 6. in Joan. cap. 6. pag. 132. " Ut
„ fieret panis, aqua commixtum, *ait*, &
„ igne decoctum eſt, & ita ſubſtantia
„ panis peracta eſt.... Signat hunc pa-
„ nem, qui, ut omnes novimus, nuper
„ crevit in terra, & ſignanter dicit:
„ Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis
„ tradetur. „

Tum ſibi proponit objectionem cujuſdam qui contendit panem remanere, eo quod apparentia adſit, adeoque panem eſſe corporis Chriſti figuram, nec aliud Sacramentum eſſe præter typum, quod quidem non uno refellit argumento; aſſerit enim ſolum ſpecies panis remanere: Deinde a ſimili ſic ratiocinatur. Licet vi Baptiſmi non mutetur color niger externus Æthiopis, interius tamen efficacia gratiæ baptiſmalis albus evadit, juxta illud Pſal. 50. *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*; ita & in Euchariſtia, in qua quidem conſecratio non agit in panis & vini proprietates, quæ ideo remanent, ſed in ſubſtantiam panis & vini, quæ vi verborum evadunt & corpus & ſanguis Chriſti. Certe non poteſt tranſubſtantiatio melius explicari.

Ecce pii & doctiſſimi Abbatis verba ibidem, ubi ſic pergit poſt priora modo laudata: " Tu dicis non eſt idem corpus,
„ nempe ſi non eſt idem qui de cœlo
„ deſcendit panis vivus, non eſt hoc
„ corpus quod pro vobis traditur. Sed
„ jam dudum liquet omnibus, in quo ſen-
„ ſus tuus hærcat carnalis totuſque ani-
„ malis, ideoque non percipiens ea quæ
„ ſunt Dei, videlicet quia nec panis, nec
„ vinum aliquid de exteriori ſpecie mu-
„ tavit, idcirco ſapere non potes, nec
„ vis, quod vere factum ſit corpus & ſan-
„ guis Domini. Conſequitur ergo, ut cum
„ albus

,, albus Epiſcopus te forte maurum homi-
,, nem baptizaverit, non credas te ipſum
,, apud Deum factum eſſe, quod eſt is
,, qui te baptizavit, ſcilicetque de filio
,, diaboli factus ſit filius Dei, de filio
,, mortis filius vitæ, de filio iræ filius gra-
,, tiæ ſempiternæ, pro eo quod capillus
,, tuus niger non floruit, facieſque tua to-
,, tiuſque corporis cutis Æthiopica, ſe-
,, cundum colorem ejus qui te baptizavit,
,, non retinuit. Quod ſi concedere perhor-
,, reſcis, ne infideli deterior ſis, & ma-
,, vis confiteri, quam quavis de exteriori
,, ſpecie nihil mutaveris, vere de alio cor-
,, pore diaboli, quo eſt omnis maſſa perdi-
,, torum, in aliud corpus Chriſti, quod eſt
,, Eccleſia, tranſieris. ,,

His abſolutis aperte concludit tranſubſtantiationem & ſubjicit: "Crede & hoc,
,, *Quia panis iſte viſibilis, & vinum, qui-*
,, *bus ex rebus temporaliter vivis, quamvis*
,, *nihil de exteriori ſpecie mutatum ſit, in*
,, *alium tranſierint, & in illum cibum po-*
,, *tumque converſa ſint*, qui Angelorum
,, victus eſt, quo paſcuntur immortaliter,
,, quia videlicet tam in hoc, quam in
,, illo Sacramento, verba quæ loquitur
,, nobis Dominus, ſpiritus & vita ſunt,
,, id eſt, non carnaliter, ſed ſpirituali-
,, ter, non ſecundum craſſitudinem car-
,, nis, ſed ſecundum mentis noſtræ ſpi-
,, ritum, renovationem & reſurrectionem
,, totam perficiunt. ,,

Tertio: Qui inſurgit adverſus negantes tranſubſtantiationem panis, illam non adimit: Atqui res ſic ſe habet; & probatur. Ibid. pag. 133. ſic loquitur: "Numquid
,, vero minus timenda eſt hic illa maledi-
,, ctio, ut non detrahamus, vel appona-
,, mus quicquam verbis dicentis: Hoc eſt
,, corpus meum quod pro vobis tradetur:
,, Hic eſt ſanguis meus novum teſtamen-
,, tum, qui pro multis effundetur in re-
,, miſſionem peccatorum. Cum enim il-
,, lo dicente, Hoc eſt corpus meum, nos
,, ſubauditionem appoſuerimus, dicentes,
,, figurativum, vel per ſimilitudinem di-
,, ctum, cum inquam illo dicente, Hoc
,, eſt corpus, nos dixerimus, hoc ſigni-
,, ficat corpus, nonne multum eſt quod
,, apponimus vel prava demutatione de-
,, trahimus, & ſeuſum generamus, quem
,, Sanctus Auctor, Deus & Homo, nuſquam
,, eſt locutus, nec aſcendit umquam in
,, cor ejus. ,, Tum ait, diſcrimen eſſe inter hanc Chriſti propoſitionem: *Ego ſum vitis vera*, & iſtam, *Hoc eſt corpus meum.*
" Cum non ſignanter dixerit, Ego ſum
,, hæc vitis, ſicut ſignante dixit, Hoc
,, eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus,
,, appoſita protinus deſcriptione veræ pro-
,, prietatis, de corpore inquiens, quod
,, pro vobis tradetur, de ſanguine autem,
,, qui pro multis effundetur. ,,

Sed, quæſo, nonne Lutherani ad ſpiritus erroris attendentes apponunt quid novi Chriſti ſermonibus, ſcilicet impanationem, cum iſta oracula; *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*: in ſenſu obvio, ſignificent panem in corpus Chriſti, vinum vero in ejus ſanguinem converti? Atqui hanc novitatem deteſtatur Rupertus, ut ex dictis luce clarius affulget: Igitur tranſubſtantiationi non adverſatur.

Quarto: Si Rupertus tranſubſtantiationem abnuiſſet, & inter panem, vinum & corpus, ſanguinemque Chriſti, unionem hypoſtaticam admiſiſſet, nec ejus doctrina ab Eccleſiæ Præſulibus, a Legatis Sedis Apoſtolicæ, a fortiori nec a ſummis Pontificibus celebrata ſuiſſet; nec utique ejus æmuli iſtud ſiluiſſent momentum: Atqui doctrina Ruperti ſic fuit laudata, ut nec quiſquam aut ipſi coævus, aut ætate ejus inferior, Hæreſeos labem ei inurere tentavit. Igitur ejus de tranſubſtantiatione ſententia ab omni erroris nævo immunis eſt. Probatur minor. 1. Opera ei nuncupata ſuſceperunt gratulabundi Cuno Ratisbonenſis Epiſcopus, & Fridericus Colonienſis Archi-præſul ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus, & ipſe Romanus Pontifex. 2. Tametſi plures habuerit æmulos Rupertus, non legitur tamen apud veteres de erroribus fuiſſe reprehenſum; ſed etiam inter recentiores nullus, niſi errore facti detentus, eum Hereſeos nefandi criminis inſimulavit. Quis enim hujuſmodi labem inurere audebit illi pio Abbati, ſi maturo examine prævio legat quæ de tranſubſtantiatione dixit, ſcripſit, & doctiſſime probavit?

Proponuntur difficultates, & explicantur.

OBJICIES: Ille abnuit tranſubſtantiationem, qui unionem hypoſtaticam inter panem & corpus Chriſti admiſit, eamque,

que, qualem confitemur in Incarnatione, in qua duæ naturæ impermixtæ permanent: Atqui Rupertus ſic docuit: & probatur. Commentario in caput 6. Joannis ait: " Et ſicut Verbum, quod eſt panis An„ gelorum, caro factum eſt, non mutatum „ in carnem, ſed aſſumendo carnem; ſic „ idipſum Verbum jamdudum caro factum, „ panis viſibilis fit, non mutatum in pa„ nem, ſed aſſumendo, & in unitatem „ perſonæ ſuæ transferendo panem. „ Ergo &c.

Reſpondeo, Rupertum non locutum fuiſſe ad ſcholæ trutinam, ſed in ſuo commentario in effectibus Euchariſtiæ deſcribendis potius quam in realitate aſtruenda incumbere, immo & myſtice cuncta explicaſſe, videlicet Incarnationem moralem Chriſti in ſacrificio Miſſæ quotidie celebratam, & hoc per analogiam ad Incarnationem realem & phyſicam; idcirco loca paululum duriora, lucidioribus explananda ſunt. Lib. 2. de officiis Tom. 2. cap. 2. iterum atque iterum profitetur tranſubſtantiationem his verbis: " Hic ma„ gis ac magis aperiendum fidei oſtium, & „ animæ triclinia ponenda ſunt, ut ingre„ diatur veritatis opus, quo panis & vi„ num in verum corpus & ſanguinem Do„ mini transferuntur. „

Rurſus ibidem ait. " Si hujus verbi flu„ men ſuper panem & vinum effuderis, & „ ordine, qui ab ipſo ſtatutus eſt, verita„ tem hujus verbi protuleris, ſtatim de „ ſancto Altari panem ipſum & vinum in „ corpus & ſanguinem ſuum transferendo „ ſuſcipit. „

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Panis ex Ruperto penes ſymbola non mutatur in carnem, concedo: penes ſubſtantiam nego. In eodem ſenſu locutus eſt Rupertus ac Patres ſupra explicati; oſtendit enim mirabilem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſymbolis unionem relative ad ipſam Incarnationem, cum hoſtiæ conſecratio, non ſemel a ſanctis Patribus vocatur Incarnatio in ſenſu morali; ſicut enim Verbum aſſumpſit carnem in unitate perſonæ, ſic aliquo modo aſſumpſit panem, ſeu potius ſymbola panis, ſub quibus tegitur, quatenus ſolus Chriſtus vi verborum præſens eſt in Euchariſtia, cetera vero ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ, nonniſi per concomitantiam adſunt.

Rupertus eſt ſui ipſius interpres, ſi antecedentia & conſequentia ponderemus, alias manifeſte ſibi ipſi contradiceret: Porro in verbis prioribus ait: " Et panis, „ *inquit*, quem ego dabo, caro mea eſt „ pro mundi vita; & revera quem Pater „ dedit panem Angelorum, ut carnem aſ„ ſumeret, & moreretur, quatenus mortuos „ vivificaret, ipſe panis cœleſtis panem ter„ renum nobis dat, quem ... in carnem ſuam „ tranſmutat. „ Hæc antecedunt immediate verba objectionis, iſta vero ſubſequuntur, poſtquam attulit exemplum Nativitatis Chriſti ex Maria: " Sic nihilo„ minus de pane iſto viſibili, quem ejuſ„ dem Verbi inviſibilis divinitas aſſumens, „ in carnem ſuam transfert, vere & catho„ lice confitemur, quia corpus Chriſti eſt. „ Quibus verbis dubio-procul non admittit aſſumptionem panis Euchariſtici in unitatem hypoſtaticam, ſed in unitatem per converſionem panis, cum iſtam aſſumptionem immutatione panis fieri iterum atque iterum conclamet.

Iſtabis: Rupertus eamdem gratiam etiam in quantitate agnoſcit in Euchariſtia ac in ipſa Incarnatione. Igitur nonniſi unione hypoſtatica admittit præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia cum pane. Probatur antecedens. Lib. 2. de officiis cap. 2. ſic loquitur: " Scien„ dum eſt quod non tantum de Verbo Dei „ ſacræ hoſtiæ accedit, quantam habe„ gratiam ejuſdem Verbi unuſquilibet Sa„ cerdos, qui ad ſacrificandum aſſiſtit. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Rupertus eamdem gratiam ſubſtantialem & perſonalem admittit in Euchariſtia, qualem confitemur in Incarnatione, concedo: eamdem quantum ad unionem, nego: Quod autem non admittat unionem hypoſtaticam ipſe doctiſſimus Abbas ſuam prodit mentem, cum vel ipſam Euchariſtiæ plenitudinem, etiam concedat toti Eccleſiæ corpori. Ibidem enim hæc ſubjungit: " In ſacram „ autem hoſtiam tanta ſe plenitudo divi„ nitatis infundit, quanta in Mariæ Vir„ ginis uterum deſcendit, quanta in cor„ pus Eccleſiæ per gratiarum diviſiones „ ſeſe diſtribuit. „

Audis Rupertum eamdem plenitudinem, vel ipſi etiam corpori Eccleſiæ tribuere per effuſionem gratiarum & Donorum Spiritus ſancti; nemo autem dixerit

Ru-

Rupertum excogitaſſe Verbum Dei uniri hypoſtatice toti corpori Eccleſiæ: idem prorſus dicendum de unione quam propugnat inter corpus Chriſti, & panem.

Replicabis: In eodem libro c. 9. fuſiori calamo inſtituit comparationem inter Incarnationem Dominicam & Euchariſtiam, & ſic loquitur: " Verbum quod humanam acceperat naturam, id eſt in carne manens, panis & vini accipiebat ſubſtantiam; vita media, panem cum ſua carne, vinum cum ſuo jungebat ſanguine. " Igitur ex eo ſicut humana natura remanet integra in unione hypoſtatica, ita & ſubſtantia panis & vini in Euchariſtia.

Reſpondeo diſtinguendo: Verbum accepit panem conſecrandum vi verborum inſtitutionis, & illum conjunxit tranſubſtantiatione cum corpore ſuo, concedo: & non conjunxit tranſubſtantiatione, nego. Solutio colligitur ex verbis ſubſequentibus: " Sic verbum Patris carni & ſanguini, quem de utero Virginis aſſumpſerat, & pani ac vino, quod de Altari aſſumpſit, medium interveniens, unum ſacrificium efficit, quod cum in ora Fidelium Sacerdos diſtribuit, panis & vinum abſumitur & tranſit. " Ex Ruperto unum fit ſacrificium, panis ſicut & vinum, abſumitur ratione ſpecierum; neque poteſt aliter explicari, cum ille Doctor verbis expreſſis admittat realitatem & eo loci ſequatur ſenſum & modum loquendi Patrum, qui eadem comparatione facta inter Incarnationem & Euchariſtiam perſtringunt Eutychianos.

Perſiſtes: Rupertus hæc ſubjungit: " Partus autem Virginis cum unito ſibi Verbo Patris, & in cęlo & in hominibus integer permanet & inconſumptus; ſed in illum, in quo fides non eſt, præter viſibiles ſpecies panis & vini, nihil de ſacrificio pervenit. " Sed qui, ait, peccatores nihil recipere in Euchariſtia præter ſpecies, non admittit tranſubſtantiationem.

Reſpondeo primo, negando minorem; immo illam aſtruit, cum dicat non ſubſtantiam panis & vini, ſed utriuſque tantum ſpecies recipere.

Reſpondeo ſecundo, Rupertum loqui in ſenſu Patrum, qui ſermonem inſtituendo de impiis, nonnumquam aiunt eos nihil recipere in ſacra-ſynaxi, hoc eſt nullam frugem & gratiam, ſed potius damnationem incurrere, unde perinde eſt ac ſi Sacramentum non ſumerent: Quod enim ibi non abnuat realitatem & tranſubſtantiationem patet ex verbis ſubſequentibus: " Quapropter, *ait*, qui viſibilem panem ſacrificii comedit, & inviſibilem a corde ſuo non credendo repellit, Chriſtum occidit, qui vitam a vivificato ſejungit, & dentibus ſuis mortuum laniat corpus ſacrificii, atque per hoc reus eſt corporis & ſanguinis Domini. " Quibus verbis duo ſecernit Rupertus, videlicet panem apparentem in ſpeciebus, tum vero panem inviſibilem, qui eſt corpus Chriſti; quod cum ſumitur indigne, inducit & ſacrilegii, & pœnæ æternæ reatum. Et certe ibi clare ſuam prodit fidem ille Doctor, nam in reliquo capite divinæ Euchariſtiæ explicat effectus, & probat carnem Chriſti non manducandam eſſe ut carnem quæ venditur in macello; ſin minus nec quidquam utilitati afferret.

Dices: Bellarminus hic L. 3. de Euch. cap. 11. propugnat Rupertum adhæſiſſe impanationis errori. Algerus qui tempore illius Abbatis florebat, ſcilicet anno 1124. L. 1. de Sacramentis cap. 6. hunc debellat errorem. Thomas Waldenſis Tom. 2. de Sacram. c. 47. & 93. commemorat librum de officiis, tacito nomine Auctoris, quo Wicleſus ad exagitandos Catholicos utebatur. His & ſimilibus conjecturis fides Ruperti in hæreſeos ſuſpicionem apud multos venit; maxime vero eo quod loca quæ Wicleſus pro ſuo errore defendendo citat, comperiantur in L. 2. de officiis Ruperti cap. 9. Ergo &c.

Reſpondeo: Non probari ab Auctoribus laudatis opera quæ in hæreſis impanationis ſuſpicionem veniunt, eſſe Ruperti fœtum. Neque vero propter rationes in probationibus allatas adhæremus Theologis qui tanto Abbati erroris labem inurere non dubitant, cum & præſentiam realem & tranſubſtantiationem clare explicet; ſed maxime qui ab Eccleſia ut ſanæ doctrinæ auctor, & fidei ſtrenuus propugnator ſemper habitus ſit. Nec deſunt qui affirment egregiam ejus doctrinam a Deo magis infuſam quam acquiſitam fuiſſe; cum enim junior adhuc eſſet, & ex labore tametſi improbo vix quicquam in Scientiis ſacris proficeret, ad Deiparam fiden-

fideter confugit, quæ ejus annuens votis, claram & profundam in Scripturis ſacris indagandis a Filio ſuo obtinuit ei facilitatem. Ita Honorius Auguſtodunenſis de lum. Eccl. L. 4. c. 16. Sixtus Senenſis, Molanus, Poſſevinus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Rupertus non adverſatur Tranſubſtantiationi.

PRIMO: Agnoſcit verba, quibus conſtat forma panis & calicis, eſſe practica, hoc eſt facere converſionem utriuſque ſubſtantiæ in corpus & ſanguinem Chriſti.

Secundo: Ait panem fieri corpus Chriſti, & vinum in ejus ſanguinem tranſire.

Tertio: Et Præſules & ſummi Pontifices laudarunt Ruperti doctrinam, quod argumentum eſt, eam eſſe ab omni nævo immunem.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Unionem ſymbolorum cum Verbo incarnato in Euchariſtia realiter præſenti admittit quidem Rupertus, ſed non hypoſtaticam niſi in ſenſu quodam morali.

Secundo: Nec quiſquam mirari debet, ſi ille Abbas quandoque dicat panem remanere in Euchariſtia, & gratiam ſubſtantialem ibi adeſſe ſicut in Incarnatione: Primum enim intelligit de ſpeciebus, alterum vero de præſentia reali Verbi, quod quidem idem eſt ſubſtanrialiter in Euchariſtia, ſicut in Incarnatione, ſed non idem quantum ad unionem cum ſymbolis; nullam quippe hypoſtaticam admittit Rupertus in Sacramento Altaris, cum pane & vino, ſed eam ſolum quæ fit per converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

Tertio: Abſque fundamento apud aliquos Theologos in ſuſpicionem impanationis venit Rupertus, cum Eccleſia eum habeat ut pium & doctiſſimum, de ipſa bene meritum Abbatem.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Euchariſtia ſit Sacramentum permanens.

TAMETSI Theologi noſtri conveniant Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens, cum Chriſtus adoretur in pixide, non tamen una eſt omnium ſententia de modo quo eſt: Quidam enim ſpecies ſeu accidentia eſſe tantum relativa, alii vero & melius, ea ut abſoluta habent. Duo igitur ad quæſtionis eliquationem diſcutienda nobis incumbunt; alterum ſcilicet de permanentia; alterum vero de accidentibus. Quæ quidem momenta non parum conducunt ad confirmandam tranſubſtantiationem, quæ bene infertur & ex permanentia, & ex accidentibus abſolutis. Unde ſit.

SECTIO PRIMA.

Utrum corpus & ſanguis Chriſti non ſolum in uſu, ſed & ipſo tranſacto, ſint in Euchariſtia.

Negant Lutherani, ſed contra eos ſit

CONCLUSIO.

Chriſtus eſt in Euchariſtia permanenter.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ſic exponitur. Illud eſt Sacramentum permanens, quod tale eſt independenter ab uſu: Atqui corpus & ſaguis Chriſti independenter ab uſu ſunt realiter in ſacra Euchariſtia. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primo: Matth. 26. habetur. *Accepit Jeſus panem & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait, accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Igitur ante uſum Chriſtus erat in Euchariſtia, cum verba antecedenter ad ſumptionem eſſent practica, & converſionem panis operata ſint.

Secundo, 1. Corint. 11. legitur. " *Hic calix novum Teſtamentum eſt in* „ *meo ſanguine*. „ Quibus verbis conſtat ſan-

ſanguinem Chriſti fuiſſe in calice priuſquam illum biberent Diſcipuli. Igitur & corpus & ſanguis Chriſti ſunt in Euchariſtia extra uſum.

Tertio: Illud Sacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, juxta illa Chriſti verba Joannis 6. *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Sed cibus & potus ipſam antecedunt comeſtionem: Ergo &c.

Concilium Tridentinum Seſſ. 13. can. 4. iſtam confirmat explicationem his verbis: *Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti; ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt, & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini; anathema ſit.*

Suffragantur Patres. Irenæus Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium Lib. Hiſt. cap. 24. aſſerit tunc temporis inoleviſſe morem mittendi in ſignum pacis ad Confratres epiſcopos Euchariſtiam. Cyprianus in ſermone de lapſis: ait: " At „ cum quædam arcam ſuam, in qua Domi- „ ni ſanctum fuit, manibus indignis ten- „ taſſet aperire; igne inde ſurgente de- „ territa eſt. „ His accedit Tertullianus qui Lib. 2. ad uxorem ſic loquitur: " Non „ ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem „ cibum guſtes. „ Sed ſi Euchariſtia contineret corpus Chriſti ſolummodo in uſu, ad quid illam mittere in ſignum amoris; illam reſervare ut in tempore opportuno ſumatur etiam a Laicis, qui panem conſervare valent? ad quid etiam correptio eorum qui indigne illam tractare audent, cum nihil eſſet præter panem in principiis Lutheranorum? ſed de his argumentis fuſiori modo erit explicatio.

Altera ratio ea eſt: Chriſtus adoratur in Euchariſtia, etiamſi non ſumatur, & quidem cultu latriæ; ſed ſi non eſſet realiter præſens niſi in uſu, citra dubium adoratio eſſet idulolatria. Ergo &c. Major in qua eſt difficultas a Concilio Tridentino Seſſ. 13. cap. 5. diſertiſſime & docetur, & probatur his verbis: " Nullus ita- „ que dubitandi locus relinquitur, quin „ omnes Chriſti Fideles pro more in Ca- „ tholica Eccleſia ſemper recepto latriæ „ cultum, qui vero Deo debetur, huic „ ſanctiſſimo Sacramento in veneratione „ exhibeant. Neque enim ideo minus „ eſt adorandum, quod fuerit a Chriſto „ Domino, ut ſumatur inſtitutum: nam „ illum eumdem Deum præſentem in eo „ adeſſe credimus, quem Pater æternus in- „ troducens in orbem terrarum, dicit: Et „ adorent eum omnes Angeli Dei; quem „ Magi procidentes adoraverunt; quem de- „ nique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum „ fuiſſe Scriptura teſtatur. „

Idem Concilium can. 6. rem de fide definit his verbis: *Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; anathema ſit.*

Concinunt SS. Patres. Ambroſius Lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. explicans iſta Pſalmiſtæ verba: Adorate ſcabellum pedum ejus, pag. 403. ait: " Per ſcabel- „ lum, terra intelligitur, per terram au- „ tem caro Chriſti, quam hodie quoque „ in Myſteriis adoramus. „ Chryſoſtomus Hom. 3. in Epiſt. ad Epheſios ait: " Re- „ colite quia illius corpus & ſanguis eſt, „ qui ſupra cœlos reſidet, qui ab Angelis „ ſuppliciter adoratur. „

Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 5. Myſtag. " Accede *inquit*, & ad calicem „ ſanguinis illius, non extendens manus, „ ſed pronus, adorationis in modum. „ Denique Auguſtinus Epiſt. 120. cap. 27. ſic loquitur: " Ipſi quippe adducti „ ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt „ de corpore & ſanguine ejus, ſed ado- „ rant. „

Teſtimonium habemus ex inimicis noſtris pro iſto momento. Calvinus l. de vera Chriſti participatione contra Heſhuſium Lutheranum collatione 1565. ait: " Si „ Chriſtus eſt in Euchariſtia, ibi adora- „ ri debet. „ Idem propugnat Beza lib. de Cœna contra Weſtphalum Lutheranum parte 145. Idem Derelincout lib. qui inſcribitur *Falſus Paſtor*, ſectione 12. pag. 123. quibus ſententiis vel ipſi Calviniſtæ exiſtimant implicare Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia, & ibi non eſſe adorandum.

Tertia ratio multas alias præcontinet, & in hac forma proponitur: Chriſtus in illo Sacramento eſt permanenter, ſi Euchariſtia aſſervatur in ædibus, ſi deferatur in via in præſidium adverſus eminentia vitæ pericula, ſi deportetur ad infirmos, ſi ſanguine pretioſo non ſemel uſa ſit Eccleſia veluti atramento ad ſubſcribendum damnationi Hæreticorum; neque enim in his caſibus nova excogitata eſt conſecratio. Atqui res ſic ſe habet: Igitur & corpus & ſanguis Chriſti ſunt permanenter in Euchariſtia. Probatur antecedens multis momentis.

Concilium Tridentinum Seſſ. 13. Can. 6. aſſerit ex antiquo more ſacram Euchariſtiam aſſervari, & hanc conſuetudinem retinendam eſſe ſtatuit; deinde Can. 7. ſic loquitur: *Si quis dixerit non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur; Anathema ſit.*

Praxis Eccleſiæ omnes argumenti partes variis oſtendit exemplis. Primo quidem, nemo non novit primorum ſæculorum Chriſtianos nedum in conventibus publicis ſolitos fuiſſe ſacram ſumere Euchariſtiam, verum etiam & in domo propria. Hoc ipſum ex Tertulliano colligitur libro 2. ad Uxorem cap. 7. idem patet ex Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum. Hujuſce diſciplinæ ea fuit cauſa, quod cum unica olim Miſſa diceretur quolibet die, cui omnes adeſſe non poterant, peracto ſacrificio, & iis, qui Miſſæ interfuerant communione ſaginatis, Euchariſtia per Acholytos aut Diaconos deferebatur ad abſentes. Sic ſcribit ſanctus Juſtinus Apologia 2. ſic declarant Acta Luciani Presbyteri Antiocheni & Martyris apud Bollandum 7. Januarii. c. 4. habetur quomodo oblato in carcere ſuper proprium pectus ſacrificio, cum ſacro ritu omnia peregiſſet propoſita, ipſe fuerit ſacramentorum particeps, & tranſmiſerit ad eos qui aberant. Hic uſus in Eccleſia Orientali floruit, immo & in Occidente, ſaltem uſque ad Concilium I. Toletanum Can. 14. ubi reſciſus apparet.

Ad infirmos etiam per Diaconos alioſque inferioris ordinis Clericos, immo & nonnumquam per Laicos ad abſentes deferebatur Euchariſtia. Percelebre exemplum de hoc momento præſtat Dionyſius Alexandrinus, qui Epiſt. ad Fabianum Antiochenum Epiſcopum Lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. 44. apud Euſebium, refert Serapionem ſenem animam agentem a puero nepote ſuo ſacram recepiſſe Euchariſtiam, quam quidem ipſe a Sacerdote avunculo deferendam acceperat. Hæc conſuetudo ſubnotatur in Concilio Rhemenſi apud Reginonem lib. 1. de Eccleſiaſticis diſciplinis cap. 130. Tres potiſſimum modi aſſervandæ Euchariſtiæ pro infirmorum communione commemorantur. Primus, & quidem aotiquior, in ſecretario ſeu in ſacriſtia aſſervabatur, qui modus uſque ad Gregorii XI. ætatem, ſaltem in Baſilica Lateranenſi perſeveraſſe videtur. Alter modus ut ſervetur in Altari ſeu principali, ſeu etiam parochiali; qui quidem ritus nunc paſſim viget in urbe. De eo meminit Guill. Durandus in Ration. L. 1. c. 2. Tertius qui in Baſilicis S. Crucis, & Belgiæ obtinet locum ille eſt, quo Euchariſtia prope majus Altare ad ſummum Baſilicæ parietem abſque ara ſuppoſita continetur in vaſculo patente adjectis loco ornamentis, quod quidem opus eſt Franciſci Guignonii Cardinalis. De priori modo ſermonem facit Mabillonius in Commentario ad Ordines Romanos pag. 139. de ſecundo in itinere Italico pag. 186. de tertio in Tractatu de Azymo & Fermentato pag. 83.

Non unus fuit apud antiquos Euchariſtiæ uſus. Primo quidem fideles peregrinantes veluti tutiſſimum adverſus pericula ſæpius imminentia præſidium, eam ſecum deferebant & ſumebant; hoc ipſum Hieronymus refert Epiſt. 4. ad Ruſticum, ubi de ſancto Exuperio Toloſæ Epiſcopo ſcribens ait: " Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro. ,, Aliud exemplum ſubminiſtrat ſanctus Ambroſius oratione funebri de obitu Satyri fratris ſui, qui iter via maris perficiens, Euchariſtiam in collo ſuſpenſam habebat, quique confracta navi, reſolutam tabulam quærens, omnem ſalutem in ſola reponebat Euchariſtia: " Etenim, *inquit*, ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare, non requirens de navis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans juvaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat; itaque

,, his

„ his ſe tectum atque munitum ſatis credens , alia auxilia non deſideravit . „

Non abſimile exemplum commemorat ſanctus Gregorius Papa Lib. 3. Dialogorum c. 36. & in vetuſtiſſimo codice Monaſterii Wirgartenſis ſancti Gregorii Papæ expoſitionem continente , initio hæc leguntur : " Oportet Monacho , ubicumque exierit , Euchariſtiam ſecum ſemper vehat . „ Acta ſancti Birini apud Surium 3. Decembris teſtantur Honorium Papam ei dediſſe " pallam ſuper quam corpus Chriſti conſecrabat , & in qua corpus Dominicum involutum & ad collum ſuſpenſum ſemper ſecum ferebat . „

Sanctus Adalbertus Pragenſis Epiſcopus , cum aliquando divinum obtuliſſet ſacrificium : " Quicquid ſuperfuit de eo quod ipſe & novi Baptizati communicaverant , colligere jubet , & mundiſſimo panno involutum ſibi ſervavit pro viatico deportandum . „ Ita legitur in ejus vita n. 57. Seculo 5. Benedictino ; porro non fiebat nova conſecratio .

Non injucundum erit quædam afferre exempla quæ Reges Francorum ſpectant . Helgaldus Floriacenſis Monachus in vita Roberti Regis , hæc de eo ſcribit : " Quocumque illi erat eundem , præparabatur vehiculum quod deportaret divini Myſterii tentorium , quo in terram fixo , deponebantur ibi ſancta , ut quia ſecundum Pſalmiſtam , *Domini eſt terra & plenitudo ejus , orbis terrarum , & univerſi qui habitant in eo* , proderet ſe devotum , quovis in loco Deo devotas perſolvere laudes . „

Inſtar ceterorumque ſit quod Guillelmus Nangius refert in L. de geſtis ſancti Ludovici , qui ad bellum contra infideles profectus : " Sacrum Domini Jeſu corpus ſecum de licentia Domini Tuſculani Sedis Apoſtolicæ Legati , deferebat . „

Neque vero prætereundum eſt Epiſcopos olim ſibi invicem in ſignum unitatis & benevolentiæ Euchariſtiam tamquam pro Eulogia tranſmiſiſſe ; teſtis eſt huiuſce praxeos ſanctus Irenæus Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium L. 5. c. 24. namque cum ab Epiſcopis Aſiæ ob diverſum in celebrando Paſchate ritum abſtinere Victor putaret , Irenæus anteceſſorum ſanctorum Pontificum exempla in ejus memoriam revocat , qui nullos unquam ob ejuſmodi conſuetudinem a ſe rejecerant : " Verum illi ipſi , *inquit* , qui te præceſſerunt Presbyteri , quamvis id minime obſervarent , Euchariſtiam tranſmiſerunt . „

Ad eamdem referuntur conſuetudinem Melchiadis & Siricii ſummorum Pontificum Decreta de mittendo fermento ad titulos urbis , quod de Euchariſtia interpretantur viri eruditi , quodque fieri in feſto Paſchæ interdixit Concilium Laodicenum Can. 14. prohibens ne ſancta inſtar benedictionum in feſto Paſchæ in alias Parochias tranſmittantur . Eumdem de Euchariſtia tranſmittenda morem etiam apud Monachos floruiſſe habetur in Prato ſpirituali cap. 29.

Stupendum de permanentia corporis Chriſti in Euchariſtia argumentum eſt , quod Concilia non ſemel calamo in ſanguine Chriſti intincto ſubſcripſerint damnationi Hæreticorum . Inter omnia exempla duo ſunt celeberrima , alterum in Pyrrhi , alterum in Photii condemnatione . De priori ſic ſcribit Paulus Diaconus Aquilejenſis in Hiſtoria lib. 18. " Pyrrhus cum Roma diſceſſiſſet , & Ravennam perveniſſet , ut canis ad vomitum ſuum reverſus eſt ; quo Papa comperto Theodorus , plenitudine Eccleſiæ convocata , ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit , & divino calice expoſtulato , ex vivifico ſanguine in atramentum ſtillavit , & ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati fecit . „ Quæ totidem verbis ex Græcis ſcriptoribus refert Theophanes , extantque in Conciliorum ultimæ editionis tomo 5. pag. 1699. De poſteriori vero in vita ſancti Ignatii Conſtantinopolitani : " Ergo communi omnium æquiſſimoque judicio damnatur , abdicatur , Anathemateque percellitur veluti violator & adulter , maximarumque calamitatum & infinitarum offenſionum ac ſcandalorum in Eccleſia Dei auctor ; & pronuntiat Synodus juxta Nicolai Papæ ſententiam , quam primum Photius maturo cum judicio , canonicaque ſeu ſynodica fuerat depoſitione damnatus , ſubſcripſere depoſitioni calamis non modo atramento , ſed in quo penitus contremiſcas , ut eos qui rem noverant aſſeverantes audivi , ipſo Salvatoris ſanguine tinctis . „

Sanctus Auguſtinus lib. 5. Operis imper-

fecti

ſecti contra Julianum cap. 162. enarrat Euchariſtiam non ſemel applicatam fuiſſe ad remedium corporum, quod quidem non improbat: " Erat, *inquit*, apud nos „ Acatius quidam, honeſto apud nos or- „ tus loco, clauſis oculis natum ſeſe di- „ cebat; ſed quia intus, ſanis palpebris „ cohærentibus non patebant, medicum „ eos ferro aperire voluiſſe, neque hoc „ permiſiſſe religioſam matrem ſuam, „ ſed id effeciſſe, impoſito ex Euchariſtia „ cataplaſmate. „

Euchariſtia quondam in ore mortuorum ad ſepulturam deportandorum ponebatur; hoc quidem conſtat ex facto S. Baſilii apud Amphilochium, cujus fragmentum citat Æneas Pariſienſis Epiſcopus in Libro adverſus Græcos, Spicilegii tomo 7. pagina 51. in quo refertur, dicta Miſſa, panem conſecratum tres in partes diviſiſſe, quarum una ſeipſum communicavit; alteram imponens columbæ aureæ, ſuſpendit ſuper Altare; alteram denique ſibi ipſi conſepeliendo conſervari voluit. Hujuſce rei alterum extat factum S. Benedicti apud Gregorium Turonenſem Libro 2. Dialogorum cap. 24. qui adoleſcentem Monachum; poſita cum reverentia ſuper ejus pectore Euchariſtia, ſepeliri juſſit. Hanc conſuetudinem reſcidit poſtea Concilium Carthaginenſe III. Can. 6. & 83. Antiſſiodorenſe Canone 12. & Quini-ſextum anno 692. celebratum Canone 23.

Denique mos etiam inoleverat in ſolemni Eccleſiarum dedicatione, tres portiones ex Dominico corpore detractas Altari cum calce & ſmalta incluſas fuiſſe; hoc ipſum in majori Monaſterii Baſilicæ dedicatione præſtitiſſe Urbanum II. Papam, ſcribit quidam Anonymus in Lib. de geſtis Abbatum majoris Monaſterii; quæ quidem omnia probatur corpus Chriſti eſſe permanenter in ſanctiſſimo Altaris ſacramento.

Quarta ratio, & quidem etiam pro eodem momento irrefragabilis, illa eſt: Eccleſia ab omni ævo ægre tulit ſacræ Euchariſtiæ prophanationes, variaſque antiqui Canones injungunt pro iſta irreverentia, tametſi quandoque leviſſima, & per inadvertentiam facta, pœnitentias; ſed ſi corpus Chriſti non eſſet permanenter in Euchariſtia in pixide aſſervata, nihil inde prophanationis ſequeretur, cum panis tantummodo adeſſet. Ergo &c. Probatum minor variis auctoritatibus.

Tertullianus Lib. de Corona militis cap. 3. ait: " Calicis & panis noſtri aliquid „ decuti in terram anxie patimur. „

Origenes Hom. 13. in Exodum hujuſce diſciplinæ, tenaciſſimus eſt: " Noſtris, „ *inquit*, qui divinis myſteriis intereſſe „ conſueſtis, quomodo cum ſuſcipitis cor- „ pus Domini, cum omni cautela & ve- „ neratione ſervatis, & ne ex eo parum „ quid decidat, ne conſecrati muneris di- „ labatur: reos enim vos eſſe creditis, „ & recte creditis, ſi quid inde per ne- „ gligentiam decidat. „

Sanctus Chryſoſtomus in ſua ad Innocentium I. Epiſtola plurimum conqueritur de militibus, qui projecta ſuper pavimentum ſacra Euchariſtia, dum eum ducebant captivum in amarum exilium. Victor Uticenſis caput 13. pagina 17. de hiſtoria Wandalorum, eamdem Euchariſtiæ prophanationem veluti crimen enorme refert his verbis: " Tempore quo ſacramenta „ populo porrigebantur, introeuntes ma- „ ximo cum furore, corpus Chriſti & ſan- „ guinem, pavimento exparſerunt, & il- „ lud pollutis pedibus calcaverunt. „

Concilium Toletanum XI. anno 677 c. 2. Bracarenſe IV. eodem anno Can. 3. graviſſimas imponunt pœnas pro irreverentiis erga ſacram Euchariſtiam commiſſis. Idem claret ex Bobienſi Pœnitentiali ante annos mille ſcripto, & Muſei italici tom. 1. edito, & ſic de ceteris.

Eadem permanentia in Eccleſiis Orientalibus perſeverate traditione probatur.

EX quinque potiſſimum momentis luce clarius apparet Eccleſias Orientales, ne una quidem excepta, ſemper habuiſſe fidem de permanentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. Primo quidem ex miſſa Præſanctificatorum, ſecundo ex aſſervatione panis conſecrati pro infirmis; tertio ex confeſſione fidei quam eliciunt Fideles antequam Sacerdos in Liturgia conſumat oblata; quarto ex adoratione Euchariſtiæ; denique ex pœnitentiis a Canonibus determinatis pro irreverentia erga tantum Sacramentum commiſſa.

1. *De* Miſſa præſanctificatorum fuſus eſt ſermo in Ritualibus Orientalium; ejuſdemque frequentior eſt uſus apud Græcos, quam

quam in Eccleſia Latina: quandoquidem toto tempore Quadrageſimali ſingulis feriis non alia celebratur Miſſa in omnibus Eccleſiis. Concilium Laodicenum antiquiſſimum Can. 49. de ea meminit, item & Trullanum Can. 52. Quis jam audebit non ſine blaſphemia aſſerere Chriſtum non eſſe permanenter in Euchariſtia, cum ejuſmodi Miſſæ non niſi ex pane die Dominica conſecrato celebrentur? Nectarius Patriarcha Jeroſolym. qui recentioribus floruit temporibus, refert particulam conſecratam non ſine magno miraculo ducentis circiter annis abſque corruptione fuiſſe aſſervatam; deinde cultu divino in proceſſione publica circumgeſtatam, & in locum honorificum translatam; ſic ſcribit Renodotius Tom. 4. perpetuitatis fidei lib. 3. cap. 5.

II. *Non* vero dubitandum eſt Orientales aſſervare panem conſecratum pro infirmis; quæ quidem conſecratio vulgo fit die Jovis ſancto; ita habetur in Ritualibus Græcorum. Synodus Jeroſolymitana anno 1671. celebrata præcipit lampades accendi coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento; hoc ipſum peregrinatores in ſancta civitate Jeroſolymitana propriis conſpiciunt oculis. Jam vero ad quid luminaria, ſi ſit ſolum panis in pyxide aſſervatus?

III. *Confeſſio* fidei in toto Oriente ſolemniter fit, dum ſancta celebrantur myſteria; ſic orat Sacerdos cum populo, teſte ſancto Chryſoſtomo, ut primum oblata conſecrata ſunt: *Credo, Domine, & confiteor te eſſe Chriſtum Filium Dei vivi qui in mundum veniſti, ut ſalves peccatores, quorum ego ſum primus*. Quæ quidem deprecatio in Liturgiis Græcorum texitur.

IV. *Syrii* Jacobitæ & Orthodoxi ſimiles habent Orationes in antiquiſſimo Miſſali. In eo præcipitur, ut Presbytero tenente corpus Jeſu Chriſti præ manibus, ipſe dicat: *Tu es Chriſtus noſter Deus, tu es cujus latus pro nobis in Calvario prope Jeruſalem perforatum eſt: tu es agnus qui tollis peccata mundi*. Igitur ante uſum Orientales agnoſcunt Chriſtum adeſſe in Euchariſtia. Hujus quidem veritatis aliud eſt argumentum, quod Sacerdos in Liturgia, fracto pane conſecrato, unam particulam diſtillet in ſanguinem, dicens: *Sanguis Domini noſtri ſuper ejus corpus reſperſus eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*.

V. *Adoratio* Euchariſtiæ apud omnes Orientales fit cum magna & fide & devotione; eamdem vero ante Concilium Florentinum apud eos fuiſſe in uſu teſtis eſt Simeon Theſſalonicenſis, qui iſti adfuit Concilio, quique de hoc momento in eodem Concilio ſic loquitur editionis Jaſſii Sym. Theſſ. pag. 112: " Facta oratione, facta
„ pace, facta quoque inclinatione capitis,
„ quæ omnia noſtram erga Deum re-
„ verentiam, & cum illo unionem de-
„ monſtrant, elevatur panis vivificus,
„ qui repræſentat Dominum noſtrum pro
„ nobis crucifixum, ipſum Chriſtum veni-
„ re ad nos, ſemetipſum nobis dare, &
„ ibi eumdem eſſe qui crucifixus eſt pro
„ nobis. „ Tum alta voce dicitur: *Sancta ſanctis*.

VI. *Concilium* CP. an. 1672. cujus originale eſt in Bibliotheca Regia, ſic habet: " Iſtud Euchariſtiæ myſterium eſt vere
„ cultus divinus, ut ipſum declarat no-
„ men, quandoquidem in illo adoratur
„ cultu divino corpus deificatum Domi-
„ ni noſtri Jeſu Chriſti. „ Concinit Synodus Jeroſolymitana eodem anno adunata, quæ definit: " Corpus & ſanguinem
„ Domini, quæ in myſterio Euchariſtiæ
„ præcontinentur, cultu latriæ eſſe ado-
„ randa. „

Quid plura adjiciam? Liturgia Coptitarum eamdem præſcribit adorationem; namque ut referunt genuina Manuſcripta, elevatur corpus Chriſti, ita ut populus Hoſtiam videre poſſit, & Celebrans clamat, *Sancta ſanctis*, quo tempore populus ſuper pavimentum proſtratur, & adorat cum tremore divinam majeſtatem in hoc Sacramento latentem. Auctor tractatus qui inſcribitur *de Scientia Eccleſiaſtica*, fuſo calamo ritum iſtius Orationis deſcribit; ſed ne in Proteſtantium ore remaneant de hoc momento redargutiones, Græci & ceteri Orientales ſuas dirigunt preces ad Euchariſtiam vel ſuper Altare expoſitam, vel in pyxide aſſervatam, & Chriſtum veluti præſentem deprecantur, ut auxilium præſtet in neceſſitatibus.

Denique ſi de pœnitentiis quæ imponuntur pro Euchariſtiæ prophanatione ſit ſermo, ad Canones confugere juvat. In Nomo-Canone Eccleſiæ Græcæ tit. 5. cap.

37. & 57. variæ aſſignantur, ubi contingit aliqua Euchariſtiæ irreverentia. Cap. 58. hæc habentur: " Sacerdos qui „ ita res negligit ſanctas, ut ab aliquo „ animali immundo manducentur, tribus „ continuis annis pœnitentiam aget. „ C. 90. " Qui durante Miſſa, ſuggerente „ Diabolo, Euchariſtiam extra Altare „ prolabi ſinet, uno anno integro pœni- „ tentiam aget, omnibuſque diebus, ex- „ cepta die Dominica & Sabbati, cen- „ ties ſeſe verſus terram procumbet. „ In alio Canone num. 143. cap. 273. gravis injungitur penitentia ei qui ſumptam in ore Euchariſtiam evomit; ſimiles peuitentiæ pro eodem momento determinantur in Pœnitentialibus Græcorum, & referuntur a Theodoro Balſamone in reſponſione ad quæſtiones Marci Patriarchæ Alexandriæ; in primis vero in quodam Pœnitentiali anonymo in variis manuſcriptis exarato, cum appendice Canonum Baſtaris. Multo plura ſcribit de his pœnitentiis Renodotius L. 3. Perpetuitatis fidei c. 6. tom. 4. Ergo &c.

Diluuntur objecta Lutheranorum.

OBJICIUNT: Chriſtus Dominus eodem tempore quo panem & vinum conſecravit, abſque mora diſtribuit Diſcipulis, ſed iſte ritus argumentum eſt Euchariſtiam non niſi in uſu ſitam eſſe. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem; quin immo ex verbis inſtitutionis colligimus Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens, quandoquidem utraque materia præſupponebatur conſecrata, antequam eam Criſtus porrigeret Diſcipulis. Neque vero ex commuoione immediate ad conſecrationem ſubſequente infertur Euchariſtiam non poſſe aſſervari, ut paſſim docent ſancti Patres: in primis Juſtinus, qui Apologia 2. ſub finem ſcribit poſt ſacra peracta, dari Euchariſtiam Diaconis deferendam ad abſentes. Hoc ipſum ex probationibus allatis patet; ſed non prætereundum percelebre teſtimonium Concilii primi Nicæni, quod Canone 14. alias 18. alias etiam 20 præcipit ut in abſentia Sacerdotum Diaconi ſacram porrigant Euchariſtiam. Igitur jam erat conſecrata, & in Paſtophorio aſſervata.

Inſtant: Clemens Romanus Ep. 2. jubet tot poni in Altari holocauſta, quot populo ſufficere poſſint, & nihil ſervari in craſtinum, ſed a Clericis abſumi. Origenes Homil. 7. in cap. 7. Levitici ait: " Dominus panem quem Diſcipulis da- „ bat, non diſtulit, nec differri juſſit in „ craſtinum. „ Sed hæc & ſimilia ſubindigitant corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe extra uſum in Euchariſtia. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem, Ad auctoritatem S. Clementis dico, unum tantummodo eum velle, ſcilicet materiam conſecratam diu non eſſe aſſervandam, ne in eam aliqua obrepat corruptio; ſic enim loquitur in eadem Epiſt. " Tribus gradi- „ bus commiſſa ſunt Sacramenta divino- „ rum ſecretorum, Presbytero, Diacono „ & Miniſtro, qui cum rimore & tre- „ more reliquias fragmentorum corporis „ Dominici cuſtodire debent, ne qua pu- „ tredo in Sacrario inveniatur, ne cum ne- „ gligenter agitur, portioni corporis Do- „ mini gravis inferatur injuria. „ Præ oculis igitur ad multorum ſolutionem habendum eſt, hanc inoleviſſe conſuetudinem in Eccleſia, ut hoſtiæ pro numero communicandorum conſecrarentur, quædam aſſervarentur pro infirmis, exuberantes particulæ pueris jejunis diſtribuerentur, vetuſtæ vero hoſtiæ a Sacerdotibus vel Clericis abſumerentur.

Ad Origenem reſpondemus ut ſupra, videlicet non inde ſequi Euchariſtiam aſſervari non poſſe, tametſi Chriſtus Dominus, eodem prope tempore & conſecraverit, & ſuos communicaverit Diſcipulos.

Urgent: Concilium Toletanum I. Can. 14. & Cæſar-Auguſtanum Can. 3. prohibent Euchariſtiam aſſervari in domibus: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Laudata Concilia unum tantummodo intendunt, ſcilicet ut Fideles impoſterum juxta quemdam morem perantiquum in ſuas non aſportarent domos ſacram Euchariſtiam, ne quidem in malum uſum ea uterentur, concedo: Et definiunt eamdem non poſſe aſſervari in pyxide, nego. Solutionis pondus affulget ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 20. cujus hanc reddit rationem, ne aliqui tanto Sacramento ad veneficia, & alia hujuſcemodi ſcelera patranda abutantur.

Neque vero propter laudatas rationes magis urget Concilium II. Matiſconenſe,

ſe, ſtatuens Canone 6. ut feria quarta & ſexta parvuli innocentes adducerentur, & indicto eis prius jejunio, ipſis porrigeretur quid ex Sacramenti particulis conſumendum foret; nam quædam pro infirmis aſſervabantur.

Objectiones Hæreticorum contra Euchariſtiæ adorationem diluuntur.

OPPONUNT primo: Nullum extat pro adoranda Euchariſtia præceptum. Secundo, Patres, Arianos idololatriæ criminis inſimulabant, ea potiſſimum ratione ducti, quod Euchariſtiam cultu latriæ proſequerentur. Ita ſanctus Athanaſius Orat. 1. contra Arian. Igitur Euchariſtia non eſt adoranda; ſi non adoranda, dubio procul Chriſtus non eſt in ea realiter extra uſum.

Reſpondeo negando primum argumentum; ſcriptum eſt enim Matth. 4. *Dominum tuum adorabis:* Igitur cum ipſe ſit realiter in Euchariſtia, utique hac facta hypotheſi, etiam concedentibus Calviniſtis, eum ibi adorare æquum eſt.

Ad alteram probationem diſtinguo: Et Patres retorquendo argumentum contra Arianos ipſos, qui Verbum meram reputabant creaturam, de idololatria ipſos accuſabant, concedo: eo quod adorationis cultum Euchariſtiæ abnegarent, nego. Sic igitur veritatis hoſtes urgebant: Adoratis Euchariſtiam? Ergo agnoſcite Verbum ut Deum. Audiendus eſt de hoc momento Ambroſius, qui lib. 1. de fide cap. 7. ſic increpat Arianos: " Aut igitur deſinant ,, colere quem creaturam appellant, aut ,, deſinant, quem colere ſe ſimulant, di- ,, cere creaturam. ,,

Inſiſtunt: Sancti Patres confutando hæreticos, pronuntiant abſurdum eſſe colere Deos argenteos & aureos; Igitur & conſimili ratione ſuperſtitioſum eſt colere Deum ſub ſpeciebus panis & vini contentum; maxime vero cum ex hujuſmodi ſpeciebus non ſemel ex putredine generentur vermes.

Reſpondeo negando paritatem; latum quippe diſcrimen intercedit inter Deos argenteos & Euchariſtiam, cum illi ſint dæmonum ſimulacra: at vero ſanctiſſimum Altaris ſacramentum realiter continet Chriſtum qui eſt Deus & homo. Ceterum defectus ſi qui ſint in ſpeciebus, non in contentum refunduntur.

Replicant: Ideo Euchariſtia cultu latriæ celebranda dicitur, quia Chriſtus ibi eſt præſens; ſed hæc ratio nulla eſt: & probatur. Deus ubique præſens eſt in omnibus creaturis, etiam inſenſibilibus. Ergone adoratur in lapide? Abſit. Igitur a ſimili nec adorandus in Euchariſtia, maxime vero cum aſſiſtentes prorſus ignorent num hoſtia ſit vere conſecrata?

Reſpondeo negando paritatem: Deus enim non eſt hypoſtatice præſens cunctis creaturis, ſed ſolum humanitati aſſumptæ; quocirca Euchariſtia iſtam præcontinens, cultu latriæ jure merito colenda eſt.

Ad confirmationem dico, certitudinem moralem juxta omnium Theologorum placita, ſufficere ad fundandum judicium prudentiale de cultu exhibendo Euchariſtiæ; hanc autem toti populo ineſſe, dum Sacerdos celebrans cuncta adamuſſim ſervat, nemo præter in Theologia morali peregrinum negabit.

Inſtant: Adoratio Euchariſtiæ fundatur in jure mere Eccleſiaſtico; Igitur non eſt abſolute ei debita. Probatur antecedens: Honorius III. ſtatuit ut ſacramentum Euchariſtiæ adoraretur; Urbanus IV. inſtituit pro eodem momento feſtum ſolemne corporis Chriſti. Ergo &c. Immo 1. Regum 4. legitur Filios Iſrael graviſſimas luiſſe pœnas, eo quod adduxiſſent arcam in caſtra, illam circumgeſtando, tametſi devota intentione hæc feciſſent.

Reſpondeo diſtinguendo: Adoratio Euchariſtiæ eſt de jure Eccleſiaſtico, quantum ad determinationem temporis quo præcipue adorari debet, concedo: quantum ad adorationem ſecundum ſe ſpectatam, nego. Nemo non novit Deum eſſe colendum: attamen diem Dominicam ipſe determinavit, ut homines cultum debitum ſpecaliter ei deferrent; quid mirum igitur ſi ſummi Pontifices quaſdam pro adoratione ſpeciali Euchariſtiæ inſtituerint ſolemnitates?

Ad confirmationem reſpondeo, Filios Iſrael non præciſe quaſdam luiſſe pœnas, eo quod adduxiſſent arcam in caſtra, ſed propter peccata populi & Sacerdotum, præcipue vero Ophni & Phinees, qui blaſphemare faciebant Iſrael, etiam vi ſubripiendo primitias ſacrificiorum, antequam ipſi Deo offerrentur.

Ceterum non una fuit circumgeſtatio ſeu

proceſſio arcæ. Joſue 6. Deo jubente, ſepties arca Dei non ſine magna ſolemnitate circa muros civitatis Jericho proceſſionaliter delata eſt in ſignum omnipotentiæ Dei; vix autem completo ſeptimo circuitu civitatis, ultro corruerunt muri. Item 2. Regum cap. 6. ſcribitur eamdem arcam ſaltante Davide, & Sacerdotibus choros muſicæ ducentibus, in civitatem Sion translatam eſſe; quæ quidem ſolemnitas ita fuit Deo grata, ut Michol flagellata ſit, eo quod Regem pari exultatione & devotione coram arca ſaltantem irriſiſſet.

Pro coronide hujuſce momenti, ſit definito Concilii Tridentini, quod Seſſ. 13. Can. 6. ſic loquitur: *Si quis dixerit in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; Anathema ſit.*

Objectiones Miniſtri Claudii adverſus rationem petitam ex Eccleſiis Orientalibus.

REPONIT, ne unam quidem ex illis adoraſſe Euchariſtiam, ea fretus auctoritate, quod Zaga-Zabo Æthiops aſſeruerit Euchariſtiam in Æthiopiæ regionibus non levari; quæ quidem elevatio eſt ſummum adorationis argumentum. Sic ſcribit Damianus Goes de moribus Æthiopum: Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem ex ſuperioribus dictis liquet fundamentum Claudii eſſe merum commentum, quandoquidem relationes Damiani non niſi falſo nituntur; & ut faciamus ſatis argumento ab exemplis Æthiopum deducto, atteſtamur falſiſſimum eſſe Æthiopes non adorare Euchariſtiam, quippe qui adamuſſim ſequantur Liturgiam Eccleſiæ Alexandrinæ. Porro Græca Eccleſiæ Alexandrinæ Liturgia, quæ D. Baſilii nomine celebratur, habet Euchariſtiæ elevationem, quo quidem momento conclamatur, *Sancta Sanctis*, ut populus ſuum adoret Dominum. Quid plura commemorem? Liturgia Coptitarum juxta genuina manuſcripta ſic habet: " Sacerdos
" ſumit Asbodicon, hoc eſt, corpus Do-
" mini, & quantum fieri poteſt, illud
" elevat clamando, *Sancta Sanctis*. "

Inſtant: Liturgiæ ex quibus Eccleſiarum Orientalium auctoritates deducuntur tum pro realitate, tum pro permanentia Chriſti in Euchariſtia, tum pro adoratione, comprobandis, non habent antiquitatis privilegium; quin immo plurimæ recentiores ſunt; Igitur argumentum ex eis deductum non multum ponderat.

Reſpondeo primo, Græcos & ceteros Orientales hujuſmodi Liturgias veluti Apoſtolicas habere; quocirca argumentum ex Eccleſiis Orientalibus deductum in ſuo toto remanet robore.

Reſpondeo ſecundo, duo in Liturgiis eſſe ſecernenda, videlicet uſum, & nomen quo inſcribuntur. Uſum eſſe perantiquum teſtantur Hiſtorici Sacri omni exceptione majores; quandoquidem ea quæ nomine ſancti Jacobi circumfertur, ſemper uſa ſit Eccleſia Jeroſolymitana; ea vero quæ ſancti Marci nomine inſignitur, ab omni ætate uſa eſt Eccleſia Alexandrina; ſic & Conſtantinopoli, illa cujus titulus, *Liturgia S. Chryſoſtomi*, fuit in uſu. Unde, inquit Renaudotius ibidem Lib. 3. cap. 1. cauſa cadunt ſeverioris criticæ magiſtri; eſto, inquit, quod hujuſmodi Liturgiæ ſint incerti auctoris, citra dubium tamen eſt eſſe vetuſtiſſimas, quod ſufficit ad propoſitum. Neque vero abſolute negamus eſſe recentiores quoad aliquas cæremonias, quæ decurſu temporum additæ ſunt, nuſquam vero quoad principales & eſſentiales partes.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Corpus & ſanguis Chriſti ſunt permanenter in Euchariſtia.

PRIMO: Scriptura ſacra hoc ipſum non obſcure ſubnotat, cum hoc Sacramentum per modum cibi inſtitutum fuiſſe declarat.

Secundo: Expreſſe admodum id de fide definivit ſacra Synodus Tridentina Seſſ. 13. Can. 4.

Tertio: Non una eſt pro hac veritate ratio, cum eadem Synodus ibidem definiat

niat

niat Can. 7. iſtud mirabile Sacramentum rectè aſſervari pro infirmis; ſic enim loquitur: *Si quis dixerit non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem adſtantibus neceſſario diſtribuendam: aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur, Anathema ſit.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi Chriſtus Dominus, factà conſecratione panis & vini, ea illico diſtribuerit Diſcipulis, non inde ſequitur iſtud Sacramentum aſſervari non poſſe, & Chriſtum non eſſe ſub ſpeciebus quæ remanent, ut fit quotidie cum Sacerdos ſacram porrexit ſynaxim.

Secundo: Decreta quæ jubent totum ſimul conſumi, non niſi aut de ſuperfluo, aut de vetuſto loquuntur.

Tertio: Nec magis urget objectio Claudii adverſus adorationem Euchariſtiæ, deſumpta ex fucata hiſtoria Damiani Goes, in qua profectò plurimi ſcatent errores, dum multas ſuppoſititias tribuit Orientalibus hæreſes. Inſtar omnium ſint Æthyopes, qui certè adorant Euchariſtiam, quidquid in contrarium dicat, cum Liturgias Eccleſiæ Alexandrinæ ſequantur. Ceterum ad omnem tollendam æquivocationem, duplex fuit apud Orientales Hoſtiæ elevatio, una ordinaria, altera tantum minor, antequam Sacerdos communicet, ſicut fit in Miſſa Præſanctificatorum in Eccleſia Latina in die Paraſceves; hac forſan uſi ſunt Æthyopes.

SECTIO SECUNDA.

Utrum remaneant accidentia panis & vini in Euchariſtia?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA EST: Quod ſacra definiere Concilia, non poteſt negari citra fidei periculum. Atqui Concilia definiere accidentia panis & vini remanere in Euchariſtia. Ergo &c. Probatur minor: Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum cap. 1. definit: " Verum Chriſti corpus & ſanguinem in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri. " Conſtantienſe Seſſ. 8. iſtum damnavit Wiclefi articulum: *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in Euchariſtia*. Adſtipulatur Colonienſe ſub Paulo III. adunatum anno 1536. his verbis: " Quid enim panis & vini ſpecies aliud ſunt poſt conſecrationem, quam ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubjecto? "

Audiendum eſt præcipue Tridentinum, quod Seſſ. 13. Can. 20. ait: *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, una cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat; Anathema ſit.* Sed nomine ſpecierum intelligit accidentia panis & vini. Ergo &c.

Secunda: Summi Pontifices & Patres uno veluti calamo ſcribunt accidentia laudata remanere. Ergo &c. Probatur antecedens variis auctoritatibus.

S. Auguſtinus, ut refertur de Conſecratione, diſt. 2. cap. *Nos autem*, expreſſe dicit ſpecies panis & vini remanere, & ſic loquitur: " Nos in ſpecie panis & vini quam videmus, res inviſibiles, id eſt, carnem & ſanguinem honoramus. "

Concinit D. Anſelmus tractatu de ſacro corpore Domini c. 6. in primis vero ſanctus Thomas opuſculo 57. " Accidentia autem ſine ſubjecto in eadem ſubſiſtunt ut fides locum habeat, dum viſibile inviſibiliter ſumitur aliena ſpecie occultatum, & ſenſus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant ſibi notis. "

Ceterum ſummi Pontifices ſic docuere, maxime illi qui præfuere Concilio Trident. Innocentius III. ante eos in caput *Cum Martha*, de accidentibus Euchariſticis non ut de re probabili, ſed tamquam certa, & fidem ſpectante diſſerit.

Tertia, eſt iterata auctoritas Divi Thomæ, qui ex profeſſo docet concluſionem triplici ratione, hic q. 75. art. 5. & ſic lo-

loquitur : " Dicendum quod certum apparet, facta conſecratione, omnia accidentia panis & vini remanere, quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. Primo quidem, quia non eſt conſuetum hominibus, ſed horribile, carnem hominis comedere, & ſanguinem bibere; & ideo proponuntur nobis caro & ſanguis Chriſti ſumenda ſub ſpeciebus illorum, quæ frequenter in uſu hominis conveniunt, ſcilicet panis & vini. Secundo, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideatur, ſi ſub ſpecie propria Dominum noſtrum manducemus. Tertio, ut dum inviſibiliter corpus & ſanguinem Domini noſtri ſumimus, hoc proficiat ad meritum fidei. "

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Deſtructo ſubjecto, deſtruitur quoque accidens. Sed ſubſtantia panis & vini in Euchariſtia non remanet. Igitur nec accidentia; alias foret deceptio, quod certe in hoc veritatis Sacramento admitti non debet.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Deſtructo ſubjecto, de via ordinaria etiam deſtruitur accidens, concedo: de via extraordinaria, nego. Et conceſſa minore, diſtinguendum eſt pariter conſequens. Nemo Catholicus negaverit converſionem panis & vini in Euchariſtia eſſe miraculoſam, quandoquidem miraculum ſeſe extendit etiam ad accidentia, ut divina ſubſiſtant virtute; ſolutio eſt Divi Thomæ hic q. 75. art. 5. his verbis: " Ad primum ergo dicendum, quod ſicut dicitur in libro de cauſis, effectus plus dependet a cauſa prima, quam a cauſa ſecunda; & ideo virtute Dei qui eſt cauſa prima omnium, fieri poteſt ut remaneant poſteriora, prioribus ſublatis. " Addo eadem numero accidentia ibi eatenus remanere, quatenus connotant primarium ſubjectum, & propriam retinent individuationem, quæ potiſſimum petitur a quantitate, in qua veluti ſubjectantur; ipſa vero ſubſiſtit quaſi per ſe miraculo converſionis.

Ad confirmationem, negat D. Thomas ibidem ad 2. deceptionem fieri: " Dicendum, *inquit*, quod in hoc Sacramento nulla eſt deceptio; ſunt enim ibi ſecundum rei veritatem accidentia, quæ ſenſibus dijudicantur: intellectus autem, cujus eſt objectum proprium ſubſtantia, ut dicitur in tertio de anima, per fidem a deceptione præſervatur. "

Inſtabis: Si accidentia remanerent, facta tranſubſtantiatione, multa inde conſequerentur abſurda: Sed hoc non eſt admittendum. Ergo &c. Probatur multis momentis. Primo quidem jam accidens eſſet ſubjectum accidentis. Secundo accidens poſſet producere aliud accidens, immo vel ipſam formam ſubſtantialem, nimirum cum accidentia vel in cinerem, vel etiam in vermes abeunt, ut quotidiana probat experientia. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad primam probationem diſtinguo: Accidens quantitativum eſſet quodammodo, & extrinſece ſubjectum aliorum, concedo: ſimpliciter & ex natura ſua, nego. Quantitas inter affectiones materiæ primum tenet locum, quippe quæ illam terminet, ſigillet, & individuet: quocirca ſi per miraculum ſubſiſtat abſque ſubjecto, alia accidentia in ea quodammodo ſubjectantur. Sic ſolvit argumentum D. Thomas hic q. 5. art. 3. ad 4. his verbis: " Dicendum quod hæc converſio non proprie habet ſubjectum, ut dictum eſt; ſed tamen accidentia quæ remanent, habent aliquam ſimilitudinem ſubjecti. "

Ad ſecundam diſtinguo: Accidens poterit producere aliud accidens, in virtute ſubſtantiæ quæ in eo relicta eſt, concedo: præciſe ratione ſui, nego. Agens ſuos producit effectus, mediantibus qualitatibus & virtutibus quæ ſunt accidentia, quibus veluti inſtrumentis ùtitur. Cum igitur in accidentibus Euchariſticis remaneat virtus cauſæ ſecundæ, quid mirum ſi iidem producantur effectus, ac ſi adeſſet?

Solutio eſt Divi Thomæ hic q. 77. art. 3. ad 3. qui ibi de novo ſolvit difficultatem inſtantiæ, & ſic loquitur: " Immutatio quæ eſt ad formam ſubſtantialem, non fit a forma ſubſtantiali immediate, ſed mediantibus qualitatibus activis & paſſivis, quæ agunt in virtute formæ ſubſtantialis: hæc autem virtus inſtrumentalis conſervatur in ſpeciebus ſacramentalibus divina virtute, ſicut & prius erat: & ideo poſſunt agere ad for-

" mam

,, mam ſubſtantialem inſtrumentaliter ,
,, per quem modum aliquid poteſt age-
,, re ultra ſuam ſpeciem , non quaſi vir-
,, tute propria , ſed virtute principalis
,, agentis . ,,

Ad complementum ſolutionis dicimus, agens naturale producere formam ſubſtantialem vermium , cujus diſpoſitiones præceſſerunt in quantitate , materiamque & formam de novo produci abſque ulteriori miraculo; ſed in virtute prioris quo & materia & forma tum panis tum vini converſa ſunt in corpus & ſanguinem Chriſti . Sic propugnat D. Th. ibi. ar. 4. ad 3. " Corruptio, *inquit*, il-
,, larum ſpecierum non eſt miraculoſa, ſed
,, naturalis; præſupponit tamen miraculum
,, quod eſt factum in conſecratione, ſcili-
,, cet quod illæ ſpecies ſacramentales re-
,, tineant eſſe ſine ſubjecto, quod prius ha-
,, bebant in ſubjecto : ſicut & cæcus miracu-
,, loſe illuminatus naturaliter videt. ,,

Inſiſtes: Non poſſunt accidentia eſſe ſine ſubjecto etiam divinitus. Igitur præcedens doctrina funditus ruit. Probatur antecedens multipliciter: Primo quidem, jam forent univerſalia, immo & illimitata, cum non niſi a ſubjecto individuentur. Secundo, eſſent utique formæ ſimplices & per ſe ſubſiſtentes ſicut Angeli; non enim compoſitionem faciunt niſi cum ſubjecto. Sed eſt contra naturam accidentis per ſe ſubſiſtere. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens : Sanctus enim Thomas hic q. 77. art. 2. ex profeſſo probat quantitatem virtute divina poſſe abſque ſubjecto actuali ſubſiſtere ; cetera vero accidentia in ea , cum Deus cuncta portet verbo virtutis ſuæ, ut cauſa prima omnium efficiens , a qua cunctæ creaturæ dependent.

Ad primam probationem diſtinguo: Accidentia eſſent univerſalia & illimitata, ſi proprium non connotarent ſubjectum , concedo : ſin minus, nego. Semper enim dicunt ordinem ad panem & vinum ; quocirca in ſua manent individuatione .

Ad ſecundam , nego accidentia eſſe formas ſimplices , maxime propter duo: primo, ex eo quod faciunt ſimul compoſitionem , quandoquidem accidentia Euchariſtica conſtant ex quantitate, figura , ſapore : quæ omnia unum conſtituunt compoſitum, numine Sacramenti celebratum. Secundo, quia ſunt quid materiale.

Ad tertiam diſtinguo : Eſt contra naturam accidentis ſubſiſtere per ſe intrinſece, concedo ; extrinſece & virtute aliena , nego. Citra dubium eſt accidentia Euchariſtica propria virtute non ſubſiſtere, ſed tantum miraculoſe, & hoc ratione potentiæ obedientialis qua quælibet creatura Creatoris imperio ſubjacet.

Replicabis : Subſtantia etiam divinitus nequit inhærere. Igitur & juxta legem contrariorum, nec accidens per ſe ſubſiſtere; quod enim eſſentialiter uni convenit ſpeciei, nequit communicari alteri.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſcriminis ea eſt, quod inhærentia actualis non ſit de eſſentia accidentis; quocirca relationem ad proprium ſubjectum conſervans, virtute extrinſeca abſque ſubjecto conſervari poteſt : quod non uno exemplo poteſt illuſtrari : primo quidem caloris actualis, quo ignis ſpoliatus eſt in fornace Babylonica ; deinde vero fluiditatis aquarum, cum Petrus ſuper mare veluti ſuper ſolum, jubente Domino, ambulavit.

Neque vero inde ſequitur eſſentiam & conſtitutivum unius rei ad aliud transferri ; accidentia quippe Euchariſtica non virtute innata & intrinſeca , ſicut ſubſtantia , perdurant , ſed tantummodo extrinſeca.

Reponent : Accidens magis dependet a ſubjecto, quam materia prima a forma. Sed materia prima etiam divinitus ſine forma eſſe non valet : Igitur nec accidens ſine ſubjecto; ſic etiam relatio divinitus nequit ſubſiſtere ſine fundamento.

Reſpondeo negando paritatem : Cum enim materia prima ſit mera potentia , abſque forma nihil eſt determinatum ; ex quo inferunt Thomiſtæ eam non poſſe abſque forma ſubſiſtere , tametſi juxta ceterarum Scholarum opinionem , includat in ſe actum entitativum , ratione cujus poſſet divinitus ſubſiſtere abſque forma . Sed non ſic ratiocinandum de ſpeciebus Euchariſticis, quæ & ratione quantitatis, & ratione ordinis ad proprium ſubjectum quod connotant, manent in ſe determinatæ. Igitur virtute divina poſſunt ad tempus eſſe ſine proprio ſubjecto.

Ad confirmationem , nego utique paritatem ; ſola quippe accidentia abſoluta poſſunt virtute divina per ſe ſubſiſtere : nuſquam vero relativa ; cum enim ſint en-

tia minima, propter debilitatem abſque ſubjecto non valent ſubſiſtere, maxime vero cum juxta multorum ſententiam, relatio non diſtinguatur realiter a fundamento.

Repones: Forma panis & vini remanent in Euchariſtia. Igitur accidentia non per ſe ſubſiſtunt. Probatur antecedens: Forma panis eſt quoddam artificiale, adeoque ejus forma eſt accidens: ſed ex dictis accidentia remanent: igitur ſaltem forma panis.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, reſpondet ſanctus Thomas hic q. 75. art. 6. ad 1. his verbis: " Dicendum quod nihil prohibet arte fieri aliquid, cujus forma non eſt accidens, ſed forma ſubſtantialis: ſicut arte poſſunt produci ranæ & ſerpentes; talem enim formam non producit ars virtute propria, ſed virtute naturalium principiorum, & hoc modo producit formam ſubſtantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina & aqua confectam."

Inſtabis: Forma corporis Chriſti eſt anima: ſed non poteſt dici quod forma ſubſtantialis panis convertatur in ejus animam: Igitur remanent etiam facta conſecratione.

Reſpondet D. Thomas ibidem ad 2. & ſic loquitur: " Dicendum quod anima eſt forma corporis, dans ei totum ordinem eſſe perfecti, ſcilicet eſſe, & eſſe corporeum, & eſſe animatum, & ſic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Chriſti, ſecundum quod dat eſſe corporeum, non autem ſecundum quod dat eſſe animatum tali anima."

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Remanent accidentia panis facta conſecratione.

PRIMO: Sic docet Tridentinum, dicens corpus Chriſti remanere ſub ſpeciebus.

Secundo: Sic prædicat D. Gregorius in Hom. Paſchæ his verbis: " Species ſacramentales ſunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini." Sic propugnat etiam Divus Thomas opuſculo 57. " Accidentia autem ſine ſubjecto in eodem ſubſiſtunt, &c."

Tertio: Sic ipſa indigitat ratio elevata, quandoquidem accidentia ſicut prius apparent, nec eſt in Sacramento ulla deceptio; fides vero nos edocet ſubſtantiam panis & vini abeſſe.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Conſtat quandoque ſpecies conſecratas abire modo in cinerem, modo etiam in vermes: ſed hoc fit vi agentis ſpecies alterantis, & tunc in virtute prioris miraculi producitur nova materia, e cujus ſinu nova vermium cinerumve forma educitur, cujus diſpoſitiones præceſſerunt, ait D. Thomas, in quantitate.

Secundo: Tametſi quantitas per ſe ſubſiſtat, ne inde inferas velim, ipſam eſſe ſubſtantiam, cum hanc dotem non niſi a virtute ſupernaturali emendicatam habeat.

Tertio: Eſto quod materia prima, utpote mera potentia, non poſſit eſſe ſine forma ſubſiſtens, ſicut nec relatio ſine fundamento, propter ſuam debiliſſimam entitatem, non inde ſequitur quantitatem non poſſe ſubſiſtere in Euchariſtia per miraculum; namque eſt ens in ſe determinatum, & proprium connotans ſubjectum, adeoque accidens abſolutum.

SECTIO TERTIA.

Num ſententia eorum qui accidentia ſolum relativa admittunt, propugnari debeat?

TRES de hoc momento apud recentiores circumferuntur ſententiæ. Una eſt Cartheſii propter Matheſeos ſcientiam percelebris. Altera Calii in Academia Cadomenſi Philoſophiæ quondam Profeſſoris. Tertia Maignani Ordinis Minimorum Lectoris Jubilati, qui nedum inter Fratres omnium virtutum regularium ſupellectili floruit, ſed & apud eruditos præ ingenii ſubtilitate & ſcientiarum tum Mathematicarum, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ & aliarum univerſalitate, nomine viri doctiſſimi donatus eſt.

Sy-

Syſtema Cartheſii de accidentibus Euchariſticis,

CARTHESIUS in reſponſione ad quatuor objectiones ſub finem, ut fuſe exponit Rohaltius in primo eloquio, ſenſus omnes in tactu, *inquit*, fundantur; tactus autem in ſola corporum ſuperficie perficitur. Igitur corpora quæ eamdem habent ſuperficiem, eodem etiam prorſus modo ſenſus noſtros afficere debent. Atqui ſuperficies corporis Chriſti in Euchariſtia eſt omnino eadem ſuperficies panis; namque eamdem eſſe corporis Chriſti ſuperficiem ac panis, nihil aliud eſt quam corpus Chriſti ibi præciſe terminari, ubi prius terminabatur panis. Sed ibi præciſe terminatur corpus Chriſti, ubi terminabatur panis ante conſecrationem; etenim ſi ſumatur acicula, & ea deſignentur omnes & ſingulæ hoſtiæ partes, vere dici poteſt, hic ubi erat antea panis, nunc eſt corpus Chriſti. Igitur ubi terminabatur antea panis, ibi præciſe terminatur corpus Chriſti; ibi corpus Chriſti eamdem habet ſuperficiem ac panis, tempore quo non erat conſecratus; ibi ſenſus noſtri eodem modo afficiuntur; ibi eadem ſunt accidentia, non tamen abſoluta. Unde ſecundum Cartheſium nihil aliud ſunt accidentia, præter ſuperficiem, quæ dum panis & vinum erant in ſtatu naturali ſolito ante conſecrationem, erat media inter ſingulas eorum particulas & corpora ambientia.

Addunt Cartheſiani hunc explicandi modum eſſe præponendum vulgari. Primo quidem ex eo quod in illo ſyſtemate nullum ſupponatur miraculum præter tranſubſtantiationem, cujus appendix neceſſaria & connaturalis eſt, ſimilium accidentium permanentia, ita ut ſine novo miraculo corpus Chriſti eaſdem in ſenſibus noſtris impreſſiones facere contingat. Secundo juxta communem ſententiam, vix poteſt fieri ſatis Hæreticorum querelis, qui permanentiam accidentium ſine ſubjecto ut abſurditatem intolerabilem habent. Tertio, nihil aliud admittendum eſt in Sacramento, niſi quod verba conſecrationis ſignificant; porro illam accidentium permanentiam, ut putant, ſignificare non videntur.

Syſtema Callii.

CALLIUS in libro anonymo, quem poſtea damnavit, docet ſubſtantiam panis converti in corpus Chriſti, non alio modo quo quotidie fit generatio, ſicut dum cadaver generatur ex homine vivo, ſiquidem ſemper eadem manet materia in omnibus corporibus, ſola vero forma mutatur; hinc in tranſubſtantiatione remanet ſemper eadem materia, eodem modo extenſa: ſed advenit tantum nova forma; ita ut per verba conſecratoria anima Chriſti uniat ſibi materiam panis & vini, corpuſque ſuum efficiat, eodem prope modo, ait, quo panis & vinum virtute naturali convertuntur in corpus & ſanguinem comedentis; docetque converſionem panis in corpus Chriſti eſſe quidem miraculoſam quantum ad modum faciendi, non vero quantum ad ſubſtantiam facti; quia quod fit quotidie per conſuetas naturæ leges dependenter a ſtomacho, corde & aliis partibus, fit ſubito in Sacramento divina virtute; ſeu per verba conſecratoria. Cum igitur, ait, eadem ſemper ſit materia, eædem quoque manent proprietates; hinc extenſio, color, odor, ſapor &c. habent idem ſubjectum ac antea, eodemque modo ſubſiſtunt.

Syſtema Maignani.

MAIGNANUS accidentia, quæ non modicum in explicanda eorum exiſtentia exagitant animos, abſque negotio ſic explicari putavit. Accidentia, quæ dicuntur remanere in Euchariſtia, pendent a corpore ut a cauſa efficiente, reſidentque non quidem in corpore, ſed in organo, ut ſapor & ſimilia, quæ quamvis non reſideant in corporibus ut in ſubjecto, tantam tamen cum illis habent connexionem, ut naturaliter non exiſtant, neque permaneant ſine illis; ſic v. g. non exiſtunt neque permanent naturaliter qualitates patheticæ panis & vini, ſine pane vel vino præſentibus, quia pendent ab ipſis ut a cauſa efficiente naturali.

Ea accidentia remanere cenſentur, quatenus eædem fiunt in ſenſibus noſtris impreſſiones quas antea panis & vinum cauſabant, quia Deus in genere cauſæ efficien-

tia

Digitized by Google

tis ſolus & movet & afficit organa corporis noſtri, non abſimili modo ac ſi panis & vinum adeſſent: v. g. videtur color, quia tamen a ſolo Deo modificatur & remittitur; percipiuntur odor, ſapor, calor, quia a ſolo Deo moventur & agitantur nervi in naribus, palato, lingua, & in toto corpore diffuſi; item ſonus auditur, quia tremor aeris a ſolo Deo excitatur. Contra quos omnes ſit

C O N C L U S I O.

Sententia quæ accidentia non niſi relativa admittit, non eſt tenenda.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Illa opinio eſt rejicienda, quæ ignota fuit ſanctis Patribus, immo quæ ipſis Conciliis adverſatur. Atqui talis eſt hujuſmodi opinio. Ergo &c. Probatur minor: Primo, ne unum quidem ſanctum Doctorem reperies, qui talia rimatus ſit; ſed omnes Patres univerſim intellexerunt corpus & ſanguinem Chriſti realiter eſſe & latere ſub ſigno ſenſibili, & hoc independenter ab omni conſpectus actu. Secundo, non ſemel ad perſtringendos Eutychianos uſi ſunt exemplo ſymbolorum Euchariſticorum, quæ tametſi, ajebant, unita corpori Chriſti, impermixta tamen manebant; ex quo concludebant adverſus eos, & recte, naturam humanam manere impermixte unitam cum divina. " Quid enim, *inquit Theodoretus* „ *Eutychiano Dialogo* 1. *qui Impatibilis inſcribitur*, corpus naturale, frumentum „ & panem appellavit, & vitem rurſus ſe ipſum nominavit, is viſibilia „ ſymbola corporis & ſanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans „ *ſymbolorum*, ſed naturæ gratiam addens. „

Quod autem hæc ſententia Conciliis adverſetur, patet ex iis quæ ſanxerunt, ſcilicet Chriſtum realiter latere ſub ſpeciebus tamquam ſub ſymbolis & velaminibus. Quis autem dixerit velamen eſſe quid exiſtens ſolum in viſu, & rem latere ſolum dum conſpicitur? cum potius in tantum lateat, in quantum independenter tum ab intellectu, tum a viſu ſub aliquo ſenſibili velo ſubſiſtit.

Secunda: Placita recentiorum deſtruunt eſſentiam Sacramenti: Igitur nullo modo ſunt tenenda. Probatur antecedens: De ratione eſſentiali Sacramenti eſt, quod ſecundum ſe ſpectatum ſit ſignum ſenſibile: ſed ex recentioribus res non ita ſe habet; & probatur. Auctores laudati nihil ſenſibile ex parte objecti ponunt, ſed ſolum ex parte aſpicientis, cujus oculi a cauſa efficiente extrinſeca tali vel tali modo afficiuntur; hinc nemine aſpiciente, Sacramentum non eſt ſignum ſenſibile, puta prout eſt in pyxide obſignatum; quod certe & a ratione Sacramenti, & a doctrina Eccleſiæ longe recedit. Ergo &c.

Tertia ſic proponitur: Sancti Patres, ne uno quidem excepto, contendunt Sacramentum eſſe compoſitum ex re inſenſibili & ſenſibili: Sed id quod inviſibile & inſenſibile eſt, ſolum dixerunt corpus & ſanguinem Chriſti eſſe: e contra vero ſymbola eſſe ſenſibilia; quod diſcrimen ut conſideranti patebit, nullum foret, ſi vel ipſa ſymbola eſſent ſolum quaſdam oculi modificationes, cum in ſe ne minimam quidem entitatem & exiſtentiam haberent. Ergo &c.

Quarta: Opinio quæ non nihil ſapit hæreſim, longe facienda eſt: Atqui ea quæ admittit accidentia ſolum relativa, talis eſt, namque ſpirat errorem Manichæorum, qui in Euchariſtia corpus Chriſti tantummodo phantaſticum admittebant. Nonne & accidentia relativa phantaſtica ſunt? ſi hoc negant, eo quod fundentur eorum accidentia in præſentia reali Chriſti, utique Manichæi dicebant carnem phantaſticam, quam Chriſto affingebant, fundatam fuiſſe in ipſo Chriſto, quem ut Deum realem & bonum habebant.

Quinta: Vermes non ſemel ex hoſtiis in pixide reſervatis producuntur; Sed vermes ſunt, ipſis non diffitentibus laudatis auctoribus, ſubſtantiæ, quæ dubio-procul ex ſubjecto reali & ſenſibili, aut re altera abſoluta ſubjecti vices gerente producuntur: Igitur accidentia Euchariſtica non ſunt meræ rerum modificationes a ſenſibus promanantes; neque enim locum habet viſus, guſtus, aliive ſenſus in productione vermium, cum ex hoſtiis in pyxide reſervatis & obſignatis fiant.

Confirmatur hæc ratio: Non poteſt dici ver-

ci vermes ex aere circumſtante produci, quandoquidem non fit alteratio ex aere vicino ; immo ex aere qui paſſus ſit alterationem, nec vermes, nec cineres generari ſolent; tametſi enim hoſtiæ in vaſe aut vitreo aut aureo concluderentur, ſimilis fieret generatio. Neque vero quidquam proficerent recentiores jamjam citati, adducendo auctoritatem Guitmundi, qui Lib. de corpore Domini adverſus Berengarium conſcripto, propugnat illos vermes non eſſe reales, ſed imaginarios; quod certe in Theologia, nec in ſana Philoſophia admitti poteſt.

Sexta : Eſt de fide Euchariſtiam eſſe Sacramentum per manens, adeoque abſolutum, & non mere ens modale. Igitur ne fidei fiat injuria, dicendum eſt accidentia non eſſe mere relativa & modalia, maxime cum rationem Sacramenti, quatenus eſt ſignum ſenſibile, ingrediantur.

Septima : Juxta Philoſophos, duplicis generis diſtinguuntur accidentia, quædam ſcilicet abſoluta, quædam vero mere relativa ſeu modalia. Priora ſunt quædam entitates reales a ſubjecto ſeparabiles : poſteriora vero nihil prorſus ſunt ſine ſubjecto ? ſic curvitas, ſecluſo digito, nulla eſt in manu ; ſic & relatio abſque fundamento evaneſcit. Item ſpecies duplex diſtinguitur, nimirum una intentionalis & metaphyſica , & eſt imago ab objecto emiſſa in potentiam viſivam, in qua quaſdam impreſſiones & ſenſationes operatur; altera phyſica quæ afficit ſenſibiliter materiam. Dari accidentia abſoluta ſupponimus ex Phyſicis; nam & calor ab igne ſeparatus eſt in fornace Babylonica, & nigredo etiam ſine miraculo non ſemel ab Æthyope ſejungitur. Ceterum nemo ſenſatus dixerit virtutes morales cardinales ordinis tum naturalis, tum ſupernaturalis, a ſubjecto iterum atque iterum non divelli. Atqui accidentia Euchariſtica ſunt & phyſica & abſoluta, ſpecies non mere imaginariæ ſeu intentionales, ſed phyſicæ, & a ſubſtantia panis & vini divulſæ : & probatur. Sin minus, inquit D. Thomas hic quæſt. 65. artic. 5. non daretur tranſubſtantiatio. Et vero, ſi juxta Cartheſium, compoſitum naturale (ſi homo excipiatur) nihil ſit præter naturam modificatam, ſubſtantia panis remanebit, cum eadem prorſus appareat & configuratio & modificatio quam propugnat ipſe de ſubſtantia materiæ : eſto, concedant novitatum architecti dari tranſubſtantiationem, eorum tamen ſuppoſitis ſyſtematibus nulla eſt : neque vero etiam dici poteſt juxta placitum Maignani ſpecies Euchariſticas eſſe mere intentionales, eaſque a Chriſto produci, qui in ſenſibus noſtris, maxime in oculis impreſſiones hujuſmodi, & ſenſationes operatur ; nam Euchariſtia eſt Sacramentum, ſicut & cetera Sacramenta; hoc eſt ſignum practicum : porro corpus Chriſti in pyxide aſſervatum, non facit ſenſationem ; & tamen retinere veram Sacramenti rationem in pyxide, fides docet. Igitur accidentia Euchariſtica ſunt phyſica, & non mere modalia.

Convellitur ſyſtema Cartheſii.

SYSTEMA Cartheſii fidei catholicæ circa Myſterium tranſubſtantiationis videtur adverſari. Igitur admitti non debet. Probatur antecedens : Illa enim explicatio videtur fidei catholicæ adverſari, quæ corpus Chriſti convertit in panem. Atqui id facere videtur prædicta explicatio : Et probatur. Illud eſt verus panis, quod eaſdem omnino ac panis impreſſiones naturaliter & ſine miraculo facit in omnibus aſpicientium ſenſibus: Atqui corpus Chriſti, juxta hanc explicationem eaſdem omnino ac panis impreſſiones naturaliter & ſine miraculo facit in aſpicientium ſenſibus: Igitur corpus Chriſti eſt verus panis juxta Cartheſium. Minor eſt Cartheſii, & Rohaltii, qui aſſerunt corpus Chriſti, primo ſenſus noſtros afficere eodem modo ac panis ſi adeſſet, cum, ſub eadem omnino ſuperficie contineatur. 2. Id fieri naturaliter & ſine miraculo, immo, naturale, & neceſſarium eſſe, aiunt, propter præſentiam corporis Chriſti in hoſtia conſecrata. Major autem ex eorum principiis ſic demonſtratur. Illud eſt verus panis, cujus partes eamdem habent quantitatem, eamdem figuram, motum, ſitum, & quietem ac panis ; hoc eſt ipſiſſimum Cartheſianorum principium, quod aſſerunt unum corpus non differre eſſentialiter ab alio, niſi penes ejuſmodi partium modificationem, quia nullam aliam formam, ſeu eſſentiam in corporibus admittunt. Atqui corpus, quod eodem modo natu-

naturaliter ſenſus noſtros afficit ac panis, debet habere eamdem quantitatem, figuram, ſitum, motum partium ſuarum ac panis; illud enim etiam eſt inconcuſſum apud ipſos principium, cum doceant ideo præciſe diverſas diverſis corporibus impreſſiones fieri in ſenſibus noſtris, quia illa corpora conſtant ex partibus diverſæ figuræ, ac ſitus. Igitur illud corpus eſt verus panis quod eaſdem in omnibus ſenſibus noſtris impreſſiones naturaliter facit ac panis. Et conſequenter explicatio Carthesiana corpus Chriſti in panem videtur convertere, quod eſt abſurdum, & doctrinæ Eccleſiæ prorſus alienum.

Syſtema Callii ſubvertitur.

PROBATUR iſto efficaciſſimo argumento. Illud ſyſtema abnuendum eſt, in quo utique exſufflatur tranſubſtantiatio. Atqui tranſubſtantiatio in Callii ſyſtemate deſtruitur. Ergo &c. Probatur minor: Facta conſecratione juxta iſtius Auctoris opinionem, remanet panis & vinum, quandoquidem adeſt utriuſque ſubſtantiæ nedum materia, ſed & forma: Ergo &c. Jam iſtud probatur antecedens. Ex Callio materia non poteſt eſſe ſine aliqua partium ſuarum diſpoſitione, ſine ſitu, textura, configuratione, & corpora eatenus ſolum differunt, quatenus diverſas habent mechanicas affectiones, nec ulla datur in corporibus præter mechanicas illas diſpoſitiones: Atqui poſt conſecrationem remanent eædem mechanicæ affectiones, eadem partium figura, idem ſitus, eadem configuratio, quæ ſunt eſſentia corporis ſecundum Callium: Igitur non modo manet materia panis & vini, ſed & utriuſque forma, ſicque non fit tranſubſtantiatio in explicatione Callii.

Nec dicat Callius animam rationalem informare materiam panis & vini, & per illam unionem ſubſtantialem non amplius remanere formam panis & vini, nam cum hæc materia ex Callio ſemper eaſdem ſervet affectiones mechanicas vi unionis, non convertetur panis & vinum, nec auferetur materia & forma panis & vini. Erit quidem Chriſti corpus, ſed erit etiam verus panis & vinum purum. Sicut enim ex eo quod in Incarnatione caro unita fuerit & cum anima rationali Chriſti, & cum natura ac perſona divina, non ideo converſa fuit caro, ſed vera manſit caro, ita ex eo preciſe quod panis & vinum unirentur in unitate naturæ cum anima rationali, & in unitate Perſonæ cum Verbo, non ideo fieret converſio panis & vini, ſed verus panis, verumque vinum debent remanere, licet ſubſtantialiter unita ſint animæ rationali, & Verbo divino. Ergo remanent ſemper materia ſimul & forma panis & vini, adeoque tranſubſtantiationem deſtruit ipſa Callii opinio. Ergo &c.

Syſtema Maignani rejicitur.

PROBATUR hoc ratiocinio. Illud eſt rejiciendum quod adverſari videtur doctrinæ Eccleſiæ, & deſtruere tranſubſtantiationis ideam: Atqui explicatio Maignani talis eſt: Ergo &c. Probatur minor variis multiſque momentis.

Primo quidem adverſatur doctrinæ Eccleſiæ; nam, ut jam dictum eſt in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. damnata fuit hæc propoſitio Wiclefi: *Accidentia panis & vini non manent in eodem Sacramento ſine ſubjecto*. Rurſus in Catechiſmo Concilii Tridentini, accidentia panis & vini nullo ſubjecto inhærere dicuntur; ſic enim parte 2. numero 43. habetur: "Tertium „ reſtat quod in hoc Sacramento maxi„ mum atque mirabile videtur; panis „ videlicet, & vini ſpecies in hoc Sacra„ mento ſine aliqua re ſubjecta conſtare; „ nam cum antea demonſtratum ſit corpus „ Domini & ſanguinem vere in hoc Sa„ cramento eſſe, ita ut nulla amplius ſub„ ſit panis & vini ſubſtantia: Quoniam „ ea accidentia Chriſti corpori & ſangui„ ni inhærere non poſſunt: relinquitur, „ ut ſupra naturæ ordinem, ipſa ſe nulla „ alia re niſa ſuſtentent. Hæc perpetua „ & conſtans fuit Eccleſiæ Catholicæ do„ ctrina. „ Ergo &c.

Secundo: Illud ſyſtema deſtruit ideam tranſubſtantiationis, nam tranſubſtantiatio requirit ut aliquid rei converſæ remaneat; in eo enim tranſubſtantiatio differt ab annihilatione, quod annihilatio ſit deſtructio totius compoſiti, tum quoad ſubſtantiam, tum quoad accidentia; tranſubſtantiatio vero ſit deſtructio totius ſubſtantiæ, manentibus iiſdem accidentibus: Atqui juxta prædictam explicationem nihil omnino remanet; ſiquidem non

ſunt

Digitized by Google

ſunt eadem numero accidentia quæ prius erant in pane :,Igitur hæc explicatio ideam tranſubſtantiationis evacuat. Et vero, ea poſita, non magis dici poſſet panis converti in corpus Chriſti, quam Petrus in Paulum, ſi annihilato prorſus Paulo, produceretur in ejus loco Petrus ſimilis quoad externa accidentia.

Tertio : Miracula ſine neceſſitate, ſyſtematis auctor præter intentionem multiplicat; etenim ſi juxta Peripateticos accidentia ſint abſoluta, unicum ſolummodo admittitur, quo nempe Deus, facta conſecratione, ſuſtentat quantitatem panis & vini, cui quidem quantitati aliæ omnes qualitates, & modi inhærent. Revera quidem ſi accidentia nihil aliud ſint juxta Maignanum, quam impreſſiones divinitus factæ in ſenſibus noſtris, tot erunt admittenda miracula, quot erunt homines unam videntes hoſtiam, & aſpicientes; immo tot miracula in uno homine patrari neceſſe eſt, quot diverſæ in diverſis ſenſibus impreſſiones fiunt : Igitur miracula ſine neceſſitate in hoc ſyſtemate multiplicantur.

Quarto : Hac explicatione admiſſa, fractio hoſtiæ explicari non poteſt; ſic enim arguere licet : In hoſtia conſecrata remanet aliquid quod frangitur a Sacerdote : Atqui in illa ſententia nihil remanet in hoſtia quod frangatur : Et probatur. Hac facta hypotheſi, nihil frangitur in diviſione hoſtiæ quæ fit in Miſſa ; non quidem corpus Chriſti : de eo enim canit Eccleſia : *Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura*. Neque etiam frangi poteſt ſubſtantia panis, jam enim nulla ſupereſt, ut fides docet : Relinquitur igitur quantitatem panis & vini, facta tranſubſtantiatione, remanere, quæ ſit accidens abſolutum, proprio denudatum ſubjecto, cujus ope pro more frangi poſſit hoſtia in ſacrificio.

Quinto : Syſtema laudatum proprietates accidentium Euchariſticorum convellit : Et probatur. Accidentia ſecundum communem opinionem primo poſſunt agere, & immutare externa corpora : Secundo corrumpi valent : Tertio, ex iis vermes generari poſſunt : Quarto, nutrire queunt : at quomodo id præſtarent accidentia ab Auctore excogitata, quæ non ſunt niſi meræ impreſſiones in ſenſibus noſtris factæ; quaſi vero impreſſiones nutrirent, & ex eiſdem vermes generarentur ?

Fit ſatis objectionibus Carteſii.

OBJICIUNT : Patres paſſim dicunt corpus Chriſti in Euchariſtia tangi : ſed ſi accidentia abſoluta ibi adeſſent, falſa foret eorum locutio, cum non corpus, ſed ſpecies ſenſibilis tangeretur. Ergo &c. Probatur major : Inſtar omnium ſit S. Chryſoſtomus, qui Hom. 83. de Chriſto in Euchariſtia præſente hæc ait: " Quomodo dicunt, vellem formam & ſpecies ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem coloramenta videre ? Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Similia leguntur in confeſſione fidei Berengarii, lecta & approbata in Concilio Romano ſub Nicolao II. habito. Heterodoxus ibi confitetur : " Verum Chriſti corpus, & verum ejus ſanguinem ſenſualiter manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atteri. " Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Corpus Chriſti tangitur in Euchariſtia mediantibus ſpeciebus, concedo : immediate nego : & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Patres ne quidem cogitaverunt tantam loqui abſurditatem, quin potius S. Auguſtinus L. 3. de doctor. Chriſti cap. 16. ait, eſſe ſcelus & flagitium credere corpus Chriſti in ſe & immediate atteri, & dilacerari in Euchariſtia, nec illud, niſi dumtaxat ratione ſpecierum admittit ; hinc non dicit corpus Chriſti dentibus atteri, ſed Sacramentum, quod quidem, utpote ſignum ſenſibile, pro ſpeciebus in ſe ſenſibilibus ſupponit. Idem eſt omnium Patrum ſenſus ; ſin minus Chriſtus in ſpecie propria videretur in Euchariſtia, quod eſt contra Sacramenti fidem ; jamjam enim non fidei oculis, ſed corporalibus videretur. Quia vero eſt magna inter ſpecies, & corpus Chriſti ſanguinemque unio, per quamdam idiomatum communicationem, corpus Chriſti dicitur tangi in Euchariſtia, tametſi ſolæ ſpecies immediate & tangantur & frangantur.

Inſtant : Primo, ſi remanerent accidentia abſoluta poſt conſecrationem, ita ut aliter non poſſet explicari Myſterium Euchariſtiæ, ſequeretur inde Cartheſianos talia debellantes accidentia, negare realitatem Chriſti in Sacramento Altaris, vel

ſal-

ſaltem tranſubſtantiationem : Atqui nullus eorum negat utrumque illum fidei articulum : Ergo &c. Probatur major : ex ipſis accidentia non ſunt entia diſtincta a ſubſtantia, cum ſint dumtaxat ſubſtantiæ modificationes, ubi autem eſt modificatio, ibi neceſſario eſt ſubſtantia ; modus enim non poteſt divinitus exiſtere ſine ſubſtantia. Igitur illi Philoſophi agnoſcerent ſubſtantiam panis, peracta conſecratione, remanere, quod tamen falſum eſt.

Reſpondeo primo : neceſſe eſſe ut remaneat aliquid ſenſibile in Euchariſtia, peracta conſecratione, præter corpus & ſanguinem Chriſti Domini; ſed illud non eſt ſubſtantia panis ex ipſis adverſariis; nec eſt etiam modus ſubſtantiæ, cum modus ſit inſeparabilis a ſubſtantia. Igitur ſupereſt remanere accidentia quæ ſint entitates abſolutæ, a ſubſtantia diſtinctæ, & ab ea ſeparatæ.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo : Cartheſiani non negant tranſubſtantiationem in rei veritate, concedo: ſi attendant ad ſua principia, nego. Jam vero in principiis eorum ſequitur ſubſtantiam panis remanere. Porro non levius eſt periculum admittere principia fidei repugnantia; quæ quidem principia procul dubio debent emandari.

Urgent : Credibile non eſt, nec Philoſophus ſibi perſuadere poteſt, dari in corporibus qualitates ſenſibiles a materia & mechanica partium diſpoſitione diſtinctas, & in objecto reſidentes; quis enim crediderit calorem v. g. eſſe qualitatem abſolutam ſimilem ei ſenſationi quam experimur ? III. Quis ſibi perſuaſerit lumen v. g. eſſe qualitatem abſolutam in ipſo objecto reſidentem, & a materia & mechanica partium diſpoſitione diſtinctam ? nec enim hæc a Philoſophis admitti poſſunt, niſi qualitates occultas & ignorantiæ refugia cogantur admittere. Igitur ſua principia corrigere non debent Cartheſiani.

Reſpondeo negando conſequentiam. Licet enim nihil exiſtat in objectis ſimile illis ſenſationibus quæ in nobis excitantur, nihilominus datur aliquid in objectis quod has ſenſationes producit, quodque eſt aliquid præter variam modificationem, vera ſcilicet entitas a ſubſtantia realiter diſtincta & ab ipſa ſeparabilis. Sic calor non eſt quid ſimile illi ſenſationi, quæ in nobis excitatur, ſed motus quidam celer & perturbatus ab ipſo corpore realiter diſtinctus; Sic lumen non eſt in corpore lucido quid ſimile ei rei quam ſentimus, ſed eſt entitas quædam a corpore lucido diſtincta, ſive ſit agitatio materiæ æthereæ, ſive effluvium quoddam a corpore lucido proveniens: ſed hæc omnia non dici debent qualitates occultæ, verum potius ſunt claræ & diſtinctæ, cum earum idea ſit omnino diverſa ab idea corporis. Admittendo igitur tales qualitates, ad qualitates prorſus occultas illæ non revocantur.

Inſiſtunt : Sequitur ex hac reſponſione, calorem, ſonum, lumen & odorem provenire ab agitatione materiæ: Sed ſi hæc ita ſint, non erunt niſi materiæ modificationes, licet a materia ſint diſtinctæ. Ergo non ſunt accidentia abſoluta.

Reſpondeo diſtinguendo : Et quantitas, cujus ſunt modificationes, eſt accidens abſolutum, concedo : non eſt, nego. Ex hac diſtinctione ſequitur accidentia ſubſiſtere independenter a materia, ſicque in Euchariſtia poterunt calor, odor, ſapor ſine ſubſtantia panis & vini eſſe. Solutio eſt D. Thomæ, qui 3. p. q. 77. art. 2. ad 6. dicit omnia alia accidentia præter quantitatem alicui ſubjecto inhærere, nempe ipſi quantitati, ſed ſine materia panis & vini, ita ut totum miraculum in hoc ſitum ſit, quod quantitas ſive extenſio panis per ſe ſubſiſtat ſine ſubjecto, & ipſa vices gerat ſubjecti, cui alia accidentia inhæreant. Porro non implicat contradictionem dicere quantitatem eſſe ſubjectum proximum accidentium. Sicque verum eſt, quod & Concilium Conſtantienſe, & S. Thomas dicunt univerſim, accidentia ſine ſubjecto proprio remanere.

Dices : Si quid probaret dari accidentia abſoluta ſine ſubjecto in Euchariſtia, maxime definitio Concilii Conſtantienſis: Atqui hoc non eſt. Et probatur : Definitio Concilii reprobati nullius eſt ponderis : ſe Concilium Conſtantienſe licet generale, non fuit approbatum. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo minorem : Non fuit approbatum quoad aliqua, concedo : quoad laudatam definitionem nego. Approbatum eſt enim quoad definitiones dogmatum, præcipue vero quoad damnationem articulorum Wiclefi, & Joannis

Digitized by Google

ni Hus, ut patet ex Bulla Martini V.

Replicabis : Eſto recipienda ſit damnatio Hæreticorum facta a Concilio, attamen hæc Synodus non damnavit propoſitionem Wiclefi, niſi relative ad ejus mentem, quatenus nempe exiſtimabat ſubſtantiam panis manere : Sed in ſententia recentiorum allata, ſubſtantia panis & vini non remanet, facta tranſubſtantiatione. Ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam : Wiclefus enim contendebat non modo ſubſtantiam panis manere, ſed etiam accidentia non poſſe ſubſiſtere ſine ſubjecto, duobus quippe diſtinctis articulis, ait, primo quidem (*Panis ſubſtantiam manere.*) Secundo, (*non manere accidentia ſine ſubjecto.*) Unde lib. de Apoſtaſia cap. 14. ſugillat Catholicos quod putarent accidentia manere ſine ſubjecto.

Solvuntur objectiones Maignani.

OBJICIES : Poſt conſecrationem panis & vini manent ſolæ ſpecies ſive apparentiæ ex Tridentino: Sed ſpecies & apparentiæ ſunt meræ impreſſiones, & non accidentia abſoluta. Igitur id quod remanet eſt mera ſenſatio ; id eſt, Deus eodem modo ſenſus movet, ſicut panis & vinum antea movebant.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Manent ſolæ apparentiæ ſubſtantiarum panis & vini, concedo : ſolæ apparentiæ accidentium panis & vini, nego. Non enim ſolæ ſpecies ſeu apparentiæ ſacramentariæ, ibi ſunt, id eſt meræ impreſſiones, ſed manet veritas & realitas Sacramenti, ſeu ſignum ſenſibile & permanens, ut fides catholica docet : Unde non manet ullo modo materia accidentium panis & vini ; jam vero cum a Concilio Tridentino poſt conſecrationem manere dicuntur ſolæ ſpecies, eodem modo loquuntur Patres Tridentini, quo Conſtantienſes, qui pronuntiarunt manere accidentia panis & vini ſine ſubjecto, alias Chriſtus Dominus perpetuo, quod abſit dicere, nos deciperet, nobis oſtendendo ſpecies panis, quæ non eſſent panis, ſed quæ continuo ab eo crearentur. Quod autem Concilium Tridentinum per ſpecies intelligat accidentia abſoluta, patet ex Catechiſmo Romano, qui dicit 2. parte n. 43 relinquitur quod accidentia panis & vini, *ipſa ſe, nulla alia re niſi ſuſtentent.*

Inſtabis : Non magis, conſecratione facta, ſunt phyſice panis & vini accidentia in ſacro-ſancto Altaris Sacramento, quam ea quæ poſt Reſurrectionem Diſcipulis apparuerunt in Chriſto ſub ſpecie Peregrini, Magdalenæ vero ſub Hortulani effigie ; ſed iſta non erant phyſica : igitur nec ſunt priora.

Reſpondeo negando majorem & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quod fides catholica doceat Euchariſtiam eſſe ſignum ſenſibile, adeoque manere accidentia panis & vini phyſica, nihil vero ſimile annuntiat de ſpeciebus Hortulani, & Peregrini in Chriſto Domino. Rurſus accidentia panis & vini perpetuo & conſtanter apparent omnibus ex parte Sacramenti : Igitur vere & realiter exiſtunt. Namque in hoc differunt ab accidentibus Peregrini & Hortulani, quod iſta ſtatim tranſacta viſione, ab oculis evanuerint.

Inſiſtes : Ut maneat Sacramentum ſive ſignum ſenſibile, ſatis eſt ut Deus ſenſum eodem modo moveat, quo accidentia panis moverent, ſi adeſſent : Atqui res ſic ſe habere poteſt : Igitur ſtat Sacramentum, tametſi vere & realiter non maneant accidentia panis & vini.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Ut maneat Sacramentum ex parte noſtri moraliter, & intentionaliter, concedo : ex parte ſui phyſice & realiter, nego. Tunc manet Sacramentum phyſice & realiter ex parte noſtri, moraliter ſimul & intentionaliter, quando experimur ſenſationes & eaſdem impreſſiones ac ſi promanarent ab ipſo Sacramento : Tunc vero manet Sacramentum ſenſibile ex parte ſui phyſice & realiter, quando remanent vera & realia accidentia, ſenſus noſtros movere capacia : Porro cum Sacramentum Euchariſtiæ ſit reale, debet eſſe ſignum ſenſibile independenter a noſtra ſenſatione ; alioquin ſi ſenſatio eſſet id ſub quo continetur Chriſti corpus, ubi nulla ſenſatio foret, ibi & Chriſtus Dominus non eſſet. Atqui in pyxide nullæ ſunt ſenſationes, & tamen ſanctiſſimum Chriſti corpus, ut docet fides, ibi eſt : Non ſufficit igitur ut ſit ſignum ſenſibile ex parte noſtri, ſed debet eſſe ſignum ſenſibile ex parte ſui, & hanc propter rationem accidentia ſunt phyſica, & abſoluta.

Per-

Perſiſtes : Ideo ſpecies quæ remanent non ſunt meræ apparentiæ, quia alias non eſſent veræ ſpecies accidentium panis: Atqui dici poſſunt ſpecies accidentium panis, ſiquidem ſpecies illæ ſunt panis ſpecies quæ denotant panem, & quarum intuitu crederemus eſſe panem, niſi fides aliter nos doceret. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem nego majorem; ut enim ſpecies illæ ſint veræ panis ſpecies non ſufficit ut denotent panem, ſed præterea requiritur ut ſint eadem accidentia phyſica quę afficiebant panem ante conſecrationem, alias Sacramentum non eſſet ſenſibile ex parte ſui & permanenter, ut patet de corpore Chriſti occluſo in pyxide; ſicque cum Deus non excitaret impreſſiones in organis, tunc illud Sacramentum non eſſet ſenſibile, quod tamen falſum eſt; namque Sacramentum eſt ſignum ſenſibile in ſe & per ſe, adeoque & ut actu ſubjicitur oculis aſpicientium, & ut in pyxide concluſum ſervatur.

Inſtabis : Species eſt aliquid ab objecto emiſſum: Atqui accidentia abſoluta non ſunt aliquid ab objecto emiſſum: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Species Intentionalis ſeu logica eſt aliquid ab objecto emiſſum, concedo: Species materialis ſeu phyſica, nego. Species intentionalis eſt impreſſio quædam in organo reſidens, ſeu affectio ſenſus, materialis vero & phyſica eſt entitas realis a materia diſtincta, & ab ea ſeparabilis. Porro accidentia phyſica non ſunt ſpecies intentionales, quia ſpecies intentionales ſunt apparentiæ accidentium: At vero accidentia abſoluta ſunt ſpecies materiales, quippe quæ ſint entitates materiæ ſuperadditæ; in Euchariſtia autem ſimilitudinem panis referunt, panemque phyſice afficerent, niſi miraculoſe eſſet in ſubſtantiam corporis Chriſti immutatus.

Repones : Species Euchariſticæ non ſunt phyſica accidentia panis, alias Eccleſia non caneret: *Viſus*, *guſtus*, *tactus*, *in te fallitur*. Atqui tamen ſic canit: Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo majorem: *viſus*, *guſtus*, *tactus in te fallitur* circa ſubſtantiam panis & vini, eoquod intuendo ejuſmodi accidentia, ſecluſa fide, judicaremus ibi adeſſe ſubſtantia panis & vini, concedo: *viſus*, *guſtus tactus in te fallitur* circa accidentia panis, nego. Operatio igitur ſenſuum non eſt falſa circa accidentia panis, cum phyſice remaneant, ut oſtenſum eſt ſupra: ſed illa præbent dumtaxat occaſionem falſo judicio intellectus circa ſubſtantiam, a quo tamen fide adjutus, abſtinet.

At, inquies: Quid incommodi videtur dicere apparentiam panis & vini non a pane & vino proficiſci, ſed a Chriſto Domino qui occultandi Myſterii cauſa, eaſdem ſenſibus noſtris ingerit ſpecies, ac ſi eſſet panis & vinum.

Reſpondeo: Id quidem a Chriſto fieri poſſe, ſed quod non factum ſit, annuntiant Conciliorum definitiones. Et vero illæ impreſſiones forent ſolummodo ideales, & non reales: Ergo &c.

Replicabis : Si daretur forma accidentalis, eſſet accidens & non eſſet; illud autem eſt contradictorium: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam majoris; & dico ſemper fore accidens, quia ſemper inhærere exigeret.

Inſtabis : Ut ſalvetur ratio accidentis, inhæſio aptitudinis non ſufficit; ſed actualis requiritur: nam accidens definitur ens alteri inhærens: Ergo &c.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Accidens definitur ens alteri inhærens aptitudine, concedo; actu, nego: nam ſecundum Logicos verba in definitionibus poſita, non ſemper dicunt actum, ſed aptitudinem; unde nec homo definitur animal ratiocinans, ſed rationale; id eſt aptum ad ratiocinandum, ſin minus puer naſcens non foret homo, quandoquidem tunc ratiocinari nequit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sententia, quæ novis adinventionibus accidentia abſoluta ab Euchariſtia explodit, non eſt tenenda.

PRIMO: Quia tranſubſtantiationem evacuat, quandoquidem juxta Carteſium, remanet eadem materia, nec ei quidquam præter novam modificationem addit.

Secundo: Evacuat etiam Sacramenti & permanentiam, & eſſentiam, cum in ſe non ſit aliquid ſenſibile, ſed tantum ratione ſenſationis, quæ dubio-procul non

ſit

ſit dum hoſtia eſt in pyxide concluſa: Et tamen de fide eſt hoſtiam conſecratam, tametſi in paſtophorio concluſam, eſſe vere & realiter corporis & ſanguinis Domini Sacramentum.

Tertio: Iſta doctrina eſt nova, SS. Patribus ignota, immo Conciliis adverſa, maxime Conſtantienſi, & Tridentino.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Quando Patres ajunt corpus Chriſti tangi in Euchariſtia, hoc intelligunt non immediate, ſed ratione ſpecierum.

Secundo: Recentiores non negant quidem ore, verbis, & dictis tranſubſtantiationem, ſed ex eorum principiis convellitur; unde licet ab Eccleſia non ſint proſcripti, non tamen approbati ſunt, immo eatenus ægre fert eorum placita, quatenus Conciliis adverſa ſunt.

Tertio: Eſto quod accidentia ſint qualitates occultæ, non tamen ſimpliciter & per omnia, cum ſint ſenſibiles, & Conciliis ac ſanctis Doctoribus, potiſſimum Angelo Scholæ S. Thomæ familiares.

Demum: Alio modo ratiocinandum eſt de accidentibus Euchariſticis, alio de ſpecie Peregrini Emmaus, & Hortulani qui ſanctæ Magdalenæ apparuit: illa quippe accidentia ſunt abſoluta, & permanentia, e contra vero apparitiones, quæ ut plurimum ſiunt per ordinationem ſpecierum, ſicut docet S. Thomas 3. pag. 76. art. 8. loquendo de apparitionibus infantis, qui quandoque non ſine miraculo in Euchariſtia viſus eſt ad roborandam de tanto Myſterio ſidem.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Euchariſtia ſit Sacrificium.

SACRIFICIUM duplex diſtinguitur; unum cruentum, in quo quidem victima ſanguinis effuſione immolatur: alterum vero incruentum, quod eatenus memoriale vocatur, quatenus cruentum repræſentat. Illud utique duplex eſt, myſticum unum, & reale alterum. Primum ſitum eſt in affectu cordis, ducente fide, ſeſe immolantis Deo; talis eſt Contritio. Poſterius habet materiam & formam, immo & victimam, non quidem realiter, ſed myſtice & oblatam & immolatam, quale eſt ſacrificium Miſſæ, in quo eadem victima quæ in cruce oblata eſt, offertur in Altari; verum non niſi myſtice immolata, quatenus ſeparatim corpus ponitur ſub ſpeciebus panis: ſanguis vero ſub ſpeciebus vini.

Ultro concedunt Lutherani, Chriſti in ara crucis oblationem verum fuiſſe ſacrificium Patri æterno pro peccatis noſtris conſummatum. In hoc etiam conveniunt cum eis Catholici; contritionem & ſimiles actus interiores non niſi metaphorice ſacrificii rationem habere; verum ipſam Miſſam a Sacrificio proprie dicto non ſine temeritate explodunt iſti hæretici: contendit I. Lutherus in Miſſa pro Wittemberg. Eccleſia ab eo edita anno 1523. Kyrie-eleiſon, Orationem, Epiſtolam, Graduale & Evangelium ſpectare Sacrificium incruentum: Oblationem vero & Canonem procul facit, nec aliud in hoc agnoſcit Sacrificium, niſi metaphoricum & ſpirituale; quocirca propugnat Chriſtum non conſecraſſe Apoſtolos Sacerdotes, ſed tantummodo Cœnæ Miniſtros, qui parant diſcumbentibus vi conſecrationis cibum ſacrum: hinc Paſtores apud eos vocantur Miniſtri. Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Miſſa eſt proprie dictum novæ Legis Sacrificium.

Probatur multis & irrefragabilibus argumentis.

§. I.

Primo, ex Veteri Teſtamento.

QUOD indigitant figuræ, quod Prophetæ, in primis vero Malachias, annuntiaverunt, non ſine errore negari poteſt. Atqui veteris Teſtamenti figuræ, tum Prophetarum voces indicant aperte Miſſam eſſe verum & proprie dictum Sacrificium; Igitur citra errorem hoc ipſum negari non poteſt. Probatur minor ab enumeratione partium.

Prima figura in Sacrificio Melchiſedech.

GENESEOS 14. habetur : *Melchiſedech Rex Salem , proferens panem & vinum , erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi , benedixit ei .* Ipſe David Pſ. 109. hoc & de Chriſto, & de Euchariſtia interpretatur his verbis : *Juravit Dominus , & non pœnitebit eum , Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeh .* Ex his Chriſtum eſſe vere Sacerdotem nemo poteſt negare ; illum autem eſſe non ſecundum ordinem Aaron , ſed ſecundum ordinem Melchiſedech , ipſe Pſalmiſta enunciat Pſ. 109.

Fuſo utique calamo illud probat Apoſtolus Hebr. 7. Quid plura ? Melchiſedech panem & vinum obtulit : nec illi Chriſtus aſſimilatur niſi in Sacrificio Miſſæ , cujus materia fuit & eſt tum panis tum vinum . Igitur cum figura metam habeat in veritate, ultro confitendum eſt Euchariſtiam eſſe verum & proprie dictum Sacrificium .

Traditio innuit iſtam figuram intelligendam eſſe de Sacrificio Altaris .

Ex ſecundo Sæculo , adeſt Clemens Alexandrinus , qui Lib. 4. Stromatum pag. 339. verſus finem ait : " Melchiſedech
,, rex Salem , Sacerdos , Dei Altiſſimi,
,, qui vinum & panem ſanctificatum de-
,, dit nutrimentum in typum Euchari-
,, ſtiæ . ,,

Ex tertio Sæculo teſtis eſt ſanctus Cyprianus Lib. 2. Epiſt. 3. ad Cæcilium ; iſta Pſalmiſtæ verba , *Tu es Sacerdos in æternum* , explicans , ſic loquitur : " Qui
,, ordo utique hic eſt de Sacrificio illo
,, veniens, & inde deſcedens , quod Mel-
,, chiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit ,
,, quod panem & vinum obtulit, quod A-
,, braham benedixit . Nam quis magis
,, Sacerdos Dei ſummi , quam Dominus
,, noſter Jeſus Chriſtus , qui ſacrificium
,, Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem
,, quod Melchiſedech obtulerat , id eſt,
,, panem & vinum , ſuum ſcilicet corpus
,, & ſanguinem . ,,

Arnobius , qui eodem floruit Sæculo , ejuſdem eſt labii in Pſalmum 109. ubi de Chriſto loquens ait : Per Myſterium panis
,, ac vini Sacerdos factus eſt in æternum
,, ſecundum ordinem Melchiſedech , qui
,, panem & vinum ſolus obtulit in Sa-
,, cerdotibus, dum Abraham victor rever-
,, teretur de prælio . ,,

Ex quarto Sæculo habemus teſtium nubem ; namque eodem prorſus modo locum Pſalmiſtæ interpretantur , Euſebius Cæſarienſis Lib. 5. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 3. Ambroſius Lib. 5. de Sacramentis cap. 1. " Cognovimus , *inquit* ,
,, Sacramentorum iſtorum figuram Abra-
,, hæ temporibus præceſſiſſe , quando ob-
,, tulit Sacrificium ſanctus Melchiſedech.
Sic Epiphanius Hæreſi 55. Sic Chryſoſtomus Homilia 35. in Geneſim . Sic denique Hieronymus Epiſt. ad Marcellam his verbis : " Recurre ad Geneſim, & Mel-
,, chiſedech regem Salem , hujus princi-
,, pem iuvenies civitatis , qui jam tunc
,, in typo Chriſti panem & vinum ob-
,, tulit , & Myſterium chriſtianum Sal-
,, vatoris ſanguine & corpore dedica-
,, vit . ,,

Ex quinto Sæculo celeberrima habemus Patrum loca : inter omnes eminet Auguſtinus , qui multis in locis eamdem profert ac priores , Pſalmi 109. explicationem, ut Lib. contra Adverſarium legis & Prophetarum cap. 20. tractatu in Pſalmum 63. maxime vero Lib. 18. de Civitate Dei , cap. 36. " Hoc Sacrificium , *ait* ,
,, per ſacerdotes Chriſti ſecundum ordi-
,, nem Melchiſedech , cum in omni lo-
,, co a ſolis ortu uſque ad occaſum , Deo
,, jam videamus offerri : Sacrificium au-
,, tem Judæorum , de quibus dictum eſt :
,, *Non eſt mihi voluntas in vobis , nec ac-*
,, *cipiam de manibus veſtris munus* ; ceſſaſ-
,, ſe, negare non poſſunt . ,,

Suffragatur Theodoretus q. 64. in Geneſim , ubi de Melchiſedech ait : " Siqui-
,, dem Dominici ſacerdotii figuram ge-
,, rebat ; ideo panem Abrahamo viciſſim ,
,, & vinum dedit , ut qui fortaſſe ſolitus
,, eſſet talia Deo omnium offerre : oporte-
,, bat enim figuram in illo monſtrari .

Non prætereundus Magnus ſanctus Leo , qui ſimilia loquitur Sermone 2. de anniverſario Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum : " Tu es, *ait* , Sacerdos in æter-
,, num ſecundum ordinem Melchiſedech ,
,, hoc eſt , non ſecundum ordinem Aa-
,, ron , cujus ſacerdotium per propaginem
,, ſui ſeminis currens , temporalis mini-
,, ſterii fuit , & cum veteris Teſtamenti
,, lege ceſſaſtit ; ſed ſecundum ordinem
,, Mel-

„ Melchiſedech, in quo æterni Pontificis „ forma præceſſit. „

Concinunt ſubſequentium ſæculorum Patres, qui eumdem huiuſce figuræ exhibent ſenſum, videlicet Euſebius Emiſſenus ſermone de S. Paſchate, Remigius Antiſſiodorenſis, & Eutymius Zigabenus in Pſalmum 109. Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 14. Paſchaſius Radbertus in Epiſt. ad Frudegardum: Oecumenius commentario in cap. 5: Epiſt. ad Hæbræos: Theophylactus in idem caput: Anſelmus in caput 5. Epiſt; ad Hebræos: " Tu es Sa„ cerdos, *ait*, id eſt ſacra dans per te, & per tuos in æternum. „ Ergo &c.

Alia figura in Ango Paſchali.

CELEBERRIMA eſt utique iſta figura pro Sacrificio Miſſæ aſtruendo. Exod. 12. refertur Agni immolatio; Sed iſtud ſacrificium veritatem ſacrificii Altaris præludebat: Et probatur. Ipſum Chriſtum habemus interpretem; ſic enim loquitur Lucæ 22. de Euchariſtia: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*. Audis Chriſtum eodem nomine celebrare Euchariſtiam, quo ipſa Agni Judæorum immolatio nuncupatur? Apoſtolus 1. Cor. 7. ſuffragatur his verbis: *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis*. Concinit ipſa Patrum traditio, quam breviter hic texere non pigebit.

Tertullianus Lib. 4. contra Marcionem verſus finem, explicans iſta Chriſti verba, *Deſiderio*, ait: " Profeſſus ſe concupi„ ſcentia concupiſcere edere Paſcha ut „ ſuum: indignum enim ut quid alienum „ coucupiſceret Deus: acceptnm panem „ corpus ſuum fecit. „ Ejuſdem eſt labii Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ, & in ſemone de Cœna Domini.

Eminet Ambroſius in caput 1. Lncæ, ubi ſic loquitur: " Quando ſacrificamus: „ Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur, „ etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt „ Chriſtus. „

Hieronymus in cap. 26. Matthæi expreſſius loquitur: " Poſtquam, *inquit*, typi„ cum Paſcha fuerat impletum, & Agni „ carnes cum Apoſtolis comederat, aſſum„ pſit panem qui confortat cor hominis, „ & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sa„ cramentum. „

S. Chryſoſtomus Homil. de proditione Judæ tomo 3. ait: " Fuit quidem aliquan„ do Paſcha Judaicum, ſed exemptum & „ evacuatum eſt Paſchæ ſpirituali adven„ tu, quod Chriſtus tradidit, nam cum „ manducarent & biberent, accepit pa„ nem, & fregit,. & dixit: Hoc eſt „ corpus meum. „

Auguſtinus L. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. ſuam ſic prodit mentem: " Aliud eſt Paſcha quod illi de ove cele„ brant, aliud quod nos in corpore & „ ſanguine Domini accipimus. „

S. Leo ſuum addit calculum Serm. 7. de Paſſione Domini his verbis: " Vetus „ Teſtamentum conſummabat, & novum „ Paſcha condebat; diſcumbentibus e„ nim ſecum Diſcipulis &c. „

Gregorius Magnus Hom. 22. in Evange„ lia ait: Quid ſit ſanguis Agni, non „ jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis „ &c. „

Mitto Bedam, qui in cap. 22. Lucæ; Anſelmum, qui in cap. 26. Matthæi: Rupertum, qui Lib. 2. in Exodum cap. 6. eadem prorſus prædicant. Ergo &c.

Vetus Teſtamentum eſt etiam figura qua idem comprobatur.

NORUNT omnes Deum cum hominibus pepigiſſe fœdus victimarum ſanguine confirmatum, quo aſperſus eſt populus a magno Sacerdote, ut legitur Exodi 24. *Hic eſt*, inquit Moyſes, *ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum*. Quam quidem ſententiam profert Apoſtolus Hæbræorum 9. ſed illud teſtamentum non in cruce, ſed in Euchariſtia conſummatum eſt: & probatur adverſus Lutheranos muſcitantes. Primo quidem habetur Marci 14. de Euchariſtia: *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*. Rurſus 1. Cor. 11. *Hic calix novum Teſtamentum eſt in ſanguine meo*. Concinit Tertullianus Lib. 4. contra Marcionem: In calicis „ mentione, *ait*, teſtamentum conſtituit „ ſanguine ſuo obſignatum. „

Bellarminus Lib. 1. de Miſſa cap. 8. luculentiſſimis probat rationibus verba Evangeliſtæ, & beati Pauli intelligenda eſſe non de Sacrificio crucis, ut perperam contendunt Lutherani, ſed de Sacrificio Miſ-

 ſæ.

ſe. Hæ ſunt ejus probationes : “ Acce-
,, dit poſtremo, quod ſi teſtamentum Chri-
,, ſti in Cœna factum non fuiſſet , cer-
,, te factum fuiſſet in cruce , ut quidam
,, ſuſpicari videntur. At omnes conditio-
,, nes Teſtamenti in Cœuam quadrant,
,, nullæ in crucem . I. Qui teſtatur, vi-
,, vere debet uſque ad completum & ob-
,, ſignatum teſtamentum . Chriſtus in cœ-
,, na ſemper vixit, in cruce mortuus eſt;
,, quare recte Beatus Paulus Hebræorum
,, 9. non ait Chriſti morte Teſtamentum
,, novum fuiſſe factum , ſed confirma-
,, tum ; non enim teſtamentum valet , dum
,, vivit qui teſtatus eſt . Deinde qui te-
,, ſtatur, ſui juris eſſe debet ; Chriſtus in
,, cœna ſui juris erat ; in cruce non mo-
,, do captus & vinctus , ſed etiam dam
,, natus , & jam patibulo affixus erat . III.
,, Qui teſtatur , ſemper aliquid mandat
,, hæredibus; Chriſtus in cœna , *Hoc eſt*,
,, inquit , *præceptum meum* , *ut diligatis*
,, *invicem* . Et rurſum : *Hoc facite &c.* In
,, cruce nihil mandaſſe legitur . IV. Qui
,, teſtatur , aliquid promittit ſeu relin-
,, quit, idque nominatim exprimere ſo-
,, let , ut etiam perſonas quibus relin-
,, quit ; in cœna Dominus expreſſit re-
,, miſſionem peccatorum , quæ eſt promiſ-
,, ſio propria teſtamenti novi , Jeremiæ
,, 31. & expreſſit etiam hæredes , cum
,, ait, *pro vobis & pro multis* : in cruce ni-
,, hil hujuſmodi, excepta promiſſione ſoli
,, latroni facta . V. Qui teſtatur , teſtes
,, adhibet , & ſicut Moyſes , non teſtes
,, quoſcumque , ſed ipſum populum convo-
,, cavit, cum Teſtamentum vetus nomi-
,, ne Dei ſanciebat , ſic etiam Chriſtus te-
,, ſtes, & non quoſcumque, ſed ipſam Ec-
,, cleſiam convocare debuit ; id fecit in
,, cœna , aderant enim omnes Apoſtoli
,, qui Patriarchæ fuerunt, & veri Patres
,, totius Chriſtiani populi : ad crucem nec
,, aderant, nec facile convocari potuiſ-
,, ſent . VI. Qui teſtatur , ſolet diſertis
,, verbis explicare teſtamentum ſe face-
,, re ; in cruce teſtamentum Chriſtus ne
,, nominavit quidem : at in cœna expreſ-
,, ſit nomen teſtamenti , & quidem illis
,, fere verbis quibus olim Moyſes , ut e-
,, nim ille dixerat : *Hic eſt ſanguis teſta-*
,, *menti quod mandavit ad vos Deus* , ita ipſe
,, dixit ; *Hic eſt ſanguis meus novi teſta-*
,, *menti* . VII. Qui teſtatur , inſtrumen-
,, tum publicum conficit , quod perpetuo
,, vim habeat applicandæ hæreditatis ;
,, inſtrumentum Chriſtus in cæna confe-
,, cit , dum Sacramentum inſtituit : in
,, cruce nihil omnino hujuſmodi . ,,

Sancti Patres eamdem confirmant do-
ctrinam ; in primis Chryſoſtomus in Pſal.
95. “ Omnia veterum ſacrificia , nova ſu-
,, perveniens gratia , uno complectitur
,, Sacrificio . ,, Expreſſius Auguſtinus Lib.
17. de civitate Dei cap. 20. his verbis :
“ Menſa quam Sacerdos novi teſtamenti
,, exhibet , de corpore & ſanguine ſuo
,, eſt , id eſt enim Sacrificium quod
,, ſucceſſit omnibus ſacrificiis , quæ im-
,, molabantur in umbra futuri . ,,

Propheta .

PROVERBIORUM 9. hæc habentur : *Sapientia ædificavit ſibi domum , excidit columnas ſeptem , immolavit victimas ſuas , miſcuit vinum & poſuit menſam ſuam* . Quæ verba ponderans S. Cyprianus Lib. 2. Epiſt. 3. ait. “ Per Salomonem Spiritus
,, ſanctus typum Dominici Sacrificii præ-
,, monſtrat , immolatæ hoſtiæ, & panis
,, & vini , ſed & Altaris & Apoſtolo-
,, rum faciens mentionem . ,,

Iſaiæ 19. legitur : *Cognoſcent Ægyptii Dominum in die illa , & colent eum in hoſtiis & muneribus* . Euſebius L. 1. demonſtrationis Evangelicæ cap. 6. & Hieronymus Commentario in illum locum , docent iſtud ſacrificium translatum fuiſſe ad novam legem , quod non niſi a Sacerdotibus ſacram conficientibus Euchariſtiam completur .

Inſigne eſt teſtimonium Malachiæ cap. 1. ubi Propheta ſic intonat : *Non eſt mihi voluntas in vobis , dicit Dominus exercituum , & munus non ſuſcipiam de manu veſtra : ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus , & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda , quia magnum eſt nomen meum in gentibus , dicit Dominus exercituum* . Dubio-procul iſta prophetia intelligi nequit de Sacrificio crucis, quandoquidem in ſola civitate Jeroſolymitana paractum eſt . Relinquitur igitur ut Malachias de ſolo Altaris Sacrificio loquatur , quippe quod in univerſo offeratur mundo . Sic docent unanimiter omnes ſancti Patres.

Inſtar omnium ſit Juſtinus , qui Dialo-

go

go cum Triphone pag. 261. ait: " De ſacrificiis quæ a vobis tunc offerebantur, „ loquitur Deus per Malachiam unum „ ex duodecim; de iis autem quæ a nobis „ offeruntur ipſis Sacrificiis, hoc eſt de „ pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter „ Euchariſtiæ prædicit. „

Mitto Chryſoſtomum, qui ſimilia dicit in Pſal. 95. Auguſtinum Lib. 17. de civitate Dei cap. 35. Pro coronide ſit Joan. Damaſcenus qui Lib. 3. orthod. fidei cap. 14. ait: Hoc nimirum eſt purum & incruentum Sacrificium, quod ab ortu „ ſolis uſque ad occaſum offerri ſibi per „ Prophetam Dominus dixit; corpus eſt „ & ſanguis Chriſti, quod ad animæ noſtræ corporiſque conſervationem concedit. „

§. II.

Secundo, ex novo Teſtamento.

MISSAM eſſe verum & proprie dictum ſacrificium probat novi teſtamenti multiplex auctoritas. Igitur abſque fundamento illam veluti ſacrificium abnuunt Proteſtantes. Probatur antecedens: Primo quidem ex illis Chriſti verbis ad mulierem Samaritanam Joan. 4. *Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem.... Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*. Obſervandum eſt eo loci ſermonem eſſe de vero Sacrificio, quod quidem Samaritani ſchiſmatici propugnabant offerendum in monte Garizim, Judæi vero in ſola Jeroſolyma civitate; Chriſtus vero dirimit controverſiam, pronuntiando novum Sacrificium neque in monte Garizim, neque in Jeroſolymis offerendum. Igitur loquebatur de Sacrificio quod juxta Malachiæ prophetiam in toto terrarum orbe offerri debebat, adeoque intelligit de Euchariſtia. Et vero verba Chriſti de Sacrificio crucis, ut propugnant Heretici, vel etiam de ſacrificio mere ſpirituali non ſunt intelligenda; habetur enim, *neque in Jeroſolymis*; ſubſequentes vero particulæ, *quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu*, explodunt ſacrificium mere ſpirituale, in quo dubio-procul non fit adoratio ſenſibilis, ſed tantummodo in vero Sacrificio.

Verba inſtitutionis hanc ipſam clariſſime indigitant veritatem. Luc. 22. Chriſtus Dominus ait: *Hoc eſt quod pro vobis datur*. Sanctus Paulus 1. Corinthior. 11. ſic vertit: *Quod pro vobis frangitur*. Et iterum Chriſtus. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effunditur*. Matthæi 26. ſubditur: *In remiſſionem peccatorum*. Sed hæc omnia de Euchariſtia prolata denotant verum ſacrificium, in quo quidem victima immolatur in remiſſionem peccatorum. Revera quidem caro & ſanguis non ſunt apta ad cibum, niſi primitus victima moriatur.

Hunc eſſe genuinum Scripturæ ſenſum declarant Patres tum Græci, tum Latini; in primis Iræneus Lib. 4. c. 32. Cyprianus Lib. 2. Ep. 3. Ambroſius in Pſal. 38. & alii infra citandi.

Doctor Gentium 1. Corinth. 10. totum ita dilucide explicat, ut non remaneat ambigendi locus: *Fugite*, inquit, *ab idolorum cultura; ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico; calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt, & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus qui de uno pane participamus; videte Iſrael ſecundum carnem: Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris, & quid ergo? dico quod idolis immolatum ſit aliquid, aut quod idolorum ſit aliquid? ſed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum; non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum; non poteſtis Menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*. Eo loci Apoſtolus loquitur de menſa Altaris Chriſti, ejuſque Sacrificio relative ad menſam Gentilium, & eorum ſacrificia, quippe qui dæmoniis immolarent; & concludit abſtinendum eſſe a menſa dæmoniorum in qua ſiſtebant victimas. Igitur ut comparatio ſit legitima, dicendum eſt Euchariſtiam juxta mentem Apoſtoli eſſe proprie dictum Sacrificium.

§. III.

Tertio ex Traditione.

Patres Græci.

EX 1. Sæculo B. Andreas Apoſtolus emi-

eminet, qui ut refertur in ejus Martyrii Actibus, Ægeam Proconſulem ſic allocutus eſt: *Ego immaculatum Agnum in Altari offero, cujus carnes, poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui immolatus eſt integer perſeverat & vivus.*

Ex 2. Sæculo S. Irenæus L. 4. cap. 32. ejuſdem Sacrificii aſtruit exiſtentiam his verbis: " Novi Teſtamenti novam docuit ,, oblationem. ,, Ibidem ait de Euchariſtia: " Sacrificium quod offertur modo, ,, in omni loco. ,, &c.

Ex 3. Sæculo Dionyſius Alexandrinus in reſponſione ad decem quæſtiones a Paulo Samoſateno propoſitas tomo 2. Bibliothecæ Patrum pag. 292. mira dicit de Sacrificio incruento: " Verum, *inquit*, ,, ſeipſum exinanivit, propterea myſte- ,, rium ineffabile, ab ipſo Deo vocatur ,, novum Teſtamentum, eo quod ſeipſum ,, dedit in myſtica cœna; non ut olim, ,, qui Aaronici ſacerdotii legi obtem- ,, perabant, pecudum carnes altari impo- ,, nebant; ideo Moyſes ita ſcribit car- ,, nes ſanctæ erant ſuper altare, & come- ,, det populus, & omnis quicumque teti- ,, gerit ex eis immundus, peribit; nunc ,, autem non ita fit, ſed ipſe Dominus & ,, Deus Iſrael Salvator noſter ait: Qui man- ,, ducat me & ille vivet propter me. ,,

Ex 4. Sæculo S. Baſilius in oratione de jejunio ait: *Sacerdotem jejunio perfici, nec enim fieri poteſt ut ſine jejunio ſacrificandi functionem audeat attingere.*

S. Chryſoſtomus multis in locis Miſſæ Sacrificium non abſimilibus verbis atque ſententiis commendat: in 1. ad Corinth. ſic loquitur de Chriſto: " Hic autem ,, ad id quod multo terribilius & magnifi- ,, centius eſt, Sacrificium tranſtulit, tum ,, hoſtia commutata, tum pro jugulatione ,, pecudum, ſemetipſum offere jubens. ,, Rurſus Hom. 19. in Matthæum contra eos invehit, qui proximis a Deo mala precantur, aitque: " Quomodo oſculabe- ,, ris fratrem? Quomodo Sacrificium at- ,, tinges? Quomodo ſanguinem Domini- ,, cum deguſtabis, tantum habens in cogi- ,, tatione tua venenum? ,,

Gregorius Nyſſenus oratione 1. de Reſurrectione, ait de Chriſto Domino: " Seſe ,, oblationem ac victimam offert pro no- ,, bis Sacerdos ſimul & Agnus Dei. Quan- ,, do hoc accidit? cum ſuum corpus ad ,, comedendum & ſanguinem ad bibendum ,, familiaribus præbuit. ,,

Ex 5. Sæculo: Cyrillus Alexandrinus ejuſdem eſt cum ceteris labii Hom. quadam de myſtica Cœna tom. 5. parte 2. pag. 374. " Videamus, *ait*, quomodo ,, is, cujus in poteſtate ſunt extrema ter- ,, ræ, ad myſticam cœnam ſeſe compara- ,, bat; quomodo ille qui ſedet ſuper Che- ,, rubim, in cœna recumbebat; quomodo ,, qui per figuram manducatus eſt in ,, Ægypto, illic ſponte ſeipſum ſacrifi- ,, cat, ac poſtquam typum comedit velut ,, typicorum conſummator, veritatem pa- ,, tefecit, ſemet ipſe cibum vitæ ſtatim ,, apponens. ,, Idem diſertis aſtruit verbis in Epiſt. ad Neſtorium; idem in Anathematiſmo 11. adverſus illum: " Ex ſancto, ,, *inquit*, vivifico & incruento Sacrificio ,, quod per Eccleſias celebratur. ,, Ergo &c.

Ex ſubſequentibus Sæculis habemus Iſidorum Peluſiotam, Andream Cretenſem, & alios complures. Prior Lib. 3. Epiſt. 75. duplex ſecernit Sacrificium in nova lege, alterum proprie dictum, quod in Euchariſtia continetur; alterum mere ſpirituale quod actu interiori completur his verbis: " Quemadmodum in veteri ,, Teſtamento Sacerdotio fungi ſolis li- ,, cebat Sacerdotibus, at Paſchatis tem- ,, pore omnes quodammodo Sacerdotii ho- ,, nore afficiebantur; quilibet enim pecu- ,, dem ſuam immolabat: ſic etiam in no- ,, vo Teſtamento, cui nullum alterum ſuc- ,, ceſſurum eſt; peculiari quidem ratione, ,, ac velut prerogativæ nomine incruentæ ,, victimæ Sacrificium penes illos eſt, qui- ,, bus hoc offerre fas eſt: Verum unuſquiſ- ,, que proprii corporis eſt Sacerdos. ,, Poſterior vero in oratione Palmarum dicit: " Sacrificari Chriſtum in antitypis pro no- ,, bis ſymbolis immolatum. ,, Ejuſdem eſt ſententiæ Germanus Conſtantinopolitanus in Lib. de contemplatione rerum Eccleſiaſticarum.

Modum excederet oratio, ſi hic ceterorum Patrum Græcorum afferrem pro eodem momento auctoritates; ſed ex allatis ſic argumentari juvat adverſus fidei hoſtes. Sacrificium proprie dictum nominibus oblationis, & victimæ mactatæ celebratur: Sed iiſdem prorſus titulis a Patribus Græcis donatur Miſſa, quæ & ab eis Sacrificium ſimpliciter nuncupatur:

Igitur

Igitur eſt proprie dictum Sacrificium. Eodem modo de ea loquuntur Eccleſiæ Latinæ ſancti Doctores.

Patres Latini.

Ex 3. Sæculo S. Cyprianus, & ejuſdem ævi Doctores Miſſæ commendant Sacrificium. Hic Pater Lib. de lapſis ait: " Ignoratione igitur obreptum eſt, ut ſa- ,, crificantibus nobis, eam ſecum mater ,, inferret. ,, Eo loci perſtringit matrem quæ non ſine auſu temerario puellam, quæ Gentilibus ſacrificiis a nutrice initiata fuerat, ad Eccleſiam poſtea, Sacerdote ſacrificante, adduxerat; Rurſus ibidem: " Et alius qui & ipſe maculatus, ,, ſacrificio a Sacerdote celebrato, par- ,, tem cum ceteris auſus eſt latenter ac- ,, cipere, ſanctum Domini edere, & con- ,, trectare non potuit. ,,

Tertullianus in calce libri de oratione ,, ait: " Accepto corpore Domini & re- ,, ſervato, utrumque ſalvum eſt, & parti- ,, cipatio Sacrificii, & executio officii. ,,

Ex 4. Sæculo; Optatus Milevitanus eamdem prædicat veritatem ſub finem libri 3. ubi debellat Donatiſtas qui odio in Catholicos aſſerebant idololatriam eſſe, accipere ab iſtis Euchariſtiam: " Dice- ,, cebatur enim, *inquit*, illo tempore ven- ,, turos eſſe Paulum & Macarium, qui ,, intereſſent Sacrificio. ,, Et iterum L. 6. eoſdem inſectatur his verbis: " Quid ,, enim eſt tam ſacrilegum, quam Alta- ,, ria Dei, in quibus & vos aliquando ,, obtuliſtis, frangere &c. . ,,

Tum Ambroſius in Pſalmum 38. " Vidimus, *ait*, Principem Sacerdotum ad nos ,, venientem; vidimus & audivimus of- ,, ferentem pro nobis ſanguinem ſuum; ,, ſequemur, ut poſſumus, Sacerdotes; ut ,, offeramus pro populo Sacrificium, etſi ,, infirmi, merito tamen honorabiles Sa- ,, crificio; quia etſi nunc Chriſtus non ,, videtur offerre, tamen ipſe offertur in ,, terris, quando Chriſti corpus offer- ,, tur. ,,

Ex 5. Sæculo Hieronymus ſuum addit calculum Lib. 3. adverſus Pelagianos, ubi ita de Chriſto loquitur: " Sic docuit ,, Apoſtolos ſuos ut quotidie in corporis ,, illius Sacrificio credentes audeant lo- ,, qui; Pater noſter qui eſt in cœlis, ſan- ,, ctificetur nomen tuum, &c. ,, Ejuſdem meminit Sacrificii ad caput 46. Ezechielis; Lib. 1. contra Pelagianos; & Epiſt. 146. ad Damaſum Papam, & alibi.

Huic accedit Auguſtinus, qui idem prędicat L. 20. contra Fauſtum, c. 18. " Chriſtiani, *ait*, jam peracti ſacrificii ,, memoriam celebrant ſacroſancta obla- ,, tione, & partipatione corporis Chri- ,, ſti. ,, Rurſus ibidem dicit, ut habetur de conſec. diſt. 2. c. *Semel*: " Semel im- ,, molatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & ,, tamen quotidie immolatur in Sacra- ,, mento. ,,

Subſequentium Sæculorum Patres non minori zelo veritatem Sacrificii incruenti propugnant; in primis magnus ſanctus Leo Epiſt. 81. ad Dioſcorum Alexandrinum; Caſſianus Lib. 3. de inſtitutis Cœnobiorum; Fulgentius Lib. 2. ad Monimum cap. 6. hæc præclara de Sacrificio incruento profert: " Cur ſcilicet ſi omni ,, Trinitati ſacrificium offertur, ad ſa- ,, crificandum oblationis noſtræ munus, ſan- ,, cti Spiritus tantum miſſio poſtuletur; ,, quaſi vero, ut ita dicam, ipſe Pater ,, Deus a quo Spiritus ſanctus procedit, ,, Sacrificium ſibi oblatum ſanctificare non ,, poſſit? ,, Idem docet Gaudentius Brixianus ſermone 2. ad Neophytos; idem Cæſarius Arelatenſis Hom. 7. de Paſchate; idem Eligius Noviomenſis Epiſcopus Hom. 8. de Parabola filii prodigi; idem Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 1. de officiis Eccleſiaſticis cap. 18. idem Paſchaſius Radbertus L. de corpore & ſanguine Domini c. 5. idem quoque docent Ætherius & Beatus L. 1. adverſus Elipandum; idem denique Humbertus Epiſcopus Silvæ candidæ Lib. contra Nicætam Pectoratum.

Eadem traditio firmatur Conciliorum definitione.

INTER cetera duo ſeligimus, videlicet Florentinum & Tridentinum; illud inſtruit Armenos de Sacrificio Altaris; iſtud vero perſtringit Proteſtantes inani molimine Sacrificium incruentum exſufflare tentantes.

Florentinum ſic loquitur: " Tertium ,, eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus ,, materia eſt panis triticeus, & vinum ,, de vite, cui ante conſecrationem aqua ,, modiciſſima admiſceri debet..... quia ,, hoc convenit Dominicæ Paſſionis ræpre-

Digitized by Google

„ ſentationi ; inquit enim B. Alexander „ Papa V. a beato Petro; in Sacramentorum „ oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offerruntur, panis & vinum aqua permixtum offerri debet. „

Tridentinum Seſſ. 22. miram de Sacrificio incruento doctrinam novem complectitur & explicat capitibus ; deinde vero canone 1. ſic loquitur : *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.*

Canone 2. eoſdem Proteſtantes iterato percellit anathemate his verbis : *Si quis dixerit, illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes ; aut non ordinaſſe ; ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum ; anathema ſit.* Rurſus canone 3. *Si quis dixerit Miſſa ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium ; vel ſoli prodeſſe ſumenti ; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere : anathema ſit :* Denique can. 4. ait : *Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio in cruce peracto, per miſſa ſacrificium, aut illi per hoc derogari ; anathema ſit.*

§. IV.

Ex Liturgiis tum Orientalibus, tum Occidentalibus.

USUS Eccleſiæ antiquiſſimus de celebranda Miſſa irrefragabiliter probat eam eſſe verum & proprie dictum Sacrificium, cum nihil niſi novi & Calviniſtæ & Lutherani in celebranda cœna ſua habeant, & quorum ritus omnes ne quidem propter variationes ſibi cohærent ; econtra vero Liturgiæ Eccleſiæ tum Orientalis, tum Occidentalis : Atqui Liturgiæ præ ſe ferunt unanimem omnium Eccleſiarum in celebrando Sacrificio conſenſionem ita vetuſtam, ut ſit Apoſtolis coæva : Igitur Miſſa eſt vere & proprie Sacrificium, nemo enim cordatus dixerit Eccleſias omnes in ritu perenni de Miſſa celebranda conſentientes, erraviſſe : Probatur minor variis momentis.

Primo quidem : Nomine Liturgiæ, ſeu ut vocant Latini, Miſſæ, intelligitur ordo lectionum, precum ac cæremoniarum quæ in offerendo corporis & ſanguinis Domini Sacrificio incruento adhibentur ab Eccleſia ; quia vero hujuſmodi ordo multiplex eſt, non una quoque Liturgia ab omni ævo in variis Eccleſiis circumfertur. Quædam tribuuntur Apoſtolis ; quæ tametſi incertæ quoad Auctores, ſunt tamen pervetuſtæ, & eas ab Apoſtolis primum a Chriſto edoctis, deinde ad eorum Diſcipulos tranſmiſſas non obſcure indigitat ſanctus Juſtinus Martyr Apologia 2. ad Antoninum Pium his verbis : “ Credentem jam, & nobis adſcitum ad Fra„ tres qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi „ congregati ſunt ad communes preces & „ ſupplicationes, tum pro ſeipſis, tum „ pro baptizato & aliis ubique Gentium „ omnibus animo intento peragendas ... „ precibus finitis, mutuis nos invicem „ oſculis ſalutamus ; deinde ei qui Fra„ tribus præeſt, offertur panis & poculum „ aquæ & vini : quibus ille acceptis lau„ dem & gloriam, vero univerſorum „ Patri per nomen Filii & Spiritus ſancti „ offert, & Euchariſtiam ſive gratiarum „ actionem, pro eo quod nos donis hiſce „ ſuis dignatus ſit, prolixe exequitur ; „ atque ubi preces & gratiarum actiones „ abſolvit, populus qui adeſt omnis, fau„ ſta approbatione acclamat, dicens : „ *Amen*. Amen autem voce Hebræa *fiat*, „ ſignificat ; præſidens vero poſtquam „ gratiarum actionem perfecit, & populus „ univerſus apprecatione læta comproba„ vit, qui apud nos vocantur Diaconi „ atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique „ præſentium & ad abſentes perferunt. „ Quinque præcipuas Liturgiæ partes eo loci ſanctus Martyr diſtinguit, quarum prima in precibus, quæ pro Eccleſia & infidelium converſione fiebant, conſiſtit ; altera in pacis oſculo, tertia in oblatione panis & vini aqua temperati ; quarta in ejuſdem conſecratione, ultima in Euchariſtiæ communione.

Cauſa cadere Proteſtantes & ipſos Criticos conſtat, inquit Renaudotius tomo 4. perpetuitatis fidei Libro 4. de Liturgiis cap. 1. & hoc ex duplici potiſſimum capite : Primo quidem iſtæ Liturgiæ ſunt antiquiſſimæ, vel ipſi Græci quaſdam habere putant ex D. Jacobo ; quaſdam ex divo Marco ; & non refragantibus adver-

verſariis, multas ex ſanctis Chryſoſtomo & Baſilio. 2. Ipſi Neſtoriani tres habent, quæ eumdem referunt canonem eum canone Miſſæ Latinæ; eſt tamen nonnihil diſcrepantiæ levioris in eo quod canon in Liturgiis Orientalibus ante Præfationem recitetur, & pacis oſculum detur, in Eccleſia vero Latina, nonniſi peracta conſecratione, hæc fiunt.

Liturgiæ Orientales.

RENAUDOTIUS ibidem numerat unam ſupra quadraginta Liturgias Orientales; omnes fermes ſunt Syriacæ & Jacobitarum, ſi illam quæ divo Jacobo tribuitur, excipias, quæ quidem Græce legitur.

Jacobitæ Alexandriæ, Coptitæ vocati, tres habent ad ſuum uſum, quarum prima & quæ reliquarum norma eſt, Baſilii Magni dicitur; ſecunda Gregorii Theologi; Tertia Cyrilli Alexandrini; quartam nonnulli Auctores adjungunt B. Marco Evangeliſtæ attributam.

Renaudotius Tom. 1. Liturgiarum Orientalium, illas adamuſſim a primo ad ultimum refert, ſimiliter & tomo 2. maxime eam quæ D. Jacobi nomine inſignitur.

Ergo in Oriente inter Liturgias ea quæ S. Jacobi Apoſtoli nomine donatur celeberrima eſt: Deinde Liturgia S. Baſilii, tum S. Joannis Chryſoſtomi; de quibus Proclus Conſtantinopolitanus non multo poſt S. Chryſoſtomum Archiepiſcopus egregium profert teſtimonium. Excuſſæ ſunt omnes græce & latine. Prior erat in uſu Jeroſolymæ, ut colligitur ex S. Cyrilli Jeroſol. Catecheſibus myſtagogicis, ubi vulgatam S. Jacobi Liturgiam aliquoties deſcribere videtur: quæ cauſa forſan extitit, ut illi quamvis falſo, ut multi putant, attriboeretur. Duæ poſteriores apud Græcos frequentiores fuere, maxime vero illa quæ eſt divi Chryſoſtomi, quæque per totum fere annum recitatur. De utraque ſermonem facit Typicum Græcorum, & ordo Monaſterii Caculorum apud Allatium.

Liturgiæ Occidentales.

IN Occidente quatuor potiſſimum inter alias Liturgias primatum obtinuere: videlicet Romana, Ambroſiana, Gallicana, Hiſpanica ſeu Mozarabica. Romana auctorem habuit B. Petrum, ut autumant auctores omni exceptione majores, quæque ab ejus ſucceſſoribus decurſu temporum incrementum ſuſcepit. Altera ab Ambroſio profluxit, ut ſcribit Walafridus Strabo libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. & ad hæc uſque tempora eſt in uſu Mediolani; attamen cum aliquibus immutationibus. Gallicana multiplex fuit, ſed licet orationes & preces quandoque diverſæ ſint, idem tamen & precum & cæremoniarum perſeverat ordo, ut videre eſt in tribus a Thomaſio editis, & in quarta a Mabilonio juris publici facta Tom. 1. Muſæi Italici. In his omnibus ſicut & in Miſſa Gregorii Magni, quæ habetur in ejus ſacramentario idem eſt canon, eadem tum panis tum vini forma. Canonem ſic concinnatum Ritualia Launoji quæ aſſervantur in Bibliotheca Minimorum Pariſienſium, referunt cum plurimis Miſſis & de Myſteriis Chriſti & de beatiſſima Virgine, ſicut & de Sanctis. Mozarabica denique tribuitur S. Iſidoro Hiſpalenſi; eam tamen ampliavit ſanctus Leander B. Iſidori Frater & in Epiſcopatu ſucceſſor. Hanc eamdem tribuit Julianus Toletanus ad librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Hildephonſo Toletano, qui creditur auctor libri, cujus appendicem compoſuit Julianus. Hæc Liturgia perſeveravit in Hiſpania ad S. Gregorii Papæ uſque tempora, cujus auctoritate abrogari cœpit, cum tamen deſiiſſet in Regno Arragoniæ ſub Alexandro II. ſed extinctam exſuſcitavit Franciſcus Ximenes Cardinalis.

Doctiſſimus Morinus de ſacris Ordinationibus parte 2. pag. 261. Edit. Pariſ. ann. 1655. laudat codicem manuſcriptum ante annum 560. optimæ notæ varias complectentem Miſſas. De illo hæc ſcribit:

“ In Bibliotheca viri ampliſſimi D. Bitavii Senatoris Parlamenti Pariſienſis integerrimi codex eſt, omnium codicum ritualium quos nobis videre contigit, antiquiſſimus. Accurate admodum ſcriptus, litteris uncialibus majoribus, bene quadratis, & ſplendide efformatis. In gratiam Eccleſiæ Pictavienſis videtur olim adſcriptus: Nullius enim ſancti præter Hilarii Miſſam ſpecialiter continet, ipſius nomine in orationibus, in Præfatione, & infra actionem, expreſſo; ceteræ communes ſunt. In Memento quoque poſt Coſmam & Damianum, Hi-

„ larii

„ larii fit memoria, & Martini. Codi-
„ cem illum Gallicum fuiſſe dubitari non
„ poteſt, cum in Miſſa pro Regibus Fran
„ corum, & in Orationibus Imperium Ro-
„ manum numquam commemoretur, ſed
„ perpetuo Deus in eo pro Regni Fran-
„ cici proſperitate exoretur. Itaque mi-
„ hi videtur codex ille poſt annum 512.
„ ſed ante annum 560. in Gallia ſcri-
„ ptus, Galliſque nondum in unum popu-
„ lum cum Franciſcis convaleſcentibus.„

Illyricus, tametſi Lutheranus, teſtimonium reddit Miſſæ Romanæ, dum unam refert, quæ circa VII. ſæculum in uſu erat. Cardinalis de Bona Lib. 2. de rebus Liturgicis eam integram refert, & hunc habet titulum in editione Illyrici: *Myſſa Latina; qua olim ante Romanam circa 700. Domini annum in uſu fuit bona fide ex vetuſtiſſimo authenticoque codice deſcripta.* Sed ſubjungit Cardinalis." Titulus men-
„ titur, eſt enim ipſamet Miſſa Romana
„ variis Orationibus interpolata.„

His accedunt varia tum Pontificalia, tum Miſſalia ex tota Europa, quæ fidem faciunt de Miſſa ut Sacrificium eſt, quæque aſſervantur in Bibliotheca Regia Gallicana, ut,

Pontificale Romanum anno 1485. Romæ editum.

Miſſale Ambroſianum ad uſum Eccleſiæ Mediolanenſis editum 1522.

Miſſale Conſtantienſe Aug. Vind. 1504.

Miſſale Moguntium, tum ex Manuſcriptis antiquis, tum ex Romano emendatum. Mognnt. Lippii 1602.

Miſſale Tornacenſe, editum an. 1509.

Miſſale ſecundum ordinem Eccleſiæ Spirenſis, Spiræ editum 1500.

Miſſa propriæ Sanctorum Suetiæ & Poloniæ Patronorum, editæ Antverp. 1670. & 1695.

Miſſale ad uſum Eccleſiæ Londinenſis, editum 1714.

Hic obſervandum venit iſtas & ſimiles Eccleſias non adinveniſſe hujuſmodi Miſſalia pro Sacrificio celebrando, nec diffitentur Proteſtantes, ſed ex uſu perantiquo retinuiſſe; quod quidem mirum in modum Sacrificii incruenti probat traditionem.

Neque vero omittenda eſt Miſſa præſanctificatorum, in qua non quidem conſecratur hoſtia, ſed conſecrata aſſervatur pro Sacrificio offerendo. Eam celebrant Latini ſemel tantum in anno, videlicet in die Paraſceves; Græci vero per totam Quadrageſſimam, ſi excipias diem Sabbati & Dominicæ, ſicut & Feriæ quintæ in cœna Domini, ſimiliter & Feſti Annuntiationis Beatæ Mariæ. Extat ea de re Concilii Trullani Canon 52. multus eſt de hac Miſſa ſermo apud Allatium Ep. ad Naudæum. Ejuſdem meminit Prudentius Trecenſis Epiſcopus in ſuo MS. Pontificali.

Primis temporibus ad Veſperam, Apoſtoli Chriſti inhærentes veſtigiis, Liturgiam celebrabant in domibus; ingraveſcente vero perſecutione, in cryptis & locis ſubterraneis; deinde reddita Eccleſiæ pace, in Baſilicis. Denique quædam publicæ & ſolemnes, quædam vero privatæ dicebantur. De his fuſe pertractat Domnus Martenne tomo 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus L. 1.

Ex Manuſcripto vetuſtiſſimo ante Divi Gregorii I. Papa tempora, a Gelaſio Papa editus Ritualis Liber, cui initium eſt, Denuntiata Statione, *quo ſimplex, pura, ſolemniſque ſacrificii Dominici, quod Miſſam dicunt, celebratio a Summo Pontifice fieri ſolita continetur Bibl. Regia.*

PRIMUM occurrit: " Miſſa ſeu Litur-
„ gia quæ dicitur *Cœna Dominica*, in qua
„ Dominus noſter Jeſu Chriſtus die Paſ-
„ cha, priuſquam pateretur, corpus &
„ ſanguinem ſuum ſub panis & vini ſpe-
„ ciebus Apoſtolis manducandum & bi-
„ bendum dedit, „ Diverſa ejus nomina juxta Patres celebrat illud opus. Ab Ignatio Epiſt. ad Epheſios, a Juſtino Apologia 2. ab Irenæo. L. 4. c. 32. a Clemente Alexandrino, ab Origene, a Cypriano, vocatur Miſſa Euchariſtia, a multis Miſſa, eo quod a Diacono populus remitteretur, maxime Catechumeni, Pœnitentes, & Energumeni. " Quare adhuc Gre-
„ gorii Papæ ætate, Diaconus.... poſt
„ Evangelii lectionem & expoſitionem,
„ alta voce pronuntiabat: Si quis non
„ communicat, exeat. „ Ex quibus liquet non communicantes expelli poſt Evangelium.

Tempore Juſtini de communione hæc habentur, ut legitur Apologia 2. " Qui
„ apud nos Diaconi dicuntur, dant uni-
„ cuique eorum qui adſunt, percipien-
„ dum panem, & vinum, & aquam,
„ quæ

„ quæ cum gratiarum actione conſecrata „ ſunt, & ad eos qui adſunt perſe- „ runt. „

Clemens Alexandrinus, qui florebat 2. ſæculo, L. 7. Strom. exhibet Miſſę ſacrificium verum. In codice Gelaſiano refertur ordo Proceſſionis ad Eccleſiam, ſive ad Miſſam, juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, a ſancto Gregorio Magno Papa reformatum.

Romanus ordo, qualiter celebrandum, ſit officium Miſſæ circa tempora Caroli Magni in Romana Eccleſia uſurpatus.

Ordo Romanus tertius ex duobus ſupra relatis concinnatus, de officio Miſſæ in Romana Eccleſia ante octingentos annos ſervari ſolitus, & alii.

Miſſale Eccleſiæ Lyrinenſis quingentorum circiter annorum.

Varias refert Miſſas, Canonem vero noſtro ſmilem, maxime in conſecratione panis & vini.

Ex Miſſali Mozarabico manuſcripto, in Abbatia ſanctæ Genovefæ aſſervato.

Opus illud cępit floreſcere ſexto circiter ſæculo, tempore divi Iſidori; cum enim Mauri occupaſſent Hiſpaniam ſexto circiter ſęculo, illarum regionum populi neceſſitate compulſi, Dominatorum linguam callere ſtuduerunt; hinc & officium Eccleſiaſticum lingua Mozarabica conſcriptum legitur. Ex qua quidem antiquitate irrefragabile habemus argumentum adverſus Proteſtantes, & pro cultu Sanctorum, & pro realitate corporis Chriſti, & pro ſacrificio Miſſæ; quarum omnium traditio ſicut antiqua ad nos uſque pervenit, opera Cardinalis Ximenes; ita & Apoſtolica fuit, quippe quæ & ab Apoſtolis, & ab Apoſtolorum Diſcipulis acceptam ſervaverint Hiſpaniarum Eccleſiæ. Ex quo liquet non niſi novitatis, adeoque erroris atque mendacii ſętus eſſe impia dogmata Proteſtantium, qui per fas & nefas abnegant Sanctis cultum & honorem, Sacrificium Miſſæ, & quod pejus eſt, vel ipſam corporis Chriſti realem in ſacra Euchariſtia præſentiam.

Præter Miſſale magni folii, in quo variæ continentur Miſſæ, in eadem Bibliotheca Breviarium Mozarabicum ſimilis folii eſt, in quo quidem officia Myſteriorum &, diverſorum Sanctorum leguntur. Ibi etiam reperiuntur Octavæ ſancti Stephani Proto-Martyris, S. Joannis Evangeliſtæ, & ſanctorum Innocentium.

Inſtar plurium Miſſarum quæ in Miſſali Mozarabico continentur, ſit:

Miſſa in die Adventus.

Introitus. *Ecce ſuper montes pedes Evangelizantium pacem, Alleluja &c.* Oratio &c.

Epiſtola Iſaiæ Prophetæ, quæ ſic incipit: *Ecce dominator Dominus &c.*

Evangelium ſecundum Lucam caput 3. *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris &c.*

Fit Offertorium eo prope modo quo nunc: deinde ſequitur Præfatio.

Canon Miſſæ.

Post *Sanctus*, habetur: *Vere ſanctus & glorioſus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus, quem olim credimus incarnatum fuiſſe pro ſalute humani generis, & nunc expectamus ad judicium venturum in gloria claritatis cum omnibus Sanctis: ipſe Dominus ac Redemptor æternus.*

Deinde immediate hæc leguntur: *Adeſto, adeſto, Jeſu bone Pontifex, in medio noſtri, ſicut fuiſti in medio Diſcipulorum tuorum: ſanctifica hanc oblationem, ut ſanctificata ſumamus per manus ſancti Angeli tui, ſancte Domine, ac redemptor æterne, Dominus noſter Jeſus Chriſtus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate,* HOC EST CORPUS MEUM: *Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquam cœnavit, dicens:* HIC EST CALIX NOVI TESTAMENTI IN MEO SANGUINE, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM: *Quotieſcumque biberitis, hoc facite in meam commemorationem.*

Ibi neque Memento habetur ſive ante, ſive poſt conſecrationem, neque utique Commemorationes Sanctorum & Sanctarum, ſicut in noſtro Canone leguntur.

Immediate ante fractionem panis, Sacerdos paululum elevat Hoſtiam, ut poſſit a popu-

a populo conſpici : interea Chorus cantat ſymbolum : *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem &c.* Deinde frangitur panis ; dicitur Oratio ſine Amen ; tum & recitatur *Pater noſter* : fit Communio, qua facta, multæ recitantur Orationes.

Peractis Orationibus, Sacerdos vel Diaconus alta voce dicit : *Solemnia completa ſunt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti : votum noſtrum ſit acceptum cum pace. Deo gratias.*

Oſtenditur veteres Liturgias Græcas & Orientales cum Latinis convenire in ſubſtantia.

RENAUDOTIUS Tom. 1. Liturg. cap. 7. adverſus Calviniſtas obſtrepentes contra Liturgiarum antiquitatem, hæc de iſto momento ſcribit : “ Nemo tamen criticorum illorum aut probavit, aut probare aggreſſus eſt, Græcas Liturgias Jacobi, Marci, Baſilii & Chryſoſtomi, ab antiquiſſimis auctoribus uſurpatas, non fuiſſe Jeroſolymis, Alexandriæ, in tota Græcia & Aſia, neque de illa quæſtionis parte, quæ momenti maximi eſt, videntur cogitaſſe. „

Proteſtantes ad ſeptimum ſæculum & octavum initium Liturgiarum ponunt : ſed abſque fundamento, ait laudatus auctor pag. 52. “ Indubitatum eſt Græcas, de quibus ſupra diximus, Liturgias, jam quarto ſæculo, in tota Orientali Eccleſia, ut aliarum ne memoria quidem ſit, ab omnibus Chriſtianis tamquam Apoſtolicam & Evangelicam celebrandæ Euchariſtiæ formam continentes, fuiſſe receptas. Idem de Copticis & Syriacis ſtatuendum eſt, quarum uſus æque certus ... eadem apud Græcos, Syros & Coptitas de earum antiquitate traditio &c. „

Liturgia S. Marci Evangeliſtæ.

PRIMO : Tredecim leguntur eximiæ orationes uſque ad Præfationem : Tum hæc ſequuntur. Sacerdos. *Quia ipſe Dominus & Deus, & ſummus Rex noſter Jeſus Chriſtus nocte qua tradebat ſeipſum pro peccatis noſtris, & mortem pro omnibus ſubibat cæne, recumbens cum ſanctis Diſcipulis & Apoſtolis, accepit panem in ſanctas & immaculatas & inculpatas manus ſuas, ſuſpiciens in cælum ad te Patrem ſuum, Deumque noſtrum, & Deum univerſorum, gratias egit, benedixit, ſanctificavit, fregit, deditque ſanctis & beatis Diſcipulis ſuis & Apoſtolis, dicens, Accipite, comedite.* Diaconus. *Attendite.* Sacerdos elata voce. HOC EST ENIM CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS FRANGITUR ET DISTRIBUITUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. Pop. *Amen.* Sacerd. *Similiter & calicem poſtquam cænavit accipiens, miſcenſque vino & aqua, ſuſpiciens in cælum ad te Patrem ſuum, Deumque noſtrum, & Deum univerſorum, gratias egit, benedixit, ſanctificavit, implevit Spiritu ſancto, & tradidit ſanctis & beatis Diſcipulis ſuis & Apoſtolis, dicens, elata voce, bibite ex eo omnes. Denuo impenſius orate.* Sacerd. elata voce. HIC ENIM EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, QUI PRO VOBIS ET MULTIS EFFUNDITUR ET DISTRIBUITUR IN REMISSIONEM PECCATORUM : AMEN. Subdit Sacerdos. HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem meam annuntiabitis, & Reſurrectionem meam, & Aſcenſionem confitebimini, donec veniam.*

2. *Tum* recitantur a Sacerdote quatuor orationes elata voce. Sub finem ſecundæ dicitur, *Pater noſter qui es in cælis.* Sub finem vero quartæ, Sacerdos elata voce ait, SANCTA SANCTIS. Populus vero. *Unus Pater ſanctus : unus Filius, ſanctus : Unus Spiritus, Sanctus : in unitate Spiritus ſancti. Amen.*

3. *Sacerdos* dicit orationem gratiarum actionis, *Gratias agimus tibi &c.*

4. Diaconus. *Ite in pace.* Pop. *In nomine Domini.*

5. Sacerdos : *Caritas Dei & Patris, gratia Filii Dominique noſtri Jeſu Chriſti, communicatio & donum ſanctiſſimi Spiritus ſit cum omnibus nobis, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.* Populus : *Amen.* Demum Sacerdos unam adhuc fundit Orationem : *Dediſti nobis Domine, ſanctificationem in participatione ſanctiſſimi corporis & pretioſi ſanguinis Unigeniti Filii tui : da nobis gratiam & donum ſanctiſſimi Spiritus &c.*

Re-

Renaudotius hæc pro genuinitate hujuſce Liturgiæ refert.

Joanni a S. Andrea Eccleſiæ Pariſienſis Canonico.

G. SIRLETUS Card. S.

Cum ex litteris tuis ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum meum Cardinalem Senonenſem, cognoviſſem te ſancti Marci Evangeliſtæ Liturgiam vehementer cupere, dedi operam ut ex vetuſtiſſimo codice Monaſterii S. Mariæ ὁδηγητρίας*, quod Roſſani apud Calabros ſub inſtituto S. Baſilii regitur, deſcriberetur &c.*

Liturgia ſancti Baſilii ex Coptico converſa.

PRIMO, Oratio præparationis: *Domine qui noſti corda &c.*

2. Oratio poſtquam præparatum fuerit Altare: *Tu Domine docuiſti &c.*

3. Oratio gratiarum actionis: *Gratias agamus &c.*

4. Oratio oblationis ſeu propoſitionis panis & calicis: *Domine Jeſu Chriſte &c.*

5. Oratio abſolutionis ad Filium: *Domine Jeſu Chriſte &c.*

6. Oratio thuris: *Deus æternus &c.*

7. Oratio poſt Apoſtoli & Paulinæ Epiſtolæ lectionem: *Domine ſcientiæ &c.*

8. Oratio poſt Catholicon: *Domine Deus &c.*

9. Oratio Actuum Apoſtolorum: *Deus qui ſuſcepiſti &c.*

10. Oratio Evangelii ſancti: *Domine & Magiſter &c.*

11. Oratio poſt Evangelium ſecreto dicenda: *Longanimis &c.*

12. Oratio veli: *Deus qui tua &c.*

13. Oratio pro pace: *Iterum oremus Deum &c.*

14. Oratio pro Congregatione: *Iterum etiam oremus te &c.*

15. Oratio pro Eccleſia, quam hoc loco recitabit Sacerdos jejunii diebus: *Cultum idolorum &c.*

16. Oratio oſculi ad Patrem: *Deus magne &c.*

17. Oratio alia oſculi pacis: *Superans omnem &c.*

18. Oratio pacis Jacobi Apoſtoli: *Deus omnium &c.*

19. Anaphora ſancti Baſilii, ſeu Præfatio. Diaconus, *Accedite, adſtate, o viri, cum tremore, & ad Orientem aſpicite. Attendamus.* Populus, *Miſericordia, pax & ſacrificium laudis.* Sacerdos, *Dominus vobiſcum.* Populus, *Et cum ſpiritu tuo.* Sacerdos, *Surſum levate corda veſtra.* Populus, *Habemus ad Dominum.* Sacerdos, *Gratias agamus Deo.* Populus, *Dignum & juſtum eſt.* Sacerdos, *Dignum & juſtum &c.* Diaconus, *Qui ſedetis, ſurgite.* Sacerdos, *Circa quem conſiſtunt Angeli & Archangeli, Principatus & Poteſtates, &c.* Populus, *Sanctus, ſanctus, ſanctus &c.*

20. CANON. Sacerdos, *Sanctus, ſanctus, ſanctus es vere, Domine Deus noſter, qui formaſti nos.* Sacerdos, *Et fregit eum, deditque ſanctis Diſcipulis & Apoſtolis ſuis, dicens: Accipite, manducate ex hoc omnes:* HOC EST ENIM CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS FRANGITUR, ET PRO MULTIS DATUR IN REMISSIONEM PECCATORUM: HOC FACITE IN MEI MEMORIAM. Populus, *Amen.* Sacerdos, *Similiter etiam calicem poſt cœnam aqua & vino miſcuit, gratias egit.* Populus, *Amen.* Sacerdos, *Benedixit eum.* Populus, *Amen.* Sacerdos, *Sanctificavit eum.* Populus, *Amen.* Sacerdos, *Guſtavit & dedit Diſcipulis ſuis & Apoſtolis ſanctis dicens: Accipite, bibite ex eo omnes:* HIC EST ENIM SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI QUI EFFUNDITUR PRO VOBIS ET PRO MULTIS IN REMISSIONEM PECCATORUM: HOC FACITE IN MEI MEMORIAM *&c.* His & multis alii expletis, multiplex fit memoria Sanctorum, & Memento, videlicet pro vivis & mortuis &c.

21. Oratio fractionis ad Patrem: *Domine, Deus noſter, magne, æterne, &c.*

22. Oratio fractionis alia Baſilii: *Deus parens lucis &c.*

23. Oratio fractionis alia Joannis Cryſoſtomi: *Dediſti nobis gratiam &c.*

24. Sacerdos dicit Orationem inclinationis ad Patrem: *Superabundavit gratia &c.*

25. Oratio abſolutionis ad Patrem: *Domine, Domine Deus &c.*

26. Sacerdos meminit vivorum & mortuorum, *Memento Domine.* Tum accipiet Sacerdos tertiam partem in qua erat Deſpoticon, dividetque in tres partes; quod ſi fuerint magnæ, franget eas in diſco,

diſco, & tres partes manui dextræ imponet, quam retinebit elevatam; lævam vero intra diſcum, & dicet: *Corpus ſanctum & ſanguis pretioſus, purus, verus, Jeſu Chriſti Filii Dei noſtri. Amen.*

27. Oratio gratiarum actionis poſt communionem: *Ora noſtra repleta ſunt gaudio &c.*

28. Oratio inclinationis poſt Communionem: *Servi tui, domine &c.*

29. Sacerdos dicet benedictionem: *O Domine &c.*

Liturgia ſancti Gregorii ex Coptico converſa.

PRIMO: Oratio veli: *Domine Deus omnipotens &c.*

2. Oratio oſculi pacis: *Æterne Fili &c.*

3. Alia oratio ad Filium, &c.

4. Præfatio. *Charitas Dei Patris, gratia Filii Unigeniti Domini Dei & Salvatoris Jeſu Chriſti & communicatio & donum Spiritus ſancti, ſit cum omnibus vobis.* Populus. *Et cum ſpiritu tuo.* Sacerd. *Surſum corda &c. ſanctus, ſanctus, ſanctus.*

5. *Canon.* Multæ funduntur ibi preces quibus populus reſpondet. Sacerdos, *Et ſuſpexiſti in cælum ad Patrem tuum Deum, ac Dominum omnium, & gratias egiſti.* Populus, *Amen.* Sacerdos, *Et benedixiſti illum.* Populus, *Amen. Et ſanctificaſti illum.* Pop. *Amen.* Sac. *Et fregiſti illum, & dediſti illum tuis glorioſis Diſcipulis ſanctis, & Apoſtolis puris dicens: accipite, manducate ex eo omnes.* HOC EST ENIM CORPUS MEUM QUOD FRANGITUR PRO VOBIS, ET PRO MULTIS DABITUR IN REMISSIONEM PECCATORUM: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. Pop. *Ita eſt, in rei veritate. Amen* Sac. *Similiter poſtquam comederunt, accepiſti calicem, & miſcuiſti eum ex fructu vitis & aqua; & gratias egiſti.* Pop. *Amen.* Sacerd. *Et benedixiſti illum.* Pop. *Amen.* Sacer. *Et ſanctificaſti illum* Pop. *Amen.* Sacerd. *Et guſtaſti, & dediſti illum tuis glorioſis Diſcipulis ſanctis & Apoſtolis puris dicens: Accipite, bibite ex eo omnes.* HIC EST ENIM SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, QUI EFFUNDITUR PRO VOBIS, ET PRO MULTIS DATUR IN REMISSIONEM PECCATORUM: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. Pop. *Ita quoque eſt in rei veritate.* Tum multiplex. *Memento.*

In Liturgia ſacti Gregor. Alexand. tom. 1. Litur. pag. 111. *Memento Domine eorum qui dudum obierunt ſanctorum Patrum noſtrorum; Orthodoxorum Epiſcoporum, & omnium qui a ſæculo tibi placuerunt; Sanctorum Patrum, Patriarcharum, Apoſtolorum, Prophetarum, Prædicatorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, omniſque ſpiritus juſti, in fide Chriſti conſummati. Præcipue ſanctiſſimæ, glorioſiſſimæ, immaculatæ, & benedictionibus cumulatæ, Dominæ noſtræ, Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ . . . . Eorumque quorum hodie memoriam facimus, & omnis Chorus Sanctorum tuorum, quorum precibus & interceſſionibus miſerere noſtri.* Non petit requiem pro eis, ſed pro ſubſequentibus. *Memento Domine eorum qui pridem obdormierunt in orthodoxa fide, patrum & fratrum noſtrorum, & fac animas eorum requieſcere, &c.*

6. Oratio fractionis ad Filium *Benedictus es Chriſte Deus &c.*

7. Oratio poſt Pater noſter. *Etiam Domine, &c*

8. Sacerdos dicit confeſſionem *Corpus Sanctum & ſanguis pretioſus Jeſu Chriſti Filii Dei noſtri. Amen.* Populus, *Amen. Sanctum & pretioſum corpus, & ſanguis verus Jeſu Chriſti Filii Dei noſtri. Amen. Corpus & ſanguis Emanuelis Dei noſtri, hoc eſt in rei veritate. Amen.*

9. Oratio gratiarum actionis poſt Communionem: *Gratias agimus tibi &c.*

10. Oratio inclinationis poſt Communionem. *Qui eſt & fuit &c.*

11. Alia oratio gratiarum actionis *Gratias agimus tibi Pater &c.*

Liturgia S. Cyrilli ex Coptico converſa.

PRIMO: Sacerdos ſecreto dicit, *Creator rerum omnium.*

2. Oratio pacis ſancti Cyrilli. *Auctor vitæ & Rex ſæculorum, &c.*

3. Oratio oſculi pacis ad Patrem.

4. Aoaphora ſaocti Cyrilli. Sacerdos, *Dominus vobiſcum.* Populus, *Et cum ſpiritu tuo.* Sacerdos, *Surſum corda &c.*

5. Sacerdos orat pro patribus & fratribus peregre profectis: pro Rege terræ, pro fructibus & aere cœli ut omnia cedant in bonum Juſtorum: pro Epiſcopis, &c. Tum multiplex *Memento*: Deinde, *Sanctus, ſanctus, ſanctus.*

6.

6. CANON. *Sacerdos accepit panem in manus ſuas ..... fregit illum, & dedit illum ſuis Diſcipulis ſanctis & Apoſtolis pueris dicens: Accipite, manducate ex eo vos omnes.* HOC EST CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS FRANGITUR ET PRO MULTIS TRADETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM; HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. Populus, *Amen*. Sacerdos, *Similiter & calicem poſt cœnam, miſcuit vino & aqua: Et gratias egit ... Et guſtavit, dediſque eum ſuis præclaris, ſanctis Diſcipulis, & Apoſtolis dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes:* HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, QUI PRO VOBIS EFFUNDITUR, ET PRO MULTIS DABITUR IN REMISSIONEM PECCATORUM: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, &c.

7. Oratio fractionis ad Patrem: Oratio poſt Pater: Oratio inclinationis ad Patrem: Oratio gratiarum actionis &c.

Jam ſequitur iſtud inſuperabile argumentum pro Sacrificio Miſſæ aſtruendo.

ILLUD eſt Sacrificium proprie dictum, quod inconcuſſa Liturgiarum traditio annuntiat. Atqui Miſſam eſſe verum novæ legis Sacrificium omnes ab ipſo vagiente Chriſtianiſmo Liturgiæ conclamant. Ergo &c. Probatur minor: Liturgiæ ſunt ſacrificii celebrandi ritus; hinc ſi ab omni ævo fuerint Liturgiæ, ab omni etiam ætate Miſſa fuit Sacrificium. Jam ab enumeratione partium ſic procedit argumentatio.

Ex primo ſæculo, Liturgia ſancti Jacobi fratris Domini; ex ſecundo, Liturgia S. Dionyſii Athenarum Epiſcopi, apud Renaudotium tomo 2. Liturg. Ex tertio, Liturgia ſancti Xiſti Papæ Martyris, ibidem. Ex quarto, Liturgia ſancti Cyrilli Jeroſolymitani & Ambroſiana. Ex quinto, Liturgiæ S. Baſilii & Chryſoſtomi. Ex ſexto, Liturgia Mozarabica. Ex ſeptimo, Liturgia ab Illirico ex vetuſtis Manuſcriptis collecta. Mitto alias permultas quæ a Renaudotio tom. 2. Liturg. referuntur. Igitur Miſſa eſt proprie dictum Sacrificium, nec ſine magna impietate a Proteſtantibus exſufflata eſt.

§. V.

Ex rationibus Theologicis, maxime Divi Thomæ.

PRIMA ſic exponitur: In omni lege debet eſſe Sacrificium, cum homo in quocumque ſtatu ſupremum Dei dominium agnoſcere debeat, quippe qui a Deo per omnia dependeat. Sed in nova lege nullum aliud præter Miſſam aſſignari poteſt. Igitur Miſſa eſt verum & proprie dictum ſacrificium. Major eſt divi Auguſtini, & ſancti Thomæ: Divi quidem Auguſtini, qui Lib. 19. contra Fauſtum ait: " In nullum nomen religionis, ſive " verum, ſive falſum, coadunari homi- " nes poſſe, niſi aliquo ſacrificiorum & " ſacramentorum viſibilium conſortio col- " ligantur, " Sancti vero Thomæ, qui 2. 2. q. 85. art. 1. docet ſacrificium eſſe de jure naturæ: quod autem eſt de lege naturæ, non convellitur, ſed potius aſtruitur per legem gratiæ. Eamdem confirmat veritatem 3. part. q. 61. art. 2. ubi docet quod vel ipſo Adamo etiam non peccante, non quidem ſacramenta quæ ſunt in ægritudinis remedium, ſed ſacrificia tunc fuiſſent ad colendum Deum. Minor in qua nonnulla obrepit difficultas, ſic probatur.

Primo quidem ex ſanctis Patribus relatis dicentibus Chriſtum in Euchariſtia & offerri & immolari per modum victimæ; quæ quidem rationes Sacrificium proprie dictum ſubindigitant.

Secundo, Ex ritu conſecrationis Altarium; namque Altare non niſi pro Sacrificio erigitur. Porro hujuſce conſecrationis meminit Dionyſius Areopagita cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & de ea mentio fit Canone 3. & 4. Apoſtolorum. Eamdem Altarium conſecrationem commemorat Tertullianus Lib. de Pœnitentia, ubi inter alia ſigna humilitatis pœnitentium, eos dicit Presbyteri pedibus advolvi, & aris Dei aggeniculari. Item Cyprianus L. 1. Epiſt. 9. Ambroſius L. 5. Epiſt. 33. Gregorius Nazianzenus Oratione in Gorgoniam. Sed non omittendi Optatus Milevitanus & Chryſoſtomus. Prior Lib. contra Parmenianum ſic loquitur: " Quid eſt tam ſacrilegum, quam altaria " Dei, in quibus aliquando & vos obtu- " liſtis

„ liſtis frangere? „ Alterum vero homil. 53. “ Si quis, *inquit*, vellet hoc altare „ ſubruere, nonne illum lapidibus obrue- „ retis? „ Mitto Auguſtinum, qui L. 8. de civitate Dei c. ult. & l. 22. c. 8. idem docet.

Tertio, Non eſt Sacerdos ſine ſacrificio, iſto quippe inſignitur nomine, eo quod ſacrificium Deo offerat, ut illa adimpleatur Prophetia de Chriſto pronunciata Pſalmo 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Quod quidem oraculum non niſi in Miſſa adimpletur: Sed perilluſtres novæ legis Miniſtri rite vocantur Sacerdotes; & probatur ex ſanctis Patribus. Sic pronunciant Cyprianus in ſingulis ferme Epiſtolis: Tertullianus Libro de præſcriptione & de velandis Virginibus. Omnium inſtar ſit Gaudentius qui tractatu 2. de Exodo ita loquitur: “ Domiuus Diſcipulis fidelibus „ mandat, quos primos Eccleſiæ ſuæ „ conſtituit Sacerdotes, ut indeſinenter „ iſta vitæ æternæ Myſteria exercerent, „ quæ neceſſe eſt a cunctis Sacerdotibus „ per ſingulas totius orbis Eccleſias cele- „ brari. „

Altera ratio ita proponitur: Quod Chriſtus Dominus voluit in ſui commemorationem fieri, citra impietatem abnegari nequit: ſed inſtituit Euchariſtiam per modum Sacrificii, & hoc ſane in memoriam ſuæ Paſſionis, eamdem uſque ad ſæculi conſummationem voluit offerri: Ergo &c. Probatur minor; ubi enim ſiſtitur & deſtituitur victima, ibi dubioprocul adeſt verum & proprie dictum Sacrificium: quod autem in Euchariſtia ſiſtatur victima, patet eo quod Chriſtus ex pane corpus ſuum, ex vino vero ſuum ſanguinem fecerit: nunc autem probatur quod in Euchariſtia deſtruatur ſufficienter victima: namque panem ſeparatim a vino conſecravit: quæ quidem ſeparatio licet myſtica, ſufficit ad Sacrificii incruenti eſſentiam. Denique idem ſacrificium voluit a Sacerdotibus veluti a Miniſtris in perpetuum fieri, ſiquidem ad hoc præceptum poſuit, & non præteribit Luc. 22. ubi ait: *Hoc facite in meam commemorationem*.

Tertia ratio iſta argumentatione concluditur. Ideo Heterodoxi Miſſam a ratione veri Sacrificii explodunt, eo quod, ut autumant, unum ſit novæ legis Sacrificium, nimirum cruentum in altari crucis peractum, nec alterum abſque injuria addi; Sed hæc ratio nulla eſt; & probatur: Sacrificium commemorativum nobis applicat cruentum: Igitur nullam Sacrificio cruento facit injuriam: quinimmo, iniquitas mentitur ſibi, cum vel ipſi Proteſtantes abſque injuria aſſerant meritum Paſſiunis Chriſti ſicut per Baptiſmum, ita & per Cęnam nobis applicari.

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium.

OBJICIUNT: Apoſtolus Ep. ad Hebræos ait de Chriſto: *Una enim oblatione in ſempiternum conſummavit ſanctificatos*. Igitur non aliud ſacrificium præter cruentum admitti debet.

Reſpondeo diſtinguendo: Et iſta oblatio qua Chriſtus in ſempiternum conſummavit ſanctificatos debet ad conſummationem uſque ſæculi myſtice fieri, & nobis applicari, concedo: Et non debet fieri & applicari, nego. Chriſtus Dominus præcepit perpetuam fieri commemorationem de Sacrificio cruento, ejuſque meritum nobis applicari per Sacrificium incruentum; ſic enim Apoſtolos, quos ſui Sacerdotii inſtituit ſucceſſores, alloquitur Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Et Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Sic etiam meritum Paſſionis applicari voluit per bona opera, a fortiori vero per Sacrificium incruentum; quocirca retorqueo argumentum adverſus malignantes. Chriſtus oblatus eſt in Templo, & hujuſce oblationis meritum erat, nemine refragante, infiniti valoris: Ergo-ne Sacrificium crucis inutile? abſit dicere, immo & cogitare. Sicut ergo Chriſtus omnium actionum ſuarum merita voluit per Sacrificium crucis conſummari, ita & iſtius meritum per Sacrificium incruentum applicari conſtituit.

Inſtant: Apoſtolus ibidem cap. 7. hanc ponit diſcrepantiam inter Sacerdotium Aaron & Sacerdotium Chriſti, quo ille habuerit in Sacerdotio ſucceſſores, quia ſummus Pontifex morte prohibebatur ſemper permanere; e contra vero Chriſtus, inquit, ſempiternum habet Sacerdotium: Igitur ſecluſo Chriſto, qui ſemetipſum obtulit in ara crucis, non ſunt alii

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes, adeoque nec alia præter oblationem crucis Sacrificia.

Reſpondeo primo, retorquendo argumentum. Joannes de Chriſto cap. 1. ait: *Hic eſt qui baptizat*; & tamen hoc non obſtante, non diſſitentibus Heterodoxis, ceteri homines, ut Chriſti Miniſtri ubique baptizant; quid-ni & Sacerdotes hoſtiam in Altari etiam immolarent veluti Chriſti Miniſtri.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Et eo loci Apoſtolus unum dumtaxat intendit probare, ſcilicet Sacerdotes in nova lege eſſe ſolum Chriſti Miniſtros, concedo: & non eſſe veros & proprie dictos Sacerdotes, nego. In veteri lege Aaron erat ſummus Sacerdos, & a Deo immediate habebat ſacrificandi poteſtatem, in nova vero hanc excellentius Chriſtus a Patre recepit: idcirco Sacerdotes inferiores, illo mediante, eamdem ſibi ut Miniſtri vindicant poteſtatem; quamvis inter Miniſtros ſit gradus, & Papa dicatur ſummus & univerſalis Sacerdos reſpectu ceterorum: Epiſcopi magni vocentur Sacerdotes relative ad Presbyteros, at omnes ſunt Miniſtri comparative ad Chriſtum.

Urgent: Chriſtus non ſemetipſum obtulit cum ſacram confecit Euchariſtiam: neque enim ulla ſit ibi Sacrificii mentio: Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens; quamvis enim non fiat mentio ſacrificii in confectione Euchariſtiæ, realitas per ſe loquitur; & mentionem implicitam immo & tacite expreſſam indigitat. Hoc ipſum declarat Apoſtolus modo laudatus; hoc Patrum traditio: hoc definitio Conciliorum, hoc denique totius Eccleſiæ conſenſus.

Ceterum, nihil prohibet Euchariſtiam eſſe Sacramentum ſimul & ſacrificium ſub diverſo reſpectu; Sacramentum quidem, ut ſignum ſenſibile, Sacrificium vero ut Paſſionis Chriſti commemoratio.

Inſiſtunt; Implicat idem eſſe Sacrificium ſimul & Teſtamentum: Sed ex Evangeliſtis & Apoſtolo, Euchariſtia eſt Chriſti Teſtamentum: Ergo &c. Probatur major. Teſtamentum eſt hæreditatis promiſſio, Sacrificium vero alicujus boni poſſeſſi oblatio: Profecto Sacrificium eſſe teſtamentum nequit, alias hæreditas accepta redderetur teſtatori: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Ideo non poteſt eſſe teſtamentum & Sacrificium ſub eodem reſpectu, concedo: ſub diverſo, nego. Agnus Paſchalis in veteri lege erat ſimul & Sacramentum & Sacrificium, vel ipſis non diſſitentibus Heterodoxis: Sacramentum quidem, quatenus ſignum ſenſibile gratiæ per fidem in Chriſtum exhibendæ: Sacrificium vero quatenus immolabatur ad recognoſcendum ſupremum Dei Dominium, ejuſque in populum miſericordiam celebrandam, qua & ab Angelo exterminatore, & a captivitate Ægyptiaca liberati fuerant. Non abſimili modo Euchariſtia eſt Sacramentum exhibens Dei donum, ſcilicet gratiam, ſed & Sacrificium eſt, quod Majeſtas Dei colitur & adoratur, ſicque eſt ſimul donum & promiſſum: donum per gratiam exhibitam: promiſſum hæreditatis nimirum gloriæ, cujus teſte D. Thoma pignus in hoc Sacramento datur. Neque vero ullam faceſſit difficultatem, quod bona Dei in hoc ſacrificio ipſi Deo exhibeantur, cum cuncta noſtra ipſius ſint bona: hinc L. 1. Paralipomenon 29. legitur: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus reddimus tibi*. Quocirca Cæleſtinus Papa in ſua ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola, ait Domino: " Dum coronas opera noſtra, coronas opera tua. "

Reponunt: Apoſtolus Hebr. 7. repetit neceſſitatem Sacrificii cruenti ex inſufficientia ſacrificiorum veteris legis, & ſic loquitur: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adducit lex, &c.* Igitur præter Sacrificium cruentum non aliud in Miſſa exquirendum eſt; alias cruentum non videretur ſufficiens, quod eſt manifeſte contra Apoſtolum. Confirmatur cap. 8. aſſerit idem Paulus Chriſtum non fore dicendum Sacerdotem ſi eſſet in terra ſuperſtes: *Omnis enim*, inquit, *Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur: unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat, ſi ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos: cum eſſet qui offerrent ſecundum legem munera*. Igitur cum Chriſtus ſit in cęlis, implicat eſſe in terra Sacerdotes: quandoquidem teſte Apoſtolo Heb. 10. *Una enim oblatione in ſempiternum conſummavit ſanctificatos*. Si conſummavit, dubio-procul nihil ultra exquirendum.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Præter Sacrificium cruentum non aliud exquirendum eſt ad valorem & ſatisfactionem, concedo: ad applicationem, nego. Non enim obſtat merita Sacrificii cruenti nobis etiam applicari, tum per bona opera, tum per alia Sacramenta, cum in moralibus attendendum ſit ad voluntatem Legislatoris: Porro Chriſtus voluit ut Euchariſtia foret etiam Sacrificium, ut iſta adimpleretur Prophetia Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Sed quomodo Sacerdos in æternum, niſi ratione Sacrificii incruenti, quo renovatur commemorative uſque ad conſummationem ſæculi Sacrificium crucis?

Ad confirmationem diſtinguo: Si Chriſtus eſſet in terra, non foret Sacerdos ſecundum vicem Aaron, quippe qui eſſet de Tribu Juda oriundus, ut Apoſtolus obſervat ibidem c. 7. concedo: ſecundum Dei præceptum, ſubdiſtinguo: Non eſſet Sacerdos ſacrificii cruenti, nemo quippe ſeſe occidere debet, concedo: ſacrificii incruenti, nego: & de facto fuit in cœna Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Solutio eſt Apoſtoli ibidem cap. 7. his verbis: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus*. Quomodo vero fuerit unctus ab ipſo Patre unctione gratiæ ſubſtantialis, dicit Apoſtolus ibidem cap. 1. *Dilexiſti*, inquit, *juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis*.

Obſiſtunt: Si Miſſa eſt Sacrificium, maxime ut eſt memoriale ſacrificii cruenti: ſed hoc fieri nequit, cum memoria ſit de præterito, Euchariſtia vero ſit futuræ hæreditatis capeſcendæ ſignum demonſtrativum: ergo &c. Confirmatur: Euchariſtia eſt ſolum imago & typus Paſſionis: Sed implicat contradictionem vel ipſam ſacrificii imaginem, eſſe quoque ſacrificium: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Euchariſtia eſt memoriale & præteriti ſimul & futuri ſub diverſo reſpectu, concedo: ſub eodem, nego. Agnus Paſchalis erat proprie dictum ſacrificium, tametſi foret memoriale & præſentis liberationis a captivitate Ægyptiaca, quæ actu fiebat, & pro nepotibus memoriale liberationis tranſactæ: eadem prope ratione dicimus Euchariſtiam fuiſſe memoriale ſacrificii cruenti peragendi, quando Chriſtus illam celebravit: memoriale vero præteriti, ſcilicet Paſſionis peractæ pro noſtra omniumque ſalute; ſic juxta temporis diverſitatem diverſa ſignificat Euchariſtia, verum non præciſe ad ſignificationem, ſed ad realitatem ſpectandum eſt: Porro nemo Catholicus dixerit Euchariſtiam non eſſe Sacrificium incruentum, cum ſeparatim & corpus & ſanguis Chriſti ſiſtantur in altari; qua quidem myſtica ſeparatione deſignatur Sacrificium cruentum vel peragendum, ut tempore quo illam inſtituebat Chriſtus, vel peractum, ut ab ipſa ejus morte contigit.

Perſiſtunt: Deus rejicit ſacrificia; ſic enim loquitur Pſalmo 49. *Non accipiam de domo tua vitulos ..... immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua*. Igitur peracto Sacrificio cruento, ſola ſacrificia myſtica & mere ſpiritualia admittenda ſunt: hinc Patres non pauci prophetiam Malachiæ laudatam in ſenſu myſtico explicant: immo ipſe Chriſtus Joannis 4. mulierem Samaritanam erudiens de ſacrificio in poſterum offerendo, nonniſi de ſpirituali loquitur his verbis: *Mulier crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem, quia veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*. Eo loci adorare ſignificat ſacrificare: namque de ſacrificio non amplius offerendo aut in monte Garizim in quo Samaritani immolabant, aut Hieroſolymis, quæſtio erat.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus rejicit ſacrificia peccatorum qui ab iniquitatibus recedere nolunt, & quorum cor longe eſt ab illo, concedo: Sacrificium Chriſti in quo ſibi ſumme complacuit, nego. Nimis argumentum probat; inde enim ſequeretur vel ipſum crucis Sacrificium non fuiſſe offerendum: ne miremini autem ſi exigeret a Judæis cum victimis ſacrificium cordis contriti & humiliati: quod autem Propheta nonniſi de ſacrificiis, mala offerentium diſpoſitione inquinatis loquatur; ipſe eſt interpres ibidem his verbis: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum &c.*

Ad

Digitized by Google

Ad primam confirmationem, diſtinguo: Et Patres ſenſum myſticum ad formandos Fidelium mores explicando, non excludunt litteralem, concedo: excludunt, nego. Conſtat autem ex probationibus Prophetiam Malachiæ non alium ſubire ſenſum litteralem, niſi de Sacrificio incruento & proprie dicto, in Euchariſtia adimplendo.

Ad alteram confirmationem dico, verba Chriſti non excludere, ſed potius aſtruere Sacrificium incruentum, quod in immenſum ſuperat ſacrificia, tum Samariæ, tum Hieroſolymæ, eo quod ſit in veritate Sacrificium infiniti valoris factum in ſpiritu Dei, ſcilicet Verbi incarnati. Quid plura adjiciam? Chriſtus eo loci corrigit errorem & Samaritanorum & Judæorum, qui totam ſalutis ſpem ſpreto ſpiritu, in quibuſdam cæremoniis externis reponebant; laudat vero fidem populi venturi, ſcilicet Gentilium, qui ad eum converſi, charitate flagrantes, Patrem erant adoraturi.

Replicant: Si Miſſa eſſet Sacrificium, hoc probaretur maxime ex illo Apoſtoli oraculo: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Sed Proteſtantes contendunt Melchiſedech tunc temporis non obtuliſſe ſacrificium, ſed panem & vinum, ad reficiendos Abrahæ milites, qui defeſſi ex prælio redibant: Ergo &c.

Reſpondeo primo: Iſtam interpretationem eſſe prorſus Scripturæ ſacræ adverſam, quæ quidem ſubjungit: *Erat enim Sacerdos Altiſſimi*. Quæ vox *enim*, utpote cauſalis, denotat cur Melchiſedech obtulerit panem & vinum in ſacrificium: ejuſdem Sacerdotium iterum indicat Scriptura dicendo Melchiſedech benedixiſſe Abraham ad ſolos autem Sacerdotes ſpectat benedicere.

Reſpondeo ſecundo, inſtantiam adverſari ſanctis Patribus ſupra laudatis: immo & Rabinis celeberrimis, qui interpretantur verba Geneſeos de ſacrificio ſtricte ſumpto. Genebrardus rerum Judaicarum non ignarus, in chronologia verſus exordium tertiæ ætatis, de illis Magiſtris ſic loquitur: " Rabbi Moſes Haddarſan ad Berilith Rabba contendit Melchiſedech tunc Meſſiæ ritum incruentæ ſacrificationis aliquando introducturi, ſpeciem & perſonam inſtituiſſe: „ Rabbi Moſes & Salomon ordinarius „ Hebræorum Interpres exponens caput „ 16. Geneſis, & hiſtoriam Melchiſedech „ e veterum Rabinorum ſcriptis, docet „ protuliſſe Melchiſedech panem & vinum, ut Moſaicæ legis ſacrificia farinacea, & libamina repræſentaret: vult „ igitur iſte Rabinus, tunc Melchiſedech „ ſacrificaſſe. „

Dices: Aliæ verſiones loco *enim* modo citato *Et autem* ponunt: " Et ipſe erat Sacerdos, *vel* erat autem Sacerdos. „ Igitur *enim* non eſt particula cauſalis.

Reſpondeo diſtinguendo: Et iſtæ particulæ, *&*, *vel*, *autem*, non ſemel ſunt cauſales in Scriptura ſacra, concedo: & non ſunt, nego. Geneſis 20. Vulgata habet: *En morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum*: Hebraice ſic legitur: *Et ipſa habet virum*. Rurſus Geneſeos 30. legitur. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te*. Hebræorum vero habet. *Expertus ſum & benedixit mihi Dominus*: Ergo &c.

Demum Janſenius Gandavenſis exponens verba illa Lucæ 2. *Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui*. Subnotat, *Et*, idem eſſe ac *quia*. Hinc Pererius docet particulam cauſativam hebraicam (*vaü*) Latine, *Et*, ſæpius in hebræo uſurpari pro vocabulo *Enim*.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum adverſus authenticitatem Liturgiarum.

OBJICIUNT Proteſtantes: Diverſæ ſunt Liturgiæ orationes: Igitur vel ipſæ Liturgiæ ſuppoſititiæ ſunt.

Reſpondeo diſtinguendo: Et eadem eſt omnium ſententia, concedo: & diverſa eſt, ſubdiſtinguo: penes terminos & accidentaliter, concedo: penes eſſentiam, nego. Ita Renaud. Tom. 1. diſſ. 1. in lit. Orient. c. 2. pag. 14. " Quid enim tandem „ effecerunt ſupercilioſi iſti Critici, quia „ illas omnes exploſerunt, tamquam ſuppoſititias, recentes, & ſuperſtitioſas, „ niſi quod ſuam in rebus Eccleſiaſticis „ inſantiam prodiderunt. „

Inſtant 1. in Liturgia ſancti Jacobi græce conſcripta voces ὁμοούσιον & Θεοτόκον quæ in Nicæno & Epheſino Concilio promulgatæ ſunt, uſurpantur: Tum memoria fit Ordinum Eccleſiaſticorum, qui nondum erant, ut Confeſſorum, & Anachore-

choretarum, Triſagium recitatur. 2. Non abſimilibus innixi rationibus, Liturgias quoque DD. Petri & Marci explodunt: item & Æthyopum canonem, qui Matt. tribuitur. Ergo &c.

Reſpondeo, Riveti & aliorum adverſus Liturgias argumenta, unum tantummodo probare, decurſu temporum aliquid additum fuiſſe Canoni, cum in ſacris dyptichis fieret memoria Pontificum, Regum & Imperatorum; hinc graviter reprehenſus eſt Theodorus Patriarcha CP. quod nomen Papæ Vitaliani ex illis expunxiſſet. Illum, inquit Renaudotius hic diſſ. de Litur. orig. & auctoritate, Bellarminus & Baronius jam obſervaverant fieri poſſe a Jacobo ſcriptam fuiſſe Liturgiam, & receptam, cui ex communi uſu omnium Eccleſiarum, ſequentibus ſæculis quædam introducta ſunt. Neque vero Liturgias iſto modo immutatas negamus: ſicut & aliæ quæ divinum ſpectant officium: ſed in re & ſubſtantia pro veritate Euchariſtiæ concordari conſtat, ſi ſtylus earum probat genuinitatem: Addo & idem probare earumdem antiquitatem: abſurdum quippe eſt Liturgiarum ex Catecheſibus Cyrilli Jeroſol. initium ducere ab 8. ſæc. cum eas anteceſſerint: Et hoc juxta Syrorum judicium. Audiendus eſt de hoc momento Renaudotius Tom. 1. Lit. pag. 26. " Neque ſane aliter de eo judi-
" caverunt veteres Chriſtiani Syri, *ait*,
" cum Jacobi Liturgiam ſua lingua transſ-
" tulerunt, ſive formulæ illæ ſacrorum
" græce primo, ſive lingua Hieroſolymi-
" tana, quæ magnam affinitatem habet,
" ſcriptæ fuerint. Factam id fuiſſe ante
" ſchiſma Jacobitarum, hoc eſt ante Con-
" cilium Chalcedonenſe, vel eo ſolo pro-
" batur, quod orthodoxi Syri, non mi-
" nus quam Jacobitæ, eamdem Jacobi Li-
" turgiam ſervant modo; inter recentio-
" res multæ aliæ vigent, ſed eam ut præ-
" cipuam ſequuntur, veluti canonem ge-
" neralem. "

Incaſſum replicat Rivetus vocem Papæ reperiri in Liturgia ſancti Marci, quæ tunc temporis non erat in uſu: ſed hac voce Chriſtiani intelligunt Patriarcham Alexandrinum, qui hoc inſigniebatur nomine; adeoque vel ipſe ſanctus Marcus in Liturgia intelligitur, quod & innuit Liturgiæ contextus. Aliud objicit Rivetus leviſſimum, Marcum vocari Martyrem, ſed nomine Marci, Petri Diſcipulum Evangeliſtam intelligi, norunt in Lingua græca periti.

Objicit adverſus SS. Baſilii & Chryſoſtomi Liturgias levia, quæ vix indigent reſponſionibus. Numquid varietatem arguet, ſed fucum facit, cum ſolummodo accidentalis reperiatur. Eſto quod variæ ſint lectiones, unus tamen Euchariſtiæ conficiendæ ſcopus eſt, unaque veritas & reverentia. Nec eas a Græcis recentioribus compoſitas quiſquam dixerit, niſi ſe in Hiſtoria Eccleſiaſtica Orientali hoſpitem probaverit. Sic reſpondet Riveto ibidem Renaudotius pag. 29. his verbis: " Itaque ſi quidquam imperitiſſimo
" homini abſurditatis excidere poterat,
" illud eſt, quo miram ſuam Rivetus
" cenſuram concludit; Græcos has Li-
" turgias compoſuiſſe, & falſo attribuiſſe
" Chryſoſtomo & Baſilio. Nam Græcas
" Eccleſias illis ad Myſteria celebranda a
" multis ſæculis uſas eſſe, & porro uti,
" negari non poteſt: ſcripto igitur conſi-
" gnatæ ſunt, non privato alicujus, ſed
" publico conſilio, in quod fraus cadere
" nequaquam poteſt. Eam quæ Baſilii
" dicitur in Conſtantinopolitana Eccleſia
" celebrari ſtatis diebus non minus quam
" Chryſoſtomi, qui ignorat, alios docere
" non poteſt.

Replicat Rivetus: " At Carolus Calvus
" Imperator in quadam Epiſtola ad Ra-
" vennatem Eccleſiam, formulæ eius Miſ-
" ſæ mentionem faciens, quæ in Conſtan-
" tinopolitana Eccleſia uſurpata ſit, eam
" Baſilii non Chryſoſtomi fuiſſe aperte di-
" cit, quod mirum eſſet, ſi Chryſoſtomus
" ejus Eccleſiæ Archiepiſcopus Liturgiam
" compoſuiſſet. "

Reſpondet ibidem pag. 29. Renaudotius:
" Verum ſi vel communem Liturgiarum
" librum, multoties Venetiis editum
" conſuluiſſet Rivetus, quod illi facien-
" dum erat, qui illarum cenſorem ſe pro-
" fitebatur, ſed ſtuporem ipſe ſuum agno-
" viſſet; & puduiſſet illum inſcitiæ Mor-
" næi & Hoſpiniani, a quibus tam præ-
" claras obſervationes ſe accepiſſe teſta-
" tur."

De tempore quo ſcriptæ ſint Liturgiæ diſſerit Renaudotius ibidem c. 5. & tres de hoc refert eſſe opiniones. Prima ea quæ apud Græcos & Catholicos communis eſt, Liturgias, quæ Jacobi, Baſilii & Chry-

Chryſoſtomi nomine circumferuntur , ab eis fuiſſe conſcriptas autumant ; ſecunda , illorum qui ſcriptas a ſanctiſſimis illis viris credi volunt , ſed non omnino quales ad nos pervenerunt , cum non pauca poſterioribus ſæculis addita fuerint , & quamdam ſint interpolationem paſſæ : Ita ferme Baronius, Bellarminus, & alii ſat multi. Tertia , quæque vulgo Hæreticis tribuitur, ſuppoſititias eſſe ait.

Demum ad contundendam Proteſtantium audaciam , qui omnes Eccleſiæ ritus peſſundant, ita ut vel ipſam Liturgiam vulgari idiomate celebrari apud Orientales contendant , & officium latine decantatum exſufflent ; Reſpondet Renaudotius Lib. c. 6. " Græce Græci , Syriace Syri „ Liturgias celebrant antiquitus : id nemo inficiatur , niſi illi forte qui bellum illud de crucis titulo argumentum admirantur . „

Ad quod inde Uſſerius & alii colligunt , ſacra eorum Chriſtianorum quos enumerant , exemplo , populari ſermone celebranda eſſe , falſiſſimum eſt . Quippe Syri orthodoxi , Jacobitæ & Neſtoriani Syriacam Linguam , cuius ab aliquot ſæculis uſus vulgaris nullus eſt , non magis intelligunt , quam plebs ruſticana noſtra , Latinam.

C O R O N I D I S.

JUVAT nunc & ex ipſorum Proteſtantium regionibus oſtendere, eos nonniſi ex conſummata cæcitate Sacrificii incruenti veritatem impugnare . Et hoc ex veteri Angliæ manuſcripto quod inſcribitur Benedictionale in Bibliotheca illuſtriſſimæ & antiquiſſimæ Eccleſiæ Cathedralis Rothomagenſis aſſervato , & excerpto ex Patrum Catholicorum Canonibus Pœnitentiæ ad remedium animarum opera Egberti Archiep. Eboræ civitatis , qui florebat undecimo ſæculo . Idem MS. in ſcriniis Eccleſiæ Ebroicenſis ex nono circiter ſæculo inſcribitur.

In illo duo palmaria pro iſto dogmate immo & pro realitate corporis Chriſti in Euchariſtia aſtruenda affulgent . Unum eſt Miſſa antiqua juxta Ritum Romanum : Alterum eſt Profeſſio fidei , quæ quidem monumenta tanti ſunt ponderis , ut codex iſte vetuſtus, non alia præcontineat, niſi ea quæ tunc temporis Præſules ex primæva Angliæ Eccleſia , quæ ſuum ab Auguſtino Anglorum Apoſtolo ortum ducit , obſervarant , adeoque a quinto ſæculo , quo tempore vel ipſi Proteſtantes ultro fatentur Eccleſiam tunc fuiſſe ab omni nævo immunem . Sicque inter Liturgias Occidentales & Orientales ab omni ævo concordia ſe prodit , & ſimul Sacrificii Miſſæ veritas.

M I S S A.

EO loci primum deſcribitur ordo proceſſionis concomitantibus Pontificem , Presbyteris , Diaconis & Subdiaconis , atque Acolythis , ſimul cum Thuriferariis. Cum vero ad Eccleſiam pervenerint accedunt ad Altare . Cantatur Kyrie eleiſon , tum , Gloria in excelſis Deo , ac deinde Epiſtola ; ſic enim habetur : *Peracto itaque introitu innuente Epiſcopo , cantandum eſt Kyrie eleiſon , ſine cujus inſinuatione , Cantorem nihil canere licebit , & tunc Acolythi in inferiori gradu candelabra quaſi quodam filo per rectam lineam ponantur , vel ut , quidam volunt , in modum crucis . Igitur cum Gloria in excelſis percantabit , &c.* Deinde lecto Evangelio , cantatur , *Credo* , ſic ſcribitur ; *Credo in unum Deum , & ita omnis Chorus incipiens Patrem omnipotentem ad finem uſque perducat* , fit Oblatio , Pontifex dicit , *Veni Sanctificator omnipotentem æterne Deus , benedic hoc ſacrificium tibi præparatum ;* dicitur etiam , Orate, omittitur quidem Canon , ſed iterata mentio corporis & ſanguinis Chriſti fit ; ſic enim ibi refertur , (Ipſe autem Diaconus tenens calicem , & fiſtulam , ſtet ante Epiſcopum uſque dum ex ſanguine & corpore Chriſti quantum voluerit ſumat .) Demum poſtquam omnes jam communicaverint , completur Miſſa .

Profeſſio Fidei.

CORDE *credimus , & ore confitemur , panem qui in Menſa Dominica proponitur , panem tantummodo eſſe ante conſecrationem , ſed in ipſa conſecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & ſubſtantiam panis in naturam & ſubſtantiam carnis ; vero non ullius alterius , ſed illius quæ concepta eſt de Spiritu ſancto , nata ex Maria Virgine ; quæ etiam propter noſtram ſalutem flagellis cæſa & in ligno ſuſpen-*

ſuſpenſa, jacuit in ſepulchro; tertia die reſurrexit a mortuis, & ſedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum quod aqua mixtum in calice ſanctificandum proponitur vere, & eſſentialiter converti in eum ſanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Miſſa eſt proprie dictum] Sacrificium.

PRIMO: Hoc clare indigitant figuræ; nimirum Agnus Paſchalis, & ſacrificium Melchiſedech: maxime vero Prophetia Malachiæ. *In omni loco mihi ſacrificatur &c.*

Secundo: Hoc ipſum declarat Traditio Eccleſiæ tum Orientalis, tum Occidentalis: hoc definitio Concilii Tridentini contra Proteſtantes.

Tertio: Vel ipſa ratio elevata ſuffragatur: ubi enim ſiſtitur victima & immolatur, ibi eſt proprie dictum ſacrificium: ſed Chriſtus myſtice immolatur in Miſſa ſimul & ſiſtitur: Siſtitur, inquam, per converſionem panis in corpus, & vini in ſuum ſanguinem, immolatur vero myſtice, cum conſecratio panis fiat ſeparatim a conſecratione vini: Igitur Miſſa eſt verum Sacrificium, quod ſancti Patres Euchariſticum, Latreuticum, propitiatorium, ſimul & impetratorium eatenus nominant, quatenus virtutem iſtorum veteris legis ſacrificiorum in ſe adunat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quamvis Sacrificium crucis ſit infiniti valoris, & perfectiſſimum, non excludit tamen commemorativum, ut ſui meriti applicativum.

Secundo: Neque negamus verba Malachiæ ſubire ſenſum myſticum, ſed fundatum in litterali, cum Chriſtus dicat veros adoratores Deum adorare in ſpiritu: ibi tamen non ideo a ratione Sacrificii eliminat Euchariſtiam, ſed indigitat diſpoſitionem tum fidei, tum charitatis, quibus flagrare debent in ſacrificando Sacerdotes.

Tertio: Non implicat idem ſub diverſo reſpectu eſſe Sacramentum ſimul & Sacrificium, teſtamentum, & donum exhibitum. Nec ullo modo proficiunt Heterodoxi invaleſcentes, negando Melchiſedech verum obtuliſſe ſacrificium, cum ideo obtuliſſe panem & vinum aſſerat Apoſtolus, quia erat Sacerdos Altiſſimi: Et hoc ad gratias Deo rependendas pro victoria ab Abraham reportata.

Quarto: Proteſtantes abſque fundamento impugnant veteres Liturgias, quibus Sacrificii veritas adſtruitur, cum pro earum genuinitate teſtes habeamus quarti ſæculi Patres, videlicet Baſilium, Chryſoſtomum & alios una cum tota Eccleſia Græca tam vetuſta quam recentiori.

DISSER-

DISSERTATIO QUARTA
DE
ESSENTIA SACRAMENTI
POENITENTIÆ.

PROTESTANTES ſævière in Sacramenta, maxime vero in Pœnitentiæ Sacramentum, quo & peccatorum confeſſione, & dignis ſatisfactioonibus commiſſa expiautur crimina; quocirca oe quid moleſti ad compeſcendam tum carnis, tum oculorum concupiſceotiam coontingeret, nonoiſi mendacem admiſerunt Peniteotiam, quæ juxta eos in ſola fide & Chriſti Paſſioois memoria, quibus cuocta remitti peccata putant, ſita eſt; Sed contra, quod ipſe Chriſtus ait Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*.

Dogma de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ tribus probatur momentis.

PRIMO: Ex eo quod ratio eſſentialis Sacramenti proprie dicti illi conveniat.

Secundo: Quia confeſſio peccatorum ad ſalutem oeceſſària eſt.

Tertio: Ex uſu & diſciplina Eccleſiæ, quæ non ſemel peccatorum confeſſionem etiam ſolemnem & pœnitentiam publicam eamque ſatisfactoriam pro peccatis admiſit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Pœnitentia ſit nova legis Sacramentum.

NOMINE Pęnitentiæ ſacramentalis intelligimus Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ad delenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa. In tribus potiſſimum conſiſtit, videlicet in contritione, in peccatorum cooſeſſione, & in ſatisfactione: Quia vero Heterodoxi duo præ ceteris in hoc Sacramento impugnant, videlicet rationem Sacramenti, & peccatorum Sacerdoti facieudam cooſeſſiooem, operæ pretium eſt oſtendere Pœnitentiam eſſe Sacrameotum oovæ legis proprie dictum, deiode vero co oſeſſionem eſſe neceſſariam veluti unam inter partes Sacramenti Pęniteotiæ eſſentialem; ad complementum, de Pęnitentia publica ſermonem ioſtituemus, ſed ante omnia recenſendi ſunt ii, qui Pęnitentiæ Sacramentum impugnarunt.

SECTIO PRIMA.

Hiſtoria critica Montani & Cataphrygum.

MONTANUS ex Phrygia oriundus anno 181. Commodo Imperatore, Sotero vero Chriſti Vicario, ſummo Pontifice, juxta Hieronymum eunuchus erat, aquis quidem ſacri lavacri tinctus, ſed propriæ excelleutiæ gloria elatus, immo & inſatiabili primatus cupiditate incenſus, cæco impetu Prophetam primo ſe profiteri non erubuit; comites in hoc habuit duas nefandas meretrices, Priſcillam ſcilicet & Maximillam, quibus inſaoiæ ſuæ afflavit ſpiritum: quæ quidem furioſe & inepte, & novo atque peregrino modo garrientes, falſa pro veris tamquam Prophetiſſæ pandebant. Deinde vero novis dogmatibus novæ ſectæ auctor non ſine omnium ſtupore ille Montanus apparuit: quam tamen doctrinam mente verſipelli diſſeminabat, ſed ſimplicibus commenta, ſapientioribus vero quædam ſpecie veri prædicare ita ſtudebat, ut confeſſione-

ne fidei in ſenſu obvio, non nihil per omnia orthodoxa ſummo illuxerit Pontifici; quocirca unionis ac pacis litteras per Phrygiam & Aſiam ei conceſſit. Sed ut primum vel ipſe Praxeas illius apud Romanum Pontificem fraudes detexit, revocatis litteris, ab Eccleſia ejectus eſt.

Progreſſus.

ILLE Hæreſiarcha primus fuit qui bellum apertum Pœnitentiæ ſacramento in mundum invexit, quippe qui veniam omnibus pene delictis ab Eccleſia concedi poſſe negaret. Hic modo promiſſorum magnitudine, modo conjecturis & rationibus, modo etiam inſectando peccatores, non paucos alliciebat, qui ejus doctrinæ velut fideliſſimi diſcipuli adhærebant; innumeros vero prope pecuniis & muneribus ſibi devinciebat, ut refert Apollonius, qui & Montani & ejus Prophetiſſarum mores atque doctrinam eleganti perſtringit calamo apud Euſebium L. 5. Hiſt. c. 17.

Cataphrygum hæreſis auctore Montano magnas in Eccleſia movit tragœdias; hinc multiplicata de die in diem venenoſa ſobole, verſus Antonini Pii tempora, ut ſcribunt Epiphanius hæreſ. 48. Euſebius Lib. 4. Hiſt. c. 26. ſub Marco Aurelio adolevit, & in immenſum diffuſa eſt, ut colligitur ex eodem Euſebio ibidem, & in Chronico.

Errores Montani & Cataphrygum.

NON unus aut alter fuit Montaniſtarum nævus.

Primo, Montanus ſe Paracletum Spiritum veritatis proclamare non ſine blaſphemia dicebat; hinc & negabat Apoſtolos Spiritum Paracletum unquam recepiſſe. *Tertullianus de fuga in perſecutione, & L. de pudicitia.*

Secundo, Sacro-ſanctam Trinitatem in unius perſonæ anguſtiis concluſit. *Hieronymus Ep. 54.*

Tertio, Secundas nuptias abominabatur, quas non ſecus ac fornicationem vetabat & proſcribebat; vel ipſum matrimonium, prout unicuique placebat, ſolvi poſſe propugnabat, & hoc occaſione ſuarum Pſeudo-Prophetiſſarum, quas a maritis abduxiſſe teſtatur *Apollonius apud Euſebium L. 5. Hiſt. c. 17. Epiphanius Hæreſ. 48. Hieronymus Epiſt. 54. Theodoretus L. 3. Hæreſ. Fab. c. 2. & 4.*

Quarto, Tres Quadrageſimas in anno invexit, quaſi tres paſſi eſſent Servatores. *Sanctus Hieronymus Ep. 54*

Quinto, In perſecutione non eſſe fugiendum, immo martyrii loco ſiſtendum eſſe, nec quavis occaſione martyrium redimendum eſſe autumabat. *Tertull. de fuga in perſ. cap. ult.*

Sexto, Priſcæ Prophetiſſæ animam eſſe corpoream, coloratam, ſenſu perceptibilem, & antropomorphicam eſſe aſſerebat. *Hieronymus Epiſt. ad Epheſ. L. 2. c. 3. Tertullianus Lib. de anima c. 9.*

Septimo, Cum a veſano & maligno movebatur ſpiritu, ſe quaſi majori Spiritus ſancti plenitudine refertum, quam Apoſtolus dicebat; hinc & prophetare ſe jactabat, & ſui illum ejuſque prophetiſſas Apoſtolis ipſis anteponebant. *S. Aug. hæreſ. 26.*

Octavo, Mos erat Montano mortuos baptizare, vana deluſus ſuperſtitione, quod Baptiſma vel ipſis defunctis cederet in ſalutem. *Baronius ad ann. 173. Philaſtrius L. de hæreſ.*

Nono, Lapſis omnem ita ſubripiebat indulgentiæ locum, ut nulla quantumvis maxima ſatisfactione ſuorum delictorum veniam adipiſci poſſe propugnaret. *Alphonſus Prateolus.*

Decimo, Formam Baptiſmi tentabat, aliumque ſuis ſectatoribus ab eo qui in Eccleſia datur, conferebat. S. Thomas etiam ſcribit eos non in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed in commemoratione mortis Chriſti abluiſſe, tametſi vel ipſum purum eſſe hominem aſſererent. *Le Grand, Hiſt. de hæreſ.*

Undecimo, Montaniſtæ ad ſuum Pſeudo-Prophetam exaltandum, ejuſque duas Pſeudo-prophetiſſas Priſcam & Maximillam, veros antiquoſque Prophetas veluti a dæmone poſſeſſos abjiciebant, quippe qui dicerent ea quæ prædixere, ab illis nuſquam fuiſſe intellecta. *Idem ibid.*

Duodecimo, Putabant Deum voluiſſe quidem Moyſis & Prophetarum miniſterio mundum ſalvare; quod cum explere non valuerint, corpus de Beatiſſima Virgine ſumpſiſſe, & in Chriſti ſub ſpecie Filii prædicantem, mortem pro nobis ex charitate ſubiiſſe: verum hoc his duabus viis

vilis fruſtra tentatum, taodem per Spiritum ſanctum in Montanum, Priſcam & Maximillam deſcendiſſe. *S. Hieronymus Epiſt.* 54.

Decimo-tertio, Epiſcopos, qui apud Catholicos veluti Apoſtolorum locum obtinent, ad tertium rejiciunt ordinem, quippe qui primo loco conſtituat Patriarchas, ſecundo Cenones, tertio demum Epiſcopos. *S. Hieronymus ibidem. Baronius ad ann.* 173.

Decimo-quarto, Pepuſæ vico, ubi frequentiores conveotus agebant, ac ſua nefanda celebrabant myſteria, oomen Jeruſalem indiderunt. *Epiphanius hæreſ.* 48.

Decimo-quinto, Vel ipſas mulieres ad presbyteratum & Epiſcopatum promovere audebant, illo perperam innixus Apoſtoli ad Galatas 3. oraculo: *In Chriſto Jeſu non eſt maſculus neque femina. Epiphanius hæreſ.* 49.

Decimo-ſexto, Panem & caſeum offerebaot in ſacrificio; quocirca dicti ſunt Artoryritæ, ut ſcribit Epiphanius ibidem. Sed horrendum dictu, anniculi infantis ſanguinem, quem ex toto corpore minutis punctionum vulneribus extractum, farinæ immiſcentes, inde Euchariſtiam cooficiebant: puerum autem, ſi vulneribus periret, pro Martyre; ſin viveret, pro magno Sacerdote habebant. *Epiphanius hæreſ.* 28. *Auguſtinus L. de hæreſ. Cyrillus Jeroſolymit. Catech.* 15.

Non abs re erit hic ſubnotare Montani alleclas Cataphrygarum nomen a Phrygiæ provincia ſumpſiſſe. Alio etiam nomine Pepuſiani dicontur, a Pepuſa vico Galatiæ & Cappadociæ interjecto, quod Jeroſolymorum nomine incolebant, ubi Cynicorum more viventes, interpunctorum infantium impietatem celebrabant.

Interitus ſeu Proſcriptio.

TERTULLIANUS Libro de Jejunio adverſus Pſych. cap. 13. ſubiodigitat diverſis in Conciliis iſtos errores a Græcis fuiſſe proſcriptos. Apollinaris Hierapolitanus Epiſcopus eoſdem inſectatus eſt: apud Euſebium Libro 11. cap. 16. ſcribitque in multis Aſiæ Synodis Cataphrygas fuiſſe damnatos. Eccleſia Gallicana & Montanum & ſuos anathemate percuſſit: apud eumdem Euſebium L. 5. hiſt. c. 3. Eoſdem confutarunt Apollonius & Miltiades; de prioris pro hoc momento ſcriptis loquitur Euſebius L. 5. Hiſt. c. 17. Poſterioris acta commemorat capite 16. Serapion & alii præſtantiſſimi iſtorum temporum Theologi, hujuſce furfuris homines ſuo perſtrinxerunt ſtylo cenſorio.

SECTIO SECUNDA.

Hiſtoria critica Hæreſis Novatianorum circa Pœnitentiæ Sacramentorum

Ortus.

NOVATIANUS, Moutaoi circa Pœnitentiam errores jamjam proſcriptos exſuſcitavit; Novatus ipſi conflandi ſchiſmatis auctor fuit, & hæreſeos adverſus Pœnitentiæ Sacramentum inſenſiſſimus architectus. Euſebius, Epiphanius & Theodoretus iſtum cum Novatiano confundunt; e contra vero ſeceruont, S. Cornelius Papa, S. Cyprianus, S. Pacianus & alii complures. Et vero Novatus Presbyter Carthaginenſis erat, & quidem graviſſimorum criminum reus; ut autem Epiſcoporum declinaret anathemata, ab urbe Carthagine furtim diſceſſit & Romam appulſus, Novatianum ſuis & rebellionibus & erroribus fedavit. S. Cyprianus Epiſtola 49. ad S. Cornelium varia nefanda ejus enarrat crimina: " De Novato, „ *inquit*, nihil inde ad nos fuerat nun„ tiandum, cum magis per nos vobis de„ beat Novatus oſtendi, rerum novarum „ ſemper cupidus, avaritiæ ioexplebi„ li rapacitate furibundos, arrogaotia & „ ſtupore ſuperbi tumoris inflatus, ſem„ per iſtis Epiſcopis male cognitus, qua„ ſi hæreticus ſemper & perfidus, om„ nium Sacerdotum voce damnatus „ &c."

S. Pacianus Epiſt. 3. ad Sympronianum Novatianum de ejus ad Incendendum ſchiſma concurſu ait: " Nec multo poſt „ Novatianum iſtum Epiſcopatus Corne„ lii anxium, cum aliquantis, ut in tali „ re ſolet, ex ſua parte fautoribus, nutan„ tem impellit, dubitantem fovet, ut „ magnum aliquid ſperet, hortatur; in„ venit aliquos ex eorum numero, qui „ tempeſtatem perſecutionis illius evaſe„ runt, apud quos hanc ipſam de lapſis rece„ ptis, Cornelio conflaret invidiam: dat

„ eorum

„ eorum Epiſtolas ad Novatianum. Ille „ ex auctoritate Epiſtolarum, ſedente jam „ Romæ Epiſcopo, adverſum fas, ſacerdotii ſingularis, alterius Epiſcopi ſibi „ nomen aſſumit: Cornelium lapſis communicaſſe arguit, ſe vindicat innocentem &c. „.

Ergo Novatianus in lecto decumbens, omiſſis ſolemnitatibus, baptizatus, contra ſtatuta Canonum, qui prohibent hujuſmodi tinctos ad ſacros promoveri Ordines, Presbyter tamen non ſine fraude factus, Epiſcopus deinde & ſummus Pontifex, violentia & molitione ſuorum, ſedente legitimo Pontifice Cornelio, inauguratus eſt. Vixit ſub Galli & Voluſiani imperio circa annum 250. Eccleſiam primum ſchiſmate, tum hæreſi dilaceravit. Et vero dignitatem Papalem, tametſi ſcelere obtentam, omnibus tamen modis, nova addendo crimina, tueri cunatus eſt, quippe qui eos, quibus ſacram porrigebat Euch.riſtiam, per corpus Domini jurare compelleret, ſe numquam ad Cornelium reverſuros. Hæc & ſimilia ovili pelle indutus lupus peregit, ut diſperderet gregem Domini.

Euſebius Lib. 6. Hiſtor. cap. 43. juxta Valeſii verſionem de Baptiſmo, adverſantibus Canonibus, omiſſis conſuetis ſolemnitatibus, a Novatiano ſuſcepto hæc ſcribit: " Cui cauſam, *inquit*, atque „ initium credendi præbuit ſatanas in „ in ipſum ingreſſus, atque in ipſo aliquandiu commoratus; cumque ab Exorciſtis ſoveretur, in morbum graviſſimum „ collapſus, dum jamjamque moriturus „ creditur, in ipſo in quo jacebat lectulo „ perfuſus, Baptiſmum ſuſcepit; ſi tamen hujuſcemodi Baptiſmum ſuſcepiſſe „ dicendus eſt. Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, „ quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent, neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. „.

Nec tacet Euſebius artes doloſas, quibus vir ille peſſimus ad Epiſcopatum per fas & nefas pervenerit. Ibidem ſic proſequitur: " Egregius ille vir qui tremendis „ quibuſdam ſacramentis affirmaverat, ſe „ Epiſcopatum non concupiſcere, repente tamquam ex machina quadam in „ medium projectus, Epiſcopus apparuit, „ & is qui ſe doctorem & Eccleſiaſticæ „ diſciplinæ propugnatorem ferebat, cum „ Epiſcopatum ſibi a Deo minime conceſſum rapere ac vindicare conaretur, „ duos deploratæ ſalutis homines ſibi ſocios adjunxit, ut eos in exiguam & „ viliſſimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Epiſcopos, homines plane rudes ac ſimplices, fraudulenta quadam molitione deciperet... „ quos ad id comparaverat, incluſos hora „ decima temulentos & crapula oppreſſos, adumbrata quadam & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere per vim cogit. „.

Progreſſus.

VIX ac ne vix quidem Anti-Papa factus Novatianus, quod omnia tentaverit non ſolum ut ſimplices, ſed & viros in Eccleſia perilluſtres ad ſuum perduceret ſchiſma. Primum quidem Legatos direxit ad ſanctum Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum, qui, ejus pro ſe expoſtulata communione, ab ea libellis accuſationis adverſus ſancti Cornelii ordinationem, pium divellerent Pontificem. Quibus auditis & ponderatis, ſanctus Cyprianus Romam miſit Caldonium & Fortunatum cum litteris, ut pacem Eccleſiæ, ſi fieri poſſet, componerent; ſed irrito conatu id tentati, Carthaginem reverſi ſunt. Cyprianus vero certior factus de legitima ordinatione Cornelii, parte ejus ita egit, ut ſubjecto Novatiano, Africam a ſchiſmate deterruerit, illuſos ab Hæretico ad meliorem revocaverit frugem, & unitatem non nihil læſam in Eccleſiis reſtituerit. Hoc ipſum conſtat ex Epiſtola ejuſdem Cypriani 43. & 45. ad Cornelium, & ex 48. ad Maximum, Nicoſtratum & ceteros Confeſſores.

Non unam iſtam ad ſanctum Cyprianum Novatianus miſerat legationem, ſed & alteram magnificentiſſimam ad ceteros Africæ Præſules direxerat, quam quidem lætabundi ſuſceperunt Novatus, Evariſtus, Nicoſtratus, Primus & Dionyſius, ut refert Sanctus Cyprianus Epiſtola 49. ad Cornelium. Quinimmo litteras etiam dedit Novatianus ad Alexandrinam Eccleſiam, quibus quidem callide proteſtabatur ſe invitum electum fuiſſe, ut eo verborum fuco deteſtandum ſchiſmatis facinus excuſaret. Cui egregie ſic reſpondet ſanctus Dionyſius Alexandrinus: " Si „ invi-

„ invitus, ut dicis, huc inductus es, „ illud plane oſtendes, ſi ſponte ab eo „ recedas. Oportuerat enim omnia incommoda potius ſubiiſſe, quam Eccleſiæ Dei „ diſcidiſſe concordiam. „ Hæc Epiſtola refertur ab Euſebio Lib. 6. Hiſt. c. 37. juxta verſionem Chriſtophorſonis. Dionyſius monuit Epiſcopos Ægypti ut ſedulo a Novatiani dolis & artibus caverent, & concreditum ſibi gregem ab inſidiis pro virili tuerentur.

Quia vere error ſerpit ut cancer, & homines ab adoleſcentia proni ſunt ad malum, Novatianus plurimos partim vi, partim dolo, partim gratia & beneficiis in ſuas protraxit partes; qui quidem ſicut ipſe primum ſchiſmatici, deinde hæretici, duce Novatiano, evaſerunt.

Errores Novatiani.

PALMARIS hic fuit error: lapſis omnem ſalutis ſpem adimebat Novatianus, quantumvis illos digne pœniteret, eo quod nullam Sacerdotibus poteſtatem pœnitentes contritos & confeſſos abſolvendi tribueret. Unde ad ſuas Eccleſias ſcribens hortabatur, ut qui ſimulacris immolaſſent, ad myſteria minime admitterentur, ſolique Deo abſolvendi relinquerentur. *Cyprianus L. 4. c. 2.*

Secundo, In apertum poſtea erupit iſtius erroris incendium; namque quod mente verſipelli de ſingulis peccatis aſſerebat Novatianus, depoſita tandem larva prædicavit, omnia videlicet peccata gravia poſt ſuſceptum Baptiſmum commiſſa, irremiſſibilia eſſe. *S. Ambroſius L. 1. de pæn. c. 1. Pacianus Barcinonenſis Epiſt. 3. ad Sympronianum. S. Auguſtinus L. de agone Chriſtiano c. 31.*

Tertio, Contendebat ſolum Patrem in ſanctiſſima Trinitate eſſe Deum: Filium vero cum Patre non niſi concordia unum. *Epiphanius Hæreſ. 59.*

Quarto, Chriſtum, vel ipſa adimpleta incarnatione, obedientiam quidem Patri exhibuiſſe, ſed ut per omnia illi ſubjectum; ſicque ejus divinitatem abnegabat. *Epiphanius ibid.*

Quinto, Patrem etiam tempore Filium præceſſiſſe excogitare immo & propalare auſus eſt, adeoque & Patre minorem. *Ibidem Epiphanius.*

Sexto, Stoicorum inſiſtens veſtigiis & placitis, peccata omnia eſſe æqualia ſuis dicebat diſcipulis; quocirca non minus mœchis quam lapſis reconciliationis aditum interclusit, aſſerens peccatores Dei judicio eſſe relinquendos, tametſi lacrymis, gemitu & cordis dolore Eccleſiæ fores pulſarent. *Ambroſius L. 4. de Pæn. c. 2.*

Septimo, Propugnabat virgines, viduas & matrimonio conjunctas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent ceteris operibus, ejuſdem eſſe meriti. *Le Grand hiſt. hæreſ.*

Octavo, Definitionem Eccleſiæ de celebratione Feſti Paſchatis Dominica poſt decimam quartam lunam poſt æquinoctium celebranda, parvi faciebat; ita ut pro arbitrio uniuſcujuſque Paſcha celebrandum relinqueret. *Socrates L. 5. c. 20.*

Nono, Primas quidem nuptias admittebant Novatiani, ſecundas vero cum Tertulliano abominabantur. *Epiph. hæreſ. 59. Theodoretus Lib. 4. hær. fabul. c. 5.*

Decimo, Secundum Baptiſmum loco Pœnitentiæ præcipiebant, eos novo lavacro abluentes qui in peccatum incidiſſent, aut in Romana Eccleſia Baptiſmum ſuſcepiſſent. *Cyprianus Epiſt. 75.*

Undecimo, In adminiſtratione Baptiſmatis, chriſmatis delibationem non adhibebant. *Theodoretus ibidem.*

Duodecimo, Novatiani aſſeclæ Catharorum pulcherrimo nomine, hoc eſt, puros & mundos ſe appellabant, eo quod puritatem ſuam doctrina Apoſtolica ſuperiorem eſſe, non ſine blaſphemia commentirentur; hinc candidis veſtibus indui gloriabantur, ut quales ſe prædicabant, tales apparerent. *Le Grand ibid.*

Decimo-tertio, Novatiani ſuæ ſectæ parentem martyrio coronatum fuiſſe prædicabant; ſed dubio-procul ejus martyrium fuit mendax & merum commentum. *S. Pacianus Epiſt. 2. ad Sympronianum*, ubi hanc confutat fabulam.

Interitus, ſeu errorum confutatio.

ISTOS Hæreticos pro virili debellavit Eccleſia definitionibus Conciliorum, tum ſcriptis & ſententiis Patrum, in Concilio quidem Carthaginenſi in cauſa lapſorum; in Romano ſub S. Cornelio Papa anno 253. Euſebius Lib. 6. Hiſt. c. 34. & 35. iſtud refert; illud vero Cyprianus

Ep.

Ep. 54. ad Cornelium commemorat. De altera Synodo in Italia celebrata meminit Euſebius ibidem. Habita eſt quoque Synodus adverſus Novatianos a Demetrin Epiſcnpo Antiochenſi: ſic ſcribit P. Alexander Hiſt. 3. ſæc. c. 3. §. 5. Eos quoqne ſuo perſtringit ſtyln cenſorio magnum & celebre Concilium generale primum Canone 8. quo quidem prohibet ne aliquis ex Novatianis ad Eccleſiæ communinnem recipiatur, niſi prius hæreſi abjurata.

Neque vero ſnla Concilia, ſed & ſancti Patres atque Eccleſiæ Doctnres hos perduelles homines & neſandos hæreticos ſuis, & apertis diſputatinnibus inſectati ſunt; in primis ſanctus Cyprianus libro per modum ſermonis *de Lapſis* inſcripto: ſanctus Ambroſius Lib. de Pęnitentia: ſanctus Joannes Chryſnſtnmus Lib. de Reparatinne lapſi: Dionyſius Alexandrinus jam laudatus.

SECTIO TERTIA.

Utrum Pœnitentia ſit proprie dictum novæ legis Sacramentum?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

VARIA ſunt & inconcuſſa argumenta, quibus abſque negotio probatur hæc catholica veritas, quæ ad novem capita reduci poſſunt. Primum eſt, Scriptura ſacra. Secundum, Traditio Apoſtolica. Tertium, definitiones Concilinrum. Quartum, peccatnrum in hac vita perennis remiſſibilitas. Quintum, diſtinctio ſacramenti Pęnitentiæ a Baptiſmo. Sextum, auctnritas remittendi peccata Eccleſiæ a Den conceſſa. Septimum, forum ejuſdem Eccleſiæ. Octavum, Eccleſiarum recentiorum Orientalium conſenſio. Nonum, ratio multiplex.

§. I.

Primum Argumentum ex Scriptura ſacra depromptum.

SACRAMENTUM, juxta ſanctos Doctores, eſt ſignum gratiæ practicum, Deum habens auctorem. Atqui Pęnitentia eas omnes ſubit conditiones: Igitur eſt Sacramentum novæ legis. Probatur minor divinarum Scripturarum auctoritate. Joan. 20. habetur: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Chriſtum hic loqui de Pęnitentia, ut ſacramentum eſt, ex, multis claret momentis: I. quidem non loquitur de Pęnitentia virtute, quæ cuilibet competit, ſed de illa qua Apoſtoli ceteris debebant remittere peccata. II. Illa Pęnitentia Deum habet auctnrem, ſcilicet Spiritum ſanctum, qui Sacerdotum miniſterio peccata abluit. III. Eſt ſignum; namque injungitur Apoſtolis ut per modum judicii aut ſolventis, aut ligantis, hæc faciant. IV. Præſcribitur materia, peccatum nempe abſolvendum. V. Denique eſt ſignum ſacrum & gratiæ practicum, cum non ſine magna gratia peccata remittantur.

Sanctus Thomas Comment. in cap. 20. Joan. hæc omnia mirabili Patrum auctoritate probat, & explicat his verbis:
“ Chryſnſtomus homilia 85. in Joan. Qui-
,, dam autem dicunt quoniam non ſpiri-
,, tum dedit, ſed aptos eos ad ſuſceptin-
,, nem ſpiritus per inſufflatinnem conſti-
,, tuit. Si enim Angelum videns Daniel
,, exceſſum mentis paſſus eſt, quid ineſ-
,, fabiliter illam gratiam ſuſcipientes paſ-
,, ſi eſſent, niſi Diſcipulos ſuos primitus
,, inſtruxiſſet? Nequaquam autem quis
,, peccabit dicens, tunc ſuſcepiſſe eos
,, quamdam poteſtatem ſpiritualis gratiæ,
,, non ut mortuos ſuſcitent & miracu-
,, la faciant, ſed ut dimittant pecca-
,, ta; unde ſequitur: *Quorum remiſeritis*
,, *&c.* ,,

S. Auguſtinus Tract. 121. in Joan. “ Ec-
,, cleſiæ charitas quæ per Spiritum ſan-
,, ctum diffunditur in cordibus noſtris,
,, participum ſuorum peccata dimittit; eo-
,, rum autem qui non ſunt ejus partici-
,, pes, tenet. Ideo poſtquam dixit: *Acci-*
,, *pite Spiritum ſanctum*, hoc continuo de
,, peccatorum remiſſione & retentione
,, ſubiecit. ,,

Subjicit Gregorius Hom. 26. in Evang.
“ Siendum vero eſt quod hi qui prius Spi-
,, ritum ſanctum habuerunt, ut & ipſi
,, innocenter viverent, & in prædica-
,, tione quibuſdam prodeſſent, idcirco
,, hunc poſt reſurrectionem Domini paten-
,, ter acceperunt, ut prodeſſe non pau-
,, cis, ſed pluribus poſſent .... Libet in-
,, tueri, illi Diſcipuli ad tanta onera humi-

litatis

,, litatis vocati, ad quantum culmen glo-
,, riæ ſint perducti. Ecce non ſolum de
,, ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alie-
,, næ obligationis poteſtatem relaxationis
,, accipiunt, principatumque ſuperni ju-
,, dicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam
,, peccata retineant, quibuſdam relaxent
,, ... Horum profecto nunc in Eccleſia
,, Epiſcopi locum tenent, ligandi atque
,, ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui
,, gradum regiminis ſortiuntur. Grandis
,, honor, ſed grave pondus iſtius eſt ho-
,, noris. Durum quippe eſt ut qui neſcit
,, tenere moderamina. vitæ ſuæ, judex
,, fiat vitæ alienæ. ,, Audis Sacerdotes
remittere peccata ; audis hæc viros Dei peragere: ſed quo ſacramento, niſi Pęnitentiæ? Ergo &c. Idem ex profeſſo probat 3. part. q. 83. art. 10.

Patres Tridentinos habemus ejuſdem veritatis teſtes, quippe in eodem prorſus ſenſu intelligant apud D. Joannem Chriſti verba. Seſſ. 14. c. 1. ita loquuntur:
" Si ea in regeneratis omnibus gratitudo
,, erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Ba-
,, tiſmo ipſius beneficio & gratia ſuſce-
,, ptam conſtanter tuerentur, non fuiſ-
,, ſet opus, aliud ab ipſo (Baptiſmo) ſa-
,, cramentum ad peccatorum remiſſionem
,, eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus
,, dives in miſericordia congnovit figmen-
,, tum noſtrum, illis etiam vitæ reme-
,, dium contulit, qui ſeſe poſtea in pec-
,, cati ſervitutem & dæmonis poteſtatem
,, tradidiſſent: Sacramentum videlicet
,, Pęnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum
,, beneficium mortis Chriſti applicatur..
,, Dominus autem ſacramentum Pęniten-
,, tiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mor-
,, tuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos
,, ſuos, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum:*
,, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur*
,, *eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.*
,, Quo tam inſigni facto & verbis tam
,, perſpicuis, poteſtatem remittendi &
,, retinendi peccata, ad reconciliandos
,, fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſto-
,, lis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſ-
,, ſe communicatam, univerſorum Patrum
,, conſenſus ſemper intellexit. ,, Rurſus Can. 3. *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris*, Accipite Spiritum ſanctum &c. *non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, Anathema ſit.*

Non minus inſignis eſt pro eodem dogmate aſtruendo locus Matth. 18. ubi idem Chriſtus Apoſtolos ſuos alloquens, hæc præmittit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo? & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Quæ quidem verba Patres infra citandi, ne uno quidem excepto, de ſacramento Pęnitentiæ interpretantur: namque eo loci non agitur de aliquo virtutum actu ſibi proprio, ſed de auctoritate ad celebrandum remiſſionis peccatorum in gratiam proximi Sacramentum. Ergo &c.

§. II.

Alterum argumentum ex Traditione Apoſtolica de ſumptum.

TRADITA a Deo veritas ea cenſetur, quæ ab ore Chriſti per Apoſtolos, & ab Apoſtolis per Epiſcopos in eorum miniſterio ſucceſſores ad nos uſque tranſmiſſa fuit. Atqui talis eſt Pœnitentia ſacramentalis: Igitur datur Pęnitentiæ ſacramentum. Major patet ; & prorſus incaſſum Proteſtantes rejicerent Traditionem, cum ſit fidei regula infallibilis ab ipſo ſancto Spiritu celebrata, juxta illud 1. Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens benedixit &c.* Probatur igitur minor ex unanimi utriuſque Eccleſiæ, Græcæ ſcilicet & Latinæ conſenſu, & Conciliorum ſententiis.

Teſtimonia Patrum Græcorum.

S. EPIPHANIUS Hæreſ. 59. hoc ſtatuit inter Baptiſmum & Pęnitentiam diſcrimen, quod Baptiſmatis ſacramentum reiterari non poſſit, bene vero Pęnitentiæ lavacrum, quod ſecundam poſt Baptiſmum medelam vocat]. " Verum, *ait*,
,, Deus a ſalute non amovit pęnitentiam
,, agentes.... A lavacro in majori delicto
,, conſtitutus ſecundam medelam habet. ,,
Sanctum Doctorem eo loci ſermonem habere de ſacramento Pęnitentiæ liquet, quandoquidem ibi debellat Catharos, qui Novatiano adhærentes illud negabant, contendentes non dari remedium pro diluendis peccatis poſt Baptiſmum commiſſis.

S. Chryſ-

S. Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio c.
6. de Sacerdotibus hæc profert: " Neque
,, enim ſolum tum nos regenerant, ſed
,, poſtea etiam condonandorum nobis pec-
,, catorum facultatem obtinent .... cor-
,, poris lepram purgare, ſeu verius di-
,, cam, haud purgare quidem, ſed pur-
,, gatos probare, Judæorum Sacerdotibus
,, ſolis licebat ..... at vero noſtris Sa-
,, cerdotibus non corporis lepram, ve-
,, rum animæ ſordes, non dico purgatas
,, probare, ſed purgare prorſus conceſ-
,, ſum eſt. ,, Eamdem aſtruit veritatem
,, Homil. 37. de Pœnitentia, & Homil. 38.

S. Cyrillus Alexandrinus idem docet Lib.
12. Comment. in Joan. Idem Theodore-
tus Lib. 5. hær. fabul. c. 28. & plures
alii, quorum loca referemus ubi de po-
teſtate tradita Eccleſiæ ſpecialiter age-
mus.

Placita Patrum Latinorum.

S. CYPRIANUS agmen ducet: Epiſt. 73.
ad Jubajanum ait: " Unde intelligimus
,, non niſi in Eccleſia Præpoſitis, &
,, in Evangelica lege ac Dominica or-
,, dinatione fundatis licere baptizare, &
,, remiſſam peccatorum dare: foris au-
,, tem nec ligari aliquid poſſe, nec ſol-
,, vi, ubi non ſit qui aut ligare poſſit ali-
,, quid, aut ſolvere. ,,

Auctor Sermonis de ablut. pedum, apud
eumdem, ſuffragatur. " Poſt Bapti-
,, ſmum, *inquit*, qui ſui reverentia non
,, patitur iterari, aliud lavacrum procu-
,, raſti ,, &c.

Tertullianus cap. 10. Scorpiaci: " Nam
,, etſi adhuc clauſum putas cœlum, me-
,, mento claves ejus hic Dominum Petro,
,, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe. ,,

S. Ambroſius non leviora de hac mate-
ria dicit variis in locis, maxime Lib. 1.
de Pœnit. c. 7. vet. edit. & 8. recent.
" Cur, inquit, baptizatis, ſi per homi-
,, nem peccata remitti non licet? In Ba-
,, ptiſmo utique remiſſio peccatorum om-
,, nium eſt. Quid intereſt utrum per Pœ-
,, nitentiam, an per lavacrum hoc jus
,, ſibi datum Sacerdotes vindicent? Unum
,, in utroque myſterium eſt. ,, Rurſus ibi-
dem cap. 2. ſic revincit Novatianos.
" Sed ajunt ſe Domino deferre reveren-
,, tiam, cui ſoli remittendorum criminum
,, poteſtatem reſervent .... Quis eſt ergo
,, qui magis honorat? utrum qui manda-
,, tis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia
,, in utroque ſervat obedientiam, ut pec-
,, catum & alliget & relaxet. ,,

S. Hieronymus ſuum addit calculum L.
1. Dialogi adverſus Pelagianos circa fi-
nem, his verbis: " Qui ligna cædit,
,, ſi ſecuri ac ferro fugiente de ligno ho-
,, mo fuerit occiſus, pergere jubetur ad
,, urbem fugitivorum, & tandiu ibi eſ-
,, ſe, quandiu Sacerdos maximus moria-
,, tur, id eſt, redimatur ſanguine Salva-
,, toris: aut in domo Baptiſmatis, aut
,, in Pœnitentia, quæ imitatur Bapti-
,, ſmatis gratiam, per ineffabilem cle-
,, mentiam Salvatoris, qui non vult pe-
,, rire quemquam &c.

S. Auguſtinus mira paſſim de hoc ſcri-
bit; Ep. ad Honoratum 180. edit. vet.
aut 228. novæ n. 8. ait: An non cogita-
,, mus, cum ad iſtorum periculorum per-
,, venitur extrema, nec eſt poteſtas ul-
,, la fugiendi, quantus in Eccleſia fieri
,, ſoleat ab utroque ſexu atque ab omni
,, ætate concurſus, aliis Baptiſmum fla-
,, gitantibus, aliis reconciliationem, aliis
,, etiam Pœnitentiæ ipſius actionem, om-
,, nibus conſolationem, ſacramentorum
,, confectionem & erogationem? Ubi ſi
,, Miniſtri deſint, quantum exitium ſe-
,, quitur eos, qui de iſto ſæculo vel non
,, regenerati exeunt, vel ligati? ... Si
,, autem Miniſtri adſint .... alii bapti-
,, zantur, alii reconciliantur, nulli Do-
,, minici corporis communione fraudan-
,, tur. ,, Obſerves velim, eodem modo ſan-
ctum Doctorem exigere Miniſtrum pro
Pœnitentia hominem Deo reconciliante,
ac pro Baptiſmi & Euchariſtiæ collatio-
ne. Igitur agnoſcit Pœnitentiam ſacra-
mentalem a virtute prorſus diſtinctam,
cum poſterior non alium præter pœniten-
tem exigat eam elicientem & conficien-
tem. Idem docet ſanctus Doctor Lib. 5.
de Bap. c. 23. idem in Pſal. 146. idem L. de
agone Chriſtiano c. 31. idem Homil. 27.

Sanctus Leo Epiſtola 91. ad Theodorum
Forojulienſem Epiſcopum ſic effatur:
" Multiplex miſericordia Dei ita lapſi-
,, bus ſubvenit humanis, ut non ſolum
,, per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per
,, Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ re-
,, paretur æternæ ... Mediator enim Dei
,, & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc
,, Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem,
,, ut

„ ut & confitentibus actionem Pęnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent. „

Sententia Theologorum.

OMNES ſancti Doctores, ne uno quidem excepto, eamdem propugnant doctrinam: in primis SS. Anſelmus, Bonaventura, & omnes Theologi: Inſtar omnium ſit ſanctus Thom. qui 3. part. q. 84. art. 1. hanc ex profeſſo adimplet provinciam; primo quidem in argumento *Sed contra*, tum in corpore articuli, ubi ſic loquitur: " Dicendum, quod ſicut Gregorius dicit „ in capite ſupra dicto: *Sacramentum eſt* „ *in aliqua celebratione, cum res geſta, ita* „ *fit, ut aliquid ſignificare intelligatur, quod* „ *ſancte accipiendum eſt*. Manifeſtum eſt „ autem quod in Pœnitentia ita res geſta „ fit, quod aliquid ſanctum ſignificatur „ tam ex parte peccatoris pœnitentis, quam „ ex parte Sacerdotis abſolventis: nam „ peccator pœnitens per ea quæ facit & „ dicit, oſtendit cor ſuum a peccato re„ ceſſiſſe; ſimiliter etiam Sacerdos per ea „ quæ agit & dicit circa pęnitentem, „ ſignificat opus Dei remittentis peccata: „ unde manifeſtum eſt quod Pęnitentia „ quæ in Eccleſia agitur, eſt Sacramen„ tum. „

§. III.

Tertium argumentum ex definitionibus Conciliorum promanat.

TOT habemus pro hoc dogmate Concilia, quot ſunt, quæ canones pęnitentiales, quibus ad abſolutionem peccatorum diſponerentur prævaricatores legis, inſtituerunt. Aliquos ſuo loco referemus: ſufficiat impræſentiarum dicere Concilium Ancyranum, Laodicenum, multiplex Toletanum plures ad hunc fidem condidiſſe: Sed inſuper cuncta adverſus Novatianos adunata hanc catholicam fidem ſuo calculo munierunt. Jamvero Florentinum, in inſtructione Armenorum, Pœnitentiam inter novæ legis Sacramenta annumerat. Demum Tridentinum adverſus Proteſtantes obſtrepentes Seſſ. 14. can. 1. rem ita definit. *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.*

§. IV.

Quartum argumentum petitur ex illo principio.

Nullum eſt in hac vita peccatum irremiſſibile.

NOVATIANI abnuunt Pęnitentiæ Sacramentum, exiſtimantes peccata gravia poſt Baptiſmum commiſſa eſſe irremiſſibilia; ſed falſum eſt, & fidei prorſus adverſum illud principium. Igitur datur in Eccleſia Pęnitentiæ Sacramentum, quo peccata poſt Baptiſmum patrata abluuntur. Probatur minor variis momentis.

Primo quidem ex ſanctis Patribus. Sanctus Cyprianus Epiſt. ad Antonianum 55. alias 52. verſus finem Pęnitentiam ſacramentalem habet ut remedium pro lapſis adverſus peccatum.

" *Miror*, ait, quoſdam ſic obſtinatos „ eſſe, ut dandam non putent lapſis pœ„ nitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment „ veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: „ Memento unde cecideris, & age pęni„ tentiam, & fac priora opera. Quod „ utique ei dicitur, quem conſtat cecidiſ„ ſe, & quem Dominus hortatur per „ opera rurſus exurgere, quia ſcriptum „ eſt: Eleemoſyna a morte liberat; & „ non utique ab illa morte, quam ſemel „ Chriſti ſanguis extinxit, & a qua nos „ ſalutaris Baptiſmi, & Redemptoris no„ ſtri gratia liberavit; ſed ab ea, quæ „ per delicta poſtmodum ſerpit. „ Eo loci ut ex terminis Epiſtolæ conſtat, ſanctus ille Pater debellat Novatianos, qui omne adimebant pro peccatis actualibus abſtergendis auxilium, & ſolam aſſignat pro iſtis ægritudinibus pęnitentiam ſacramentalem, cujus remedii efficacia tanta eſt, ut ab ipſo mortis malo liberet, exſuſcitando animam quæ de morte ad vitam tranſit.

S. Hieronymus Epiſt. 27. alias 54. ad Marcellam de Montaniſtis Sacramenti Pęnitentiæ hoſtibus infenſiſſimis ita ſcribit: " Illi ad omne pene delictum, Ec„ cleſiæ obſerant fores; Nos quotidie legi-

legimus : *Malo pœnitentiam peccatoris , quam*
,, *mortem . Et numquid qui cadet , non re-*
,, *ſurget , dicit Dominus ? Et convertimini*
,, *ad me Filii convertentes , ego curabo con-*
,, *tritiones veſtras .*

Pacianus Barcinonenſis mira de hoc mo-
mento ſcripſit Epiſt. 1. ad Sympronianum
Novatianum his verbis . " Nonne , ille
,, (David) poſt cædis & adulterii rea-
,, tum , pro Bethſabce , pęnitenti Pro
,, pheta , reſpondit , *Dominus abſtulit a*
,, *te peccatum tuum ?* Nuoı Babylonium Re-
,, gem poſt tot idololatriæ facinora dam-
,, natum , exomologeſis non liberavit ?
,, Et quid eſt quod ait Dominus : *Nonne*
,, *qui ceciderit , reſurget , & qui averſus fue-*
,, *rit , convertetur ?* Et allato Prodigi pęni-
,, tentis , cujus miſertus eſt pater , exem
,, plo , tranſit ad aliud de vulnerato , ſed
,, per Samaritaoum curato . ,, Pergit :
" Quid ille in via vulneratus , a Levi-
,, ta & Sacerdote prætcritus ? Noone cu-
,, ratur ? ,, Cetera alia pro eadem verita-
te argumenta concludo iſtis Chriſti oracu-
lis Luc. 5. 32. *Non veni vocare juſtos , ſed*
peccatores . Rorſus Matth. 9. 12. *Non eſt*
opus valentibus Medicus , ſed male habenti-
bus . Demum Patres uno veluti calamo
Chriſtum prædicant Medicum , qui toties
per Sacerdotem curat peccatorum vuloe-
ra , quoties vuloerati pęnitentes acceduot ,
ut curentur . Quod oon obſcure ſubin-
digitat S. Auguſtinus , qui in iſta Pſal-
mi 146. verba : *Qui ſanat contritos corde ,*
& alligat contritiones eorum , ait : " Quæ
,, ſunt iſta alligamenta ? ,, Igitur rema-
net lapſis poſt Baptiſma remedium pro
peccatis , videlicet Pęnitentia , quam Pa-
tres non ſemel etiam alteram poſt nao-
fragium tabulam vocant .

Concilium Tridentinum ſuum addit calcu-
lum Seſſ. 14. c. 1. " Quoniam autem ,
,, *inquit* , Deus , dives in miſericordia ,
,, cognovit figmentum noſtrum ; illis et-
,, iam vitæ remedium contulit , qui ſeſe
,, poſtea in peccati ſervitutem , & dæmonis
,, poteſtatem tradidiſſent , Sacramentum
,, videlicet Pęnitentiæ , quo lapſis poſt
,, Baptiſmum , beneficium mortis Chriſti
,, applicatur . ,,

§. V.

Quintum argumentum ex diſtinctione Pœnitentiæ ſacramentalis a Baptiſmo depromitur .

NON ſolum Novatiani primis Eccleſiæ
ſæculis , ſed & ultimis Proteſtantes , Sa-
cramenti Pœnitentiæ veritatem inficiati
ſunt ; illi nullum pro peccatis actualibus
remedium agnoſcentes , iſti admittentes
quidem , ſed non aliud quam Baptiſmi fidem .
Atqui , prioribus proſtratis , poſteriores
falſitatis inſimulantur . Res iſto probatur
argumento . Pęnitentia eſt Sacramentum a
Sacramento Baptiſmi prorſus diſtinctum . Igi-
tur ſicut Novatiani , ſic & Proteſtantes de
falſitatis crimine evincuntur . Probatur mi-
nor multis momentis .

Primo quidem ex his quæ diximus de ſe-
ptenario Sacramentorum numero , Eccle-
ſiæ Orientalis & Occidentalis conſenſione
probato , e cujus calculo ſi Pęnitentiam ex-
cipias , non complebitur .

Secundo , ex utriuſque teſtamenti auctorita-
te : veteris quidem , in quo circumciſio tam-
etſi in remedium peccati originalis data ,
nuſquam tamen pro patratis peccatis ab
hominibus jamjam circumciſis data fuit ;
ſed potius ſacrificiorum copia , quæ juxta
peccatorum diverſitatem erant etiam diver-
ſa , ut legitur Levit. cap. 4. 5. & 6. Igitur
& a ſimili Sacrameotum pro remiſſione
peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum ,
eſt vel ab ipſo Baptiſmate diverſum : ſed
oec novum teſtamentum hanc ſalutarem fi-
dei veritatem ſilet : cum ipſe Chriſtus an-
te Paſſiooem ſuam dederit Apoſtoli ba-
ptizandi poteſtatem , alteram vero omnino
diverſam pro remittendis pecc. Matt. 18.
promiſerit his verbis : *Quæcumque ſolveritis*
ſuper terram , erunt ſoluta & in cælo , quam
tandem omnibus completam numeris , poſt
Reſurrectionem dedit iiſdem Diſcipulis di-
cens , Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum :*
quorum remiſeritis peccata remittuntur eis .
Hinc 1. Joan. 1. habetur : *Si confiteamur*
peccata noſtra , fidelis eſt & juſtus , ut remit-
tat nobis peccata noſtra , & emundet nos ab
omni iniquitate .

Tertio , ex Traditione Patrum . Primus
occurrit Cyprianus , qui tractatu de lapſis
celebrat ex profeſſo Pęnitentiæ Sacramen-
tum , præcipiens beneficium abſolutionis

dari

dari peccatoribus vere pœnitentibus, qui opera ſatisfactoria illis juxta Canonum regulas impoſita rite compleverant. Item Epiſt. ad Cornelium 59. alias 55. poſt medium, de hoc capite ita loquitur: "Concilio frequenter acto, non conſenſione tantum noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret. „ *Pacem*, hoc eſt abſolutionem.

Non abſimilia ceteri proferunt SS. Patres. Ambroſius Lib. ad Virginem lapſam c. 8. qui eo loci Pœnitentiam ſacramentalem vocat ſecundam poſt naufragium tabulam. Gregorius Naz. Orat. in ſancta lumina. Hieronymus in cap. 3. Iſaiæ. Epiphanius Hær. 59. Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio. Cyrillus Lib. 12. in Joan. c. 59.

Non prætereundus S. Auguſtinus, qui Epiſt. ad Bonifacium 98. alias 23. ſuam clariſſime ſic aperit mentem n. 2. "Semel perceptam parvulus Chriſti gratiam non amittit, niſi propria impietate; tunc enim etiam propria incipiet habere peccata; quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur. „ Rurſus Lib. 2. de adulterinis conjugiis c. 16. " Si a Catechumeno, *ait*, factum eſt *homicidium*, Baptiſmate abluitur, & ſi a baptizato, Pœnitentia & reconciliatione ſanatur.

Quid memorem perpetuam pro eadem traditione Eccleſiæ diſciplinam? Et vero conſtat ex antiquis canonibus pœnitentialibus non reiteratione Baptiſmatis, & ſola ejus proclamata fide, ſed præviis ſatisfactoriis pœnitentiæ laboribus, lapſos per abſolutionem ſacramentalem fuiſſe reconciliatos: Igitur abſurdum non ſecus ac erroneum eſt propugnare, Pœnitentiam eſſe indiſtinctum a Baptiſmate Sacramentum. Conclamant adverſus iſtud commentum Canones; conclamat Eccleſiæ praxis; conclamat vel ipſe Pœnitentiæ & Baptiſmatis ritus: cum ſola Confirmatio, & Euchariſtia appendices Baptiſmi a ſanctis Doctoribus dicantur: cum Baptiſmus ab ipſa vagiente Eccleſia datus ſit ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti*: Pœnitentia vero ut Sacramentum ſub iſta: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, vel alia æquivalente.

Demum pro coronide ſit & doctrina & definitio Concilii Tridentini, quod hanc veritatem miris conſignat rationibus. Sic docet Seſſ. 14. cap. 2.

Ceterum hoc Sacramentum, *Pœnitentiæ*, „ multis rationibus a Baptiſmo differre „ dignoſcitur. Nam præterquam quod materia & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſime diſſidet, conſtat certe Baptiſmi Miniſtrum Judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem Judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, judicare? Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lavacro Baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit. Nam hos ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tamquam reos, ſiſti voluit; ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi, & alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus, &c. „

His peractis totum hac definitione can. 2. abſolvit; *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit*.

§. VI.

Sextum argumentum ſit, ex auctoritate Eccleſiæ a Chriſto Domino conceſſa ad remittenda peccata.

SACRAMENTUM Pœnitentiæ meo potiſſimum conſiſtit, quod per illud remittuntur peccata, quæ quidem auctoritas in Deo principaliter reſidet, juxta illud Pſal. 83.

23. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*; & iſtud Job. cap. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo?* . . . . . . *Nonne tu qui ſolus es?* Sed hæc poteſtas a Chriſto Eccleſiæ conceſſa eſt. Igitur inter Sacramenta novæ legis annumeranda eſt Pœnitentia. Minor patet ex ſupra dictis: maxime ex illo Chriſti oraculo apud Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Nnoc vero eadem probatur propoſitio, auctoritate Patrum primorum ſæculorum, qui ne uno quidem excepto, verba Chriſti de poteſtate ad remitteoda peccata Eccleſiæ conceſſa intellexere.

Clemens Romanus, Conſtitutionum Apoſtolic. Lib. 2. c. 48. alias 52. juxta editionem Doctoris Sorbonici 1698. factam, ſic habet: " Nolite de omni peccato eamdem proferre ſententiam, ſed de uno quoque propriam; cum multa prudentia judicantes ſingula delicta, cum parva, tum magna; atque aliter ſancientes de peccato operis, iterumque aliter de peccato ſermonis; diverſe enim de delictis propoſiti, aut convicii, aut ſuſpicionis. Et quidem ex peccatoribus hos ſolis minis ſubjicies, illos eleemoſynis erga pauperes; alios vero jejuniis comprimes, & alios pro gravitate criminis ſui a Fidelibus ſeparabis. „

S. Cyprianus Epiſt. 54. num. 57. ad B. Cornelium ait: „ Statueramus, quidem jam pridem, frater chariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ab adverſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam pleoam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. „ Nomine *pacis* dubio procul intelligit abſolutionem peccatorum, quæ lapſis nonniſi poſt longos exantlatos pœnitentiæ ſatisfactoriæ labores, concedebatur.

Firmilianus ejuſdem eſt labii: ſic loquitur de eodem momento Epiſt. 75. quæ reperitur inter Epiſtolas S. Cypriani: " Soli Petro Chriſtus *dixit*, Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis: Et iterum in Evangelio, quando in ſolos Apoſtolos inſufflavit Chriſtus dicens, Accipite Spiritum ſanctum: ſi cujus remiſeritis peccata, remittentur illi; & ſi cujus tenueritis, tenebuntur. Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis quas illi a Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis qui eis ordinatione Vicaria ſucceſſerunt. „

Sanctus Pacianus non in uno loco perſtringit Novatianos, qui hanc Eccleſiæ ineſſe poteſtatem negabant, eo fucato innixi principio, quod ſoli Deo remittere peccata competere autumarent: quaſi vero eam Eccleſiæ concedere non poſſet, maxime cum Sacerdotes agant ſolum ut Miniſtri Chriſti, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei*. Porro Miniſtri actio non ſolum non impedit cauſæ principalis operationem, quin potius eam ſupponit, cum non agat niſi ut motus, dicente ſancto Joanne cap. 1. v. 33. *Hic eſt qui baptizat*, ſcilicet Chriſtus, ut ſummus & principalis Sacerdos. Audiamus nunc S. Pacianum, qui Epiſtola 1. ad Sympronianum ſic reſpondet ad argumentum Hæreticorum: " Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt: ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud quod Apoſtolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis & quæcumque &c. Cur hoc, ſi ligare homlnibus ac ſolvere non licebat? An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet & Spiritum ſanctum dare ſolis, & ſolis Gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam Apoſtolis imperatum eſt . . . Si ergo & lavacri & chariſmatis poteſtas, majorum looge chariſmatum ad Epiſcopos inde deſcendit; & ligandi quoque jus adfuit, atque ſolvendi. „

Sanctus Ambroſius non abſimili modo eidem facit ſatis objectioni, atque poteſtatem abſolvendi peccata io ſancta Chriſti Eccleſia reſidere prædicat Lib. 1. de Pœnitentia c. 2: ubi ſic ſcribit: " Sed aiuot ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus, refundere. Nam cum ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum deti-*

„ *nueri-*

,, *meritis, detenta erunt*. Quis eſt ergo qui
,, magis honorat, utrum qui mandatis
,, obtemperat, an qui reſiſtit? ,, Idem
aſtruit c. 6. idem L. 2. de Penlt. c. 7.

Tertullianus factus Montaniſta L. de pudicitia cap. 21. impugnat quidem illam
poteſtatem, ſed retorta ſagitta, redit in
ſagittarium ipſum, quippe qui illam agnoſcat in Eccleſia. Quid plura? Ante ſuum
lapſum illam pro virili defendit L. de Pęnitentia cap. 3. In priori loco ſic argumentatur: " Quis enim dimittit delicta, niſi
,, ſolus Deus? Et utique mortalia quæ in
,, ipſum fuerint admiſſa, & in templum
,, ejus. Nam tibi quæ in te reatum habeant,
,, etiam ſeptuagies ſepties juberis indulgere
,, in perſona Petri .... De tua nunc ſententia quæro, unde hoc ejus Eccleſiæ
,, uſurpes? Si quia dixerit Petro Dominus: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tibi dedi claves regni
,, cœleſtis; vel: Quæcumque alligaveris,
,, vel ſolveris in terra, erunt alligata
,, vel ſoluta in cęlis, id circo præſumis
,, & ad te derivaſſe ſolvendi & alligandi
,, poteſtatem, id eſt ad omnem Eccleſiam
,, Petri propinquam. ,, Ex verbis Tertulliani liquet, quod S. Zephirinus quem impetit, poteſtatem ſolvendi & ligandi ineſſe
Eccleſiæ propugnaret: ſed ſimul & audis,
teſte Tertulliano hujuſce poteſtatis uſum
antiquiſſimum, nec ab alio fonte quam a
Chriſto per Apoſtolos profluxiſſe.

Idem Tertullianus ſed tunc Catholicus
fidelis in poſteriori loco ſuum addit huic
veritati calculum. " Omnibus ergo delictis,
,, *ait*, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto,
,, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per
,, judicium deſignavit, idem & veniam per
,, pęnitentiam ſpopondit. ,, Quibus vocibus (*per judicium*) agnoſcit Tertullianus in Eccleſia ſolvendi & ligandi poteſtatem. Rurſus ſed & expreſius de eodem loquitur momento Scorpiaci 10. " Si
,, adhuc, *inquit*, clauſum putas cęlum,
,, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe,
,, quas hic unuſquiſque interrogatus atque
,, confeſſus feret ſecum.,,

Inſigne eſt ſancti Hilarii teſtimonium
can. 16. in Matth. explanans hanc B. Petri
confeſſionem: *Tu es Filius Dei vivi*. Exclamat: " O in nuncupatione novi nominis felis Eccleſiæ fundamentum,
,, dignaque ædificatione illius petra quæ
,, iufernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret! o beatus
,, cęli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo: ut quæ in terrls aut ligata ſint aut
,, ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cœlo.,,

Inter omnes eminet S. Joan. Chryſoſtomus, qui L. 3. de Sacerdotio c. 5. ſic intonat: " Qui terram incolunt, atque in
,, ea verſantur, iis comiſſum eſt, ut ea
,, quæ in cęlis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt ut poteſtatem habeant, quam
,, Deus optimus neque Angelis, neque
,, Archangelis datam eſſe voluit: Neque
,, enim ad illos dictum eſt, Quæcumque
,, alligaveritis in terra, erunt alligata &
,, in cœlo; & quæcumque ſolveritis in
,, terra, erunt ſoluta & in cœlo. Habent
,, quidem & terreſtres principes vinculi
,, poteſtatem; verum corporum ſolum.
,, Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit,
,, atque ad cęlos uſque pervadit; uſque
,, adeo ut quæcumque inferne Sacerdotes
,, confecerint, illa eadem Deus ſuperne
,, rata habeat, ac ſervorum ſenteutiam
,, Dominus confirmet: ,, Cap. 6. ſic proſequitur ,,: Corporis lepram purgare, ſeu
,, verius dicam, baud purgare quidem,
,, ſed purgatos probare Judæorum Sacerdotibus ſolis licębat: Neque neſcis
,, quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio ac concertatione ſacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero
,, noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram,
,, verum animæ ſordes, non dico purgatas
,, probare, ſed purgare prorſus conceſſum
,, eſt.,,

S. Auguſtinus Serm. 8. nunc 67. de verbis Domini, non minus expreſſe quam
egregie eamdem aſtruit veritatem: A
" mortuo, velut qui non ſit, perit
,, confeſſio. Quis eum ſuſcitabit? niſi qui
,, remoto lapide clamavit, dicens, Lazare, prodi foras? Quid eſt autem foras
,, prodire? ..... Qui confitetur, foras
,, prodit. Foras prodire non poſſet, niſi
,, viveret: vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.,, Rurſus ibidem occurrit
cuidam objectioni, & eam ſolvit: " Dicit ergo aliquis, quid prodeſt Eccleſia,
,, ſi jam Confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodir? Quid prodeſt Eccleſia.

,, confitenti, cui Dominus ait, Quæ ſol-
,, veritis in terra, ſoluta erunt & in cęlo?
,, Ipſum Lazarum attende, cum vinculis
,, prodit. Jam vivebat confitendo; ſed non-
,, dum liber ambulabat vinculis irretitus.
,, Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum
,, eſt, Quæ ſolveritis, ſoluta erunt? Niſi
,, quod ait Dominus continuo ad Diſcipu-
,, los, Solvite illum, & ſinite abire.,,

S. Cyrillus Alex. L. 12. in Joan. cap.
56. ait: " Certe abſurdum non eſt peccata
,, remitti poſſe ab illis *Diſcipulis*, qui Spi-
,, ritum ſanctum in ſe ipſis habeant. Nam
,, cum ipſi remittunt, aut detinent, Spi-
,, ritus qui habitat in eis, per eos re-
,, mittit & detinet. Erit autem id per
,, eos duobus, ut arbitror, modis. Primum
,, Baptiſmo, deinde Pęnitentia.,,

Sanctus Proſper Aquitanicus Lib. 2. de
vita contemplativa cap. 2. loquens de Sa-
cerdotibus, ait: " Ipſi januæ civitatis
,, æternæ, per quos omnes qui credunt
,, in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum.
,, Ipſi janitores, quibus claves datæ ſunt
,, regni cęlorum. Ipſi etiam diſpenſatores
,, regiæ domus, quorum arbitrio in aula
,, Regis æterni dividuntur gradus, & of-
,, ficia ſingulorum.,,

Mira de eodem momento ſcribit ſanctus
Gregorius Hom. 26. in Evang. Namque
iſta Chriſti ponderans verba, *quæcumque
&c.* ait: " Ecce non ſolum de ſemeti-
,, pſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ
,, obligationis poteſtatem relaxationis acci-
,, piunt, principatumque ſuperni judicii
,, ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam pec-
,, cata retineant, quibuſdam relaxent. Sic
,, ſic eos a Deo decebat erigi, qui tan-
,, tum pro Deo, conſenſerant humiliari.
,, Quique diſtrictum Dei judicium metuunt,
,, animarum judices fiunt, & alios dam-
,, nant vel liberant, qui ſemetipſos da-
,, mnare metuebant. Horum profecto nunc
,, in Eccleſia Epiſcopi locum tenent: li-
,, gandi atque ſolvendi auctoritatem ſuſci-
,, piunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.
,, Grandis honor, ſed grave pondus iſtius
,, honoris; durum quippe eſt, ut qui neſcit
,, moderamina vitæ ſuæ, judex vitæ fiat
,, alienæ.,, &c.

Venerabilis Beda ſubjectum deſcribit ex
verbis ſancti Gregorii, in quod jus habent
Paſtores ſuam poteſtatem exercendi, in li-
bello qui inſcribitur *Sintillæ*, ſive *loci com-
munes*, qui totus ex Patrum ſcriptis colle-
ctus eſt. Capite igitur 74. quod inſcribi-
tur, *de ligatione*, relatis Chriſti verbis,
quodcumque ligaveris &c. ſuam & ſancti
Gregorii mentem ſic prodit: " Quos om-
,, nipotens Deus ſuſcitat per compunctio-
,, nis gratiam, illos Paſtoris ſententia
,, abſolvet; illos nos debemus per Paſto-
,, ralem auctoritatem ſolvere, quos Au-
,, ctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſci-
,, tantem gratiam vivificare.,, Rurſus
Comment. in cap. 2. Joan. ait: " Po-
,, tuit enim, *Chriſtus*, ligamenta ſolvere,
,, qui mortuum ſuſcitavit, ſed propter
,, unitatem ſanctæ Eccleſiæ Dei, & in-
,, dividuam charitatem dicitur Miniſtris,
,, id eſt, Diſcipulis Chriſti, Solvite
,, eum.,,

Haymo Halberſtatenſis Epiſcopus, Hom.
poſt Octavas Paſchæ ante medium, ſic
ait: " *Quorum remiſeritis* ..... hanc po-
,, teſtatem dimittendi peccata primum
,, dedit Dominus Petro dicens ante paſ-
,, ſionem: *Tu es Petrus, & ſuper hanc pe-
,, tram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi
,, dabo claves regni cælorum: & quodcumque
,, ligaveris ſuper terram, erit ligatum &
,, in cælis*. Multi arbitrati ſunt propter
,, hoc, quia ſpecialiter dixit Dominus,
,, *Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.*
,, hanc poteſtatem ſoli Petro datam. Sed
,, manifeſtum eſt non ſolum illi datam
,, hanc poteſtatem, ſed etiam omnibus
,, Apoſtolis ſicut eidem Petro. Dixit Do-
,, minus alibi Matth. 18. *Si peccaverit
,, in te frater tuus, corripe eum inter te &
,, ipſum ſolum*... ſi autem ſic ſe non cor-
,, rexerit, *dic Eccleſiæ* &c. *Amen dico vo-
,, bis, quæcumque alligaveritis ſuper terram,
,, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſol-
,, veritis ſuper terram, erunt ſoluta & in
,, cælo*. Ecce omnibus Apoſtolis dedit
,, hanc poteſtatem, & in Apoſtolis, om-
,, nibus Prælatis Eccleſiæ, Epiſcopis, Pre-
,, sbyteris, Abbatibus, ut quoſcumque
,, viderint humiliter confiteri peccata ſua,
,, & plangere, ſolvant eos a peccatis:
,, quos viderint in priſtinis peccatis per-
,, manere, & ad humilitatis confeſſionem
,, non deſcendere, oſtendant eos ligatos
,, in conſpectu omnipotentis Dei.,, Ha-
ctenus Haymo.

S. Anſelmus eadem dicit Commentar.
in caput 16. Matth. vet. edit. " Notandum
,, eſt, *inquit*, quod hæc poteſtas *ligandi
,, & ſolvendi* non ſolum Petro data eſt, ſed

,, ſicut

ſicut Petrus unus pro omnibus reſpondit, ſic in Petro omnibus hanc poteſtatem dedit. Unde poſt paſſionem dictum eſt: *Quorum remiſeritis peccata &c.* nec ſolis Apoſtolis, ſed etiam omnibus Epiſcopis & Presbyteris hæc poteſtas conceſſa eſt. ,, Rurſus in cap. 11. Joan. “ Statim prodit, id eſt, reatum ſuum confitetur, & quia jam vivit, Solvite illum; inquit Jeſus. Dixit enim, *Quæcumque ligaveritis &c.* ,,

Concinunt Theologi; omnium inſtar ſit ſanctus Thomas, qui in Supplemento 3. part. q. 17. art. 1. docet ineſſe Eccleſiæ claves ad aperiendum peccatoribus regnum cęlorum; ſic enim loquitur in corpore articuli: “ Et ideo dicitur ſecundum quoſdam, habere calvem excellentiæ: & quia ex latere Chriſti dormientis in cruce Sacramenta fluxerunt, ex quibus Eccleſia fabricatur, ideo in Sacramentis Eccleſiæ efficacia paſſionis manet; & propter hoc etiam miniſtris Eccleſiæ, qui ſunt diſpenſatores Sacramentorum, poteſtas aliqua ad prædictum obſtaculum removendum eſt collata, non propria, ſed virtute divina & paſſionis Chriſti: & hæc poteſtas metaphorice clavis Eccleſiæ dicitur, quæ eſt clavis miniſterii. ,, Audis poteſtatem qua remittuntur peccata, nomine clavis celebrari a ſancto Thoma; ſicut enim clavis aperit januam, ſic & Sacerdos aperit cęlos peccatori, eum a peccatis abſolvendo.

Sanctus Doctor eamdem pertractat materiam ib. art. 2. in corpore, docendo hanc eſſe Miniſtris Eccleſiæ poteſtatem, ut ligent & ſolvant; hoc eſt, ut peccatores pęnitentes abſolvant, rebelles vero expellant, ſeu ligent ad pœnam ſatisfactoriam, priuſquam abſolutionis beneficium eis conferant. Eo loci ſic habet: “ Dicendum quod ſecundum Philoſophum in 2. de anima, potentiæ per actus definiuntur; unde cum clavis ſit potentia quædam, oportet quod per actum ſive uſum ſuum definiatur; & quod in actu objectum exprimatur, a quo ſpeciem recipit actus & modus agendi; ex quo apparet potentia ordinata. Actus autem poteſtatis ſpiritualis non eſt, ut cœlum aperiat abſolute, quia jam apertum eſt, ut dictum eſt: ſed ut quantum ad hunc aperiat; quod quidem ordinate fieri non poteſt, niſi ejus idoneitate cui aperiendum eſt cœlum, penſata; & ideo in prædicta definitione clavis, ponitur genus, ſcilicet *poteſtas*: & ſubjectum poteſtatis, ſcilicet *judex Eccleſiaſticus*: & actus, ſcilicet excludere & recipere, ſecundus duos actus materialis clavis, qui ſunt aperire & claudere: cujus objectum tangitur in hoc quod dicit, *a regno*: modus autem in hoc quod dicit, *dignos* & *indignos*, in illis in quos actus exercetur, penſatur. ,,

Demum ibid. art. 3. in corpore, totam abſolvit quæſtionem diceudo, duas eſſe claves, ſeu duplicem Eccleſiæ poteſtatem: alteram, qua Sacerdos abſolvit a peccatis: alteram vero qua vel ipſa retinet peccata: hoc eſt, juſto judicio ſuſpendit abſolutionem, quæ quidem non datur, donec peccator, quantum in ſe eſt, & Deo & proximo nonnumquam læſo ſatisfaciat. “ Dicendum, *inquit*, quod in omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo ſunt neceſſaria ei qui debet actum illum exercere, ſcilicet judicium de idoneitate recipientis, & expletio actus. Et ideo etiam in actu juſtitiæ, per quem redditur alicui hoc quo dignus eſt, oportet eſſe judicium quo diſcernatur an iſte ſit dignus; & ipſam redditionem: & ad utrumque horum auctoritas quædam, ſive poteſtas exigitur. Non enim dare poſſumus, niſi quod in noſtra poteſtate habemus: nec judicium dici poteſt, niſi vim coactivam habeat, eo quod judicium jam ad unum terminatur: quæ quidem determinatio in ſpecalativis fit per virtutem primorum principiorum, quibus reſiſti non poteſt; & in rebus practicis per vim imperativam in judicante exiſtentem. Et quia actus clavis requirit idoneitatem in eo, in quem exercetur, quia recipit per clavem judex Eccleſiaſticus diguos, & excludit indignos, ut ex dicta definitione patet: ideo indiget judicio diſcretionis, quo idoneitatem judicet, ex ipſo receptionis actu: & ad utrumque horum poteſtas quædam ſive auctoritas requiritur; & ſecundum hoc diſtinguuntur duæ claves, quarum una pertinet ac judicium de idoneitate ejus qui abſolvendus eſt, alia ad ipſam abſolutionem. ,,

§. VII.

Septimum argumentum adverſus hæreticam pravitatem ſumitur ex foro Eccleſiæ.

POENITENTIÆ Sacramentum eſt judicium latum ut reus abſolvatur quantum ad culpam, & ligetur quantum ad pœnam pro peccatis ſatisfactoriam. Illud docet ſanctus Thomas 3. part. q. 17. art. 1. ſed a Chriſto nato hujuſmodi judicium latum eſt in foro Eccleſiæ; & probatur ex Traditione, qua conſtat eſſe duplex forum Eccleſiaſticum, unum ſcilicet externum, quo abſolute pœnitentes aut cenſura aliqua, aut aliis pœnis aſtringuntur: alterum internum, quo ſacramentaliter reconciliantur; ita ut mirum ſit Proteſtantes illud retinere, iſtud vero abnegare, cum utrumque auctoritate, ratione & uſu comprobetur.

Forum externum Eccleſiaſticum, omni auctoritatum genere ſuffultum.

TUM primum audiendus eſt Apoſtolus, qui 1. Cor. 6. ita loquitur: *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus quanto magis ſæcularia?* Quid plura? Ita fideles a prophanis deterret judiciis ſanctus Paulus, ut malit viliſſimos inter fideles eligi ad judicandum: *Sæcularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Ecce forum Eccleſiaſticum celebratum a ſancto Paulo, qui nedum res religionis, ſed & ſæculares Eccleſiam ſpectantes ibi diſcuti, & ad metam perduci præcipit.

Idem aſtruit forum S. Clemens Lib. 2. Conſt. c. 45. & ſequentibus: de eo ſermonem iterum inſtituit Epiſt. 1. quæ refertur ab Ivone Carnotenſi p. 6. c. 345. & Gratianus 11. q. 1. c. 32. " Si qui, *ait*, „ ex fratribus negotia habent inter ſe, apud „ cognitores ſæculi non judicentur, ſed „ apud Presbyteros Eccleſiæ, quidquid „ illud eſt dirimatur, & omnimodo obe- „ diant ſtatutis eorum. „

Celeberrimum eſt ſancti Cypriani teſtimonium Epiſt. 55. nunc 59. ad ſanctum Cornelium verſus finem: " Opto omnes in „ Eccleſiam regredi, opto univerſos com- „ militones noſtros intra Chriſti caſtra, „ & Dei patris domicilia concludi; re- „ mitto omnia, multa diſſimulo ſtudio & „ voto colligendæ fraternitatis, etiam „ quæ in Deum commiſſa ſunt, non ple- „ no judicio religionis examine delictis „ pluſquam oportet remittendis pene ip- „ ſe delinquo. „ Audis ſanctum Præſulem loqui de foro pœnitentiali externo, de judiciis ferendis non ſolum de lapſis & de idololatria, verum etiam univerſim de peccatis graviſſimis per pœnitentiam inflictam expiandis; namque de culpis enormibus in genere ſermonem habet.

Obſervandum venit forum Eccleſiaſticum reddita pace Eccleſiæ, in immenſum auctoritate creviſſe, maxime Conſtantini Magni erga Eccleſiam Chriſti benevolentia; ſtatuit enim cauſas Eccleſiaſticas a judicibus tantum ab Eccleſia ſelectis diſcuti ſimul & definiri; quocirca fremens adverſus Donatiſtas ad ipſum pro rebus religionis provocantes, eos ſic alloquitur: " O „ rabida furoris audacia! ſicut in cau- „ ſis Gentilium fieri ſolet, appellatio- „ nem interpoſuerunt. „ Optatus Milevitanus Lib. 1. pag. 44. idem ipſe hanc ſanxit legem, quæ in fine codicis Theodoſiani legitur: *Multa enim quæ in judicio captioſo præſcriptionis vincula non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſancta religionis auctoritas.* Hoc edictum ſuo munivit calculo Theodoſius, hoc ſuo Carolus Magnus, hoc Ludovicus Pius, qui illud in ſua tranſtulit Capitularia Lib. 6. cap. 281. Illud ipſum refert Gratianus II. q. 1. c. 35. *Quicumque.*

Neque vero omittendum eſt, ut ſubnotat doctiſſimus Morinus Lib. 1. de adminiſtratione Pœnit. c. 9. ſæculo circiter XI. Epiſcoporum auctoritatem etiam in cauſis laicorum prævaluiſſe, poſtea vero decreviſſe; adverſante Judicum Regiorum poteſtate, ita tamen ut forum pœnitentiale tametſi a foro pro rebus civilibus divulſum, intactum ad noſtra uſque tempora permanſerit, quandoquidem ad noſtra uſque tempora floret ſemper poteſtas per excommunicationem aliaſve juris pœnas ſcandalizantium compeſcendi proterviam.

Hu-

Hujuſce poteſtatis Eccleſiæ Chriſto coævæ tot teſtes habemus, quot Canones pęniteotiales. Juvat aliqua hic texere Concilia quæ pœoas prolapſis ſtatueruot.

Concilium Ancyranum anno 314. celebratum, varias pro variis peccatis pœnitentias aote abſolutionis beneficium adimplendas in vigioti quatuor Cinonibus præſcribit; juxta verſionem Gentiani Serveti. Can. 4. habetur: " De iis qui vi ſacrifi-
,, caruot, & propterea ad idola pranſi
,, ſunt, quicumque abducti quidem, & læ-
,, tiore habitu acceſſerunt, & veſte ſum-
,, ptuoſiore uſi ſunt, & parati praodii,
,, non ægre id ferentes, participes fue-
,, runt, viſum eſt anno audire, tribus autem
,, aonis ſubſteroi, ὑποπεσεῖν, ac ſupplices
,, eſſe, ſoli autem orationi duobus annis
,, commuoicare, & tunc ad id quo eſt
,, perſectum accedere, juxta verſionem
,, Dionyſii Exigui, ad perfectionis gra-
,, tiam pervenire. ,, Cao. 7. juxta eum-
,, dem Dionyſium: " Hi qui ſecundo &
,, tertio ſacrificaverunt coacti, quatuor
,, aonis pœnitentiæ ſubjiciantur; duobus
,, autem aliis ſine oblatione communicent,
,, & ſeptimo aono perſecte recipiaotur.
,, Can. 24. " Quidam ſponſam habens,
,, ſororem ejus violavit, & gravidam
,, reddidit, poſtmodum deſponſatam ſibi
,, duxit uxorem: illa vero quæ corrupta
,, eſt, laqueo ſe peremit. Hi qui fueruot
,, cooſcii, poſt decennem ſatisfactionem
,, juſſi ſuot ſuſcipi, ſecuodum gradus pę-
,, oitentiæ conſtitutos. ,,

Concilium Laodicenum antiquitate celeberrimum Can. 2. hæc ſtatuit: De his
,, qui diverſis facinoribus peccaverunt, &
,, perſeveraotes in oratione cooſeſſionis
,, & pęnitentiæ, converſiooem a malis
,, habuere perfectam, pro qualitate deli-
,, cti, talibus pęnitentiæ tempus impen-
,, ſum propter clementiam & bonitatem
,, Dei communio concedatur. ,,

Concilium Eliberitanum non abſimili antiquitate famoſum, ejuſdem eſt labii Can. 76. his verbis: " Si quis Diaconum ſe
,, permiſerit ordinari, & poſtea fuerit
,, in crimioe detectus mortis, quod ali-
,, quaudo commiſerit, ſi ſponte fuerit
,, confeſſus, placuit eum, acta legitima
,, pęniteotia, poſt trienoium accipere
,, commuoionem: quod ſi alius detexerit,
,, poſt quinquennium, acta pęniteotia,
,, accipere communionem laicam debere.
,, Mitto alias Synodos tum tertii tum quarti & quinti ſæculi, in quibus commemorata pęnitentiæ ſatisfactoriæ diſciplina, ad præparationem abſolutionis ſacrameotalis multis aliis inſtauratur Canonibus.

Forum internum Pœnitentiale, eodem auctoritatum pondere firmatum.

Hoc ipſum claret ex auctoritatibus modo adductis, maxime ex Canonibus Pęnitentialibus, cum uous eſſet judicum Eccleſiaſticorum ſcopus, reos pęnis ſatisfactoriis ligandos eſſe, ut his debite abſolutis, Eccleſiæ recoociliarentur, extrinſece ſimul & intrinſece. Extrinſece quidem, in conveotu Eccleſiæ per impoſitionem manuum, ut habetur in primo Concilio Nicæno Caoooe 9. Intrinſece vero per abſolutionem ſacramentalem, ut fuſiori calamo oſtendemus iofra, ubi de Couſeſſione. Impræſentiarum audieodi ſunt de foro interno & Apoſtoli, & ſancti Patres.

S. Paulus, poſt Chriſtum & Beatum Petrum, io hoc aſtrueodo foro emioet. Poteſtas autem Eccleſiæ io ſuo foro exercetur dupliciter; primo quidem, ligando: deiode vero ſolvendo, juxta illa Chriſti verba: *Quæcumque alligaveritis &c.* Apoſtolus utramque non ſioe ſolemnitate exercuit in Corinthium inceſtuoſum; ſic enim legitur 1. Cor. 5. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu, tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ecce alligatio ad pęnam: ab ea vero eumdem ſolvit 2. Cor. 2. *Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit; ſed ex parte, ut non onerem omnes vos. Sufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum caritatem. Ideo enim & ſcripſi ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis, & ego: &c.* Ex his liquet Apoſtolum, præſentibus Chriſtianis, ligaſſe ad pęoam peccatorem inceſtuoſum: pęoi-

tentia vero ſatisfactoria abſoluta, eumdem abſolviſſe, quantum ad culpæ reatum, vel per ſe immediate, vel per Eccleſiæ miniſtros; quod dubio-procul ſpectat forum internum.

Præter Canones Pœnitentiales, quibus forum internum celebratur, in quo quidem modo Epiſcopus, modo etiam ſimplex Sacerdos ligatos abſolvebat, ut obſervat Morinus ibidem Lib. 1. de Pœnit. cap. 10. habemus totum ſancti Clementis Inſtitutionum librum ſecundum. Cap. 10. docet Epiſcopum, qui peccatori temere parcit, reum eſſe: cap. 11. & 12. qua ratione delinquentibus veniam concedere debeat. Rurſus cap. 16. “ Cum vero delinquentem aliquem videris, acerbe ferens, jube eum ejici foras. De ejecto doleant Diaconi, eumque obſervent, & extra Eccleſiam contineant, & poſtea jubebis ingredi, & facta examinatione an pęniteat, ſitque dignus qui in Eccleſiam ex toto admittatur, caſtiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque ſeptimanarum, ut delicti genus & ratio popoſcerit; atque ita abſolve cum &c. „ Rurſus c. 20. eamdem explanat fori auctoritatem.

Concinunt Canones Apoſtolorum, de quibus licet ſit controverſia num ſint Apoſtolorum fętus, magnam tam auctoritatem obtinent propter antiquitatem, Can. 9. 10. 24. 31. 43. 48. 61. 71. 72. 73. 94. eadem aſtruitur poteſtas.

Optatus Milevitanus Lib. 7. multa ſcribit de foro interno ſub finem, ubi vocat Sacerdotes judices facti cujuſdam Macarii. Sanctus Ambroſius caput 6. libelli ad virginem lapſam ait: “ Quos æſtus ego ſuſtinui? quos pater tuus pro tua ſuſtinuit opinione labores, requirentes ſingulos, ſingulos aſtringentes, ut ad auctorem infamiæ veniremus? Grave enim erat nobis & intolerabile de Dei virgine vel turpe aliquid dici, vel credi. Nec has veritates ante oculos habuiſti, ne venires inimicis tuis in gaudium, & eos haberes infenſos, qui pro tua opinione laborabant. „ Ibi diſcutit judicium de illa virgine lapſa datum.

S. Innocentius. Epiſt. 3. ad Exuperium cap. 4. præſcribit modum agendi & procedendi in peccatis puniendis, tum publicis, tum etiam occultis. Interrogat Exuperius: “ Cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in conſortio adulterorum manere videantur. „ Sic reſpondet: “ Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deſerre conſueverunt; & ideo mulieribus, prodito eorum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commiſſo, non facile quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur, qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit. „ Eo loci ſanctus Pontifex regulas juris præſcribit, quibus crimina publica, quibus & occulta puniantur, & pęnitentia aboleantur: ſicque forum externum ab interno non ſejungit, cum de occultis peccatis luendis potiſſimum agat.

Eamdem veritatem evidenter docet ſanctus Auguſtinus paſſim in pluribus operibus. Serm. 16. nunc 82. poſt medium, eamdem ac Innocentius pertractat materiam pro foro contentioſo Eccleſiaſtico, aitque: “ Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum &c. „

Expreſſius Hom. ultima L. 50. Homil. “ Plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis ſæpe deſeruntur, & ea quæ ſciunt judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt. Quamvis enim vera ſint quædam, non tamen judici facile credenda ſunt, niſi certis indiciis. Nos vero a communione prohibere quemquam poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum. Quis ibi ſibi utrumque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator, & judex? „ Hoc probat ſanctus Doctor ex verbis S. Pauli 1.

Cor.

Cor. 5. *Nonne de iis qui intus ſunt, vos judicatis &c.* Et iterum homil. 49. exemplo Theodoſii peccatoris a communione reſciſſi, eamdem fori Eccleſiaſtici externi & interni probat poteſtatem, cum Imperator non reconciliatus ſit Eccleſiæ, niſi abſoluta prius, quam ipſi ſanctus Ambroſius injunxerat, pœnitentia.

Inſigne eſt quod ſanctus Gregorius Papa pro eodem foro dicit Homil. 26. ubi ſic habet : " Plerumque contingit, ut hic
,, judicii locum teneat, cui ad locum vi-
,, ta minime concordat. Ac ſæpe agitur
,, ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe
,, ligatus ſolvat. Sæpe in ſolvendis ac
,, ligandis ſubditis ſuæ voluntati motus,
,, non autem cauſarum merita ſequitur
,, ... ſæpe fit ut erga quemlibet proxi-
,, mum odio vel gratia moveatur Paſtor.
,, Judicare autem de ſubditis digne conſu-
,, lunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel
,, odia, vel gratiam conſequuntur. Unde
,, recte per Prophetam dicitur : *Mortifi-*
,, *cabant animas quæ non moriuntur, & vi-*
,, *tificabant animas quæ non vivunt*. Eze-
,, ch. 13. ,,

Rurſus : " Videndum eſt quæ culpa præ-
,, ceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta
,, poſt culpam, ut quos omnipotens Deus
,, per compunctionis gratiam viſitat, il-
,, los Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc
,, enim vera eſt abſolutio præſidentis,
,, cum æternum arbitrium ſequitur judi-
,, cis. ,, Iſtam pro Pœnitentia diſciplinam iterum tradit L. 12. Epiſt. 31. interrog. 4.

§. VIII.

Octavum argumentum ex Græcis recentioribus & aliis Eccleſiis Orientalibus depromitur.

NEDUM Græci vetuſtiores, ſed & recentiores omnes, tametſi ſchiſmatici, una cum ceteris Eccleſiis Orientalibus, forum internum, poteſtatem clavium ad remittenda peccata, & Pœnitentiam ut verum novæ legis Sacramentum agnoſcunt.

Græci quidem recentiores, vel ante Cyrilli Lucaris Patriarchæ CP. a fide apoſtaſiam, Pœnitentiam eſſe novæ legis ſacramentum propugnarunt; inter quos eminent Symeon Theſſalonicenſis, Meletius Piga, Gabriel Philadelphiæ, Alexius Rhaturus, Nicephorus Paſchaleius, Gregorius Protoſyncellus, & omnes Epiſcopi qui adfuere Concilio Florentino, in quo quidem nihil controverſiæ de iſto capite inter Græcos & Latinos motum eſt.

Ut primum vero Præſules animadverterunt Cyrillum Lucarem adoptaſſe confeſſionem fidei Calvinianæ, qua Pœnitentiam, Confirmationem, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium ex albo Sacramentorum expungebat, eum & ejus confeſſionem proſcripſerunt in Synodis anno 1638. & 1642. adunatis. Meletius Syrurgus fuſo calamo errores Calvini a Cyrillo adoptatos confutavit, tum & Doſitheus Patriarcha Jeroſolymitanus, nedum in ſua Synodo anno 1671. adunata, verum & in nova hujus Concilii editione multis ab eo elapſis annis facta, confirmavit actus; immo & alia quæ Epiſcopi ſuis atteſtationibus ad Regem Chriſtianiſſimum miſſis jamjam fecerant, ſua quoque atteſtatione & conſenſione roboravit.

Nunc in particulari loquendum eſt de Græcis, qui ante & poſt Cyrillum Lucarem floruerunt. Hi omnes ut magnum duxere crimen ab illo commiſſum homine, qui graviſſimorum peccatorum reus, ante abſolutionem a Sacerdote datam, ad ſacram menſam accedere audebat.

Agmen ducet Jeremias Patriarcha CP. qui in ſua prima ad Lutheranos reſponſione loquitur de ſacramento Pœnitentiæ & Confeſſione Sacerdoti facienda, ut peccator contritus criminum ſuorum obtineat abſolutionem; & ex Græco latine ſic redditur, ſic de ceteris textibus : " Oportet
,, eum, qui confitetur, ſua omnia ſingu-
,, latim, in quantum recordari poteſt,
,, deponere peccata, ea corde contrito,
,, & humiliato aperiendo. ,,

Ante Jeremiam Alexius Rhaturus, Eccleſiæ Corcyræ Chartophilax, varias Homilias prælo Venetiis anno 1560. mandavit, ubi mira de ſacramento Pœnitentiæ ſcribit. Prima Homilia in quartam Quadrageſimæ Dominicam ait : " Duplex
,, eſt judicium quod Chriſtiani ſubire de-
,, bent ..... Primum eſt Pœnitentiæ
,, judicium : alterum, judicium poſtre-
,, mum. Nam Chriſtus primum ſtabilivit
,, ex ſumma miſericordia in gratiam eo-
,, rum qui fuerunt regenerati aqua & Spi-
,, ritu ſancto, qui quidem in hac vita i'lo
,, Pœnitentiæ Baptiſmo lavari & purifi-
,, cari queunt. ,,

Tum recenſitis ad hoc Sacramentum debitis ex parte pœnitentis diſpoſitionibus, ſubdit: " Ut illud judicium ſubire va-
,, leat, oportet ut habeat judicem, qui
,, vices Jeſu Chriſti gerat. Quocirca Pœ-
,, nitens qui a Jeſu Chriſto ſanari cupit,
,, debet neceſſario ſe ſubmittere judicio
,, ejus Miniſtrorum, qui hanc habent, &
,, judicandi, & curandi omnis generis
,, morbos & infirmitates, ceteraque ad-
,, miniſtrandi Sacramenta poteſtatem.
,, Ex hoc confeſſio ſuam ducit originem
,, tamquam prior Sacramenti pars: quando-
,, quidem prima pęnitentia in ſpiritu per-
,, agitur, & eſt tum ad Deum conver-
,, ſio, tum ſpiritualis ſalus. Iſta poſterior
,, ſeu ſecunda fit mediante Jeſu Chriſto,
,, & ipſi Jeſu Chriſto, qui teſte ſancto
,, Paulo, ſolus eſt mediator inter Deum &
,, homines, & omnium apud Patrem
,, redemptio. Sicque Miniſter Jeſu Chri-
,, ſti, & ejus Myſteriorum diſpenſator,
,, debet ſedere ſuper thronum Jeſu Chri-
,, ſti, qui eſt ejuſdem crux, ex qua non
,, ſine magna ejus miſericordia exivit ſan-
,, guis, & aqua, ad totius mundi refor-
,, mationem & liberationem: Deinde manu
,, tenere duas claves quas Jeſus Chriſtus
,, dedit ſancto Petro, quæ virtute Paſſio-
,, nis Jeſu Chriſti, ligandi atque ſolvendi
,, poteſtatem habent, hoc eſt pęnitentem
,, a pœna æterna liberandi, & tranſitorio
,, judicio ligandi punitioni temporali, quæ
,, eſt corporis & ſanguinis Chriſti ſepara-
,, tio.,, Quibus verbis, eodem prorſus modo Sacramenti Pœnitentiæ, tum diſpoſitiones, tum eſſentiam, tum etiam effectus, ſicut Patres cum Eccleſia Romana ſemper expreſſerant, delineavit. Similia docet Hom. de reſurrectione Lazari.

Alter ejuſdem veritatis egregius teſtis eſt Damaſcenus Studita Subdiaconus, Salonicæ oriundus, qui anno 1568. varias etiam homilias juris publici fecit, quæ iterum Venetiis anno 1618. & 1628. prælo mandatæ ſunt. Inter eas quædam adſunt familiares ad bonum operandum adhortationes. In una primum adhortatur Fideles, ut ſæpius Confeſſario ſua deponant peccata: Tum ſubdit: " Quia
,, tametſi veſtra confiteamini peccata ho
,, mini qui vobis ſimilis eſt, attamen vel
,, ipſi Deo ea confitemini. Audite quod
,, Chriſtus ſuis dicit Apoſtolis, cum eos
,, ad prædicandum miſit: *Accipite Spiritum*
,, *ſanctum, quorum remiſeritis peccata, re-*
,, *mittuntur eis, & quorum retinueritis, re-*
,, *tenta ſunt*. Igitur hanc Deus dedit eis
,, poteſtatem, ita ut quorum retinerent pec-
,, cata, idem eſt ac ſi vel Deus ipſe reti-
,, neret, qui vero obtinent *abſolutionem*,
,, perinde eſt ac ſi Deus ipſe illam con-
,, cederet.,,

Non abs re erit hic texere locum ex appendice qui inſcribitur Εγχειρίδιον μεθοδικὸν, ſeu ex Manuali Methodico de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, cujus auctor eſt Nicephorus Paſchaleus, diſcipulus Theophanis Metropolitani Philadelphiæ, Venetiis ann. 1622. in lucem edito. Ibi de Sacramento Pœnitentiæ talis eſt ſermo: " Pœnitentia eſt Sacra-
,, mentum a Domino noſtro Jeſu Chriſto
,, inſtitutum, Η Μετάνοια τὸ λοιπόν εἶναι αὐτό
,, μυστήριον διατεταγμένον ἀπὸ τὸν κύριον ἡμῶν
,, Ιησοῦν Χριστὸν, &c. in quo quidem miniſte-
,, rio Sacerdotis, omnia remittuntur pec-
,, cata ab homine commiſſa, & cuncta ſol-
,, vuntur vincula peccatorum, quibus con-
,, ſcientia forſan erat ligata, & a pęnis æter-
,, nis liberat, & hoc juxta diſpoſitionem
,, pœnitentis.,,

Neque vero hic ſubnotare ſupervacaneum erit, tempore quo Cyrillus Lucaris totam Eccleſiam, adoptando Genevenſem confeſſionem, conturbabat, Georgium Coreſſium nomine illius Eccleſiæ accepiſſe Provinciam debellandi Antonium Leger Miniſtrum Domini Cornelii Haga Batavorum apud Portam Othomanam Oratorem, quod multis eruditis tractatibus Calvinianos confutando errores, peregit; ſed heu! acerbitate temporum deperditis, id ſolatii ſupereſt, quod Gregorius magnæ Eccleſiæ Protoſyncellus ejuſdem Correſii in Theologia Auditor juris publici fecerit anno 1635. fidei Eccleſiæ Græcæ juxta ejuſdem Coreſii ſui Magiſtri ſententiam compendium, in quo hæc memoriæ in perpetuum tradenda, de Sacrameto Pœoitentiæ ſcribit; " Cum loquendum nobis eſt de quinto
,, Sacramento, quod eſt Pęnitentia, pri-
,, mum nobis incumbit oſtendere eſſe Sacra-
,, mentum. Μετάνοια ... τὸ λοιπὸν εἶναι μυστήριον
,, &c. Quia vero nonnulli contendunt non
,, eſſe Sacramentum, ſed tantum aliquam
,, peculiarem habere gratiam ſibi annexam
,, qualem aqua luſtralis & panis benedi-
,, ctus conferunt: Ecce quæ dicimus. Duo
,, ſunt

„ ſunt in Sacramento, Ordo ſcilicet Eccleſiaſticus, & gratia quæ a Deo promanat vel pro futuro, vel pro præſenti: Pœnitentia autem Confeſſio eſt, quam homo emittit Confeſſario, qui ordine Eccleſiaſtico inſignitus eſt, gratia vero a Deo profluit, & remittit peccata, ut inde gratiam, regnum cęlorum promerendi, accipiat: Igitur illa eſt Sacramentum. „ Pergit: “ Sacramentum eſt actio inter Chriſtianos communis, qua quidem ſecernuntur, & perficiuntur ii qui fidem habent, & hoc ſanctitate quæ ineſt Sacramento. Res de Pęnitentia ſic ſe habet. Igitur eſt Sacramentum. „ Subdit vero: “ Cum Sacramentum ſitum ſit in aliquo naturali ſigno, quod gratiam occultam ſeu inviſibilem præcontinet, & utrumque in Pœnitentia reperiatur, ſequitur ipſam eſſe Sacramentum, ſecundum portum quo ſalvatur anima, ne fluctibus dæmonum immerſa pereat. „ Demum ibidem ait, tres eſſe Pęnitentiæ partes, nimirum contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Sed obſerves velim Cyrillum Lucarem, non niſi occulte, novam ſuam doctrinam Calvinianam prædicaſſe & diſſeminaſſe, e contra vero Gregorium Protoſyncellum ſua opera nedum juris publici feciſſe, ſed & dedicaſſe Archiepiſcopis, Epiſcopis & totius Græciæ Presbyteris, qui omnes huic fidei ſuum addidere calculum.

Non prætereundus Meletius Syrurgus, qui omnes ſingulatim articulos Confeſſionis Genevenſis erudite confutavit. Sic loquitur de Pęnitentiæ Sacramento: “ Quomodo non concederent confeſſionem peccatorum factam animo ſinceræ pęnitentiæ, conjunctam abſolutioni ſicut oportet datæ, ab eo cui claves regni cęlorum commiſſæ ſunt, eſſe Sacramentum? namque audiunt Dominum qui ſic ſtatuit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joan. 20. „

Confeſſio orthodoxa ab ipſo Meletio Syrurgo una cum Epiſcopis Ruſſiæ & Moldaviæ compoſita, & ab omnibus Græcis ultro ſuſcepta, veluti fidei regula, hæc de Pęnitentia complectitur: „ Quintum Sacramentum eſt Pęnitentia. *Τό πέμπτον μυςήριον ἐςὶ ἡ* Μετάνοια, *&c.* Quæ eſt dolor cordis de peccatis ab aliquo homine patratis, quæque aperit, coram Sacerdote ſe accuſando, cum firmo propoſito & vitam in poſterum emendandi, & pęnitentiam a Presbytero, juxta Eccleſiæ morem imponendam, adimplendi: Sacramentum iſtud efficax eſt, & ſuum ſortitur effectum, quum remiſſio, ſeu abſolutio peccatorum, ſecundum ritum Eccleſiæ a Sacerdote confertur; hinc ut primum pęnitens abſolutionem obtinet, eadem hora Deus per Presbyterum cuncta ei remittit peccata, juxta iſta Chriſti verba, Accipite Spiritum ſanctum &c. „

Nedum Græci, ſed & ceteri Chriſtiani Orientales agnoſcunt Pœnitentiam ut Sacramentum.

IN Liturgia, quam Coptitæ nomine S. Baſilii nuncupant, hæc oratio habetur: “ Domine Jeſu Chriſte Fili Dei Patris, qui cuncta peccatorum noſtrorum ſolviſti vincula virtute Paſſionis tuæ ſalutaris & vivificæ, qui inſufflando, in faciem tuorum ſanctorum Apoſtolorum, & Diſcipulorum, eis dixiſti *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt &c.*

Severus Aſchmenin de officiis Chriſt. MS. Ar. explicans verba laudata ad Apoſtolos directa, ait: “ Sacerdos rogat Deum, qui fidelis eſt in ſuis promiſſis exequendis, ut auctoritate ab eo, Diſcipulis conceſſa, ligandi & ſolvendi, vincula peccatorum remittat eis, ſuper quos hæc abſolutio pronuntiata fuerit. „

Incaſſum replicarent Proteſtantes loca laudata, nonniſi de abſolutione generali, & in communi peccatorum, qualis fit a Sacerdote immediate antequam corpus Chriſti diſtribuat adſtantibus ad ſacram menſam intelligi, cum in eodem ſenſu laudet verba iſta Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* ita & Antiqui Patres, & Græci etiam recentiores modo citati; ſic & propugnant omnes Theologi & Canoniſtæ Orientales. Sic Dionyſius Barſalibi: ſic Commentarium Arabicum ab Auctore Quæſtionum & Reſponſionum ex S. Joan. Chryſoſtomo excerptum. MS. Auct. Bib. R. Sic Echmini: ſic uterque Ebnaſſel: Sic Abulfarage & alii Summiſtæ coll. can. MS. Ar. Nomocan. Syr.

Quod

Quod autem ceteri ſenſus affixi verbis Chriſti, *Accipite Spiritum ſanctum*, ſint a mente Orientalium alieni, patet ex eo quod confeſſionem omnium & ſingulorum peccatorum, ut partem eſſentialem exigant, ex quo manifeſte ſequitur, eos habere Pœnitentiam, ut verum novæ legis Sacramentum. Varii ſunt qui id probant tractatus Arabes & Syriaci, anonymi quidem, ſed optimæ notæ. In uno hæc leguntur: " Sacerdos eſt medicus qui adminiſtrat *pro peccatis* remedium .... Confeſſio participationem Euchariſtiæ debet antecedere .... qui laborat morbo peccati, tenetur cuncta peccata ſecreta Sacerdoti aperire. „ &c. Rurſus in altero tractatu: " Nemo poteſt remiſſionem peccatorum obtinere, niſi prius cuncta peccata cum circumſtantiis deponat, ut poſtea eorum recipiat abſolutionem, qua indiget, ſin minus, non recipiet. „ Sed de his redibit ſermo, ubi de Confeſſione ex profeſſo agemus. Igitur a primo ad ultimum liquet Pęnitentiam eſſe novæ legis Sacramentum.

§. IX.

Nonum argumentum ex variis rationibus conflatur.

PRIMA ſic procedit. Illud eſt Sacramentum quod ita ab omni ævo tale celebratum eſt: ut qui hoc negaverint, ſtatim tamquam Hæretici & habiti, & debellati, & proſcripti ſint: Sed res ſic ſe habet, pro Sacramento Pęnitentiæ: Et probatur. Ut primum Montaniſtæ docuerunt graviora peccata, qualia ſunt idololatria, homicidium, & adulterium non remitti; Novatiani, non dari pro quocumque peccato mortali actuali remedium; Proteſtantes pœnitentiam eſſe Sacramentum a Baptiſmo indiſtinctum; a Patribus, a ſanctis Doctoribus, a Theologis, tum ab Eccleſia abjecti ſunt, ut ex hiſtoria critica hæreſum ſupra contexta liquet: Ergo &c.

Altera hæc eſt: de Pœnitentiæ Sacramenti neceſſitate non ſecus ac de Baptiſmi opitulatione ratiocinandum eſt; ſicut enim iſtud ad originalis, ſic & illud ad actualis mortalis ablationem inſtitutum eſt: Atqui Baptiſmus eſt Sacramentum de neceſſitate ſalutis pro remiſſione peccati originalis; Igitur & Pęnitentia eſt Sacramentum ad abſtergendum actuale mortale. Iſta ratio eſt divi Thomæ 3. p. q. 84. art. 1. in argumento *Sed contra*: " Sicut, *inquit*, Baptiſmus adhibetur ad purificandum a peccato, ita & Pęnitentia. Unde & Petrus dixit Simoni Mago Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*: Sed Baptiſmus eſt Sacramentum, ut ſupra habitum eſt. Ergo pari ratione & Pęnitentia. „

Tertia: Deus vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri; Chriſtus vero pro ſingulis mortuus eſt: Sed hujuſce & voluntatis & mortis effectus eſt Pęnitentiæ Sacramentum; quatenus eſt ad peccatum delendum remedium, ad ſummum vero proviſorem ſpectat dare media ad finem conducentia. Demum de charitate Redemptoris eſt, ea inſtituere Sacramenta quæ removent peccata quibus impeditur & fructus redemptionis, & hominum ſalus; nullum autem inter media ſalutis magis neceſſarium eſt poſt Baptiſma, quam Pęnitentia, cum ejus efficacia deleantur peccata actualia. Ergo &c.

Solvuntur Heterodoxorum objectiones.

Primo; ex Scriptura ſacra deprompta.

OBJICIUNT: Peccata poſt Baptiſmum commiſſa ſunt irremiſſibilia. Igitur non datur Sacramentum Penitentiæ; ceſſante quippe effectu cauſa inutilis cenſetur. Probatur antecedens: Si peccatum remitti poſſet, maxime oratione, qua Deus iratus, flectitur ut condonet: Atqui ne quidem oratione flectitur: Igitur a fortiori nec Pęnitentia. Probatur minor 1. Reg. 2. ſcriptum eſt. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo*. Non abſimilia habentur 1. Joan. 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.* Ergo &c.

Reſpondeo primo, incaſſum Heterodoxos exſufflare velle Pęnitentiæ Sacramentum, allatis ſuffultos Scripturæ locis, cum ex his non colligatur non dari in Eccleſia remedium pro peccatis actualibus, quando-

doquidem datur ex ipſo ſenſu Scripturæ obvio pro multis, ſed addo & pro omnibus, ut ex probationibus conſtat.

Reſpondeo ſecundo negando antecedens. Ad probationem nego etiam minorem. Ad ulteriorem ex Script. ſacris deſumptam; diſtinguo: Ei iſtæ auctoritates unum tantummodo probant, ſcilicet ad remiſſionem graviſſimorum peccatorum, qualia ſunt ea quibus cenſuræ incurruntur, obtinendam non ſufficere preces particulares, ſed publicas & ab Eccleſia fuſas requiri, concedo; ſoli enim Sacerdotes non ſine multiplici orationum ſuffragio a cenſuris abſolvunt; Et ſignificant quædam peccata eſſe abſolute irremiſſibilia, nego. Solutio eſt divi Ambroſii L. 1. de Pœnit. c. 8. " Non ſcriptum eſt *ait*: Nullus orabit pro eo, ſed quis orabit pro eo? Hoc eſt, quis ille ſit, qui in tali cauſa orare poſſit, quæritur, non excluditur. Denique habes in Pſal. 14. Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Non enim nullus, ſed probatus habitabit ...... Similiter igitur accipiendum? Quis orabit pro eo? Hoc eſt, ſingularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum, quia quo major culpa, eo majora quærenda ſunt ſuffragia. Non enim quicumque de vulgo, pro Judæorum populo, ſed Moyſes rogavit, quando vituli caput, fidei immemores adoraverunt." Pari & conſimili ratione qui vel habitu peccati mortalis, vel aliquo enormi ſcelere, vel cenſurarum vinculis propter peccata ſcandaloſa detinetur, in his & ſimilibus caſibus Juſtorum, & Eccleſiæ preces ad veniam obtinendam efflagitare debet.

Non abſimili modo verba S. Joannis explicat: *Eſt peccatum ad mortem non dico pro illo ut oret quis*: " Eſt enim, *ait*: non ad Moyſen & Jeremiam loquebatur, ſed ad populum, qui ſuorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere, cui ſatis eſt, ſi pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam Juſtorum orationibus reſervandam putet. Nam quomodo Joannes diceret non orandum pro delicto graviore, qui legiſſet Moyſen rogaſſe & impetraſſe, ubi erat prævaricatio voluntaria; qui ſciret etiam Jeremiam rogaſſe." Senſus igitur eſt peccatum eſſe ad mortem peccatoris, non quidem abſolute, ſed moraliter & ſecundum quid, niſi adjuvetur aliorum ſuffragiis: Hoc eſt gratiam converſionis moraliter loquendo, ſolus orans non obtinebit, ex eo quod ita adhæreat creaturæ, ut ab ea diſcedere nolit; hinc ut velit, orandum eſt pro illo, ſic cenſet, ſic pronuntiat multoties S. Auguſtinus in libris de gratia & L. arb. de corr. & g.

Reſpondeo ſecundo iterum diſtinguendo: Eſt peccatum ad mortem, eo quod veniam prævaricator ea qua par eſt humilitate, non expoſtulet, concedo: Eo quod ſit abſolute & ſimpliciter irremiſſibile, nego. De hoc momento audiendus eſt idem S. Auguſtinus. Lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 22. " Iſta differentia peccatorum, *ait*, Judam tradentem a Petro negante diſtinguit: non quia pęnitenti, vel petenti non ſit ignoſcendum, ne contra illam ſententiam Domini veniamus, qua præcepit ſemper ignoſcendum eſſe fratri petenti, ut ſibi frater ignoſcat: ſed quia illius peccati tanta labes eſt, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, etiamſi peccatum ſuum mala conſcientia & agnoſcere, & annuntiare cogatur. Cum enim dixiſſet Judas, Peccavi quod tradiderim ſanguinem juſtum: facilius tamen deſperatione cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam deprecatur eſt. Quapropter multum intereſt quali pęnitentiæ ignoſcat Deus, Multi enim multo citius ſe fatentur peccaſſe, atque ita ſibi ſuccenſent, ut vehementer ſe peccaſſe nollent: Sed tamen animam ad humiliandum, obterendum cor, implorandamque veniam non deponunt, quam mentis affectionem, propter peccati magnitudinem, jam de damnatione, illos habere credendum eſt."

Inſtant: Atqui quædam peccata eſſe præ ſua enormitate irremiſſibilia, ex Scriptura ſacra conſtat: Ergo &c. Probatur antecedens Matth. 12. habetur: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem, diſtinguo: Blaſphemia non re-

remittitur , hoc eſt difficile propter obdu-
rationem remittitur , concedo : irremiſſi-
bilis eſt, nego. Si quod peccatum fuit in
Spiritum ſanctum , maxime Judæorum,
qui reclamantibus Prophetis , Chriſtum,
ut legis prævaricatorem crucifigi ſatege-
runt : maxime ſcelus Simonis Magi, qui
pretio volebat donum miraculorum eme-
re: Attamen Chriſtus pro ipſis tranſgreſ-
ſoribus oravit: Petrus vero dedit Simoni
conſilium ut de ſuo peccato pęnitendo
veniam expoſtularet . Hoc ipſum dicit S.
Ambroſius L. 2. de Pęnit. c. 4. loquens
de Petro illum hominem nequam dam-
nante: " Vides quod hunc magica vani-
,, tate blaſphemantem in Spiritum ſan-
,, ctum , Apoſtolica auctoritate condem-
,, net , & eo magis , quia puram con-
,, ſcientiam fidei non habebat , tamen
,, non intercluſit ei ſpem veniæ quem in-
,, vitavit ad pęnitentiam . ,,

Reſpondeo ſecundo eamdem diſtinguendo
propoſitionem . Peccata in Spiritum ſan-
ctum ſunt irremiſſibilia ex parte peccato-
ris , quandiu agit ſemper ut peccator ,
concedo : Ex parte theſauri deficientis ,
nego . De conſumptione theſauri non eſt
timendum , inquit Clemens V. in Conci-
lio Viennenſi generali : Sed ſi peccator
præ malitia & cecitate credat Chriſtum
purum hominem , & in Beelzebub eji-
cere dæmonia , ſi gratiam hæretico ani-
mo ab illo non expectandam , propugnet,
citra dubium redditur peccatum , ejus cul-
pa irremiſſibile , juxta illud Chriſti Mat-
th. 7. *Non poteſt arbor mala , bonos fructus
facere* ; hoc eſt, ait divus Thomas, quan-
diu manet, & agit ut arbor mala : e con-
tra vero ſi ipſum de peccato pœniteat . In
eo prorſus ſenſu intelligendi ſunt Patres,
cum peccata in Spiritum ſanctum irremiſ-
ſibilia proclamant. Sic Hilarius explican-
dus cum hoc pronuntiat in cap. 12. Mat-
th. Ibidem enim hæc ſubjicit : " Sub
,, ſecreto indulgentiæ Dei repoſitam eſ-
,, ſe veniam, qua omne peccatum ſit re-
,, mittendum . ,,

Succinit S. Athanaſius L. de communi
eſſentia Patris , & Filii , & Spiritus ſan-
cti fol. 392. " Sunt alii , *ait* , qui in Spi-
,, ritum ſanct. impingunt , atque ita in
,, Chriſti deitatem blaſphemias dicunt ,
,, nimirum quod in Beelzebub Principe
,, dæmoniorum ejiceret dæmonia . De iſtis
,, intelligendum eſt quod ait : non remitte-
,, tur neque in præſenti ſæculo , neque
,, in futuro . Quin & hoc obſervandum
,, eſt, non dixiſſe Chriſtum , blaſpheman-
,, ti & pęnitentiam agenti remiſſionem
,, dandam non eſſe , ſed blaſphemanti ,
,, & in blaſphemia manenti : quandoqui-
,, dem nullum eſt peccatum irremiſſibile
,, apud Deum , in illis qui vere & animo
,, ſincero ut par eſt , pęnitentiam agunt . ,,
Rivetus Calviniſta hoc opus abjudicat A-
thanaſio : eſto multa non abſimilia repe-
riantur conſcripta ex quæſtionibus ad An-
tiochum , ſed iſtarum auctorem ſua ex li-
bro priori ut Athanaſium mentiretur ,
hauſiſſe non levior eſt ſuſpicio . Quidquid
ſit, auctor loci adducti eſt Athanaſio coę-
vus , & conſequenter magni ponderis .

Reſpondeo tertio ad eamdem difficultatem :
Peccata in Spiritum ſanctum ſunt irremiſ-
ſibilia , & eo loci loquitur Deus de impœ-
nitentia finali , concedo : de peccatis ut
ſic , & ſecundum ſe ſumptis , nego . Pec-
catum in Spiritum ſanctum illud dicitur
quod ex certa malitia contra conſcientiam
committitur , & hoc cum obſtinatione:
quod quidem peccatum , ſi ſecundum ſe
ſpectetur , dubio-procul eſt remiſſibile ,
cum Chriſtus mortuus ſit pro omnibus ,
& pro ipſis Judæis perſecutoribus orave-
rit : ſi vero conſideretur ut voluntatem
in peccato perſeverantem adjunctam habet ,
irremiſſibile eatenus dicitur , quatenus
peccator a malo non vult umquam rece-
dere , quæ quidem in peccatis obſtinatio
impœnitentia finalis vocatur : Dominus
Jeſus de hoc ſolum peccato loquitur , de
peccato ſcilicet Phariſæorum & Scriba-
rum , qui non ſolum nolebant in Chri-
ſtum credere , ſed ipſa opera ejus mira-
culoſa, virtute dæmoniorum facta non ſi-
ne enormi blaſphemia credebant .

Solutio eſt D. Auguſtini dicentis : " Non
,, poterant credere , quia nolebant . ,,
Rurſus Epiſt. 50. ad Bonifacium : " In-
,, telligant ergo non omne , ſed aliquod
,, ſignificatum eſſe peccatum in Spiritum
,, ſanctum , quod omnino non remitte-
,, tur . Sicut enim cum dixiſſet , Si non ve-
,, nirem , peccatum non haberent ; uti-
,, que non omne peccatum intelligi vo-
,, luit ; quandoquidem pleni erant mul-
,, tis magniſque peccatis ; ſed aliquod pro-
,, prium peccatum ; quod ſi non habe-
,, rent , poſſent illis omnia dimitti quæ
,, habebant ; id eſt , quod in eum venientem

,, non

,, non crediderunt. Hoc enim non habe-
,, rent peccatum, ſi non veniret: Sic
,, etiam cum dixit, Qui peccaverit in
,, Spiritum ſanctum. vel, Qui verbum di-
,, xerit adverſus Spiritum ſanctum, non
,, utique omne quod in Spiritum ſanctum
,, peccatur, facto, ſive dicto, ſed aliquod
,, certum, & proprium intelligi voluit.
,, Hoc eſt autem duritia cordis uſque ad
,, finem hujus vitæ, qua homo recuſat in
,, unitate corporis Chriſti quod vivificat
,, Spiritus ſanctus, remiſſionem accipere
,, peccatorum. Cum enim dixiſſet Diſci-
,, pulis: Accipite Spiritum ſanctum: con-
,, tinuo ſubjecit; Si cui dimiſeritis pecca-
,, ta, dimittentur ei: ſi cui tenueritis,
,, tenebuntur. Huic ergo dono gratiæ
,, Dei quicumque reſtiterit & repugna-
,, verit, vel quoquo modo fuerit ab eo
,, alienus uſque in finem hujus temporis
,, vitæ, non remittetur ei neque in hoc
,, ſæculo, neque in futuro; hoc ſcilicet
,, tam grande peccatum, ut eo teneantur
,, cuncta peccata, quod non probatur ab
,, aliquo eſſe commiſſum, niſi cum de
,, corpore exierit. Quandiu vero hic vi-
,, vit, eum, ſicut dicit Apoſtolus, pa-
,, tientia Dei ad pœnitentiam adducit.
,, Sed ſi ipſe perſeverantiſſima iniquita-
,, te, ſicut conſequenter adjungit Apoſto-
,, lus: Secundum duritiam cordis ſui &
,, cor impœnitens, theſaurizat ſibi iram
,, in die iræ & revelationis judicii Dei,
,, non remittetur ei neque in hoc ſeculo,
,, neque in futuro.,,

Duobus momentis probat ſanctus Doctor peccata quæcumque eſſe remiſſibilia: primo quidem auctoritate Chriſti ſic pronuntiantis, *Accipite Spiritum ſanctum .... cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei*. Secundo, ex eo quod ſolum peccatum impœnitentiæ non remittatur; quod utique probat oraculo Beati Pauli dicentis obdurato: *Secundum duritiam cordis ſui & cor impœnitens, theſaurizat ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei*. Idem docet ſanctus Auguſtinus Enchir. c. 82. & Serm. 11. de verbis Domini.

Inſiſtunt: Atqui ex Scriptura ſacra, peccata grauia poſt Baptiſmum commiſſa remitti non poſſunt: Ergo &c. Probatur antecedens. Hebr. 6. habetur: *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibi metipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*. Ergo &c.

Reſpondeo primo, negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Impoſſibile eſt ſemel illuminatos, hoc eſt baptizatos, rurſus renovari, ſcilicet iterum baptizari; non enim pœnitentia, proprie loquendo, inquit S. Auguſtinus in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos, homo renovatur, ſed curatur, concedo: impoſſibile eſt veniam peccatorum obtinere eos, nego. Doctor Gentium eo loci perſtringit Hebræos, qui Baptiſmum Chriſti non ſecus ac baptiſmata legis renovari putabant, oſtendendo hoc fieri non poſſe, eo quod ſicut una fides, ſic & unum Baptiſma admittitur. Apoſtolus ipſe hunc prodit ſenſum in verbis antecedentibus, ubi ſic loquitur, & ſic inchoat caput ſextum: *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni. Et hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus. Impoſſibile &c.* Audis Apoſtolum non niſi ſacramenta legis jam mortua refricare, contendendo peccata his non remitti, ac demum peccatores poſt ſuſceptum Baptiſma iterum atque iterum prolabentes, non ſine magna difficultate veniam obtinere.

Reſpondeo igitur aliter diſtinguendo: Impoſſibile eſt jamjam illuminatos, ſed in nova ruentes peccata, rurſum renovari ad pœnitentiam, hoc eſt, non ſine magna difficultate hoc fieri poteſt, concedo: & fieri non poteſt, ita ut graviſſima peccata ſint irremiſſibilia, nego. Hanc ſolutionem primo quidem Scripturæ ſacræ, cum SS. Patrum auctoritate munitam tradit ſanctus Thomas. Comment. in cap. 6. Epiſt. ad Hebr. lect. 1. iſta verba, *Impoſſibile eſt*, explicans, ſic de Apoſtolo loquitur: " Oſtendit imbecillitatem
,, eorum, erant enim imbecilles ad au-
,, diendum. Sicut enim in corporalibus
,, nullus ſtatus eſt ita periculoſus, ſicut
,, recidivantium, ita in ſpiritualibus,
,, qui poſt gratiam cadit in peccatum,
,, difficilius ſurgit ad bonum. Et circa

hoc

,, hoc facit tria : primo proponit bona quæ
,, perceperant : ſecundo difficultatem cau-
,, ſatam in eis ex recidivo, ibi *& prolapſi*
,, *ſunt* : tertio aſſignat rationem ibi, *rur-*
,, *ſus crucifigentes*.

Pergit ibidem : " Conſequenter cum di-
,, cit, *& prolapſi ſunt*, oſtendit difficulta-
,, tem ad reſurgendum cauſatam ex caſu.
,, Ubi notandum eſt quod non dicit, la-
,, pſi ſimpliciter, ſed prolapſi, id eſt, to-
,, taliter lapſi : quia ſi lapſi tantum eſſent,
,, non ita foret difficile reſurgere. Pro-
,, verb. 24. Septies in die cadit juſtus &
,, reſurgit. Quod ſi diceret Apoſtolus,
,, illos qui prolapſi ſunt, impoſſibile eſ-
,, ſe reſurgere, tunc poſſet dici, quod
,, in hoc notat maximam difficultatem re-
,, ſurgendi, ſcilicet & propter pecca-
,, tum, & propter ſuperbiam, ſicut patet
,, in dæmonibus. Sed quia dicit illos qui
,, ſemel prolapſi ſunt, non poſſe rurſus re-
,, novari ad pœnitentiam, nec eſt aliquod
,, peccatum in hoc mundo, a quo non
,, poſſit homo pœnitere, ideo aliter eſt in-
,, telligendum. Unde ſciendum, quod ex
,, hoc loco ſumpſit Novatus quidam, qui
,, fuit Presbyter Eccleſiæ Romanæ,
,, occaſionem errandi; voluit enim quod
,, nullus poſt Baptiſmum poſſet ad Pœ-
,, nitentiam reſurgere. Sed iſta poſitio
,, falſa eſt, ſicut dicit Athanaſius in Epi-
,, ſtola ad Serapionem : quia ipſe Paulus
,, recepit inceſtuoſum Corinthium, ſic-
,, ut patet 2. Cor. 2. Et ſimiliter Gal. 4.
,, quia dicit : Filioli mei quos iterum par-
,, turio &c. Eſt ergo intelligendum, ſic-
,, ut dicit Auguſtinus, quod non dicit,
,, quod impoſſibile eſt pœnitere, ſed quod
,, impoſſibile eſt rurſus renovari, id eſt
,, baptizari. Tit. 3. Per lavacrum regene-
,, rationis & renovationis &c. Numquam
,, enim poſſet homo ſic pœnitere, quod
,, poſſet iterum baptizari. Et hoc dicit
,, Apoſtolus, quia ſecundum legem, Ju-
,, dæi multoties baptizabantur, ſicut patet
,, Marc. 7. Et ideo ad iſtum errorem re-
,, movendum dicit hoc Apoſtolus. ,,

Rurſus hic q. 84. art. 10. ad 1. eamdem
tradit ſolutionem : " Ad primum di-
,, cendum, quod quia apud Judæos erant
,, ſecundum legem quædam lavacra in-
,, ſtituta, in quibus pluries ſe ab immun-
,, ditiis purgabant: credebant aliqui Ju-
,, dæorum, quod etiam per lavacrum Ba-
,, ptiſmi aliquis pluries purificari poſſet.
,, Ad quod excludendum Apoſtolus ſcri-
,, bit ad Hebr. 6. quod impoſſibile eſt eos
,, qui ſemel ſunt illuminati, ſcilicet per
,, Baptiſmum, rurſum renovari ad Pœniten-
,, tiam, ſcilicet per Baptiſmum, qui eſt
,, lavacrum regenerationis & renovationis
,, Spiritus ſancti. ,, Suffragatur ſanctus Am-
,, broſius L. 2. de Pœnit. cap. 2.

Reponunt : Atqui impoſſibile eſt poſt Ba-
ptiſmum in peccata gravia prolapſos etiam
renovari per Pœnitentiam ſacramentalem :
Ergo &c. Probatur ſubſumptum : Si res
ita ſe haberet, dubio-procul relinqueretur
hoſtia pro peccatorum illorum remiſſione.
Atqui ex eodem Apoſtolo non relinquitur;
ipſe enim eſt ſui ipſius interpres ib. c. 10.
his verbis : *Voluntarie enim peccantibus*, in-
quit, *nobis poſt acceptam notitiam veritatis*,
jam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terri-
bilis autem quædam expectatio judicii, & ignis
æmulatio quæ conſumptura eſt adverſarios. Er-
go &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum, ſupe-
rioribus innixus & auctoritatibus, & ra-
tionibus. Ad primam probationem, ne-
go minorem. Ad ulteriorem ex auctorita-
te Apoſtoli deſumptam, eadem eſt ſolutio;
vel etiam diſtinguo cum ſancto Auguſti-
no : Non relinquitur hoſtia, hoc eſt,
non expectanda nova Chriſti paſſio, no-
vumque ſacrificium per iterationem Ba-
ptiſmi iterum applicandum, concedo :
nova ſacramentalis pœnitentia, nego.
Una enim oblatione, Chriſtus, inquit in ea-
dem Epiſtola cap. 10. Apoſtolus, *in ſem-*
piternum conſummavit ſanctificatos. Quocir-
ca cum Sacrificium crucis ſit meriti in-
finiti, incaſſum aliquis novum expecta-
ret ſacrificium, ſed nec novum bapti-
ſma, cum iſto Sacramento paſſio Chriſti
deſignetur, & Chriſto per illud commo-
riamur : ſed non excluditur Pœnitentia ſa-
cramentalis.

Hanc egregiam textus Apoſtoli expli-
cationem luculenter tradit ſanctus Augu-
ſtinus in expoſitione inchoata Epiſt. ad
Rom. his verbis : " Non adhuc, *ait*,
,, pro peccatis relinquitur ſacrificium,
,, ſed de ſacrificio, de quo nunc loqueba-
,, tur Apoſtolus, id eſt holocauſto Do-
,, minicæ paſſionis, quod eo tempore of-
,, fert quiſque pro peccatis ſuis, quo ejuſ-
,, dem paſſionis fide dedicatur, & Chri-
,, ſtianorum fidelium nomine baptizatus
,, imbuitur : ut hoc ſignificaret Apoſto-
,, lus,

„ lus, non poſſe deinceps eum qui pecca-
„ verit, iterum baptizando purgari. Quo
„ intellectu non intercluditur pœnitendi
„ locus. „

In eamdem collimat interpretationem D. Thomas 3. part. q. 84. art. 10. ad 1. „ Ad quod, *ait*, excludendum, *ſcilicet Baptiſmi reiterationem*, Apoſtolus ſcribit „ Hebræis, quod impoſſibile eſt eos qui „ ſemel ſunt illuminati, ſcilicet per Bap- „ tiſmum, rurſum renovari ad Pœniten- „ tiam, ſcilicet per Baptiſmum, qui eſt „ lavacrum regenerationis & renovatio- „ nis Spiritus ſancti, ut dicitur ad Tit. „ 3. & rationem aſſignat ex hoc, quod „ per Baptiſmum homo Chriſto commo- „ ritur; unde ſubdit: Rurſum crucifi- „ gentes ſibimetipſis Filium Dei. „

Iterum Comment. in cap. 10. Epiſtola ad Hebr. lect. 3. illa expendens Apoſtoli verba: *Jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*: ait: " Ante enim reparatio- „ nem quæ facta eſt per Chriſtum, re- „ linquebatur hoſtia iſta quæ expectaba- „ tur; ſed nunc jam non expectatur alia „ mors ejus: ita nec per Baptiſmum „ ſemel acceptum expectatur alius Bapti- „ ſmus. „

Ad eamdem Apoſtoli per modum objectionis poſitam auctoritatem, adhuc, ſed aliter diſtinguo: Et eo loci loquitur ſanctus Paulus de peccato apoſtaſiæ a fide, quod quidem non eſt irremiſſibile, id eſt non ſine magna difficultate propter peccatoris obdurationem remittitur, concedo: & non relinquitur abſolute hoſtia pro illo peccato, nego. Apoſtolus hunc ſubindigitat ſenſum verbis antecedentibus & conſequentibus. Antecedentibus quidem, cum ait: *Non deſerentes collectionem noſtram*: tum vero ſubſequentibus: *Poſt acceptam notitiam veritatis*.

S. Thomas ibidem Comment. in c. 10. Epiſt. ad Hebr. lect. 3. mirum in modum hunc tradit Apoſtoli ſenſum, dicendo ſanctum Paulum eo loci innuere non remanere pro tanto peccato hoſtiam, ſeu gratiam efficacem, eo quod peccator per ſuam apertam & continuam Spiritui ſancto reſiſtentiam, reddat paſſionem Chriſti pro ſe inefficacem, quatenus ſua culpa pro illo inefficax evadit: attamen hoſtiam remanere pro quocumque peccato ſemper ſufficientem vult, hoc eſt, gratias ſufficientes ex meritis Chriſti ſemper adeſſe, quibus ſalvari poteſt impius & Apoſtata. Sic igitur Angelicus Doctor illa verba, *Jam non relinquitur hoſtia pro peccatis*, exponit: " Id eſt, *inquit*, hoſtia quam „ Chriſtus obtulit pro remiſſione pecca- „ torum, non eſt nobis utilis, quia illis „ dimittuntur peccata, qui de ipſis pœ- „ nitent. Matt. 26. Hic eſt enim ſan- „ guis meus novi Teſtamenti, qui pro mul- „ tis effundetur, ſcilicet efficaciter; ſed „ malis dicitur Iſaiæ 49. In vacuum la- „ boravi, ſine cauſa, & vane fortitudinem „ meam conſumpſi. Jerem. 6. Fruſtra „ conflavit tentator, malitiæ ejus non „ ſunt conſumptæ. „

Secundo, Objecta ex ſanctis Patribus excerpta.

OPPONUNT Heterodoxi: Qui ſuarum iniquitatum veniam nequit impetrare, citra dubium ejus peccata cenſeri debent irremiſſibilia. Atqui reus graviſſimorum peccatorum veniam impetrare non poteſt: Igitur peccata poſt Baptiſmum commiſſa remitti non poſſunt, adeoque non datur Pœnitentiæ ſacramentum pro remiſſione peccatorum actualium. Probatur minor ex ſancto Clemente Romano Libro 2. Conſt. Apoſt. c. 23. ſic loquente: " Si „ quis ex acie delinquat, tentans Deum, „ quaſi non inſequatur pœnis improbos, is „ veniam non impetrabit, quamvis illud „ ſecum dicat, bene mihi vertat Deus, „ quoniam ambulabo in converſatione cor- „ dis mei &c. „ Ergo &c.

Reſpondeo, nego minorem. Ad probationem dico, Conſtitutionum opus neque Apoſtolorum, neque ſancti Clementis fœtum eſſe; ſed cujuſcumque ſint, reſpondeo diſtinguendo minorem: Et eo loci agitur de impœnitentia finali, concedo: agitur enim de illo qui Deum ejuſque legem irridet, donec ultimum clauſerit diem; iſte autem veniam non obtinet, eo quod pœnitentiam jejunam admodum faciat: Et auctor cenſet quædam peccata eſſe prorſus & abſolute irremiſſibilia, nego. Auctor eſt ſui ipſius interpres ibidem c. 24. his verbis: " Epiſco- „ pus conſervet ſuos pro viribus, ut qui „ non deliquerunt, extra peccatum ma- „ neant; & qui deliquerunt, a delictis „ reverſos recipiat, medicinam adhiben- „ do. Quod ſi pœnitentiam crudelis non

„ admiſerit, peccabit in Dominum Deum „ ſuum, juſtificans ſeipſum ſupra illius „ juſtitiam, & non recipiens hominem, „ quem Deus per Chriſtum recipit..... „ hunc provocant ad iram, qui non reci- „ piunt pœnitentes. „ Audis auctorem increpare Epiſcopos qui ſeveritate crudeli acti, abjiciunt pęnitentes, illoſque reos judicio coram Chriſto eſſe contendunt. Igitur non exiſtimat veros pęnitentes, quantumvis peccatores, veniam non poſſe obtinere.

Contra: Atqui de facto quædam ſaltem peccata graviora, juxta ſanctorum Patrum ſententiam, eſſe irremiſſibilia conſtat: & probatur ex ſancto Cypriano, qui libro de lapſis ait: " Erſi tres in „ medio eorum fuerint, Noe, Job „ & Daniel, non liberabunt filios, ne- „ que filias, ſed ipſi ſoli erunt. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et ſanctus Cyprianus intelligit veniam non obtineri pro iis qui in crimine perſeverant, concedo: pro pęnitentibus, nego. S. Pacianus Epiſt. 3. ad Sympronianum hunc eſſe Cypriani ſenſum teſtatur, adulterinum vero alterum quem Novatiani Cypriano affingebant: " Ille enim cum lapſos ad „ pęnitentiam cogeret, qui pœnitere no- „ lebant, dicentes a Confeſſoribus ſive „ Martyribus ſe pacem accepiſſe, docuit „ & oſtendit quod nec Patriarchæ illi „ pro non pęniteotibus impetrarint. Ete- „ nim quis liberare poſſet invitum? quis „ pro ſuperbis humiliari, quis pro non „ pœnitentibus impetrare? Quod utique „ cum diceret, ad Pęnitentiæ cogebat „ remedia. Nec contra ſe locutus eſt ali- „ quid vir illius gravitatis & meriti, ſed „ fundendas a peccatoribus preces docuit, „ & Exomologeſim diligendam..... Non „ videns Moyſen, pro quibus non im- „ petraverit? Reverſus ad populum, quid „ audit in caſtris? Voces ebriorum & „ cantus idolothyti perſonabant. Adhuc „ perſeverabat in nequitia populus, adhuc „ in ipſo crimine permanebat, ac pœ- „ nitere non noverat. Attamen quis „ ſibi noſtrum dixit, quod Moyſes non „ impetraverit? Dixerat illi quidem „ Deus: Deliquit ante me, delebo eum „ de libro. Dixerat tamen auctoritate Ju- „ dicis, & Domini poteſtate: ſed vide „ quam cito reflexerit ſententiam adver- „ ſus populi malitiam irrogatam. Oſcul- „ ta. Propheta ſtatim ibidem: Et prædi- „ catus eſt, *inquit*, Moyſes in conſpectu „ Domini Dei ſui..... & propitius fa- „ ctus eſt Dominus de malignitate quam „ dixerat facere populo ſuo &c. „ Vides ſanctum Pacianum ab ipſo exemplo Moyſis probare Deum parcere peccatoribus pęnitentibus.

Replicant: Sanctus Athanaſius hanc ponit diſcrepantiam inrer gravia peccata & graviſſima quæ adverſus Spiritum ſanctum committuntur, quod illa deleantur, iſta vero neutiquam. Sic loquitur ille Pater Lib. in illum Evangelii locum, *Qui vir fidelis eſt*. Primo ait illum eſſe virum fidelem qui de Incarnatione Dominica nihil ſentit indignum: ſubdit vero eum qui de præclaris Chriſti operibus dubitare incipit, venia dignum eſſe; e contra vero eum qui Dei notitiam callens, Chriſtum ita abnegat, ut vel ipſius opera virtuti demoniorum tribuat. " Ubi quis, *ait*, Deitatis „ opera intuens incipit dubitare de In- „ carnatione Domini, & ille quidem ma- „ xime peccat.... Verum & iſtiuſmodi „ celeriter reſipiſcentibus veniam Chriſtus „ donaverit, eo quod & ipſi cauſam erro- „ ris ſui habeant ex magnitudine operum „ humanam naturam excellentium. At „ illi qui amborum iſtorum inſcitiam cæ- „ citatemque tranſcendunt, putantes ſe „ legis ſcientiam tenere, quales erant ejus „ temporis Phariſæi in inſaniam verſi, „ & Verbum quod in corpore eſt, pror- „ ſus abnegant, & divinitatis opera dia- „ bolo ejuſque dæmoniis imputant, meri- „ to iſtius impietatis indeprecabilem pœ- „ nam luunt.....In iſtiuſmodi impieta- „ tem delapſi erant ejus temporis Judæi, „ & inter Judæos Phariſęi..... Unde „ conſequenter illos Salvator noſter inve- „ niabiliter blaſphemare oſtendit. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et S. Athanaſius ponit diſcrimen inter peccata gravia, & alia graviſſima, quod priora nonnullis rationibus ſublevari, & quodammodo excuſari poſſint, cetera vero nec in fragilitatem, nec inadvertentiam aut ignorantiam refundi queant, concedo: quod abſolute remitti non poſſint, ſubdiſtinguo: Quandiu peccator obſtinatus remanet, & in malo perſeverat, concedo: ſi i-

Digitized by Google

ſi ipſum de his pęniteat, nego. Sanctus Athanaſius eſt ſui ipſius ioterpres in loco in probationem concluſionis allato: ſed & in iſto; namque loquitur de Judæis qui ex certa malitia Chriſto improperabant, nec a cæcitatis & malitiæ peccato deflectere volebant. Quod autem Deus facilius peccatis ignorantiæ, vel etiam fragilitatis, quam ceteris indulgeat, audiendus eſt Apoſtolus de ſe ipſo ſic loquens 1. ad Timoth. cap. 1. *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. Hoc ipſum etiam ſubindigitat Pſalmiſta Regius his verbis Pſal. 102. *Cognovit figmentum noſtrum: recordatus eſt quoniam pulvis ſumus*.

Inſiſtunt: Quod Patres eodem prorſus tenore dicunt, in ſenſu obvio intelligendum eſt: Sed peccata gravia dicunt irremiſſibilia ſimpliciter; & probatur ex Origene & Theoguoſto, quos ita loquentes inducit ſanctus Athanaſius Lib. in illa Evangelii verba: *Quicumque dixerit Verbum in Filium hominis*. " Priſci igitur homines, *inquit*, inter quos & Origenes, ,, vir multarum diſciplioarum, & multum induſtrius, & Theognoſtus ille ,, admirandus, & perquam ſtudioſus, tradunt nobis hanc eſſe blaſphemiam in ,, Spiritum ſanctum, cum qui dignati ſunt ,, per Baptiſma donis Spiritus ſancti, recurrunt ad peccata, atque inde eſſe, ,, quod remiſſionem non conſequantur. ,, Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem, ut ex probationibus liquet. Ad probationem diſtinguo, ut ſupra, vel etiam iſto modo: Peccata in Spiritum ſanctum ſunt irremiſſibilia, hoc eſt, minus digua veoiæ, quam peccata Ethnicorum io quibus Dei Redemptoris notitia deeſt, concedo: non ſunt abſolute, nego. Et vero nemo præter Novatianos dicet, omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa eſſe in Spiritum ſanctum blaſphemias, cum ſanctus Athanaſius in eodem aſſerat libro, eſſe contra omnes perſonas. " Ut neceſſario, ,, *inquit*, is qui peccat in Flium, & ,, blaſphemat, peccet in Patrem & in ,, Spiritum ſauctum, ,,

Reſpondeo 2. eaſdem aliter diſtinguendo auctoritates: Origenes & Theognoſtus paululum & durius & obſcurius locuti ſunt, concedo: & his adhærendum contra aliorum Patrum ſententiam & Conciliorum definitiones, nego. Solutio eſt Divi Athnaſii ibidem ſic loquentis: " Arbitror utriuſ- ,, que ſententiam nonnulla adhuc inquiſi- ,, tione & obſervatione indigere, num ,, occultior ſit aliquis & profundior in eo- ,, rum verbis intellectus?

Quod Origenes a fide pro hoc momento non diſceſſerit, non unus probat ejuſdem textus, maxime Lib. 3. contra Celſum. " Hi vero ut perditos, Deoque ,, mortuos lugent eos, qui libidine aliove ,, ſimili modo victi fuerint: ac rurſum re- ,, ſipiſcentes, haud ſecus quam redivivos ,, recipiunt tandem poſt longiorem me- ,, lioris mentis approbationem, quam cum ,, primum ad religionem diſcendam ad- ,, mittereotur, ea tamen conditione, ,, ut quoniam lapſi ſunt, excludantur in ,, poſterum ab omnibus digoitatibus & ,, magiſtratibus Eccleſiaſticis.

Rurſus objicienti Celſo Chriſtianos vel ipſos ſuſcipere peccatores, reſpondet, ea conditione ut pęnitentiam agant, ſuſcipi: " Modo peccator convertat ſe ad me- ,, liorem frugem. ,, Replicanti Celſo, Deum adulatione non flecti, reſpondet, pęnitentem non adulatione, ſed cordis contritione obtinere veniam. " An tibi ,, videtur adulatio querula, ſi peccator il- ,, lis divinæ Scripturæ precationibus uta- ,, tur, Deum alloquens: Peccatum meum ,, fateor, & iniquitatem meam non cęlo: ,, dixi, Confitebor contra me iniquitatem ,, meam. ,,

Reponunt: Traditio eſt fidei regula: illa vero ſententiis Patrum innixa perſeverat: ubi autem eſt Patrum conſenſus de aliquo momento, ibi ſaoe res iſta propugnari debet, uti loquuntur: Sed vix unum aut alterum reperies, qui non dicat peccata in Spiritum ſanctum non remitti in hoc ſæculo; & probatur: Præter jam laudatos, qui in ſenſu obvio hanc præ ſe ferunt ſententiam, inter reliquos inſigniores quidam referuntur. Inſtar omnium ſit ſanctus Ambroſius, qui Lib. ad virginem lapſam c. 8. ita ſcribit: " Inhære pęniten- ,, tiæ uſque ad extremum vitæ, nec tibi ,, præſumas ab humano die poſſe veniam ,, dari, quia decipit te, qui hoc tibi pol- ,, liceri voluerit. Quæ enim proprie ,, in Dominum peccaſti, ab illo ſolo te ,, convenit in die judicii expectare reme- ,, dium.

S. Hieronymus ejuſdem eſt labii Epiſt.

149. ad Marcellam, ubi teſtatur peccatum quo quis tormentorum metu Chriſtum negat, expiari quidem poſſe, ſed non alia in Spiritum ſanctum directe commiſſa. " Unde, *ait*, de toto ipſius Scri-
„ pturæ ordine convincendus eſt, non iis
„ irremiſſibilem dictam eſſe blaſphemiam
„ qui tormentis compulſi, & variis evi-
„ ſcerati cruciatibus, Dominum dene-
„ gaſſent; ſed iis qui cum in virtutibus
„ videant opera Dei, calumniantur, &
„ clamitant dæmonis eſſe virtutem, &
„ omnia ſigna quæ facta ſunt, non ad di-
„ vinam magnificentiam, ſed ad diabo-
„ lum pertinere.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem diſtinguo: Et eo loci S. Ambroſius unum tantummodo intendit, ſcilicet virginem peccato ſtupri ream, difficilius obtinere veniam, concedo: & propugnat peccatum ejus eſſe irremiſſibile, nego. Quod in ea non verſatus ſit ſententia, ex Lib. 1. de Pœnit. c. 2. jam laudato liquet, maxime ex illis verbis quibus Novatianos perſtringit ibidem c. 1.
" Sed negant his oportere reddi commu-
„ nionem, qui prævaricatione lapſi ſunt,
„ ſi unum tantum crimen exciperent ſa-
„ crilegii, cui veniam negarent: clare
„ quidem, ſed divinis tantum redargui
„ viderentur ſententiis, aſſertionibus ta-
„ men ſuis convenirent. Dominus enim
„ crimen nullum excepit, qui peccata
„ donavit omnia. „

Sed quorſum hæc omnia? Sanctus Doctor ſuum ipſe prodit ſenſum pro ſolutione datum ibidem c. 8. ubi virginem lapſam pro remiſſione obtinenda provocat ad pœnitentiam his verbis: " Cum fide
„ conceperis prævaricatricem animam ge-
„ hennæ ignibus tradi, nec aliud reme-
„ dium conſtitutum eſſe poſt Baptiſmum,
„ quam pęnitentiæ ſolatium, quantam-
„ vis afflictionem, quantumvis laborem
„ ſubire eſto contenta, dummodo ab æter-
„ nis pęnis libereris . . . . . Talis vi-
„ ta, talis actio pęnitentiæ, ſi fuerit
„ perſeverans, audebit ſperare: & ſi non
„ gloriam, certe pęnæ evacuationem. „
Porro incaſſum ad pœnitentiam laborioſam ſubeundam compelleret virginem lapſam ſanctus Ambroſius, ſi ſpes veniæ non affulſiſſet ei: ipſe enim Lib. 1. de Pęnit. cap. 1. ait: Nemo enim poteſt bene age-
„ re, niſi ſperaverit indulgentiam. „

Ad auctoritatem D. Hieronymi, ſimiliter diſtinguo: Et eo loci ſanctus Doctor unum tantummodo probare intendit, quod, dato & non conceſſo, peccata aliqua eſſe irremiſſibilia, qualia ſunt in Spiritum ſanctum blaſphemiæ, cauſa tamen caderent Novatiani, concedo: & propugnat quędam graviſſima irremiſſibilia eſſe, nego. Illi Hæretici contendebant omnia peccata gravia poſt Baptiſmum patrata eſſe irremiſſibilia, maxime ea quæ inter blaſphemias in Spiritum ſanctum annumerantur; hujuſce generis credebant idololatriam & negationem Chriſti, de quibus conturbata Marcella nobilis & perilluſtris Domina conſulere voluit S. Hieronymum, cui tria reſpondet. Primo quidem idololatriam & negationem Chriſti non eſſe in Spiritum ſanctum blaſphemias, ſin minus confunderentur iſta peccata cum iis quæ dicuntur committi in filium hominis. II. Blaſphemiam eorum qui negant Chriſtum poſſe remitti probat exemplo Petri, qui hujus peccati pęnitentia amara ab ipſo Chriſto obtinuit veniam. III. Demum brevitatis cauſa, præ curis & ſolicitudinibus, deficiente commoditate ad diſcutiendum iſtud momentum, num aliqua graviſſima peccata irremiſſibilia ſint, ait, quod hoc dato & non conceſſo falſiſſimum ſemper eſſe, omnia peccata actualia gravia irremiſſibilia eſſe, ut effutiebant Novatiani. Quod autem Hieronymus exiſtimaverit omnia prorſus per pœnitentiam condonari patet ex L. 1. adverſus Pelagianos c. 10. ubi in probationem hæc de Chriſto in gratiam pęnitentium profert: " Non vult perire
„ quemquam, nec delectatur mortibus
„ peccatorum, ſed ut convertantur, &
„ vivant. „

Tertio difficultates ex ratione prodeuntes.

OBJICIUNT: Nomine Pęnitentiæ ſacramentalis intelligitur Sacramentum confectum a Miniſtro qui remittit peccata: ſed hoc homo peragere nequit: Et probatur. Solus Deus peccata remittere poteſt, teſte ſancto Chryſoſtomo dicente Hom. 85. in Joan. Sacerdotem non niſi linguam præbere, qua loquendi formula ſignificatur Sacerdotem ſolummodo declarare peccata eſſe remiſſa.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probatio-

bationem diſtinguo : Solus Deus peccata remittit ut cauſa principalis, non excludens inſtrumentalem , concedo : & excludit Miniſtrum , nego . Sicut in cælo Deus Angelos habet ſuarum voluntatum Miniſtros , juxta illud Pſalm. 103. *Qui facis Angelos tuos , ſpiritus , & Miniſtros tuos , ignem urentem* . Sic & in Eccleſia pro Sacramentorum diſpenſatione Miniſtros habet . Non ſecus de Pęnitentia ac de Baptiſmo pronuntiatur Joann. *Hic eſt qui baptizat* . Hic eſt qui abſolvit : non ideo tamen Novatiani excludunt a Baptiſmo Miniſtrum . Quorſum igitur pro remittendis peccatis de medio illum tollerent ? Quia vero effectus nec aſſimilatur , nec tribuitur inſtrumento , eo quod agit ſolum ut motum , & in virtute cauſæ principalis a qua movetur & elevatur , optime dicit S. Chryſoſtomus Sacerdotem ſolummodo præbere in conficiendis Sacramentis linguam : ſed non ſenſus eſt Miniſtrum ea non vere conficere , & per eadem gratiam in anima ſuſcipientium producere . Ecce verba ſancti Doctoris :
" Sacerdos linguam & manus præbet :
,, Neque enim juſtum eſt propter alterius
,, malitiam ad ſalutem noſtram acceden-
,, tes offendi . ,,

Audiendus eſt de hoc momento S. Pacianus Barcinonienſis, qui Epiſt. ad Sympronianum Novatianum hanc præoccupat objectionem , & ſic reſpondet : " So-
,, lus hoc , inquies , Deus poterit ? verum
,, eſt : ſed & quod per Sacerdotes ſuos fa-
,, cit , ipſius poteſtas eſt . Nam quid eſt
,, illud quod Apoſtolis dicit ; Quæ ligave-
,, ritis in terris , ligata erunt & in cęlis :
,, Et ,quæcumque ſolveritis in terris,ſoluta
,, erunt & in cęlis ? Cur hoc , ſi ligare
,, hominibus , & ſolvere non licebat ? An
,, tantum hoc ſolis Apoſtolis licet ? Ergo
,, & baptizare ſolis licet , & Spiritum
,, ſanctum dare ſolis , & ſolis Gentium
,, peccata purgare : quia totum hoc non
,, aliis quam Apoſtolis imperatum eſt .
,, Quod ſi uno in loco & reſolutio vinculo-
,, rum , & Sacramenti poteſtas datur ; aut
,, totum ad nos ex Apoſtolorum forma &
,, poteſtate deductum ; aut nec illud ex
,, decretis relaxatum eſt . . . Si ergo & la-
,, vacri , & chariſmatis poteſtas , majorum
,, longe chariſmatum , ad Epiſcopos inde
,, deſcendit , & ligandi quoque jus ad-
,, fuit , atque ſolvendi . ,,

Inſtant : In Sacramento aliquid apparere debet , cum ſit cæremonia ſacra , eaque ſenſibilis . Sed in Pęnitentia nihil ſenſibile reperies , cum in actibus mere interioribus ſita ſit . Hinc S. Auguſtinus Lib. 3. qq. vet. Teſt. loquendo de ceteris Sacramentis , ſubjungit , gradum ad pęnitentiam faciens : " Quid tale , aut ipſi vi-
,, deant , aut aliis queunt oſtendere in eo
,, quod Sacramentum Pęnitentiæ vo-
,, cant . ,,

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Nihil reperies in Pęnitentia ceteris Sacramentis ſimile quoad elementum proprie dictum , concedo : quoad rationem ſigni ſenſibilis , nego . Duplicis generis ſunt Sacramenta : quædam habent materiam phyſicam & elementarem , ut Baptiſmus , Confirmatio , & quædam moralem , quæ in actibus voluntatis ſita eſt , ut Matrimonium in conſenſu , ut Pęnitentia in Confeſſione & dolore ; omnia ſenſibilem habent : namque conſenſus interior debet aut voce , aut nutibus exprimi in Matrimonio : peccata per Confeſſionem aperiuntur , dolor per voces aut pectoris percuſſionem ſe prodit , quod ſufficit ad rationem ſigni , juxta illud ipſius Aug. L. 10. Conſ. c. 35. his verbis : " Vide quid ſa-
,, piat , vide quid oleat , vide quid ſonet ,
,, vide quam durum ſit . ,, Ea igitur omnia ſigna dicuntur , quæ ſenſu percipiuntur .

Sanctus Thomas hic 3. p. q. 84. art. 1. ad ſecundum ait , materiam non adhiberi quidem a Miniſtro in Sacramento Pęnitentiæ , eo quod in actibus interioribus pœnitentis ſita ſit : ſed complementum Sacramenti a Sacerdote promanare :
" Dicendum , quod in Sacramentis , quæ
,, habent corporalem materiam , oportet
,, quod illa materia adhibeatur a Mini-
,, ſtro Eccleſiæ , qui gerit perſonam Chri-
,, ſti , in ſignum quod excellentia virtutis
,, in Sacramento operantis eſt a Chriſto .
,, In Sacramento autem Pęnitentiæ ſicut
,, dictum eſt , ſunt actus humani pro ma-
,, teria qui proveniunt ex inſpiratione in-
,, terna . Unde materia non adhibetur a
,, Miniſtro , ſed a Deo interius operante .
,, Sed complementum Sacramenti exhibet
,, Miniſter , dum pęnitentem abſolvit . ,,
Quibus verbis ſanctus Doctor docet verba extrinſecus & ſenſibiliter prolata , eſſe materiam ſimul & formam Sacramenti Pęniten-

tiæ, ea quidem in confeſſione facta & dolore pœnitentis expreſſa rationem materiæ ſubire, alia vero quæ a Sacerdote proferuntur rationem formæ, quippe quæ determinent tempora priora ad gratiam producendam, qui diverſus verborum reſpectus, & diverſa ſignificatio, & prolatio conficiunt Sacramentum.

Perſiſtunt: Atqui illa verba non conficiunt Sacramentum: Ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum: Chriſtus Joannis 20. loquens de remiſſione peccatorum, non aſtruit Pœnitentiam ut Sacramentum. Ergo &c. Probatur antecedens multipliciter: Primo quidem nullius formæ meminit. 2. Eodem modo dat poteſtatem remittendi peccata ac ipſe remittebat: ait enim: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Mulierem autem adulteram, & Magdalenam, & paralyticum, ſecluſo Pœnitentiæ Sacramento, abſolvit. Quid plura? Eodem quoque modo præcepit Apoſtolis ligare ac ſolvere: ſed ligare, non eſt Sacramentum: Igitur nec ſolvere.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego antecedens. Ad ulteriorem probationem, diſtinguo: Chriſtus non meminit formæ verbis explicitis, concedo: implicitis, nego. Citra dubium eſt eum inſtituiſſe Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii; quia vero hoc totum morale eſt, ideo ſuæ Eccleſiæ reliquit poteſtatem determinandi formam in particulari, ita tamen quod verba peccatorum remiſſionem operandam ſignificarent.

Ad ſequentem ejuſdem antecedentis probationem, utique diſtinguo: Eo prope modo quo Chriſtus a Patre miſſus eſt, ſuos & miſit Diſcipulos ad prædicandum verbum Dei, & remittenda peccata quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego. Comparationem non arithmeticam, ſed proportionis & geometricam eſſe non una evincit ratio. Primo quidem Chriſtus miſſus eſt a Patre per ſimplicem ab eo emanationem, omni prorſus ſecluſa dependentia, ipſe vero per modum imperii proprie dicti Apoſtolos veluti ſervos & Miniſtros ad prædicandum & remittenda peccata in orbem terrarum miſit, juxta illud S. Pauli 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*. 2. Chriſtus ratione poteſtatis excellentiæ, qua gratiam abſque Sacramentis poteſt producere, uſus eſt dum laudatos in objectione abſolvit, at vero miſit Diſcipulos ad hoc munus per Sacramenta, & ut myſteriorum diſpenſatores obeundum.

Ad tertiam probationem ejuſdem inſtantiæ, nego paritatem. Ratio diſcriminis ea eſt, quod abſolutio a peccatis inferat gratiæ productionem, & conſequenter ſupponat Sacramentum Pœnitentiæ: At vero ligatio non niſi ſecundarius poteſtatis ſacramentalis actus eſt, hinc poteſtatem ordinis potius quam Pœnitentiæ Sacramentum ſpectat.

Replicant: Poteſtas illa Apoſtolis a Chriſto conceſſa non eſt ut remitterent peccata, ſed tantummodo ut remiſſa declararent. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Pœnitentia tam erat in veteri Teſtamento neceſſaria, quam in novo. Atqui tamen erat tantum in priori remiſſionis peccatorum declarativa, tametſi abſolutio peccatorum commemoretur Deut. 4. & 30. Jerem. 3. 2. Regum caput 12. ubi ait Dathan ad David pœnitentem: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*. Demum Marci cap. 1. habetur: *Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem, diſtinguo majorem: Pœnitentia erat in veteri Teſtamento neceſſaria non ſecus ac in novo, & in iſto ſuperabundat gratia, concedo: & non ſuperabundat, nego. Quod Pœnitentia impræſentiarum ſit Sacramentum, non eſt penes neceſſitatem majorem vel minorem, ſed penes miſericordiam, quæ, teſte Apoſtolo, Rom. 5. Chriſto præſente ſuperabundavit: *Non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit*: Et in Epiſtola ad Hebræos 7. hanc ſtatuit inter utrumque Teſtamentum diſcrepantiam, quod ad nihil perfectum adduceret lex: e contra vero Evangelium, gratia Chriſti fecundatum. Concinit ſanctus Joannes c. 1. *Lex*, inquit, *per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*.

Jam vero quod Sacerdotes in veteri lege ſolum declarent peccata eſſe remiſſa, ultro

tio concedunt vel ipſi Hæretici. Hoc ipſum patet ex illis verbis Prophetæ Nathan ad David pęnitentem L. 2. Reg. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Quæ vox *tranſtulit*, in præterito, ſignificat Sacerdotes legis Moſaicæ, non remiſiſſe peccata, ſed tantummodo declaraſſe abſoluta; quem quidem ſenſum ſanctus Ambroſius Apologia prima pro Davide c. 2. exhibet his verbis: “ Inſaturitas itaque veniæ profundam fuiſſe pęnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offenſionem traduxerit„ Sed non ſic in nova lege: Chriſtus Dominus dedit poteſtatem Sacerdotibus, ut de facto peccata dimitterent: & ſenſus verborum in futuro prolatorum obvius talis eſt Matthæi 16. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Ratio a priori ea eſt, quod Miniſtri Eccleſiæ, teſte Apoſtolo, agunt ut inſtrumenta a Chriſto mota, juxta illud 2. Cor. 5. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur*. Quæ verba explanans ſanctus Chryſoſtomus Hom. 11. ſic intonat: “ Quod igitur, ait Apoſtolus, *pro Chriſto*
„ *legatione fungimur*, idem eſt, ac ſi di-
„ ceret Chriſti vice: nos enim ipſius mu-
„ neri ſucceſſimus. „

Perſiſtunt: In Sacramentis tria diſtinguuntur: videlicet id quod eſt Sacramentum tantum, id quod eſt Sacramentum & res, denique id quod eſt res tantum: Sed hæc tria in Sacramento Pœnitentiæ non reperiuntur. Igitur e numero Sacramentorum expungi debet.

Reſpondet ſanctus Thomas hic 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. his verbis: “ Dicen-
„ dum, quod etiam in Pęnitentia eſt ali-
„ quid quod eſt Sacramentum tantum,
„ ſcilicet actus exterius exercitus, tam
„ per peccatorem pęnitentem, quam et-
„ iam per Sacerdotem abſolventem: res
„ autem & Sacramentum, eſt pœniten-
„ tia interior peccatoris: res autem tan-
„ tum & non Sacramentum, eſt remiſſio
„ peccati. Quorum primum totum ſimul
„ ſumptum, eſt cauſa ſecundi: Primum
„ autem & ſecundum ſunt quodammodo
„ cauſa tertii. „

Reponunt: Quod facilitatem ad peccandum inducit, non debet uti ſacramentum haberi: Sed Pœnitentia ſacramentalis talis eſt; & probatur. Eſt facilitas veniæ, cum citra dubium facilius ſit habere gratiam per attritionem perfectam, quæ ſine magno labore concipitur: “ Facilitas au-
„ tem veniæ, *inquit ſanctus Ambroſius*
„ *Serm.* 8. *in Pſ.* 118. incentivum præbet
„ delinquendi. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Adjuvare quippe infirmum, non eſt eum ad peccatum provocare, ſed potius impellere ad ſatisfaciendum Deo: hoc ipſum præſtitit Chriſtus per Sacramenta juxta illud s. Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*. Ad probationem diſtinguo: Pœnitentia ſacramentalis eſt facilitas veniæ non excludens ſatisfactionis labores, concedo: excludens, nego. Pęnitentiæ ſacramentum eſt quidem efficacius pęnitentia veteris legis, quæ in ſacrificiis offerendis etiam ſita erat: ſed ſicut ſacrificia iſta non excludebant dolorem interiorem, ita nec Pœnitentia ſacramentalis in nova lege. Solutio eſt Divi Auguſtini, qui Homil. 27. ex quinquaginta confutat Ethnicos, qui Pęnitentiam abjiciebant, eo fucato innixi principio, quod anſam peccandi præbere autumarent. “ Dicunt, *ait*, nos dare peccatis licen-
„ tiam, quia portum Pœnitentiæ pol-
„ licemur. Si clauderetur aditus Pęni-
„ tentiæ, nonne ille peccator tanto ma-
„ gis adderet peccata peccatis, quanto
„ magis ſibi deſperare ignoſci? Diceret
„ enim ſibi: Ecce peccavi, ecce ſcelus
„ admiſi: jam mihi veniæ nullus eſt lo-
„ cus; pęnitentia infructuoſa eſt. Dam-
„ natus ſum; quare jam non vivo ut vo-
„ lo? quia ibi non invenio caritatem,
„ hic ſaltem paſcam cupiditatem meam.
„ Quare enim abſtineam? ibi enim locus
„ mihi clauſus eſt: hic quod non fecero,
„ perdo, quia quæ poſt hanc futura eſt
„ vita, mihi non dabitur. Quare ergo
„ non ſervio libidinibus meis, ut eas im-
„ pleam vel ſaturem, & faciam quid-
„ quid non licet, ſed libet? Ergo ſi tu-
„ leris portum pęnitentiæ, augebuntur
„ peccata. Ecce nihil dicunt illi qui pu-
„ tant augeri peccata, quia portus pęni-
„ tentiæ in Chriſtiana proponitur fide. „

Perſiſtunt: Omnes ferme Theologi qui poſt Magiſtrum Sententiarum ſcripſerunt, in ea verſari ſententia videntur, quod Sacerdotes non vere abſolvant, ſed ſolum peccata eſſe dimiſſa declarent. Igitur Pœnitentia non eſt proprie dictum Sacramentum.

Reſpondeo primo, contrarium ex dictis pate-

patere . Et vero SS. Thomas , Bonaventura , & omnes Eccleſiæ Academiæ , contrarium ex profeſſo docent : ſi qui tamen ſint qui credant abſolutionem a Sacerdotibus vere pęnitenti datam , jejunam eſſe , in hoc plurimum errant . Non diffiteor quidem Magiſtrum Sententiarum propugnaſſe peccata per veram & perfectam contritionem deleri , ſed ea intentione ut adjunctum habeat Pęnitentiæ ſacramentalis votum .

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo : Sacramentum Pęnitentiæ declarat peccatum eſſe remiſſum , & ſimul dimittit , concedo : & non dimittit , nego . Sicut alia Sacramenta , ſic Pęnitentia eſt ſignum gratiæ , ſed practicum , & non jejunum & vacuum . Sic docent , ſolis exceptis Proteſtantibus , omnes Orthodoxi . Quin immo vel ipſi Montaniſtæ Pœnitentiæ ſacramentum non abnegabant : quippe qui ſolum quædam graviſſima peccata irremiſſibilia dicerent , ut colligitur ex Tertulliano Lib. de pudicitia cap. 2. 9. 16. 20. 21.

Diluitur argumentum adverſus diſtinctionem Sacramenti Pœnitentiæ a Baptiſmo .

OBJICIUNT Heterodoxi : Apoſtolus nomine Baptiſmatis intelligit Pęnitentiam : Igitur Pęnitentia non eſt a Baptiſmo diſtincta , & ad ſummum ejus memoria eſt . Probatur antecedens : Hebr. 6. habetur : *Impoſſibile eſt enim eos , qui ſemel ſunt illuminati , guſtaverunt etiam donum cæleſte . . . . & prolapſi ſunt ; rurſus renovari ad Pœnitentiam* . Sed S. Thomas Comment. in illum locum nomine Pęnitentiæ renovandæ , intelligit Baptiſmum . Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens . Scriptura quippe de Baptiſmo & Pęnitentia , tamquam de duobus Sacramentis materia , forma , ritu & effectu diſtinctis , loquitur , juxta illud 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata noſtra ; fidelis eſt & juſtus , ut remittat nobis peccata noſtra , & emundet nos ab omni iniquitate* . Eo loci ſanctus Joannes commendat baptizatis pęnitentiam , ut peccatorum actualium remiſſionem obtineant . Non dicit : revocate in memoriam Baptiſmum , ſed pęnitentiam agite , videlicet laborioſam , juxta Patrum ſententias . Igitur Pęnitentia non eſt ſterilis Baptiſmi memoria .

Ad probationem , diſtinguo : Apoſtolus ibi loquitur de Pęnitentiæ ſacramento veteris legis , ut perſtringat Judæos , qui putabant Baptiſmum renovari poſſe , ſicut Pęnitentia quam prædicabat ſanctus Joannes Baptiſta , concedo : & loquitur de Pœnitentiæ ſacramento novæ legis ut a ſacramento Baptiſmatis indiſtincto , nego . Solutio eſt Divi Thomæ jamjam ſupra laudati .

Inſtant : Atqui Scriptura non loquitur de Baptiſmo & de Pœnitentia , tamquam de duobus ſacramentis ſpecie & numero diſtinctis : Ergo &c. Probatur ſubſumptum . Cum Chriſtus miſit Diſcipulos ad prædicandum Evangelium , dedit eis poteſtatem non ſolum baptizandi , ſed etiam remittendi peccata : ſic enim habetur Matth. 28. *Euntes ergo , docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus ſancti* . Rurſus ibidem cap. 16. *Quodcumque ſolveris ſuper terram , erit ſolutum & in cælis* . Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum . Ad probationem diſtinguo : Chriſtus ſuos mittendo Diſcipulos , dedit eis poteſtatem baptizandi , ſimul & remittendi peccata diverſimode , concedo : eodem modo , nego . Conſtituit eos Baptiſmi miniſtros ordinarios , extraordinarios etiam laicos : Pęnitentiæ vero ſolos Presbyteros , & hoc per modum juriſdictionis ; quocirca Laici , Subdiaconi , & Diaconi , etiam de via extraordinaria defectu poteſtatis juriſdictionis , a peccatis abſolvere non poſſunt . Omnis igitur qui abſolvit , poteſt & baptizare , ſed non e contra . .

Inſiſtunt : Atqui omnis qui baptizat , poteſt & a peccatis abſolvere . Ergo &c. Probatur ſubſumptum . Baptiſmus nedum peccatum originale , ſed & peccata actualia remittit ; ſic propugnat ſanctus Auguſtinus Lib. de nuptiis & concupiſcentia his verbis : " Lavacro regenerationis non „ tantum pecata præterita , ſed etiam poſterius admiſſa remittuntur . „ Sic Fulgentius Lib. de fide ad Petrum cap. 30. vocat Baptiſmum " Sacramentum fidei & „ pœnitentiæ „ juxta illud Luc. 3. de Joanne Baptiſta : *Venit . . . . prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* . Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens . Ad probationem diſtinguo : Baptiſmus etiam peccata actualia dimittit , ſed ante ſuſce-

ptio-

Digitized by Google

ptionem Baptiſmi commiſſa, concedo: poſt ſuſceptum Baptiſmum patrata, ſubdiſtinguo: radicaliter, concedo: formaliter, nego. Peccata actualia ſunt in duplici differentia: quædam ante, quædam vero poſt Baptiſmum commiſſa. Priora abſque ſacramento Pœnitentiæ, non tamen abſque pœnitentia virtute, quæ ſe per modum diſpoſitionis in adulto prærequiritur, per Baptiſmum remittuntur. Poſteriora vero non niſi per Pœnitentiam ſacramentalem, cum teſte Apoſtolo Hebr. 6. Baptiſma non reiteretur. Poteſt tamen in aliquo ſenſu dici peccata actualia in adultis jamjam baptizatis quodam modo etiam per Baptiſmum dimitti, quatenus Baptiſmus eſt ceterorum Sacramentorum janua, & totius gratiæ in aliis Sacramentis ſuſcipiendæ radix & primigenius fons, a quo cetera Sacramenta fluxu perenni emanant.

In iſto ſenſu intelligenda eſt utraque auctoritas. Sanctus Auguſtinus ipſe ſuum prodit ſenſum, aſſerendo quædam peccata remitti virtute Sacramenti a Baptiſmo diſtincti; namque ibidem ſubjungit: " Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet? " Clarius Epiſt. 23. " Si parvulus baptizatus, *inquit*, grandævus factus, propria inceperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, ſed alia curatione reſarciri poſſunt. "

Replicant: Eadem eſt gratia regenerativa, & ſuſcitativa: ſed prior eſt effectus a gratia Baptiſmatis indivulſus. Igitur incaſſum admitteretur ſacramentum Pœnitentiæ a ſacramento Baptiſmi indiſtinctum, cum id muneris habeat Pœnitentia ſuſcitare mortuos, quod & operatur Baptiſma.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Gratia regenerativa & exſuſcitativa eadem eſt materialiter ſeu entitative, concedo; eadem eſt formaliter, & in eſſe ſacramentali, nego. Duplex effectus cunctis convenit Sacramentis; unus quidem omnibus communis, productio ſcilicet gratiæ habitualis, vel quantum ad entitatem, vel quantum ad ejus augmentum; alter vero eſt productio gratiæ hoc vel iſto modo, ad hoc vel iſtud munus. Prior habet annexam ſanctificationem, quam Sacramenta, ne uno quidem dempto, producunt, modo quoad ipſam realitatem, ut Sacramenta mortuorum; modo quantum ad gradum ſeu augmentum, quod Sacramenta vivorum peragunt. Sed præter hoc datur effectus ſpecialis pro quolibet Sacramento, ita ut inter alia unum producat, ſanctitatem per modum regenerationis; alterum, per modum roboris, ad fidem coram tyrannis defendendam; alterum, per modum medicinæ & curationis; alterum, per modum cibi & confortationis; & juxta hanc effectuum diverſitatem, diverſa quoque ponuntur Sacramenta.

Tametſi igitur Baptiſma primam conferat gratiam, quæ etiam gratiæ ſuſcitativæ nomine celebratur, cum peccatum originale & lethale ante ſuſceptionem Baptiſmatis commiſſum expellat, ſicque mortuis reddit vitam, non tamen iſtum per modum præciſe curationis, ſed potius regenerationis producit effectum; curandi ſubit munus Pœnitentia. Ratio diſcriminis inter utriuſque Sacramenti operationem, hæc eſt: Baptiſmus confert vitam iis qui illam nuſquam habuere: & ideo per modum regenerationis confert: Pœnitentia vero eamdem jam ſuſceptam, ſed peccato actuali deperditam, reddit; conſequenter per modum reſurrectionis. Solus quippe reſurgere dicitur, qui vitam caſu amiſſam recuperat; nuſquam vero alter, qui antea natus, jam naſcitur, & habet ſeu recipit vitam. Iſta Sacramentorum diſtinctio ſic explanatur & traditur ab Eugenio IV. in Decreto inſtr. Armen. " Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta...... Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur divinæ Euchariſtiæ alimonia; quod ſi per peccatum, ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pœnitentia eſt nova Legis Sacramentum.

PRIMO, hoc ipſum declarat Chriſtus Joan. 20. his verbis: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Quæ verba Concilium Tridentinum

tinum Seſſ. 13. cap. 1. explicat de vera poteſtate abſolvendi a peccatis.

Secundo, Hoc prædicat Patrum traditio. SS. Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubajanum, Epiphanius Hæreſ. 59. Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerd. cap. 6. Cyrillus Alex. Lib. 12. comment. in Joan. Ambroſius Lib. 1. de Pœnit. cap. 7. Hieronymus Lib. 1. contra Pelag. c. 10. & alii. His accedunt Conciliorum definitiones. Ancyranum, Laodicenum, Florentinum in inſtruct. Armen. Tridentinum ita ſtatuerunt.

Tertio, Hoc evincunt rationes Theologicæ: I. Quia datur in Eccleſia remedium pro peccatis poſt Baptiſmum commiſſis. Sic propugnat S. Cyprianus Epiſt. 54. ad Antonianum; ſic Hieronymus Epiſt. 54. ad Marcellam; ſic Pacianus Barcinonenſis Epiſt. 1. ad Sympronianum; ſic omnia Concilia adverſus Novatianos adunata. II. Quia Pęnitentia eſt ſacramentum a Baptiſmate prorſus diſtinctum, ut docet S. Cyprianus Serm. de lapſis; Auguſtinus Epiſt. 23. ad Bonifacium; Tridentinum Seſſ. 14. cap. 2. III. Quia Chriſtus Dominus dedit Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata, ut docent Firmilianus Epiſt. ad ſanctum Cyprianum; Hilarius Can. 16. in Matth. Chryſoſtomus L. 3. de Sacerd. cap. 3. & alii Patres. IV. Datur forum internum Pęnitentiale ad peccatorum abſolutionem. Hoc colligitur ex Concilio Eliberitano Can. 76. ex aliis Pęnitentialibus Canonibus, ex Innocentio Papa Epiſt. 2. ad Exuperium cap. 4. ex S. Cypriano Magno Hom. 26.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO, Scriptura ſacra dicit quidem aliqua peccata eſſe irremiſſibilia; ſed his & ſimilibus terminis, indigitat ſolum ea non ſine magna difficultate remitti, propter peccatoris tum obduritiem, tum cæcitatem: vel dicendum eſt eam loqui de impœnitentia finali, qua peccator ita firmatur in malo ad finem uſque, ut ad Deum ſeſe convertere nolit.

Secundo, Eadem eſt ſolutio ad Patrum auctoritates, quæ adducuntur adverſus concluſionem. Et vero dum quædam peccata dicunt irremiſſibilia, loquuntur per exaggerationem; & ſenſus eſt quædam peccata excuſari poſſe, ubi vel fragilitas, vel graviſſima tentatio peccati cauſæ ſunt; quædam vero, ea ſcilicet quæ ex pura malitia patrantur, non ita. Hinc peccator dicitur per omnia indignus venia: poteſt tamen eam, ſi reſipiſcit, obtinere.

Tertio, Incaſſum objiciunt Heterodoxi ſolum Deum remittere peccata, quandoquidem cauſa principalis non excludit miniſterialem: nec magis proficiunt dicendo elementum ad Sacramentum prærequiſitum ibi non reperiri; nomine enim elementi intelligitur materia ſenſibilis, quæ ſicut in ceteris ſacramentis, ſic & in Pœnitentia reperitur.

Quarto, Tametſi Baptiſmus remittat peccata actualia ante ejus ſuſceptionem commiſſa, non tamen quæ adultus regeneratus, patrat; ſicque Chriſtus ſuos mittendo ad prædicandum Evangelium Diſcipulos, dedit eis poteſtatem illa per diverſa Sacramenta abluendi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num peccatorum confeſſio facienda Sacerdoti, ſit ita Sacramento Pœnitentiæ eſſentialis, ut a Chriſto fuerit ſemper in uſu?

HETERODOXI nihil non tentavere, maxime Proteſtantes, ut ſingulorum peccatorum confeſſionem Sacerdoti approbato faciendam exſufflarent, ſed incaſſum: & contra eos eam pro virili propugnamus. Unde ſit

CONCLUSIO.

Confeſſio peccatorum a Chriſti tempore fuit in uſu, & eſt pars Sacramento Pęnitentiæ eſſentialis.

Probatur omni argumentorum genere.

ANTEQUAM ulterius progrediamur, opere pretium eſt obſervare, confeſſionem peccatorum fieri poſſe duobus modis. Primo quidem in genere, ut ſi quis fateretur ſe eſſe miſerrimum peccatorem; deinde vero ſingula in particulari declarando peccata; quod quidem fieri contingit

etiam

Digitized by Google

etiam dupliciter, publice ſcilicet, & in ſecreto. Non abs re erit etiam hic obſervare confeſſionem publicam multis ſæculis uſitatam fuiſſe, ſed aliquorum dumtaxat peccatorum; prius enim ſua in ſecreto aperiebat Pœnitentiario peccata reus, & inter alia quoddam graviſſimum ex conſenſu & conſilio Sacerdotis ad majorem ſatisfactionem in conventu Eccleſiæ manifeſtabat, quo facto, laborioſæ & publicæ ſubjiciebatur pęnitentiæ. Quandoque etiam, ut dicemus infra, ægrotus animam agens, coram ſelectis perſonis Sacerdoti omnes ſuas declarabat culpas, & facta confeſſione, abſolvebatur. Hic non eſt ſermo de confeſſione quæ fiebat vel vage & in genere, vel de aliquo tantum peccato publico aperiendo: ſed de ſacramentali, hoc eſt de confeſſione ſingulorum peccatorum, ſive auricularis, ſive publica, quæ aſtantibus multis teſtibus fiebat, ut poſtea juridice abſolveretur pęnitens.

§. I.

Primum argumentum ex variis nominibus, quibus ab Antiquis celebrata eſt Confeſſio ſacramentalis, eruitur.

NOMINA rerum naturas explicant: ſed Pęnitentia modo pro contritione ſumitur, ſub quo reſpectu Pęnitentia vocatur; modo pro ſatisfactione peccatorum Deo exhibita, & iſto uſurpata ſenſu, a ſanctis Patribus Baptiſmi laborioſi nomine celebratur: modo etiam peccatorum confeſſio vocatur. Igitur confeſſio eſt de ratione Sacramenti Pęnitentiæ. Probatur minor quoad tertiam partem, de qua præſens movetur controverſia.

Primo quidem legitur in Scriptura ſacra. Levit. 16. 21. juxta verſionem LXX. habetur. *Poſita utraque manu ſuper caput ejus* (ſcilicet hirci) *confitebatur omnes iniquitates Filiorum Iſrael*. Pſal. 31. v. 5. *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam*. Marci 1. *Confitentes peccata ſua*. Ergo &c.

Secundo: Ex Patribus Græcis. Gregorius Nazianzenus oratione de Baptiſmo verſus medium: " Ne dedigneris confiteri peccatum tuum. „ Alter Gregorius, ſcilicet Nyſſenus Epiſt. canonica ad S. Letojum canone 4. " Qui ex ſe ipſo ad ſua proferenda peccata impulſus eſt, eo „ quod ſua ſponte occultorum accuſator eſſe voluerit .... in mitioribus pęnis verſatur. „

Tertio Ex Patribus Latinis Tertullianus L. de Pęnit. c. 9. " Is actus, *inquit*, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt. „ id eſt confeſſio. Idem Lib. de Orat. c. 7. Exomologeſim ſolummodo pro peccatorum confeſſione uſurpat.

S. Cyprianus Epiſt. 55. nunc 59. ad S. Cornelium Papam poſt medium, conqueritur de quibuſdam lapſis, qui prætermiſſa confeſſione, pacem a quibuſdam Presbyteris obtinuerant: " Sublata, *ait*, Pœnitentia, nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis atque calcatis, pax a Presbyteris, verbis fallacibus prædicetur. „ Alibi eodem modo loquitur ubi de lapſis longe poſt medium. S. Pacianus expreſſius in Paræneſi ad Pęnitentiam; aitque: " Tertio, de his erit ſermo, qui, confeſſis bene, apertiſque criminibus, remedia Pœnitentiæ, actuſque ipſos exomologeſis adminiſtrandæ aut neſciunt, aut recuſant. „ Salvianus Lib. 1. ad Eccleſiam Catholicam, ejuſdem eſt labii.

§. II.

Alterum argumentum ex figuris veteris Teſtamenti, quibus præluſa fuit Confeſſio ſacramentalis.

TESTE Apoſtolo omnia in figuris contingebant illis, hoc eſt Judæis, figuram vero ad veritatem terminari idem docet Apoſtolus. Docent & poſt ipſum ſancti Doctores: ſed confeſſionem ſacramentalem annuntiant veteris legis figuræ: Abſolutionem quidem, namque Sacerdotes in nomine Domini declarabant peccata eſſe remiſſa, juxta illud Nathan ad David 2. Reg. 12. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*. Confeſſionem vero oblatione ſacrificiorum, quæ pro peccatis fieri debebant: quædam enim erant pro ignorantia, quædam pro furto: ſicque filii Iſrael, tale vel tale offerendo ſacrificium, culpam quoque talem vel talem, qua reus erat, manifeſtabat: Quinimmo confeſſio oralis non ſemel fiebat, quandoque in genere, videlicet cum peccata directe contra Deum fuerant commiſſa,

miſſa, quandoque etiam in particulari, maxime de peccatis contra proximum, ita ut remiſſio non ſine confeſſione prævia concederetur; non enim eam obtinuit David, niſi poſtquam dixit; *Peccavi Domino*. Tunc enim dictum eſt illi: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*. Ergo &c. Juvat hic texere pro fuſiori minoris probatione, alios Scripturæ ſacræ textus, & legis Doctorum de hoc momento ſententias.

Teſtimonia Scripturæ ſacræ.

In Libro Levitici plurimum celebratur peccatorum Confeſſio. C. 4. enim habetur. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filiis Iſrael: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de univerſis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit: ſi Sacerdos, qui unctus eſt, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino... Quod ſi omnis turba Iſrael ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini eſt, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum, adducetque eum ad oſtium tabernaculi... Si peccaverit Princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur: Et poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret hoſtiam Domino, hircum de capris immaculatum*.

Scriptor Canonicus eamdem proſequitur materiam c. 5. *Anima*, inquit, *quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis ut vel male quid faceret, vel bene, & idipſum juramento, & ſermone firmaverit, oblitaque, poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam, ſive capram, orabitque pro ea Sacerdos, & pro peccato ejus*.

Rurſus c. 6. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Anima quæ peccaverit & contempto Domino, negaverit proximo ſuo depoſitum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, ſive rem perditam invenerit, & inficians inſuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines, convicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam inſuper partem domino, cui damnum intulerat. Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti, juxta æſtimationem menſuramque delicti: qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro ſingulis quæ faciendo peccavit*. Immenſus forem ſi ceteros Legis libros percurrere vellem, maxime librum Numerorum, ubi non levior mentio fit de figuris confeſſionem præludentibus. Unum dicam, hanc Pœnitentiæ ſacramentalis partem ita ſubindigitari, ut nulla abſque confeſſione peccatorum ſaltem implicita fieret remiſſio, cum ſacrificium oblatum nedum peccatum, ſed & peccati ſpeciem deſignaret, quandoquidem aſſignabatur tale pro furto, tale pro ignorantia, quod quidem offerendo, prævaricator ſuum annuntiabat peccatum. De hoc audiendi ſunt Rabbini.

Teſtimonia Rabbinorum.

Moses Cordubenſis diſerte hanc explanat materiam, tractatu de pœnitentia c. 1. ubi ſic loquitur: " Si quis tranſgreſſus fuerit quodcumque præceptum legis affirmativum, aut negativum, ſive ,, per ſuperbiam, & contemptum, ſive per ,, errorem, poſtquam eum pœnituerit, & ,, receſſerit a peccato, obligatur ad confitendum coram Deo benedicto, ut dicitur Num. 5. *Vir ſive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis.. confitebuntur peccatum ſuum*. Hæc confeſſio verbalis præceptum eſt Legis affirmativum. Sic autem prævaricatus ſum: Obſecro, Domine, peccavi, inique egi, coram te, & feci hæc & hæc. Pœnitet me ,, & actionum mearum & nuſquam eas iterabo. ,,

Rurſus ibidem ſingulorum peccatorum confeſſionem explicat his verbis: " Neceſſe eſt confiteri ore proprio, & dicere res & cauſas quas in corde ſuo ſtatuit. Quicumque confitetur verbo, & in ,, corde ſuo non ſtatuit ea derelinquere, hic ,, ſimilis eſt lavanti ſe cum reptili in manu ,, ſua. ,, His peractis, præſcribit modum quo peccata contra Deum publice confitenda ſunt, ſcilicet in genere; cetera vero in particulari. Sic pergit: " De quibus ,, peccatis hæc dicta ſunt? De prævaricationibus contingentibus inter hominem ,, & ſocium ſuum. Verum in peccatis ,, inter hominem & Deum non eſt neceſſe ,, ſeipſum publicare: impudentia quædam

eſt

,, eſſet, & protervia ſi ea revelaret, ſed
,, coram Deo benedicto convertetur.
,, Minutim explicabit ante faciem ejus
,, peccata ſua, & confitebitur in multo-
,, rum conſpectu, abſolute tantum & ge-
,, neraliter, Illi enim expedit non reve-
,, lari iniquitatem ſuam, ut dicitur: Bea-
,, ti quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &
,, quorum tecta ſunt peccata. ,,

Moſes Tranenſis eadem prorſus de eo-
dem momento docet. Tractatu de Pęni-
tentia ait: " Pęnitentia & Confeſſio unum
,, ſunt præceptum. Neceſſe eſt autem ſi-
,, gillatim & in ſpecie explicare pecca-
,, tum, ut dicitur Exod. 32. v. 31. *Obſe-*
,, *cro, peccavit populus iſte peccatum maxi-*
,, *mum, feceruntque ſibi deos aureos*: &c.
,, Laus autem magna eſt pęnitenti cum
,, confitetur publice, & notas facit ini-
,, quites ſuas, revelatque aliis tranſgreſ-
,, ſiones, quæ contigerunt inter ſe &
,, proximum ſuum, dicitque, Certe pec-
,, cavi adverſus N. fecique ſic & ſic. En
,, En convertor & pœnitet me. ,,

Liber antiquus Beth Midoth totum Pę-
nitentiæ ritum noſtro non abſimilem, re-
fert: requirit enim quod pęnitens ſua con-
fiteatur peccata, quod bonum ablatum re-
ſtituat, & ut fratri, quem injuriis lace-
ſcivit, reconcilietur. En verba: " Ne-
,, ceſſe eſt pęnitentem clare & perſpicue
,, confiteri turpitudinem & opprobrium
,, operum ſuorum &c. ,,

R. Levi Ben Gerſom Comment. in le-
gem initio Paraſchæ in iſta Num. 5. v. 7.
verba: *Confitebuntur peccatum ſuum*, ait:
" Diſcimus quod peccator obligatur ad
,, confeſſionem peccati ſui, licet jam
,, pœna propter illud affectus fuerit. Non-
,, ne vides quod fur ille, qui reſtituit fur-
,, tum, & addidit quintam partem, obla-
,, tionemque obtulit, tenetur inſuper
,, confiteri. Inde quoque manifeſte pro-
,, batur quod omnes ad mortem damnati,
,, ad confeſſionem obligantur, ut a pec-
,, cato expientur; quia ſupplicium non ex-
,, piat eos ſine confeſſione. ,,

Iſaac Abarbinel in legem Paraſcha, idem
,, docet: Non eſt dubium quin Sacerdos
,, magnus confiteatur etiam eodem modo
,, ſuper hircum peccati Feſti expiatio-
,, nis, peccata ſuperbiæ & contemptus
,, Dei filiorum Iſrael, quamquam illius
,, non meminerit Scriptura; quia jam de-
,, claraverunt ſapientes felicis memoriæ
,, in tractatu ſacrificiorum, quod in omni
,, ſacrificio pro peccato neceſſaria eſt Con-
,, feſſio. ,,

Babal Hatturim in libro Orach Chaiim
ſect. 607. expreſſius loquitur: " Eo die
,, peccata ſua ſigillatim confitentur. Sic
,, ſcripſerunt R. Amram, R. Ram-
,, bam, & R. Juda felicis memoriæ,
,, neceſſarium eſſe peccata particulatim
,, enuntiare. ,,

Subſcribit R. Juda Balats l. Muſar. c
2. his verbis: " Neceſſe eſt etiam con-
,, fiteri ore & labiis propriis, & dicere
,, quæ in corde ſuo ſtatuit & definivit. ,,
Idem ait n. 11. L. 2. adminiſtratione Pę-
,, nit. c. 21. " Antiqui Sancti ſcribebant
,, peccata ſua in Epiſtola, quum ea com-
,, mittebant, ut ea confiterentur &c. ,,

Quid memorem varios Talmudis tracta-
tus in quibus eadem ſcripta ſunt, & con-
fitendi modus præſcribitur? Tractatus Tal-
mudici Joma c. 3. fol. 36. part. 2. ſic
habet: " Docuerunt Rabini qua ratio-
,, ne quis confiteri debeat &c. ,, Talmud
Jeroſolymitanum Confeſſionem ſic fieri
docet: " Domine, peccavi & maligne
,, egi, & in opinione animoque malo
,, conſtanter ſteti. ,, Capite vero octavo
ejuſdem tractatus in Talmude Babyloni-
co fol. 87. pag. confeſſio peccatorum ſi-
gillatim facienda ſic præcipitur: " Ne-
,, ceſſe eſt nominatim edere peccatum. ,,
Et ait gloſſa. " Neceſſe eſt ſigillatim ede-
,, re peccatum: cum enim confitetur, di-
,, cit, peccatum tale peccavi. ,, Talmud
Jeroſolymitanum idem apud eos obſervari
ſcribit in fine ejuſdem tractatus Joma:
" Traditio eſt, neceſſarium eſſe ſigillatim
,, enuntiare opera ſua. ,,

Dices: Sententia AKibæ iſti adverſatur
traditioni: namque poſt verba immediate
laudata habetur: " Neceſſe non eſt ſpe-
,, ciatim enuntiare opera ſua. ,, Ergo &c.

Reſpondeo primo ad textum in probatio-
nem allatum ſequi *enuntiare opera ſua*. Jux-
ta verba R. Judæ filii Bathiræ: Igitur
ſententia uuius particularis hominis præ-
valere non debet pluribus aliis omni ex-
ceptione majoribus. Quid vulgo fit, at-
tendi debet. Talmud Babylonicum do-
cet quoque talem eſſe Judæorum tradi-
tionem.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo: Con-
feſſio ſigillatim de ſingulis contra Deum
peccatis non erat in uſu apud Judæos,
con-

conceſo, de ceteris, nego. Sufficit ad figuram quod veritatem in aliquibus in genere, in aliis clarius ſubindigitet. Unde ſtupendum prorſus eſt Calvinum, qui novam legem ex integro in ſua abolevit Eccleſia, etiam a veteri, quam magna ex parte retinuit, diſcedere, dum confeſſionem abhorret peccatorum; ſed quo ſcopo, quoque ſpiritu? niſi ut per omnia indulgeat paſſionibus.

§. III.

Tertium argumentum fit ex novo Teſtamento, definitione Conciliorum & Traditione Patrum utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis.

QUOD Scriptura ſacra faciendum decernit, nemini licet citra damnationem inficiari. Atqui Scriptura ſacra præcipit pro peccatorum deletione eorumdem confeſſionem fieri Sacerdotibus. Igitur Confeſſio eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ eſſentialis. Probatur minor variis momentis. Primo quidem, ex ipſis ſacræ Scripturæ textibus. Secundo, ex Conciliis, quæ Scripturarum divinarum innixa oraculis, ita definierunt. Tertio demum ex traditione Patrum, qui Scripturas ſanctas de hoc momento interpretati ſunt. Quia vero Confeſſio, quam veluti ſacramenti Pœnitentiæ partem eſſentialem habemus, poteſt fieri vel publice & coram teſtibus, ad majorem animi humiliationem, vel ſecreto ſeu auriculariter, de utraque indiſcriminatim teſtimonia proferenda ſunt, maxime tamen de ſecreta, quæ a Chriſto nato ad hæc uſque tempora in uſu ſemper fuit. De utraque igitur agimus, ita ut fiat de ſingulis peccatis, quibus accedat abſolutio; alias non foret ſacramentalis, de qua ſola impræſentiarum loquimur.

Teſtimonia Scriptura novi Teſtamenti.

LEGITUR Act. 19. *Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus ſuos: multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus*. Multa eo loci obſervanda ſunt; primum quidem hic non agi de Baptiſmo, cum venientes forent credentes ſeu fideles, ut habetur ſupra Act. 3. 4. 5. Secundo, neque ſolummodo de Confeſſione vaga & in genere, ut ſi quis tantum dixiſſet: Domine, miſerere mei, quia peccator ſum; nam ſuos actus malos confitebantur, & ſancto Paulo annuntiabant. Num hæc fecerint in conſpectu fidelium, vel ſecreto, nihil refert: uſus enim quotidianus eſt in Eccleſia, ſua depromere peccata Confeſſario coram omnibus, & tamen auriculariter in confeſſionali. Tertium, cuncta ſtrictim deponebant, cujus rei argumentum irrefragabile eſt, quod Apoſtolus ex eorum confeſſione animadvertens plures curioſa fuiſſe ſectatos, voluit libros in anathema oblivionis comburi.

Alter locus deſumitur ex Epiſtola Beati Jacobi c. 5. ubi habetur: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*. Quæ quidem verba intelligi debere de Confeſſione ſacramentali ſingulorum peccatorum, non unum probat argumentum. Primo quidem ex verbis iſtis antecedentibus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum*. In quibus Apoſtolus nominat & determinat Presbyteros, qui ſacramentum Extremæ-Unctionis, quo delentur peccata venialia, conferant. Igitur & ad eos reſpicit, dum poſtea ait: *Confitemini alterutrum*: hoc eſt homines hominibus. Secundo Patres vel antiquiſſimi intelligunt textum ſancti Jacobi de Confeſſione ſacramentali, videlicet Origenes Hom. 2. in Levitic. Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio, Auguſtinus Hom. 12. ex Lib. 5. Hom. Bernardus L. med. c. 9. & alii.

Tertius locus eſt ſancti Joannis, qui 1. Epiſt. 1. ait: *Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*: nimirum miniſterio Sacerdotum quibus facta eſt promiſſio, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Quocirca licet Deus ſolus ea remittat, ut cauſa principalis, eo tamen ipſo quo facta eſt illa promiſſio, hoc ipſum niſi Presbyterorum officio executioni maudatur. Obſerves velim ſanctum Joannem loqui de peccatis in plurali: *Si confiteamur peccata noſtra &c.* Quibus verbis ſubindigitat ſingulorum peccatorum Confeſſionem.

Deſi-

Definitiones Conciliorum pro Confeſſione auriculari .

HIS accedunt variæ pro eodem momento definitiones, quas Eccleſia ſententiis Scripturæ innixa, protulit; intellexit enim eam eſſe Spiritus ſancti mentem, reos ſua debere deponere & annuntiare Presbyteris peccata, ut ab eis abſolvantur.

Laodicenum Concilium, & quidem antiquiſſimum Can. 2. ſic pronuntiat: “ His „ qui diverſorum peccatorum lapſus incur„ runt, & inſtant orationi, Confeſſioni ac „ pœnitentiæ malorum ſuorum perfectam „ converſionem demonſtrantes, pro quali„ tate peccati tempus pœnitentiæ tribuen„ dum eſſe. „ Audis vacandum eſſe peccatorum confeſſioni.

Carthaginenſe III. Can. 31. non abſimilia loquitur: “ Ut pœnitentibus, *ait*, ſecun„ dum peccatorum differentiam, Epiſcopi „ arbitrio pœnitentiæ tempora diſcernan„ tur. „ Sed quomodo tempora ſtatuet Epiſcopus, ad pęnitentiam juxta qualitatem peccati ſubeundam, niſi ex confeſſione iſtarum culparum cognoſcat & gravitatem, & diſcrepantiam?

Cabilonenſe Canone 8. expreſſius loquitur: “ Ut Pœnitentibus a Sacerdotibus, facta „ Confeſſione, indicatur pęnitentia, uni„ verſitas Sacerdotum noſcitur conſenti„ re. „ Hoc Concilium habitum eſt ſub Clodoveo Rege.

Turonicum III. Can. 22. “ Epiſcopis & „ Presbyteris diligenti cautela pertractan„ dum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi de„ licta confitentibus, tempus abſtinendi „ adſcribant. „

Quid memorem alia tum Provincialia, tum Nationalia Concilia, quæ eadem ſtatuunt? videlicet Rhemenſe Can. 12. & 16. Pariſienſe Can. 22. & 46. Moguntinum ſub Rabano Can. 27. Wormaticenſe anno 868. Can. 25.

Eamdem non ſilent Generalia veritatem. Lateranenſe ſub Innocentio III. Can. 21. Conſtantienſe Seſſ. 8. Florentinum in inſtruct. Armen. eam docent; in primis vero Tridentinum Seſſ. 14. cap. 5. his verbis. “ Ex inſtitutione ſacramenti Pęni„ tentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia „ ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe „ a Domino integram peccatorum con„ feſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum „ lapſis jure divino neceſſariam exiſtere: „ quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e „ terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes „ ſui ipſius vicarios reliquit, tamquam „ præſides & judices, ad quos omnia mor„ talia criniina deferantur, in quæ Chri„ ſti Fideles ceciderint, quo, pro pote„ ſtate clavium, remiſſionis aut reten„ tionis peccatorum, ſententiam pronun„ tient. „

Rurſus ibidem Can. 6. *Si quis negaverit, Confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit, modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; Anathema ſit.*

Et iterum Can. 7. *Si quis dixerit in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia . . . . . . anathema ſit.* Et adhuc Can. 8. *Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam a piis abolendam . . . . Anathema ſit.*

Traditio ſanctorum Patrum de Confeſſione peccatorum ſecreta .

Ex primo Sæculo, primus nobis occurrit ſanctus Clemens Papa, qui Epiſt. 2. ad Cor. n. 8. edit. J. B. Cotelerii, ita loquitur: “ Quamdiu ſumus in hoc mun„ do, de malis quæ in carne geſſimus, ex „ toto corde reſipiſcamus, ut a Domino „ ſalvemur, dum habemus tempus pęni„ tentiæ. Poſtquam enim e mundo exi„ vimus, non amplius poſſumus ibi con„ fiteri, aut pęnitentiam adhuc agere. „ Eo loci ſanctus Pontifex diſtinguit Confeſſionem a Pęnitentia quæ ſanctificatio eſt, & a Patribus Baptiſmus laborioſus dicitur; ex quo luce meridiana clarius app ret, ſecretam ſingulorum peccatorum accuſationem a ſancto Clemente commemorari. Dico ſecretam, cum publica non niſi ſecundo emerſerit ſæculo.

Dionyſius, qui Areopagita creditur, ſuum addit Confeſſioni auriculari calculum. Epiſt. ad Demophilum Monachum. ex interpretatione Pet. Lanſſelii, increpat illum quod peccatorem ſua facta confitentem

re-

repulerit: “ Tu autem , *inquit* , ut lit-
,, teræ tuæ declarant , eum etiam qui
,, ſe ad Sacerdotem ſubmiſiſſet, & abje-
,, ciſſet ad ejus genua, impium, ut ais,
,, & peccatorem , haud ſcio quomodo
,, præſens ipſum calce detruſiſti. Deinde
,, ille quidem rogabat, ſeque medicinæ
,, peccatorum cauſa veniſſe fatebatur .
,, Tu autem non modo exhorruiſti, verum
,, etiam bonum Sacerdotem provectus
,, audacia maledictis vexaſti . ,, Hæc
verba exhibent Sacerdotem, qui miſeratione commotus pçoitentem audierat, quinimmo & juſtificaverat; ſed quomodo, niſi ex prævia peccatorum Confeſſione, & eorumdem abſolutione.

Ex ſecundo Sæculo , Celeberrimum eſt ſancti Irenæi pro eodem momento teſtimonium. Lib. 1. adverſus Hær. cap. 9. ſcribit quemdam Hæreticum nomine Marcum, multas mulieres amatoriis pharmacis in ſui amorem allectas corrupiſſe, quæ quidem dolentes de peccatis, ſicut lacrymis & lamentationibus , ſic & Confeſſiune expiarant delicta. Quis cordatus dixerit crimina fuiſſe publica? dubio procul erant ſecreta: igitur & ſecreto de iis confeſſæ ſunt. “ Adhuc etiam,
,, *inquit*, & amatoria, & allectaotia ef-
,, ficit, ut & corporibus ipſarum contu-
,, meliam irroget. Hic idem Marcus qui-
,, buſdam mulieribus, etſi non univerſis,
,, hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam
,, Dei confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus
,, extermioatas ſe ab eo velut cupinide, &
,, inflammatas valde illum ſe dilexiſ-
,, ſe. ,; Audis vel ipſas pudendas aperuiſſe circumſtantias; quod certe præ erubeſcentia innata, non niſi ſecreto fecerunt. Ergo &c.

Tertullianus de eodem ſcripſit momento ante quam in Mootani hæreſim prolaberetur, maxime Lib. de Pœnit. c. 9. ubi ſic luquitur: “ Tantum relevat confeſſio
,, delictorum, quantum diſſimulatio exag-
,, gerat; confeſſio enim ſatisſactiouis con-
,, ſilium eſt , diſſimulatio contumaciæ.
,, Hujus igitur Pçnitentiæ ſecundæ &
,, unius, quanto in arcto negotium eſt
,, tanto operoſior probatio eſt : ut non
,, ſola couſcientia præferatur , ſed aliquo
,, etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui
,, magis græco vocabulo exprimitur &
,, frequentatur , exomologeſis eſt , qua
,, delictum Domino noſtrum confite-
,, mur, non quidem ut ignaro, ſed qua-
,, tenus ſatisfactio confeſſione diſponitur,
,, cooſeſſione Pœnitentia naſcitur , pç-
,, nitentia Deus mitigatur. ,, Ecce Tertullianus oppouens Confeſſionem peccatorum pœnitentiæ laborioſæ & ſatisfactoriæ. Quod autem Tertullianus loquatur de confeſſione non ſoli Deo, ſed hominibus facienda , & quidem articulariter, ex duobus momentis patet. Primo quidem ibidem c. 10. refert quoſdam, præ verecundia, ab hac ſecedere Confeſſione, non ſine animæ periculo, voluiſſe: “ Pleroſ-
,, que tamen hoc opus ut publicationem
,, ſui aut ſuffugere, aut de die in diem
,, differre, præſumo, pudoris magis me-
,, mores, quam ſalutis. ,, Secundo, nedum peccata publica, quorum declaratio nihil pudori adverſum habet, cum ſint omnibus nota, ſed & ſingula occulta, immo & lapſum carnis præ ceteris peccatis pudendum in Confeſſione aperiendum eſſe ſcribit; namque ibidem c. 4. ait: “ Omnibus ergo delictis, ſeu carne,
,, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu volunta-
,, te commiſſis, qui pœnam per judicium
,, deſtinavit, idem & veniam per pœni-
,, tentiam ſpopondit , dicens ad popu-
,, lum: pœnitere, & ſalvum faciam te. ,,
Rurſus c. 2. “ Cui præminiſtrans,
,, pœnitentiam deſtinabat purgandis men-
,, tibus præpoſitam, uti quidquid error ve-
,, tus inquinaſſet, quidquid in corde ho-
,, minis ignorantia contaminaſſet, id pœ-
,, niteotia verrens & radens, & foras abji-
,, ciens, mundam cordis domum ſuper-
,, venturo Spiritui ſancto paret, quo ſe il-
,, le cum cœleſtibus boois libens inferat. ,,
Audis Confeſſionem ſecretam omnium peccatorum, ne uno quidem excepto, fuiſſe in uſu tempore Tertulliani, qui & ſecundo exeunte ſæculo, & inchoante ac perſeverante tertio floruit.

Ex tertio Sæculo eminet ſanctus Cyprianus, qui iterum atque iterum magnifice eandem prædicat veritatem, ut Epiſtol. 12. nunc 17. in primis vero Lib. de lapſis, longe poſt medium. “ Denique,
,, *ait*, quanto fide majores & timore me-
,, liores ſunt, qui quamvis nullo ſacrifi-
,, cii aut libelli facinore conſtricti, quoniam
,, tamen de hoc cogitaverunt, hoc ip-
,, ſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſim-
,, pliciter confitentes, exomologeſim con-
,, ſcientiæ faciunt, animi ſui pondus ex-

po.

„ ponunt, ſalutarem medelam parvis licet „ & modicis vulneribus exquirunt. „ Ex S. Cypriano pœnitentes conſcientiæ exomologeſim, hoc eſt, *Confeſſionem* faciunt, & ut ipſe ait, animi pondus exponunt, & ſalutarem peccatorum abſolutionem exquirunt.

Quid plura? Circumſtantias in Confeſſione enarrandas eſſe aſſerit; ibidem enim hæc ſubjicit: " Minus plane pecca„ verit non videndo idola, nec ſub ocu„ lis circumſtantis atque inſultantis popu„ li, ſanctitatem fidei prophanando, non „ polluendo manus ſuas funeſtis ſacrifi„ ciis, nec ſceleratis cibis ora maculando. „ Hoc eo proficit ut ſit minor culpa, „ non ut innocens conſcientia. Facilius „ poteſt ad veniam criminis pervenire, „ non eſt tamen immunis a crimine. Nec „ ceſſat in agenda pœnitentia, atque in „ Domini miſericordia deprecanda, ne „ quod minus eſſe in qualitate delicti vi„ detur, in neglecta ſatisfactione cumule„ tur. Confiteantur ſinguli, quæſo, fratres, „ delictum ſuum, dum adhuc, qui deli„ quit, in ſæculo eſt, dum admitti con„ feſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & „ remiſſio facta per Sacerdotes apud „ Dominum grata eſt. „ Certe nihil ad contundendum os loquentium iniqua luculentius ſancti Cypriani verbis eſſe poteſt. Revera quidem eo loci loquitur de ſecreta peccatorum confeſſione, de peccatis omnibus non notis, immo & de circumſtantiis peccatum minuentibus, quas tamen vult in Confeſſione aperiri, quippe quæ reatum criminis habeant: de confeſſione non in genere ſe confitendo peccatorem, ſed facienda Sacerdoti, qui illam, quandiu homo eſt in vita ſuperſtes, & ſuſcipere & admittere poteſt: demum de Confeſſione peccatorum per Sacerdotem remittendorum hæc ait: *Et remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt*. Quis autem ſanæ mentis unquam dixerit, judicem remittere delicta, niſi prius ea ipſi aperiantur.

Alter ejuſdem veritatis teſtis egregius & omni acceptione dignus, eſt Origenes, qui Homil. 2. in Levit. ſeptem enumerat modos quibus fit peccati remiſſio, videlicet Baptiſmo, Martyrio, Eleemoſyna, condonando proximo peccata in nos commiſſa, emendatione vitæ a priſtinis recedendo peccatis; ſummo in Deum amore; dictum eſt enim: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Septimo loco ponit Pœnitentiam quæ peccatorum confeſſionem Sacerdoti factam annexam habet. Sic loquitur in antiqua editione " Eſt adhuc & ſeptima, licet „ dura & laborioſa per Pœnitentiam re„ miſſio peccatorum, cum lavat peccator „ in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei la„ crymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum „ non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare „ peccatum ſuum, & quærere medici„ nam. „ Ecce Confeſſio ſecreta Sacerdoti facienda Origenis munita calculo.

Rurſus Homil. 3. in Levit. " Si pecca„ verit unum aliquid de iſtis, pronuntiet „ peccatum quod peccavit. Eſt, *inquit*, „ aliquod in hoc mirabile ſecretum, quod „ jubet pronuntiare peccatum; etenim „ omni genere pronuntianda ſunt, & in „ publicum proferenda cuncta quæ ege„ rimus; ſi quid in occulto gerimus, ſi „ quid in ſermone ſolo, vel etiam intra „ cogitationum ſecreta commiſimus, cun„ cta neceſſe eſt publicari, cuncta profer„ ri: proferri autem ab illo qui & accuſa„ tor peccati eſt, & incentor. Ipſe enim „ nunc nos ut peccemus inſtigat; ipſe „ etiam, cum peccaverimus, accuſat. Si „ ergo in vita præveniamus eum, & ipſi „ noſtri accuſatores ſimus, nequitiam dia„ boli inimici noſtri & accuſatoris effugi„ mus. Sic enim alibi Propheta dicit: Dic „ tu iniquitates tuas prior, ut juſtificeris. „ ibi expreſſe dicit Origenes Confeſſionem non ſoli Deo, ut perperam contendunt Heterodoxi, ſed Sacerdoti faciendam eſſe, ibi docet ſingula peccata, quæ mente, tum corde facta ſunt, aperiri neceſſe eſſe, ibi teſtatur cum omnibus circumſtantiis publicanda eſſe, hoc eſt, Sacerdoti confitenda.

Clarius Homil. 2. in Pſ. 37. " Vide, „ *inquit*, quid edocet nos Scriptura divi„ na, quia oportet peccatum non celare in„ trinſecus. Fortaſſis enim ſicut ii qui „ habent intus incluſam eſcam indigeſtam, „ aut humoris vel flegmatis ſtomacho „ graviter & moleſte imminentia, ſi vo„ muerint, relevantur: etiam ii qui pec„ caverunt, ſi quidem occultant & re„ tinent intra ſe peccatum, intrinſecus ur„ gentur, & propemodum ſuffocantur a „ flegmate vel humore peccati; ſi autem „ ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemet- ipſum

„ ipſum & confitetur, ſimul evomit & „ delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam, ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit & prædixerit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & ceteris ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hac deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt. „ Incaſſum objicerent Proteſtantes Originem loqui de quibuſdam tantum peccatis publice confitendis; namque ea omnia quæ in ſacramento Pœnitentiæ ex more Eccleſiæ facienda ſunt, commemorat. Primo quidem loquitur de Confeſſario eligendo; ſecundo de Confeſſione ſecreta illi facienda, & quidem de omnibus & ſingulis peccatis, ut ait Homil. 2. in Pſ. 37. Tertio demum de iis peccatis quæ ex conſilio Confeſſoris ad majorem ſatisfactionem in conventu Eccleſiæ aperiri poterant. Ex quibus omnibus claret Confeſſionem ſecretam tertia a Chriſto ætate fuiſſe in uſu, adeoque ex traditione a Chriſto per Apoſtolos promanaſſe.

Suffragatur Lactantius Lib. 4. divinarum inſtitutionum c. 17. de Deo miſerente ait: " Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ „ . . . . conſulere, Pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit, ut ſi cor nudaverimus, id eſt, ſi peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus, & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur. „

Idem Pater in extremis ejuſdem libri lineis perſtringit Novatianos, qui peccatorum Confeſſionem ſecretam, & quamlibet aliam propellebant; eos extra veram Eccleſiam eſſe pronuntiat, & eam veræ Eccleſiæ notam eſſe Confeſſionem affirmat. " Sed tamen, *inquit*, quia ſinguli „ quique cœtus Hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos & ſuam eſſe catholicam Eccleſiam putant, ſciendum eſt illam eſſe veram, in qua eſt Confeſſio & Pœnitentia, quæ peccata & vulnera quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat. „

S. Athanaſius Patrum tertii ſæculi agmen claudet. Sermone in illa Chriſti verba: *Invenietis pullum alligatum &c.* ſub finem ait: " Nos ipſos examinemus, num ſoluta ſint noſtra vincula, ut in melius proficiamus. Quod ſi nondum ſoluta ſint vincula, tradas te ipſum Diſcipulis Jeſu: adſunt enim qui te ſolvant pro poteſtate ea, quam a Salvatore acceperunt. *Quæcumque enim ligaveritis*, inquit, *in terra, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælis: & ſi quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis*. „ Audis ex Athanaſio Sacerdotes remittere peccata; ſed quomodo, & quando? niſi dum ſedent pro tribunali, audiunt reos qui ſua confitentur peccata, & juxta debitam pœnitentiæ diſpoſitionem eos abſolvunt.

Ex quarto Sæculo proferuntur Patrum pro Confeſſione ſacramentali teſtimonia. Egregium eſt quod ſanctus Hilarius Comment. in Matt. pag. 398. edit. Pariſ. anno 1652. de hoc momento dicit: " Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverint, id eſt peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint confeſſione, videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi Apoſtolica conditione ſententiæ, in cœlis quoque abſoluti ſint, aut ligati. „ Obſerves velim ſanctum Doctorem ibi veniam ex confeſſione profluere velle: ibi veniam per modum ſententiæ fieri propugnare: quæ quidem duo Pœnitentiæ ſacramentalis myſterium conficiunt.

Dallæus Lib. 3. de Confeſſ. c. 9. non confeſſione, ſed conceſſione legit; ita ut ſenſus ſit: *ſolverint conceſſione veniæ*: ſed gratis hæc ſcribit, cum nullum de hoc proferat manuſcriptum; quin immo in ipſa Eraſmi editione habetur *confeſſione*. Quid pluram adjiciam? Hilarius Confeſſionem & ſatisfactionem ipſo nomine ve-

veniæ celebrat in Pſal. 118. ſuper hunc
verſum, *Exitus aquarum deduxerunt oculi
mei &c.* his verbis: " Vera peccati Con-
,, feſſio eſt ſine intermiſſione temporis
,, pœnitere. Superius paulo dixerat:
" Hæc venia peccati eſt fonte fletuum
,, flere, & longo lacrymarum imbre ma-
,, defieri.,,

Celeberrimum eſt ſancti Baſilii effatum,
qui in quæſtionibus ſeu regulis breviori-
bus ad interrogatum 229. ſic reſpondet:
" Omnino in peccatorum confeſſione ea-
,, dem ratio eſt, quæ etiam in apertio-
,, ne vitiorum corporis. Ut igitur vitia
,, corporis nequaquam quibusvis temere
,, homines aperiunt, ſed iis tantummodo,
,, qui rationem, qua ea curanda ſint,
,, teneant: eodem modo etiam peccato-
,, rum Confeſsio fieri debet, apud eos vi-
,, delicet, qui ea poſsint curare.,, Dubio-
procul ſanctus Doctor loquitur de Con-
feſſione ſingulorum peccatorum ſecreto fa-
cienda; quippe qui aſſimilet medicum
animæ, medico corporis, & hanc inſti-
tuat comparationem, quod ſicut iſti non
palam, ſed intra privatos parietes, non
unum aut alterum vulnus, ſed cuncta cor-
poris vitia ſananda monſtrant; ſic & pro
ſanitate animæ reſtauranda, faciendum eſſe
æquum judicet.

Ad S. Ambroſium properemus, qui L.
2. de Pen. c. 6. ait: " Si vis juſtificari, fa-
,, tere delictum tuum: ſolvit enim crimi-
,, num nexus verecunda confeſſio peccato-
,, rum.,, Rurſus c. 10. " An quiſquam
,, ferat, ut erubeſcas Deum rogare, qui
,, non erubeſcis rogare hominem? Et pu-
,, deat te Deum ſupplicare, quem non
,, lates; eum te non pudeat peccata tua
,, homini, quem lateas, confiteri?,, Pau-
linus in vita S. Ambroſii ſcribit ſanctum
Doctorem confeſſiones audire ſolitum:
" Quotieſcumque illi aliquis ob percipien-
,, dam penitentiam lapſus ſuos confeſſus
,, eſſet; ita flebat, ut & illum flere con-
,, pelleret; videbatur etiam ſibi cum ja-
,, cente jacere. Cauſas autem criminum,
,, quas illi confitebantur, nulli, niſi Do-
,, mino ſoli, apud quem intercedebat lo-
,, quebatur.,,

Huic adjungitur S. Gregorius Nyſſenus
Epiſt. canonica ad S. Latojum Epiſcopum
Mytilenenſem, quæ extat in Bibl. SS. PP.
tom. 1. c. 1. ejuſdem Epiſtolæ ſic habet:
" Audacter oſtende Sacerdoti, quæ
,, ſunt recondita animi arcana, tamquam
,, occulta vulnera Medico retege: ipſe
,, & honoris & valetudinis tuæ rationem
,, habebit.,,

Non omittendus Pacianus Barcinonen-
ſis. In Paræneſi ad Pœnitentiam paulo poſt
medium ita pronuntiat: " Nunc ad eos
,, ſermo ſit qui bene ac ſapienter vulnera
,, ſua, Pœnitentiæ nomine, confitentes:
,, nec quid ſit Pœnitentia, nec que vul-
,, nerum medicina, noverunt, ſimileſque
,, ſunt illis qui plagas quidem aperiunt
,, ac tumores Mediciſque etiam aſſiden-
,, tibus confitentur; ſed admoniti quæ
,, imponenda ſunt, negligunt, & quæ
,, bibenda ſunt, faſtidiunt.,, Mox jam ibi-
dem dixerat: " Rogo vos, fratres, etiam
,, pro periculo meo, per illum Domi-
,, num, quem occulta non fallunt, deſi-
,, nite vulneratam tegere conſcientiam.
,, Prudentes ægri, Medicos non verentur,
,, ne in occultis quidem corporum parti-
,, bus etiam ſecaturos, etiam peruſturos.,,
Ibi Pacianus perſtringit eos qui detectis mor-
bis, erubeſcunt vulnerum alligaturam:
ibi timidos compellit ea detegere ut ſa-
nentur.

S. Chryſoſtomus per omnia concinit Ho-
mil. in Gen. 30. in primis Homil. 33.
in Joannem his verbis: " In peccatis quæ
,, commiſimus confitendis, neminem ve-
,, reamur; Deum dumtaxat, ut decet,
,, formidemus, qui & nunc opera noſtra
,, videt, & tunc quos in præſentia non
,, pœnitet, damnabit.,, Subjungit ibi-
,, dem: " Vos autem hortor dilectiſſimi,
,, ut etſi nemo opera noſtra videat, ut
,, ſinguli ſuam conſcientiam ingrediantur,
,, & judicem ſibi rationem conſtituant, er-
,, rata ſua in medium adducant, niſi velint
,, in die illa horrenda univerſo orbi ea
,, manifeſte patere.,, Ibi præſcribit con-
,, ſcientiæ examen prævium: " Singuli
,, ſuam conſcientiam ingrediantur, & ju-
,, dicem ſibi ratione conſtituant.,, Dein-
,, de ſingulorum peccatorum ſecretam con-
,, feſſionem " Errata in medium adducant.
,, Idem expreſſe docet L. 2. & 3. de Sa-
cerdotio.

Ex quinto Sæculo S. Innocentius I. ſuam
variis in locis prodit mentem; maxime
Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eu-
gubinum anno 416. cap. 7. ubi ſic pronun-
tiat: " Ceterum de pondere æſtimando
,, delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut

„ attendat ad confeſſionem pœnitentis, & „ ad fletus atque lacrymas corrigentis, „ actum jubere dimiſſi, cum viderit con„ gruam ſatisfactionem. „ Ibi multa ponderanda ſunt. Primo quidem ſanctum Pontificem loqui de peccatis in ſecreto Sacerdoti aperiendis. Secundo Confeſſarium ex prævia & matura diſcuſſione delictorum ferre abſolutionis judicium. Tertio demum ſanctum Præſulem opponere pœnitentiam ſatisfactionis, pœnitentiæ confeſſionis, indulgentiamque remiſſionis velle fieri juxta ſatisfactionis & contritionis pondus. Quibus omnibus æqua lance penſatis, evaneſcunt Proteſtantium adverſus confeſſionem ſecretam & ſacramentalem effugia.

Non abſimilia loquitur magnus S. Leo Epiſt. 136. edit. nov. ad Epiſcopos Campaniæ. Ibi enim prohibet peccata ſecreta, publice annuntiari, ne hoc in periculum pœnitentis veniat, poſtea ſubjungit: " Cum „ reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sa„ cerdotibus indicare confeſſione ſecreta „ . . . . . . ſufficit illa confeſſio, quæ „ primum Deo offertur, tum etiam Sa„ cerdoti. „

S. Hieron. non ſilet hanc veritatem Comment. in c. 10. Eccleſiaſt. aitque: " Si „ erubeſcat ægrotus vulnus Medico confi„ teri, quod ignorat, medicina non cu„ rat. „ Sed inſigne eſt aliud ejuſdem ſancti Doctoris teſtimonium Comment. in c. 16. S. Matth. " Legimus, *inquit*, in Le„ vitico de leproſis, ubi jubentur ut „ oſtendant ſe Sacerdotibus, et ſi lepram „ habuerint, tunc a Sacerdote immundi „ fiant: non quo Sacerdotes leproſos fa„ ciant, & immundos, ſed quo habeant no„ nitiam leproſi, & poſſint diſcernere qui „ mundus, quive immundus ſit. Quomo„ do ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, „ vel immundum facit: ſic & hic alli„ gat vel ſolvit Epiſcopus, & presbyter; „ non eos, qui inſontes ſunt, vel noxii, „ ſed pro officio ſuo, cum peccatorum „ audierit varietatem, ſcit qui ligandus ſit, „ quive ſolvendus. „ Ex S. Doctore qui ſua erubeſcit confiteri peccata, medicina nihil ei prodeſt: Ex eodem Sacerdos cuncta ſcire debet & audire, ut ex qualitate ſimul & contritionis menſura, judicet num ligandus vel abſolvendus ſit pœnitens? Ergo &c.

Jam ſequitur S. Auguſtinus, qui ſicut pietate, ita & eruditione pari, paſſim in ſuis operibus dirimit controverſiam. Inter multa loca quædam apertiora ſelegimus. L. 50. Homiliarium homil. 12. ait: " Deus noſter quia pius eſt & miſericors, „ vult ut ea confiteamur in hoc ſæculo, „ ne pro illis confundamur poſtmodum in „ futuro. „

Rurſus in eodem libro Hom. 27. c. 3. " Elevatus eſt, *inquit*, Lazarus, proceſ„ ſit de tumulo, & ligatus erat ſicut „ ſunt homines in confeſſione peccati, „ agentes pœnitentiam; jam proceſſerunt „ a morte: nam non confiterentur, niſi „ procederent. Ipſum confiteri ab occulto „ & tenebroſo, procedere eſt: ſed quid „ Dominus Eccleſiæ ſuæ: Quæ ſolveritis „ in terra, ſoluta erunt & in cœlo. „

Rurſus ibidem Homil. 41. " Non ſo„ lum, *ait*, poſt Pœnitentiam ab iſtis vitiis „ ſe homo ſervare debet, ſed & ante pœni„ tentiam, dum ſanus eſt: quia ſi ad ul„ timum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam Pœni„ tentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti „ peccata ſua confiteri poterit. „ Audis ex S. Auguſtini doctrina peccata eſſe in hoc ſæculo confitenda, ut Deus parcat in futuro: occulta eſſe aperienda & clavibus Eccleſiæ ſubjicienda. Demum delictorum confeſſionem non omni, ſed ſoli Sacerdoti faciendam eſſe docet. Potuit ne ſanctus Doctor clarius exponere confeſſionem ſacramentalem quæ nunc in more poſita eſt in omnibus Romanis Eccleſiis?

Ex ſexto Sæculo habemus ejuſdem confeſſionis ſacramentalis teſtium nubem. Sanctus Gregorius magnus Papa Homil. 26. in Evang. iſta Chriſti verba: *Quorum remiſeritis peccata &c.* explanans, ait: " Vi" dendum eſt quæ culpa, aut quæ ſit Pœ„ nitentia ſecuta poſt culpam; ut quos „ omnipotens Deus, per compunctionis „ gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia „ abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio „ Præſidentis, cum æterni arbitrium ſe„ quitur judicis.

Et iterum Homil. 26. in c. 20. Joan. verbis clarioribus ſuam prodit mentem. Primo quidem dicit ineſſe Eccleſiæ auctoritatem remittendi peccata: deinde vero hæc ſubjicit: " Lazaro dicitur, Veni „ foras. Ac ſi aperte cuilibet mortuo in „ culpa diceretur: Cur reatum tuum in„ tra conſcientiam abſcondis: Foras jam

per

„ per confeſſionem egredere, qui apud te
„ interius per negationem lates. Veniat
„ itaque foras mortuus, id eſt culpam con-
„ fiteatur peccator: Venientem vero fo-
„ ras, ſolvant Diſcipuli, ut Paſtores Ec-
„ cleſiæ ei Pœnam debeant amovere
„ quam meruit, qui non erubuit confiteri
„ quod fecit. „

Et adhuc Hom. 40. In Evang. “ Quid
„ eſt ergo peccatorum confeſſio, niſi quæ-
„ dam vulnerum ruptio? Quia peccati vi-
„ rus ſalubriter aperitur in confeſſione,
„ quod peſtifere latebat in mente. Vulne-
„ ra etenim cutis in ſuperficiem trahunt hu-
„ morem putredinis, & confitendo pecca-
„ ta, quid aliud agimus, niſi malum, quod
„ in nobis latebat aperimus. „ Subſcribit
S. Joannes Climacus in ſuo libro qui in-
ſcribitur Climao, gradu quarto. Subſcri-
bit & Cæſarius Arelatenſis Homil. 14. tom.
8. Bib. P P. folio 833. ubi ſic loquitur:
“ Si vero peccata peccatis cœperit adde-
„ re, & animarum vulnera tegendo vel
„ defendendo putreſcere, quæ confitendo
„ & pœnitentiam agendo curare noluit,
„ timendum eſt ne in illo impleatur illud
„ quod Apoſtolus dixit: An ignoras quia
„ benignitas Dei ad pœnitentiam te addu-
„ cit. „

Ex ſeptimo Sæculo Theodorus Archiepi-
ſcopus Cantuarienſis in libro pœnitentiali
laudato in Pontificali Damaſi in Vitaliano
ait: “ Theodorus Archiepiſcopus, peccan-
„ tium judicia, quot ſcilicet annis pro uno
„ peccato quis pœnitere debeat, mirabili
„ & diſcreta conſideratione deſcripſit. „
Ibi inter actus pœnitentiæ veros non omit-
titur Confeſſio.

Expreſſius loquitur venerabilis Beda Com-
ment. in c. 5. Epiſt. ubi ſancti Jacobi ex-
plicans illud: *Confitemini alterutrum pecca-
ta veſtra*; ait: “ In hac ſententia illa
„ debet eſſe diſcretio, ut quotidiana levia-
„ que peccata alterutrum coæqualibus con-
„ fiteamur, eorumque credamus oratione
„ ſalvari. Porro gravioris lepræ immun-
„ ditiam, juxta legem Sacerdoti panda-
„ mus, atque ad ejus arbitrium qualiter,
„ & quanto tempore juſſerit, purificari
„ curemus. „ Rurſus L. 5. Hiſt. gentis
ſuæ c. 14.

Ex octavo Sæculo Rabanus ſuum addit cal-
culum L. 7. in Eccleſiaſt. c. 7. ubi de
Confeſſionis neceſſitate hæc ſcribit: “ Qui
„ tranſgreditur menſuram in concupiſcen-
„ tiis carnis, & aggravatur ejus delictis,
„ neceſſe eſt ut per confeſſionem peccato-
„ rum, fœditatem evomat &c.

Idem patet ex libris pœnitentialibus octa-
vi ſæculi. Ecbertus anno 731. Eboracen-
ſis Epiſcopus inauguratus, pœnitentiam
occultam pro peccatis occultis præſcri-
bit in libello pœnitentiali, & comme-
morantur variæ confeſſionis formulæ: *Con-
fiteor quia peccavi nimis in ſermonibus va-
nis & immundis &c.* Item Chrodegangus
Epiſcopus Metenſis c. 28. regulæ quam
ſuis Canonicis ſervandam præſcripſit,
ita inſcribit: De reconciliatione pœniten-
tiæ capitalis criminis, ſic incipit: *Ordo
pœnitentiam agentis publicam, hic eſt.* Tum
de privata ſic loquitur: *Ordo ad pœni-
tentiam accipiendam & faciendam.* Dein-
de caput ſic exorditur: “ Hæc eſt ratio
„ pœnitentiæ & confeſſionis noſtræ, quæ
„ coram Deo & Sacerdotibus ejus a no-
„ bis agendæ ſunt, id eſt, in unoquoque
„ anno tribus vicibus ... Require dili-
„ genter ſi ſunt ſecum opera mala quæ
„ ſeparant hominem, ut ait Apoſtolus, a
„ regno Dei, & hæc ſunt. Mala cogitatio,
„ malus ſermo, & poſtquam confeſſus
„ fuerit ſua peccata, ſi vult dimittere ea,
„ da ei pœnitentiam. „ Vides benevole Le-
ctor, ibi præſcribi regulam omnia cujuſ-
cumque ſpeciei gravia peccata Sacerdoti con-
fitendi, & abſoluta confeſſione, pœniten-
tiam juxta delicta imponendi.

Eodem labente ſæculo, anno ſcilicet
797. Theodulphus Aurelianenſis Epiſco-
pus in Capitulari quod ad ſuæ Diœce-
ſis Parochos direxit cap. 13. ſic loqui-
tur: “ Confeſſiones dandæ ſunt de omni-
„ bus peccatis. „ Tum enarrat omnium
ſpecies peccatorum de quibus confeſſio
facienda eſt: poſtea ſubdit: “ Quando ergo
„ quis ad confeſſionem venit, diligen-
„ ter debet inquiri, quomodo, aut qua
„ occaſione peccatum perpetraverit. „
Idem confirmat Lib. 5. Capitularium c.
52.

Ex nono Sæculo. Non deſunt in hac æta-
te pro eodem momento teſtes, maxime
Concilia jamjam laudata, ſcilicet Turonen-
ſe anno 813. celebratum: Cabilonenſe eo-
dem anno: Pariſienſe anno 829. Inſtar
omnium ſit Wormatienſe anno 868. quod
Can. 25. hæc ſtatuit: “ Pœnitentibus,
„ ſecundum differentiam peccatorum,
„ Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decer-

„ nuntur. „ Quibus verbis diſtinguit peccatorum confeſſionem a ſatisfactionem, quæ ut dictum eſt, Baptiſmi laborioſi nomine celebratur. Monet ibidem Sacerdotem, ut pro injungenda pœnitentia, ad diſpoſitionem pęnitentium attendat: " Debet itaque Sacerdos in pęnitentia danda, ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare &c. „

Auctores hujus ſæculi concinunt; inter omnes S. Eligius Epiſcopus Noviomenſis Homil. 11. in hæc Salomonis verba: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur &c.* ait: " Nec peccator poterit jam excuſari, qui „ confeſſionem per quam venia naſcitur, „ non properavit amplecti ...... confiteantur ſinguli, quæſo vos, fratres, „ delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſæculo eſt, dum admitti ejus „ confeſſio poteſt. „ Idem docet Homil. 4.

Mira dicit Angelomus, cujus opera extant tom. 15. magnæ Bibliothecæ Patrum Edit. Lugd. ann. 850. ſuper iſta ſacræ Scripturæ verba: *Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in Templum Domini; quia Sacerdotum erat.* " Hæc ſententia oſtendit, quod non quis „ proprio arbitrio facile ſe credere debet; ſed magis ſciat quod confeſſio peccatorum & pœnitentia, Sacerdotum „ judicio peragenda eſt, qui habent ſcientiam diſcernendi inter mundum & immundum, & lepræ maculam dejudicare, aut condemnare, aut mundum diſcernere. „

Ex ſubſequentibus Sæculis. Ex decimo ſæculo Radulphus Harpiacenſis cujus opera legere eſt Tom. 17. magnæ Bib. PP. L. 3. in caput 7. Levit. confeſſionem delictorum ſecretam celebrat. Ex undecimo Petrus Damianus Serm. 58. de S. Andrea. Lanfrancus in libello de celanda confeſſione Tom. 18. magnæ Bib. PP. Ex duodecimo S. Bernardus c. 12. ſermone ad milites Templi. Et Serm. 16. in Cantica ait ſingula peccata eſſe confitenda: " Omne, *inquit*, „ quod remordet conſcientiam, confitere „ humiliter, pure, fideliter. „ Petrus Lombardus L. 4. Sant. diſt. 17. His accedunt Hugo de S. Victore L. 2. de Sacramentis parte 14. Ricardus a S. Victore L. de poteſtate ligandi atque ſolvendi c. 4. Petrus Cluniacenſis L. 1. de miraculis. Qui omnes huc uſque commemorati teſtes, ante Innocentium III. ut patet, floruerunt: Confeſſio igitur ſecreta non eſt hujuſce Pontificis fœtus, ut perperam convitiantur Heterodoxi. Mitto Concilium Lateranenſe 4. & alia. Mitto Academias, Theologos, & ſanctos Doctores, ut Ss. Thomam, Bonaventuram, qui egregie de hac materia ſcripſerunt.

§. IV.

Quartum argumentum ex Eccleſiis Orientalibus.

QUOD omnes totius orbis Eccleſiæ, ne quidem ſchiſmaticorum, ſeu etiam multorum Hæreticorum exceptis, & tenuere, & ad noſtra uſque tempora tenent atque propugnant, veluti fidei inconcuſſum dogma habendum eſt. Atqui res ſic ſe habet pro Confeſſione ſacramentali: Igitur non eſt inventum humanum. Probatur minor: De Eccleſiis Occidental. & Orient. antiquis nullus eſt ambigendi locus, cum ex Traditione conſtet Patres Græcos a Chriſto nato una cum Latinis conſpiraſſe ad confeſſionem auricularem veluti eſſentialem Pęnitentiæ ſacramentalis partem aſtruendam. Nunc igitur operæ pretium eſt oſtendere apud recentiores Orientales dogma de confeſſione non ſenuiſſe, melius dicam e numero ſeptem novæ legis Sacramentorum illam pœnitentiam non fuiſſe reſciſſam. Quia vero ubi agitur de articulo fidei ex auctoritate Traditionis ſemper procedendum eſt; tametſi ex dictis conſtet Eccleſiam Orientalem antiquam in ea ſemper fuiſſe ſententia, confeſſionem ſecretam peccatorum & a Chriſto Domino inſtitutam, & in uſu perpetuo fuiſſe, non tamen injucundum erit hic tria ad revincendos Hæreticos peragere; videlicet texere per ordinem Eccleſiæ vetuſtioris Orientalis traditionem: II. Græcorum recentiorum, qui Cyrillum Lucarem Patriarcham Conſtantinopolitanum præceſſere, placita recenſere. III. Tum & eorum qui illum ſubſecuti ſunt.

Traditio Eccleſiæ Orientalis per ordinem digeſta pro Confeſſione ſacramentali.

Ex ſecundo Sæculo Dionyſius, qui creditur Areopagita, Epiſtola ad Demophilum, quem increpat, eo quod dure admodum perſtrinxiſſet peccatorem qui ad Sacerdo-

cerdotem peccata depoſiturus acceſſerat : Et ipſum Preſbyterum qui illum a delictis abſolverat : " Tu accedentem , *ait*, ,, Sacerdoti illum impium & peccatorem ,, dicis, neſcio quomodo per te præſens ,, repuleris. ,, Suffragatur S. Iræneus ejuſdem ætatis Pater Lib. 1. adverſus Hæreſ. c. 9. jamjam ſupra laudatus.

Ex tertio Sæculo variis in locis ſe prodit Origenes Homil. 2. in Levit. Homil. in Pſal. 37. 37. & S. Athanaſius Serm. in illa Chriſti verba : *Invenietis pullum alligatum* . Sozomenus ſcribit Pęnitentiarium illo ſæculo creatum fuiſſe , in urbe Conſtantinopolitana , ad ſuſcipiendas ſecreto confeſſiones : " Cum in petenda venia , ,, *inquit*, peccatum neceſſario confiteri oporteat. ,,

Ex quarto Sæculo S. Baſilius regula 229. Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſtola Can. ad Epiſcopum Mitilenenſem , S. Chryſoſtomus Homil. 33. in Joan. & alii eamdem docent veritatem.

Ex quinto Sæculo habemus ejuſdem doctrinæ tenaciſſimum defenſorem Caſſianum , qui Coll. 2. c. 11. ait : " Si cuiquam cogitatio diabolica advenerit, ſpi- ,, rituali viro per confeſſionem patefacta ,, fiat. ,,

Nylus S. Chryſoſtomi diſcipulus non abſimili modo loquitur Epiſt. ad Carid. " Robuſtarum, *inquit*, & valentium animarum eſt, ſic confeſſionem facere cum ,, jejuniis , & vigiliis , & humicubatio- ,, ne , ſacco & cinere & eleemoſynis. ,,

Titus Boſtrenſis qui anno 460. obiit in c. 7. S. Lucæ eamdem confirmat veritatem his verbis " : Qui graviter impegit , per ,, confeſſionem a peccatis abſolvitur : qui ,, parum peccarat per ſuperbiam, confeſ- ,, ſionis pharmacum ſi aſpernetur, in pęnarum reatum incidet. ,,

Ex ſexto Sæculo non deficiunt ejuſdem veritatis teſtes. Non abs re erit hic laudare Imperatorem Juſtinianum , qui Conſtit. 141. ait : " Qui hoc morbi genere ,, contabuerunt , illi . . . . . morbum B. Pa- ,, triarchæ renuntient , rationemque cura- ,, tionis percipiant. ,,

Jannes Noſtates in Nomocanone : " O- ,, portet , *inquit* , eum qui confeſſiones ,, ſuſcipit, videre & adoleſcentiam , & ,, vires ſenectutis , loci differentiam & ,, modi per quem malum factum eſt . . . . ,, debet examinare locum , contritionem, ,, pudorem . . . . & ſic pęnas injungat . ,,

Joannes II. Patriarcha Conſtantinopolitanus juris fecit publici Pœnitentiale , in quo quidem regulas optimæ & ſalutaris confeſſionis faciendæ inſtituit . Idem ſermonem eruditum de confeſſione & pœnitentia habuit . Florebat magni Gregorii Papæ ævo .

Ea verſus tempora Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus homilia de Synaxi hæc habet ; " In confeſſione , lacrymis ,, animoque humiliato abſtergere pecca- ,, torum maculas , ſicque ad intemerata ,, Myſteria accedere ,, neceſſe eſt : deinde vero ſubjicit . " Confitere Chriſto ,, per Sacerdotes peccata tua . . . Condem- ,, na te in conſpectu hominum. ,,

Ex ſeptimo Sæculo , traditum eſt mulierem ſcripto ſua depoſuiſſe peccata ſancto Joanni Eleemoſynario. Sic refert Leontius in ejus vita. Sanctus Joannes Climacus ait nullum, ſecluſa confeſſione peccatorum veniam impetrare . Georgius Preſbyter in vita S. Theodori Archimandritæ ſcribit eum ſecretas audiiſſe confeſſiones : " Qui occultas animi cogitationes ,, viro ſancto patefaciebant . ,,

Ex octavo Sæculo affulget Concilium in Trullo . Can. 102. habetur : " Oportet ,, eos qui ſolvendi ac ligandi poteſtatem ,, a Deo accepere , peccati qualitatem ,, conſiderare , & ejus qui peccavit prom- ,, ptum ſtudium. ,,

In vita S. Platonis a Theodoro ſtudita conſcripta, legitur eum ſolitum fuiſſe ſuo Superiori confiteri peccata : " Confitebatur ei qui præerat. ,,

Eodem prope tempore Nicephorus Carthophilax, eruditum de confeſſione ſacramentali tractatum compoſuit . In eo ſic loquitur : " Olim oportebat omnes ad i- ,, pſos Pontifices accedere , ſuaque illis ,, occulta pandere ; Pontifices defatigati ,, ad probatos Monachos tranſmiſere. ,,

Ex nono Sæculo Anaſtaſius Nicænus , qui vita functus eſt anno 860. plures inſtituit quæſtiones . q. 6. ait : " Sit-ne bonum ,, confiteri peccata viris ſpiritualibus ? Eſt ,, bonum & valde utile , *ait*. At ſi in- ,, veneris hominem ſpiritualem qui poſſit ,, tibi mederi , citra pudorem & cum fi- ,, de confitere ei tamquam Domino , & ,, non homini . . . . Nec te pudeat confi- ,, teri peccata tua. ,,

Ex decimo Sæculo ſufficiat Theophilactus,

qui in c. 19. Actuum ait: “ Oportet quemque fidelem peccata prodere, ac ſeſe cooarguendo illi renuntiare, ne poſtea eadem amplius committat.

Ex duodecimo Sæculo Simeon Theſſalonicenſis, L. de Sacramentis mirum in modum eadem pertractat: “ Oportet, *inquit*, Confeſſorem in loco nitido, præclaro & ſacro, privatim & extra tumultum ſedere cum reverentia, hilari animo vultuque manſueto divinam charitatem oris habitu, & moribus domonſtrantem; confitentem autem cum fiducia divino timore ac reverentia in conſpectu Sacerdotis, potius vero in conſpectu ipſius Chriſti ſedere, cum per confeſſionem Chriſto... in his omnibus tenetur quiſque ſeipſum examinare, & Confeſſor de unoquoque interrogare. „

Nicephorus Gregorus L. 3. ſcribit Imperatorem Michaelem Paleologum habuiſſe in more poſitum ſua confiteri peccata ſancto Germano Patriarchæ Conſtantinopolitano. R. P. Goar in notis ad Liturgiam S. Joannis Chryſoſtomi ait, ſanctum Pontificem præcipere Sacerdotibus, ut antequam divina celebrent Myſteria, animam ſalutari confeſſione ſe ad hoc præparent: “ Sacerdos divinum Myſterium peracturus, ante omnia confiteri, & cum omnibus reconciliatum habere ſe debet. „ Idem etiam ſcribit ſæculo circiter decimo-quarto Germanum Amathuſæ Epiſcopum, ſtatutum edidiſſe, quo Sacerdotibus injungit ſæpius ſua deponere peccata, & Confeſſarios mutuo ſe ſalutari confeſſione Deo reconciliare.

Decimo-quinto Sæculo Eugenius IV. in Concilio Florentino conqueſtus quod Epiſcopi & Presbyteri ex quadam nova, eaque mala conſuetudine raro confiterentur, Archiepiſcopus Mytilenæ fecit ſatis ſummo Pontifici.

Ex decimo ſexto Sæculo Gabriel Philadelphiæ L. de Sacram. edit. Venet. 1600. eſſe tres Pœnitentiæ ſacramentalis partes docet. Nimirum cordis compunctionem, oris confeſſionem, & ſatisfactionem. “ Contritionem cordis, oris confeſſionem & ſatisfactionem. „ Deinde ſubdit. “ Confeſſio eſt declaratio & enuntiatio voluntaria labiis ſive pectore facta, propter ante commiſſas turpitudines & voluntaria lucidaque ſecretorum cordis accuſatio, apud eum qui legitimam & canonicam habet poteſtatem. „

Non injucundum erit ex eodem ſæculo proferre reſponſionem Græcorum Venetiarum ſubditorum, quam Claudio Cardinali Guiſiacenſi ſciſcitanti, quænam eſſent eorum circa fidem dogmata? Reſponſione undecima, quæ Penitentiam ſpectabat, aſſeruerunt Confeſſionem ſecretam ſingulorum peccatorum ex antiquorum Patrum traditione ad ſalutem neceſſariam eſſe: “ Omnino, *inquiunt*, peccatorum enumeratio fieri debet, quemadmodum illi magni rerum divinarum præcones atque lumina, Baſilius & Nyſſenus, aliique hos ſubſecuti Doctores, præcipiunt. Et quam ob rem is qui confitetur viris ſpiritualibus peccata ſua, fateri debet una cum loco & modo; uti ſpiritualis Pater adhibere medicinam eis ſecundum inſtituta SS. Patrum poſſit. „

Anno ſalutis 1580. Jeremias Patriarcha CP. mira fecit & ſcripſit pro doctrina ſeptem Sacramentorum adverſus Proteſtantes, qui in Oriente ſuos diſſeminare errores tentabant. Cap. 11. ſic reſpondet expoſtulatis de Penitentiæ Sacramento: “ Reſpondemus talem Miniſtrum debere eſſe ſpiritualem Medicum, & bene rerum ſuarum peritum; deinde confitentem quoad poſſit, recordari peccata & particulatim exponere, idque corde contrito & humiliato. „ Rurſus c. 21. ait: “ Quarto de confeſſione & peccatorum remiſſione reſpondemus ex M. Baſilio debere unumquemque Chriſtianum, ſi velit egregium progreſſum pietatis monſtrare, & habitum ſecundum præcepta Domini noſtri vivendi comparare, nullam agitationem mentis occultam ſecum retinere, nullum verbum abſque examinatione præcedente emittere, ſed proferre nude arcana cordis, non quidem cuivis, ſed his, qui medicinam facere poſſunt. „ Reſp. 1. ad Theologos Wittembergenſes ait: “ Oportet eum qui ſua confitetur peccata, ſigillatim, quantum memoria ſuppeditare poteſt, cuncta deponere, & quidem corde contrito & humiliato., Tum pag. 87. ſubjicit, alloquendo Wittembergenſes: „ Quia vero procul abſolute facitis ſatisfactiones canonicas, dicimus eas eſſe ad ſalutem perutiles, ſi a probis Confeſſariis imponantur. „

Quid plura adjiciam ? Multæ adunatæ ſunt pro iiſdem momentis aſtruendis Synodi. Anno 1638. Conſtantinopolitana habita eſt contra Capitula Cyrilli Lucaris, qui neſcio quo fato adhærebat Calviniſtis: & ibi hæc definitio legitur: *Anathema Cyrillo dogmatizanti & credenti non eſſe ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, Baptiſmum, Confirmationem, &c.* Anno 1642. altera adverſus eumdem celebrata fuit Jaſſii prope Conſtantinopolim. In articulo decimo-quinto ita loquuntur Præſules de Cyrillo: " Reſpuit quinque Eccleſiæ Sa- " cramenta, videlicet Ordinem, Confir- ,, mationem, Extremam-Unctionem, jun- ,, ctam Pœnitentiæ Confeſſionem, & Ma- ,, trimonium, quæ quidem omnia tam- ,, quam ſacra & divinam conferentia gra- ,, tiam antiqua traditio nobis reliquit.,,

Anno 1672. Synodus Jeroſolymitana aſſerit confeſſionem ſecretam peccatorum eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ a Chriſto Jeſu inſtituti: " Pœnitentiæ Sa- ,, cramentum in quo ſecreta includitur ,, confeſſio, tunc tradidit Chriſtus, cum ,, dixit: *Quorum remiſeritis peccata &c.* ,,

His omnibus accedunt Græcorum Eucologia, in quibus mentio fit de Confeſſione ſacramentali. In his hæc oratio legitur: *Deus qui propter nos homo effectus, & totius mundi peccata tollis, ipſe ſuaviſſima ſua benignitate cuncta hæc ſuſcipias, quæ coram indignitate mea enarraſti, frater, condonans tibi omnia, & in præſenti ſæculo & in futuro.* Altera ibidem habetur: *Tu optime & valde miſericors Deus, cuncta quæ filius meus ſpiritalis contrito corde coram te, tenuitati meæ confeſſus eſt, & in præſenti & in futuro ſæculo condona.*

Neque vero referre pigebit, me non ſemel audiviſſe anno circiter 1716. a Reverendo admodum Patre Feuillet Ordinis Minimorum Botanico Regio, & apud Academiam Pariſienſem propter tractatus Phyſicos & mathematicos quos Juris publici fecit, celeberrimo, ſe in peregrinationibus in Oriente de Mandato Ludovici XIV. ſuſceptis, multorum Græcorum confeſſiones audiviſſe, eos habere Sacerdotes & Parochos, quibus ſua deponunt peccata: Qui igitur hæc negaverit, in rebus Eccleſiaſticis Græcorum prorſus hoſpitem ſe probabit. Igitur a primo ad ultimum conſtat confeſſionem ſecretam, eamque ſacramentalem in Oriente a Chriſto nato ad noſtra uſque tempora fuiſſe in uſu.

Græcorum recentiorum pro Confeſſione ſacramentali placita.

ISTUD momentum articulo ſuperiori §. VIII. jam ex parte explicatum & probatum eſt, ubi de eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ egimus. Quia vero Proteſtantes toto marte impugnant Confeſſionem ſacramentalem ſingulorum peccatorum, non abs re erit celebriora præcedentium Auctorum hic loca texere, ut Heterodoxi intelligant omnes Orientales Eccleſias, a Chriſto ad noſtra uſque tempora, ſecretam peccatorum Confeſſionem uti ſacramentalem, & ad ſalutem abſolute neceſſariam, nedum habere, ſed & obſervare.

Reverendus Pater Goar in diſciplina Eccleſiaſtica, & ritibus Orientalium peritiſſimus, omnes Orientis Eccleſias confeſſionem ſacramentalem agnoſcere teſtatur. Oſtendimus ſupra Græcos, Melchitas, Neſtorianos, Jacobitas & Æthyopes Pœnitentiam inter novæ legis Sacramenta annumerare, & Confeſſionem ut partem eſſentialem inter delineandum iſtud Sacramentum commemorare: idem ante Concilium Florentinum a Simeone Theſſalonicenſi fuiſſe prædicatum. Diximus quoque Theologos Græcos impugnaſſe Lutheranos, eo quod Pœnitentiam ex albo Sacramentorum expunxiſſent; Cyrillum Lucarem Apoſtatam a fide in variis Synodis proſcriptum eſſe propter errores Calvinianos quos propugnabat. Jam nunc ad monumenta, quibus ex profeſſo Confeſſio ſacramentalis defenditur, veniendum incumbit.

Alexius Rhaturus eodem prope modo ac Latini de auriculari Confeſſione loquitur. Homil. in quartam Quadrageſimæ Do- ,, minicam ait: " Sacramentum Confeſ- ,, ſionis inſtitutum eſt pro medela & ,, correctione peccatorum commiſſorum, ,, ea omnia delet &c.,, Deinde præſcribit diſpoſitiones, ut a miniſtris Eccleſiæ per ſententiam abſolutionis latam pœnitens a peccatis ſolvatur.... Eamdem delictorum Confeſſionem, ejuſque mirabiles commemorat effectus, Homil. de reſurrectione Lazari.

Damaſcenus Studita in inſtructione fa-

miliari

miliari pro Confeſſione rite facienda : " Homines, *ait*, qui ſuas ſalvare animas, „ & ad hæreditatem æternam volunt „ pervenire, debent quotidie, ſi fieri po- „ teſt, ſaltem quater in anno Patri ſpiri- „ tuali ſua confiteri peccata, videlicet „ tempore Quadrageſimæ, in feſto Nativi- „ tatis Chriſti, Aſſumptionis Beatæ Ma- „ riæ, & omnium Sanctorum. Debent „ omnem citra diſſimulationem cuncta „ deponere peccata; nam etſi homini con- „ fiteamini, perinde eſt ac ſi Deo ipſi hoc „ fieret, quippe qui ſit ille qui peccata „ condonat; quia ſi homo abſolvit, non „ niſi accepta prius a Deo poteſtate hoc „ ipſum facit. Audite quæ Chriſtus di- „ xit Apoſtolis, cum eos ad prædicandum „ miſit: *Accipite Spiritum ſanctum: quo-* „ *rum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* „ Idem porſus docet Nicephorus Paſchaleus in libro manuali methodico de ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione edito Venetiis anno 1622.

Meletius Syrurgus in ſuo tractatu ad confutandos errores Theologorum Wittembergenſium loquens de Pœnitentiæ ſacramento quod abnegant, quaſi ſtupens ait: " Quomodo non confitentur Confeſſio- „ nem peccatorum ſincero Pœnitentiæ „ animo factam, adjuncta abſolutione ſic- „ ut oportet data ab eo qui claves regni „ cœlorum habet, eſſe Sacramentum? Nam- „ que audiunt Dominum, qui ita præ- „ cepit: *Accipite Spiritum ſanctum: quo-* „ *rum remiſeritis peccata, remittuntur* „ *eis* . . . . . . Qui ergo abnuunt Confeſſio- „ nem, cui annexa eſt peccatorum abſolu- „ tio, quod Sacramentum vocamus, du- „ bio-procul a Novatianis non diſcre- „ pant. „

Confeſſio orthodoxa ab ipſo ſimul cum Ruſſiæ & Moldaviæ Epiſcopis compoſita, eamdem præcontinet veritatem. Quæſt. 112. hæc habentur: " Quintum ſacramen- „ tum eſt Pœnitentia, quæ eſt cordis dolor „ de peccatis ab aliquo homine patratis, „ quæque confitetur ſe coram Sacerdote „ accuſando, cum firmo de emendanda „ in futurum vita propoſito, & adimplen- „ di pœnitentiam a Confeſſario impoſi- „ tam. „

Dices: Arcudius Lib. 4. de Pœnit. c. 5. dubitat num Græci poſſint abſolvere. Caucus, Angelus, Metrophanes contradictoria loquuntur de ſacramento Pœnitentiæ apud Græcos recentiores. Igitur, inquiunt Proteſtantes, nihil ex his teſtimoniis pro Confeſſione erui poteſt.

Reſpondeo antiquam Græciæ Eccleſiam Pœnitentiam ex contritione cordis, oris confeſſione & ſatisfactione laborioſa conflatam, ſemper habuiſſe ut verum novæ legis Sacramentum; quod ex unanimi Patrum Græcorum conſenſu ſupra demonſtratum eſt. Hinc dato & non conceſſo Græcos noviſſimis ſæculis ab hac fide defeciſſe, nihil inde adverſus Confeſſionis dogma ſequeretur: veritas quippe, teſte Tertulliano, mendacio antiquior eſt.

Reſpondeo ſecundo, Auctores in objectione laudatos nullius eſſe ponderis, quippe qui apud Græcos ignoti ſint: opera vero & Jeremiæ Patriarchæ CP. & Coreſſii, & Gregorii Protoſyncelli, & meletii Syrurgi eſſe ab univerſa Græcorum Eccleſia approbata. Cauco & ſimilibus opponimus RR. PP. Goar & Morinum; ille in libro de ritibus Græcorum: iſte in Pœnitentiæ tractatu, uno veluti calamo ſcribunt, Græcos Confeſſionem ſacramentalem retinuiſſe. His adjungitur Renaudotius in linguis & doctrinæ Orientalium notitia nulli ſecundus. Toto libro 3. Tom. 5. Perpetuitatis fidei, omni argumentorum genere probat nedum Græcos, ſed & Jacobitas, Neſtorianos & Æthyopes admiſiſſe Confeſſionem ſacramentalem. De Græcis non eſt ambigendi locus, maxime cum Leo X. Clemens VII. & Urbanus VIII. in ſuis viciſſim diplomatibus ſtatuerint illos ſequi debere ritus ſuæ Eccleſiæ, & inter eos, ritum de Pœnitentia adminiſtranda, omni ſecluſa de hoc momento controverſia.

Reſpondeo tertio, caput controverſiæ præſentis non eſſe de validitate Sacramentorum, quæ Græci ſchiſmatici conferunt, neque de eorum variationibus; ſed utrum Confeſſionem peccatorum veluti ſacramentalem habeant. Affirmativam probavimus: igitur ad alia gradum facere juvat.

Teſtimonia Chriſtianorum, qui in Syria, Ægypto, & ceteris longinquis regionibus commorantur.

COPTITÆ agnoſcunt poteſtatem ineſſe Sacerdotibus abſolvendi peccata; ſic enim habetur in Oratione Liturgiæ per-

anti-

antiquæ Patriarchatus Alexandrini, qua ad hæc uſque tempora utuntur, quæque ſancti Baſilii nomen præ ſe fert. " Domine ,, Jeſu Chriſte, Filius Dei Patris, qui ,, cuncta peccatorum noſtrorum fregiſti ,, vincula, veſtra ſalutari & vivificante ,, Paſſione, qui inſufflando ſuper ſanctos ,, Apoſtolos & Diſcipulos eis dixiſti : ,, *Accipite Spiritum ſanctum : quorum* ,, *remiſeritis peccata, remittuntur eis.* ,, Lit. M. S. Baſ. Gr. & Arab. Copt. Æthiop.

Eadem prorſus docent Canoniſtæ tum Syriæ, tum Alexandriæ. Sic propugnat Barſalibi : ita habetur in commentario Arabico ex ſancto Joanne Chryſoſtomo excerpto : ſic docet auctor tractatus Præparationis ad ſacram Synaxim : " Qui auſu temerario, *inquit*, ſe judicat abſque ,, Sacerdote, poteſtatem ſibi tribuit quæ ,, ſoli Jeſu Chriſto Filio Dei convenit, ,, ſimiliter & ejus Vicariis quibus eam ,, contulit dicens : *Accipite Spiritum ſanctum : quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* ,, MS. Ar. Bib. Reg. Echmini : uterque Ebnaſſal, Abulſaragius, aliique Summiſtæ eamdem tenent doctrinam. Coll. Can. MS. Ar. Nomo-Can. Syr. Ebnaſſ.

Varii extitere tractatus Arabes & Syriaci abſque auctoris nomine, de præparatione ad Communionem, & certe magni ponderis, quippe qui excerpti ſint ex operibus modo ſanctorum Patrum, modo etiam Severi Aſchmonin, qui nono florebat ſæculo, & Dionyſii Barſalibi, qui duodecimo. Uterque erat Jacobita : ille Coptita, iſte Syrus. In vetuſtiſſimo hæc leguntur : " Confeſſio debet antecedere Communionem. ,, In altero : " Nullus peccatorum remiſſionem recipere poteſt, niſi ſingula ſimul cum circumſtantiis aperiat, ut abſolutionem ,, habeat. ,, In Codicibus manuſcriptis vetuſtis invenitur homilia Confeſſionis ad uſum Eccleſiarum Jacobitarum. In ea hæc habentur : " Dicitur in ſacris Scripturis eum qui peccavit & delicta commiſit, qualis eſt lapſus carnis, furtum : ,, ſua debere confiteri peccata, & de his ,, pœnitentiam agere. ,, In altera homilia : " Sancti Patres ſtatuerunt : Nemo ad ſacram ,, Euchariſtiam accedat, niſi prius Sacerdoti ſua depoſuerit peccata. ,, In aliis multis homiliis pro Dominicis & diebus Feſtis ad uſum Coptitarum, ſimilia de neceſſitate Confeſſionis ſacramentalis leguntur. MS. Bib. Colb.

Echmini in collectione Canonum p. 2. c. 38. ſuſo calamo Confeſſionem ſacramentalem deſcribit. Caput hunc habet titulum : *De excellentia Pœnitentiæ Canonicæ. Peccator debet ſuum aperire peccatum Pœnitentiario*. Deinde de modo pœnitentiam agendi ſcribit ; tum ait : " Sacerdos non ,, poteſt cognoſcere peccata, niſi Pœnitens ea confiteatur. ,, Deinde vero quid ſit faciendum ſtatuit.

Non deſunt plures alii auctores, qui eadem de Confeſſione ſacramentali & ſcribunt & prædicant. Abu-Iſaac Ebnaſſal, Echmini quaſi coævus, in appendice Theologiæ quam inſcribit : *Collectio fundamentorum Fidei*, triplicis ſpeciei diſtinguit Confeſſionem : Una quæ fit ſoli Deo, ſe confitendo peccatorem : Altera proximo, qua quis fatetur amico ſe illum offendiſſe, & de hoc dolere : Tertia quæ Sacerdoti, eaque ſacramentalis. " Tertia, *inquit*, illa eſt quam Pœnitens ,, facit Presbytero qui poteſtatem habet ſuſcipiendi confeſſiones, illi declarando ,, ſingula quæ tum contra Deum, tum ,, contra homines commiſit peccata. ,, Ebnaſſ. coll. princip. fidei. MS. Ar. c. 55.

In veteri tractatu quæſtionum & reſponſionum legitur : " Qui ſua non deponit ,, Sacerdoti peccata, quique ab ore ejus ,, canonem Pœnitentialem non accipit, ,, neque filius, neque Chriſti diſcipulus ,, eſt. ,,

In collectione Canonum Jacobitarum Syriæ : " Nulli Chriſtiano, qui crapulæ, luxuriæ aut furti reus eſt, permittitur ſacram ſuſcipere Euchariſtiam, donec confeſſus ſit peccata. ,,

Auctor tractatus ſcientiæ Eccleſiaſticæ ad uſum Eccleſiæ Alexandrinæ Jacobitarum c. 66. *ait* " Ad Patriarcham ſpectat dare ,, Pœnitentiarium populo ; namque ut ,, primum homines Confeſſarium habent, ad illum confugiunt, ut ſua ,, confitendo peccata, quandiu in terra ,, ſunt ſuperſtites, a Deo obtineant veniam. ,,

Eadem pro Confeſſione ſacramentali documenta in manuſcriptis Arab. Colbert. traduntur. Michael Patriarcha Jacobitarum Antiochiæ mira dicit de Confeſſione ſa-

ſa-

Digitized by Google

ſacramentali in tract. de præparatione ad Confeſſionem. " Confeſſio, *inquit*, facta „ Sacerdotibus, eſt baptiſmus perpetuus „ pro remiſſione peccatorum. „ Eadem pro Confeſſione ſacramentali aſtruenda in manuſcripto Bibliothecæ Regiæ in una homilia reperiuntur. MS. Ar. Bib. Reg.

Agmen claudet celeberrimus Dionyſius Barſalibi Epiſcopus d' Amid, Jacobita. Multa pro fide tenenda juxta veterum Patrum doctrinam compoſuit. In primis per omnia partes Pœnitentiæ ſacramentalis tractat, aſſeritque eo ſe ſcripſiſſe ſcopo, ut Canones Pœnitentiales pro ſingulis peccatis imponendos demonſtraret. Can. 2. dicit: " Sacerdos, abſoluta Pœ„ nitentis confeſſione quam audivit, injun„ gat ei ut promittat in poſterum ſe ſimi„ lia non facturum eſſe &c. „ Can. 3. 4. 5. eamdem proſequitur materiam. Ibi multus eſt ſermo de ſatisfactione prævia, aliiſque diſpoſitionibus, antequam abſolutionis beneficium conferatur. MS. Syr. Bib. Colb.

Dices: Ipſe Abu-Iſaac Ebnaſſal in collectione principiorum fidei, aſſerit Confeſſionem, qua qui coram Deo ſe confitetur peccatorem, eſſe apud Coptitas in uſu. MS. Ar. cap. 55. Jacobus Vitriacus Hiſt. Jeroſ. c. 75. Thomas a Jeſu Lib. 5. c. 5. & 33. ſcribunt Confeſſionem ſacramentalem apud Coptitas abrogatam; & de facto Joannes 72. Jacobitarum Alexandriæ Patriarcha eam reſcidit: quod & confirmatum eſt a Marco filio Zaraæ, ejus ſucceſſore; ita ut, teſte Renaudotio Tomo 5. Perpetuitatis fidei Lib. 3. c. 8. in id novitatis, ne dicam & ſuperſtitionis venere, ut thuribulo exhalante coram Domino ſuavem thimiamatis odorem, ipſi fumo circumluſi, coram Deo ſe confiterentur peccatores, & ſic ſe crederent ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ abſolutos, & uti tales haberentur a Patriarcha & ceteris Sacerdotibus. Hallucinationis hoc erat fundamentum. Apud eos priores incenſationes, completa oratione quæ abſolutio vocatur, fiunt: quia vero nox nocti indicat ſcientiam, quilibet, etiam laicus, credidit ſe poſſe in thuribulo apponere incenſum, ipſoque exhalante odorem ſuper fumum, ſua Deo confiteri peccata, & hac cæremonia ab eis abſolvi. Qui quidem abuſus ad Æthiopes, immo & ad Neſtorianos uſque pertranſivit, ut ibidem obſervat Renaudotius.

Reſpondeo primo ſicut ſupra, ſcilicet abuſum nihil derogare dogmati. Ad aliam non abſimilem objectionem dico, non eſſe controverſiam inter nos Catbolicos & Proteſtantes, qui Confeſſionem ſacramentalem e numero Sacramentorum expunxerunt, de variationibus ſuperſtitioſis quæ inter remotiſſimas Orientis Eccleſias ab aliquibus ſæculis contigere: ſed de inconcuſſa traditione pro hoc momento, ab omni etiam vetuſtiſſima ætate, apud omnes totius orbis Chriſtianos, omni auctoritatum pondere firmata. Unum hoc habemus, hanc fuiſſe omnium Eccleſiarum Orientalium fidem, ut ipſi nunc videant, num tuta conſcientia ad ſpiritus erroris attendentes, poſſint abſque Pœnitentiæ ſacramento ſalvari?

Reſpondeo ſecundo, multos nævos a quibuſdam Hiſtoricis in rebus Eccleſiaſticis juxta Orientalium uſus parum verſatos, illis exteris nationibus affingi: neque vero quidquam roboris eorum habent teſtimonia. Eſto quod aliquæ emerſerint variationes, ſed addant eſſe novas, immo apud aliquos, non apud omnes: addant eſſe recentiores; quid plura? & a multis illarum nationum Theologis aut ipſo facto impugnatas, aut etiam emendatas. Quibus ſubnotatis, evaneſcunt vana Proteſtantium effugia.

Obſervandum eſt igitur primo, ad duodecimum uſque & ultra ſæculum, doctrinam de Confeſſione ſacramentali, nedum apud Melchitas, Neſtorianos, Æthiopes, ſed & Jacobitas tum Syriæ, tum Alexandriæ eamdem fuiſſe, quam ſemper tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia Romana, ut conſtat ex iis quæ diximus & de ſeptenario Sacramentorum numero ab omnibus recepto, & de Pœnitentia, in hac præſenti diſſertatione, & ex Renaudotio hic Lib. 3. c. 8. pag. 244.

Secundo, notatu dignum eſt, quod tametſi Abu-Iſaac Ebnaſſal in collectione principiorum fidei concedat apud Coptitas conſtitiſſe aliquam pro Pœnitentia variationem, de ea tamen loquitur tamquam de recentiſſima novitate, cui certe non ſolum ſuum non addit calculum, ſed longe facit, ſubjungendo doctrinam Confeſſionis ſacramentalis " eſſe doctrinam ceterorum Chriſtianitatis ſocietatum, quæ in

„ im-

,, immenſum Coptitarum numerum exce- ,, dunt, eamque eſſe magnis rationibus, ,, & ipſa Scripturæ ſacræ auctoritate ro- ,, boratam atque firmatam. ,,

Tertio, quod os loquentium iniqua prorſus occludit, illud præcipue momentum eſt, quod vel ipſo tempore quo ridiculæ apparuerunt in Confeſſione apud Coptitas novitates, eodem a viris omni exceptione maioribus impugnatæ ſunt. Revera quidem auctores Coptitæ ſimul cum Michaele Jacobitarum Syriæ Patriarcha, reſtiterunt novatoribus. Maxime vero Marcus Presbyter religioſus filius Ekombar, qui ſuum acuit zelum contra novitates in ſuis publicis prædicationibus. Neque vero coram aſtantibus aſſerere dubitavit, " omnem hominem capitalium peccato- ,, rum conſcium, non ſine magno ſcan- ,, dalo ſacram poſſe ſumere Euchariſtiam, ,, niſi prius ſua Sacerdoti Pęnitentia- ,, rio confeſſus fuiſſet delicta, & pęoam ,, canonicam ſubiiſſet; eum vero qui abſ- ,, que peccatorum confeſſione e vita mi- ,, grabat, detrudi in infernum. ,, Tarich. Armen. Chron. Orient. Quia etiam diſertiſſimus erat orator, Scripturam ſacram in variis homiliis Arabica lingua explicabat: hinc factum eſt multos Coptitas abnuiſſe ſuperſtitionis errores: quod indigne ferens Marcus Patriarcha Novator, illum lata ſententia excommunicare non erubuit; ſed vicit veritas; emendavit Monachi ſuperſtitionis errores, & Coptitæ magna ex parte illi adhæſerunt.

Huic acceſſerunt Ebnaſſal Canoniſta, ejuſque frater Theologi nomine celebratus, qui validiſſimis argumentis confutarunt Metropolitanum Damiatæ.

Reſpondeo tertio in forma: Coptitæ & quidam alii Confeſſionem ſacramentalem innovando temerarunt, concedo: citra novationem, nego. Et ſic fucata Proteſtantium objectio eſt merum auricalcum.

§. V.

Quintum argumentum, ex uſu perpetuo & Eccleſiæ diſciplina deſumptum.

USUS diſciplinæ perpetuus de alicujus Sacramenti ſuſceptione ita fidei firmat dogma, ut nemo niſi ex determinata malitia & erroris amore, poſſit illud ipſum negare: ſed ex uſu & diſciplina, a Chriſto Domino ad nos uſque Confeſſio ſacramentalis in praxi floruit. Igitur cauſa cadunt Proteſtantes illam abnegando. Hinc ſi bona fide inter eos doctiſſimi loqui velint, ultro veritati ſimul & Religioni obedient. Quia vero ſcriptum eſt, Iſa. 6. videntes & intelligentes in pęnam præcedentium peccatorum, nec audire, & quod infelicius, nec videre, nec intelligere volunt, operæ pretium eſt hic texere omnem de Confeſſione ſacramentali atque Pęnitentia & diſciplinam, & hiſtoriam.

Praxis Hiſtorica Confeſſionis ſacramentalis.

PRIMO, ineſt Eccleſiæ poteſtas abſolvendi a peccatis, ut validiſſimis ex auctoritate Patrum deſumptis argumentis oſtenſum eſt. Hoc ipſum patet ex facto Beati Pauli, qui 1. Cor. 5. alligavit inceſtuoſum Satanæ, & poſtea ſolvit. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini Jeſu, tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* 2. Cor. 2. eumdem abſolvit: *Obſecro vos ut confirmetis in illum charitatem ... cui autem aliquid donaſtis: & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Lib. 6. Capitularium Coroli Magni cap. 160. hæc habentur: " Fide- ,, libus in Eccleſia per Chriſtum, ſancti ,, Spiritus dono, per miniſterium Sacerdo- ,, tale & per Pęnitentiam, peccatorum ,, remiſſio indubitanter attribuitur. ,, Jooas Aurelianenſis Epiſcopus expreſſius loquitur Lib. 1. cap. 6s " Fideles idcir- ,, co, *inquit*, peccata ſua Sacerdotibus ,, confitentur, quia illis poteſtas a Deo ,, eſt ligandi atque ſolvendi. ,, Subſcribit Alcuinus Epiſt. 71. ſubſcribit & Leontius, qui ſexto florebat ſæculo, in vita ſancti Joannis Eleemoſynarii.

Secundo: Poteſtas conceſſa Sacerdotibus in eo potiſſimum ſita eſt, quod juſtificent peccatorem. S. Cyprianus Serm. de lapſis de hoc momento ſic loquitur: " Dum admitti ejus confeſſio poteſt, dum ſatis- ,, factio & remiſſio facta per Sacerdotes ,, apud Deum grata eſt. ,, Idem dicit Caſ- ,, ſianus

ſianus L. de Pęnit. c. 18. “ Regredere „ ad temetipſum, agnoſce Sacramenta ſalutis tuæ, per quæ innovatus, per quæ „ renatus es , non minus tibi nunc opus „ ſunt, quam tunc *fuerunt* , *ut te per pœnitentiam nunc regenerent* ; quæ per fontem ante regenerarunt . „ Similia loquitur ſanctus Cyrillus Alexandrinus in Joannem c. 56. “ Nam cum ipſi Sacerdotes remittunt peccata , aut detinent; „ hoc fit per eos duobus modis : primum „ Baptiſmo, deinde Pęnitentia.

Tertio: Sacerdos eſt Judex. Iſtud & alia momenta jamjam validiſſimis rationibus probavimus ; ſed non abs re erit hic iteratis auctoritatibus confirmare judiciariam poteſtatem fori interioris . L. 2. Conſt. Apoſt. c. 2. habetur: “ Tu ergo Epiſcope , judica ut Deus , Domini enim eſt „ judicium ; itaque primum poteſtate fretus, reum condemna, deinde cum miſericordia ſuſcipe , promiſſa ei ſalute , „ ſi mores mutet , & peccatorum pœniteat . „ S. Chryſoſtomus Hom. 5. in SS. hoc ipſum dicit de Sacerdotibus . Hoc ſanctus Hieronymus Epiſt. 1. hoc S. Leo Serm. de Transfig.

Quarto: Uſus confeſſionis ſecreto Sacerdoti factę a Chriſto nato in tota Eccleſia celebratur . Origenes Hom. 2. in Lev. ait : *Eſt ſeptima per Pęnitentiam remiſſio peccatorum , cum lavat peccator lacrymis ſtratum ſuum , & non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum , & quærere medicinam* . S. Baſilius in regulis fuſius diſputatis Reſpon. 26. “ Debet unuſquiſque „ eorum , mentis ſuæ arcana aperire fratribus iis quibus datum illud negotium „ ſit , ut adhibitis facilitate & miſericordia, ægrotantes curent : „ Sanctus Gregorius Nyſſ. qui ann. 371. florebat, oratione in eos qui alios durius judicant, ait : “ Afflictionis participem & ſocium „ ſume Sacerdotem ut patrem : Audacter „ illi oſtende quæ ſunt recondita , animi „ arcana tamquam occulta vulnera Medico retege : ipſe & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit . „ Audis uſum confeſſionis ſecretæ in Oriente , nunc ad Africanam Eccleſiam properemus. Tertullianus Lib. de Pœnit. c. 6. “ Tantum relevat confeſſio delictum , quantum diſſimulatio exaggerat . „ Subſcribit S. Cyprianus L. de lapſis , ſubſcribit ſanctus Auguſtinus Hom. 41.

Exercitium confeſſionis auricularis affulget quoque in Hiſpaniis; unus teſtis ſufficiat Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis, qui anno 380. ultimum clauſit diem . In Paræneſ. ſic loquitur : “ Quid facis tu, „ qui decipis Sacerdotem , qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis ? „ Rogo ergo vos fratres , per illum Dominum quem occulta non fallunt , deſinite vulneratam tegere conſcientiam: „ Prudentes ægri Medicos non verentur, „ ne in occultis quidem corporum partibus . „ In Eccleſia Mediolan. confeſſio ſecreta plurimum commendatur . S. Ambroſius L. de Pęnit . c. 8. illam aſtruit c. 12. ait : “ Quæ vox alia veſtra eſt, „ cum etiam minoris peccati reus vobis „ factum proprium confitetur . „

Inter omnes eminet Eccleſia Romana. Innocentius I. Epiſt. ad Decentium ſic pronuntiat : Ceterum de pondere æſtimando „ delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut „ attendat ad confeſionem pœnitentis , „ & ad fletus corrigentis . „ Non omittenda Eccleſia Conſtantinopolitana . Nectarius qui anno 381. inauguratus fuit Patriarcha , confeſſionem quidem publicam abrogavit occaſione Domicellæ quæ a Diacono deflorata , conſilio Pœnitentiarii, & dubio procul ſiniſtro , in conventu Eccleſiæ , ſcelus publicavit , ex quo facto adverſus Clerum inſurrexit populus: ſed hoc argumentum irrefragabile eſt , pęnitentiam ſecretam tunc fuiſſe in uſu, cum quædam facta , & ſolum peccata gravia ad majorem ſatisfactionem publice prœnitens declararet , quæ Pœnitentiarius indixerat; ſic referunt Socrates L. 5. cap. 19. Sozomenus L. 11. c. 16. Caſſiodorus Hiſt. tripartita . Quod autem auricularis non fuerit reſciſſa , patet ex S. Chryſoſtomo , qui Nectarii ſucceſſor fuit . Ipſe vero ſic loquitur : “ Non ego „ te in medium prodire theatrum , ac „ multos adhibere teſtes, volo, mihi ſoli dic peccatum . „ Obſerves velim confeſſionem factam Sacerdoti, Deo ſoli factam reputari a SS. Patribus, ita idem Chryſoſtomus Epiſt. 2. S. Leo Magnus Epiſt. 81. S. Auguſtinus Serm. 391. Edit. nov.

Quid memorem S. Ephræm , Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconum , qui vivebat ann. 360. L. 1. admonitionis de compunctione cordis ait: “ Si te devictum in hoc ſenſeris,

,, ſeris, feſtina ſanitatem recipere, & ,, ſtatue cuſtodiam in corde tuo, & per ,, Confeſſionem a ſpiritali Patre], & a ,, Medico quære medelam ne rurſus eadem patiaris. ,,

Auctor libri de viſitatione infirmorum, cujus opus inter opera S. Auguſtini extat, ejuſdem eſt labti pro illa diſcipliua. Lib. a. c. 5. ſic habet : " Adſtantem coram ,, te Sacerdotem, Angelum Dei exiſtima; aperi ei penetralium tuotum abditiſſima latibula, conſcientiarum verecundarum penitiora revela repagula: non ,, te pudeat coram uno dicere quæ feciſti. ,,

Quinto: Ab omni Chriſtianæ Religionis ævo, omnia & ſingula peccata lethalia Confeſſioni ſubjiciebantur : Quinimmo hoc & ſancta Mater Eccleſia exegit, ut & peccatorum graviores aperirentur circumſtatiæ.

Tria peccatorum genera 'non ſine magno ſatisfactionis apparatu erant ſicut abſolutionis, ſic & confeſſionis materia; videlicet idololatria, homicidium, & adulterium, ut patet ex canonibus pœnitentialibus, ex L. de lapſis S. Cypriani &c. ſed cetera dubio-procul non omittebantur, ut ſupra ex SS. Patribus oſtenſum eſt. Unum aut alterum impræſentiarum teſtem adhibere ſufficit. Primus eſt S. Gregorius Noeceſarienſis Epiſcopus, qui can. 2. ſtatuit ſingula peccata eſſe confitenda: hoc ipſum docet S. Auguſtinus Hom. 50. c. 10.

De integritate Confeſſionis & circumſtantiis aperiendis multus eſt ſermo apud antiquos & recentiores Patres, ſicut & in Conciliis. Origenes Homil. 3. in Levit. ait : " Etenim ex omni genere pro- ,, nuntianda ſunt cuncta quæ gerimus, ſi ,, quod in occulto, ſi quod in ſermone ,, ſolito, vel intra cogitationem ſecreta ,, cuncta neceſſe eſt proferri. ,, S. Cyprianus Epiſt. 12. vult : " Ut examinarentur cauſæ, & voluntates & neceſitates ,, ſingolorum. ,, S. Chryſoſtomus Homil. 30. in Geneſim: " Facienda eſt diligens ,, & pura confeſſio peccatorum. ,, Hila- ,, rius in Pſalm. 37. Confitendum eſt ut ,, Propheta docuit, ex toto corde, non ,, ex parte, neque aliqua adhuc nobiſcum ,, cognitorum peccatorum operatione reſidente. ,,

Neuſtates, qui florebat ann. 580. in Nomocanone dicit, omnes loci, temporis, perſonarum circumſtantias in confeſſione detegendas eſſe. Idem habetur L. 7. Capitul. Caroli Mani c. 294. hoc ipſum propugnat auctor viſit. infirm. apud ſanctum Aug. L. 1. cap. 5. His accedunt deſitiones ſecundi Concilii Cabilonenſis ann. 813. Can. 32. Rhemenſis ann. 1334. Can. 158. Lingonenſis ann. 1404. Canone 82. alterius Rhemenſis anno 1583. Canone 4. Londinenſis ann. 1200. Canone 4. alterius etiam Lingonenſis ann. 1404. Can. 90. omnia Pœnitentialia ſic ſtatuunt. In primis Pœnitentiale Joannis jejunatoris: alterum Theodori, Tertium Ecberti: Quartum Hatligeri. Demum talis eſt Conc. Trid. definitio Seſſ. 14. cap. 5. " Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ ,, jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper ,, intellexit, iuſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, ,, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure ,, divino neceſſariam exiſtere : quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e teriis aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tamquam Præſides & Judices, ad quos omuia mortalia ,, crimina deſerantur, in quæ Chriſti Fideles reciderint: quo, pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient... Verum ,, cum univerſa mortalia paccata etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei ,, inimicos reddaut; neceſſarium eſt omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confeſſione, a Deo quærere. Itaque, dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul-dubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt : qui vero ,, ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. ,,

Ex his liquet confeſſionem ſecretam de omnibus & ſingulis peccatis fuiſſe a primævis ſæculis in omnibus univerſim Eccleſiis uſitatam. In Europa quidem Romæ tempore Innocentii I. Epiſt. ad Decentium Epiſcopum cap. 7. S. Leonis Magni Epiſt. 80. Ambroſii Mediolanenſis Præſulis L. 1. de Pœnit. cap. 8. S. Paciani Barcinonenſis Epiſcopi in Paræneſi. Tum in Africa eam propugnavit Tertullianus Lib. de Pœnit. cap. 6. 7. Eam S. Cyprianus Carthaginenſium Archiepiſcopus L. de lapſ. eam ſanctus Auguſtinus Hipponenſis Præſul. Hom. 41. 50. & ſerm.

8. de

8. de verb. Apoſt. Eam ex Eccleſia Alexandrina Origines Homil. 2. in Levit. & 5. in Pſal. 37. floruit quoque in Aſia. S. Chryſoſtomus L. 2. de Sacerdotio cap. 4. & Homil. 20. & 30. in Geneſ. Homil. 2. in Pſal. 50. Homil. 15. in 1. ad Corint. Homil. 9. in Epiſt. ad Hebr. S. Baſilius in regulis fuſius diſputatis Reſp. 26. Gregorius Nyſſ. orat. in eos qui alios durius judicant.

De Confeſſione publica peccatorum.

SEXTO, neque vero diffitemur confeſſionem publicam quandoque fuiſſe primævis Eccleſiæ temporibus in uſu: Hoc ipſum probat fori externi Eccleſiaſtici inſtitutio, ubi peccatores ſcandaloſi ex prævia citatione, & criminum probatione quibuſdam pęnis in vindictam addicebantur; factum Apoſtoli 1. Cor. 5. qui Corinthium inceſtuoſum alligavit Satanæ ad tempus quoad corpus, ut anima ſalvaretur: Hoc probat S. Cyprianus in toto ſuo de lapſis opere: Hoc Concilium primum generale quod damnavit Arium & ejus eſſeclas; Conſtantinopolitanum quod Macedonium & ſuos: Epheſinum quod Neſtorianos, &c.

Sed obſervandum venit Chriſtum non præcepiſſe confeſſionem delictorum fieri publice. Sanctus Leo Magnus Epiſt. 80. hujuſce veritatis teſtis eſt egregius, quippe qui proſcripſerit eos qui Fidelibus grave hoc jugum non ſine temeritate imponebant: " Cum reatus, *inquit*, conſcien„ tiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indi„ care confeſſione ſecreta. „ Sacra Synodus Tridentina Seſſ. 14. c. 5. hoc momentum definit his verbis: " Non eſt ta„ men hoc divino præcepto mandatum; „ nec ſatis conſulte humana aliqua lege „ pręciperetur, ut delicta præſertim ſecre„ ta, publica eſſent confeſſione aperienda. „

Jamvero de diſciplina circa confeſſionem aliquid commemorare non abs re erit. Origenes Homil. 2. in Pſal. 37. dicit quædam peccata eorum quæ in confeſſione ſecreta aperuerat pęnitens, ex conſilio Sacerdotis ad majorem & ſatisfactionem & humilitatem in conventu Eccleſiæ publicari: " Si præviderit, *loquitur de Pœni„ tentiario*, talem eſſe languorem qui in „ conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, „ ex quo ceteri ædificari potuerunt, & tu „ ipſe facile ſanari &c. „

S. Auguſtinus Homil. 50. hoc ipſum reſtringit ad peccata, non ſine ſcandalo, omnibus nota. " Id tamen agat quod non „ ſolum illi proſit ad ſalutem recipien„ dam, ſed etiam ceteris ad exemplum, „ ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi „ malo ejus, ſed etiam in tanto ſcanda„ lo eſt aliorum, atque hoc expedire uti„ litati Eccleſiæ videtur Antiſtiti; in no„ titia multorum, vel etiam totius plebis „ agere pęnitentiam non recuſet, non re„ ſiſtat. „

Ex his claret confeſſionem publicam ne quidem de peccatis publicis factam fuiſſe, niſi hoc in Eccleſiæ utilitatem cedere judicaſſet Epiſcopus: quocirca Concilium Carthagienſe tertium decernit peccatores ſcandaloſos ſulummodo in aditu chori præſentari, ut eis imponantur manus ad reconciliationem: " Cujuſcumque pęni„ tentis, publicum & vulgatiſſimum cri„ men eſt, quod univerſa Eccleſia no„ verit, ante abſidem manus ei impona„ tur. „ Ceterum S. Auguſtinus ibidem ſupponit confeſſionem peccatorum ſecretam ſemper antecedere publicam; iſtamque non de quocumque peccato, ſed de iis ſolum quæ Sacerdos ex pręvio maturo examine nominabat fieri. Pergit: " Quibus „ bene tractatis, judicari poteſt, qui non „ ſint cogendi ad pœnitentiam luctuo„ ſam, quamvis peccata fateantur, & „ quibus nulla ſperanda ſit ſalus, niſi per „ illam pœnitentiam.

S. Cyprianus Epiſt. 62. commemorat quaſdam virgines a quibuſdam Diaconis ex fragilitate defloratas, compulſas fuiſſe publicam pro delicto agere pœnitentiam: " Æſtifacta admato juſto tempore & exomologeſi Eccleſiam. „

Multa eaque pene innumera alia publicę confeſſionis exempla referuntur ab Hiſtoricis. Euſebius L. 6. Hiſt. c. 2. ſcribit, quemdam Narciſſi Epiſcopi Jeroſolymitani calumniatorem, ſuum coram omnibus confeſſum fuiſſe crimen: " Palam „ inter omnes, maleficia a ſe, ſuiſque „ ſociis, per fraudem contra Narciſſum „ admiſſa, confeſſus eſt: " Ibidem c. 39. refert multos, relicto Novatiano, cui adhæſerant, in conventu Fidelium ſua, pœnitentiæ motivo, publicaſſe peccata: " Multis præſentibus tum Epiſcopis, tum „ Presbyteris, tum Laicis... ſuam vicem „ deplorare cœperunt. „

Die.

Dionyſius Alexandrinus teſtatur apud Euſebium L. 7. Hiſt. cap. 6. Heraclas ſuum prædeceſsorem, nullum ex Schiſmaticis hæreticiſve, niſi prævia delictorum publica confeſſione, in reconciliationem ſuſcepiſſe, aitque: “ Eos qui ab hæreſi veniebant, aut qui ab Eccleſia deſecerant .... non admiſiſſe, quoad omnia, quæ ab adverſariis audiviſsent, palam apud omnes eſsent elocuti, tumque in Eccleſia eos recepiſſe. „ Idem Euſebius L. 5. cap. 28. commemorat confeſſionem publicam *Natalis*, qui deceptus a diſcipulis Theodoti Corarii ad S. Zephirini Papæ provolutus genua, ſua corde contrito, publice depoſuit peccata: Tandem ab Angelis flagellatus, inducto ſacco ac cinere, multo ſtudio ac lacrymis ante Zephirinum Epiſcopum præcederet, ac pedibus advolveretur, non Clericorum modo, ſed & plebis. „

Attamen ſanctus Leo magis ea uſus eſt œconomia, quod prohibuit Epiſt. 8. confiteri publice peccata, quæ mortis ſupplicio lege civili mulctabantur: “ Removeantur, *ait*, tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ ſtudio arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis facta ſua reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. „ Ea de cauſa, S. Baſilius noluit uxores adulterio reas, ſuum publice confiteri peccatum. „

Septimo: Quandoque confeſſio publice facta eſt coram pluribus ſimul Sacerdotibus. S. Iſidorus Hiſpalenſis animam agens, in medio chori, detractis veſtibus, cilicio voluit indui: Poſtea coram duobus Epiſcopis, alta voce ſua depoſuit peccata, de quibus ab eis abſolutus eſt. Inter opera Iſid.

Judith Ludovici Manſueti uxor, Sueſſionem venit, ut ante S. Sebaſtiani reliquias funderet preces: Tunc vero tanta ducta eſt pœnitentia ut coram omnibus Abbatiæ Monachis ſua confiteri peccata non dubitaverit. Sic ſcribit Dominus Ducheſne: „ Agens cum venerabilibus Sacerdotibus culparum ſuarum ſecreti Myſterii venenum. „

Ebbon Archiepiſcopus Rhemenſis Regiæ Majeſtatis reus, ſua coram multis tum Archiepiſcopis, tum Epiſcopis peccata vulgavit: “ Confeſſoribus ſuis Aiulpho & Nothoni Archiepiſcopis, Badarado, Modoino, Achardo, & Theodorico Epiſcopis crimina ſua confeſsus. „ Spicileg. tom. 2.

Gofridus Antiſſiodorenſis Epiſcopus Charitæi prope Nivernenſium fines, ſuorum peccatorum confeſſionem exhibuit coram Epiſcopo Nivernenſi, & Abbatiæ magno Priori: “ Ut inter ſanctas illorum manus, facta confeſſione delictorum, Redemptori Chriſto ſpiritum redderet. „ L. de geſt. Epiſcop. Antiſiod. c. 51.

Henricus I. Rex Angliæ & Henricus II. ejus filius, ut refert Orderic. L. 15. Hiſt. Angliæ, aſtantibus plurimis Sacerdotibus, ſua confeſſi ſunt peccata.

Octavo: Subnotare juvat, abſolutionem a plurimis ſimul Sacerdotibus conferri, cum eſsent tot Confeſsores, quot peccatorum Auditores & Judices. S. Cyprianus L. de lapſis ait: “ Per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus Communionis accipiant. „ L. 5. capitul. Caroli Magni cap. 7. hæc habentur: “ Qui .... in ſeptimo anno in cœna Domini perfectionem conſequantur, id eſt per Epiſcopi, vel ejus juſsu, ſi ipſe abeſt, aliorum Sacerdotum manus impoſitionem, abſolutione ſacramentalium precum, Communionis Catholicæ gratiam recepturi. „ Multa tum Sacramentaria, tum Ritualia abſolutionem a multis ſimul conferri referunt. Inſtar omnium ſit hæc formula: “ Abſolvimus vos vice B. Petri Apoſtoli; & quantum ad nos pertinet accuſatio & remiſſio. „

In vita Ludovici Manſueti habetur a ſeptem Epiſcopis eum fuiſse Deo reconciliatum: “ Inter Miſsarum celebrationem ſeptem Archiepiſcopi ſeptem reconciliationis Eccleſiaſticæ orationes ſuper eum cecinerunt. „ Ordo Romanus commemorat abſolutionem a multis Sacerdotibus ſimul datam: “ Nos ſecundum auctoritatem nobis indignis a Deo commiſsam abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum. „

De Confeſſionibus ſcripto factis, & abſolutionibus abſentibus conceſſis.

Nono: Non erit injucundum hic aliquid texere de Confeſſionibus & Abſolutionibus per ſcripta, & inter abſentes datis: num fuerint ſacramentales, an tantum canonicæ

per modum cujuſdam indulgentiæ, non meum eſt determinare. Quidquid ſit, de curſu temporum fuerunt reſciſſæ & per omnia prohibitæ.

Aliquod abſolutionis inter abſentes veſtigium affulget in Epiſtola 2. ad Corinth. cap. 2. ubi Apoſtolus ſcribit in gratiam Corinthii inceſtuoſi ſe illi condonare, ſi vel ipſi Corinthii eidem gratiam conceſſerint: *Cui autem aliquid donaſtis: & ego.*

Serapion abſolutus eſt per Presbyterum abſentem, qui ægrotum convenire non poterat. Euſeb. L.6. his c.36.

S. Athanaſius in vita S. Antonii de Monachis ſcribit: " Ad cavenda peccata hoc cuſtodiatur: unuſquiſque actiones ſuas & animi affectiones tamquam aliis renuntiaturus notet, conſcribatque.

Anno 620. S. Joannes Eleemoſynarius Alexandriæ Patriarcha permiſit mulieri in charta confiteri, quippe quæ viva voce erubeſceret ſuum prodere peccatum: " Mulier quædam peccamen graviſſimum in ſe recognoſcens, quod nec auditum hominum poſſe intrare æſtimabat, ad Sanctum curſu pervenit, & pedes ejus comprehendens, cum lacrymis, clamat & dicit ſecreto Sancto: o ter Beate! habeo, miſera, quod ad aures hominum venire non poteſt, & ſcio quod ſi vis, potes mihi indulgere..... Qui dixit, confitere mihi hoc, quæ dixit, non poſſum, Domine, dicere hoc peccatum: Dicit ad eam Sanctus: Et ſi erubeſcis, vade, ſcribe illud, & affer ad me &c. "

Anno 871. Robertus Cenomanenſis Epiſcopus ſcripſit ad Epiſcopos prope Andegavum congregatos, ut eum a peccatis in ſua Epiſtola recenſitis abſolvere dignarentur; cui ſic reſponderunt: " Quapropter, frater, & Conſacerdos noſter, tibi peccata tua confitenti per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Deus noſter Jeſus Chriſtus tradidit Diſcipulis, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: Et per eoſdem Apoſtolos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licet indigni tenemus, & ſi non merito, tamen nomine, & officii ſuſceptione eamdem poteſtatem donavit, & in ſe fideliter credenti dixit, Fiat tibi ſecundum fidem tuam, & gratia & potentia ſua, virtute Spiritus ſancti qui eſt remiſſio peccatorum omnium, dimittat tibi omnia peccata. "

Quid memorem Gregorium VII. qui ad Epiſcopum Lincolniæ in Anglia ita ſcribit: " Abſolutionem peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri & Pauli fulti, quorum vices, quamvis indigni, fungimur, tibi mittere dignum duximus. " L.1. hanc eamdem conceſſit gratiam Epiſcopo Leodii, L.2. Epiſt. 61. idem conceſſit beneficium Adrianus VII. Alcuino, qui Epiſt. 63. eam expoſtulaverat gratiam.

Verum hoc ipſum poſtea prohibitum eſt. Primo quidem in Concilio Nemauſenſi ann. 1284. his verbis: " Non debet confiteri per nuntium, vel per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio & præſentialiter, ut qui per ſe peccavit, per ſeipſum confiteatur, & erubeſcat. " Deinde in Cong. de auxiliis anno 1592. cui prohibitioni ſuum addidit calculum Clemens VIII. ſpeciali Bulla ad hunc effectum 20. *Julii* ejuſdem anni data: " Hanc propoſitionem, ſcilicet, *licere* per litteras ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit. Tom.3. Bullarii pag. 132.

Eamdem doctrinam uno veluti calamo docent Theologi. Gratianus diſt.1. de Pœnit. Canone *Quem pœnitet*, loquens de leproſo mundato, quem tamen Chriſtus ipſe remiſit ad Sacerdotes, ſic habet: " Sed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis: erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. In hoc enim quod per ſe ipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis. " Sanctus Thomas ſuffragatur Quolib.7. q.6. art.1. " Ex inſtitutione Eccleſiæ, *inquit*, tenetur homo qui poteſt, ut verbo confiteatur, ut ore confitens magis erubeſcat. Demum ita ſtatuit ſacra Synodus Tridentina Seſſ.14. c.2. his verbis: " Hos qui ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint... ante hoc tribunal, tamquam reos, ſiſti voluit, *Chriſtus*, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. "

Diſci-

Diſciplina pro reconciliandis ægrotis.

Neque vero prætereunda eſt antiqua Ec-
cleſiarum pro ægrotis circa Conſeſſionem di-
ſciplina. Clerus Romanus Epiſt. 31. ad ſan-
ctum Cyprianum, vult pœnitentes in ho-
ra mortis Deo per pœnitentiam reconcilia-
ri: “ Eorum quorum vitæ ſuæ finem ur-
„ gens exitus dilationem non poteſt ſer-
„ re....ſi fletibus dolentis ac vere pœni-
„ tentis animi ſigna prodiderint...caute &
„ ſolicite ſubvenire putamus...ne vere pœ-
„ nitentes accuſent noſtram, quaſi duram
„ crudelitatem. „ Ipſe Sanctus Cyprianus
ejuſdem eſt labii Epiſt. 52. “ Placuit exa-
„ minatis cauſis ſingulorum...In exitu ſub-
„ veniri, quia exomologeſis apud inſernos
„ non eſt.... ſi infirmitas urſerit, eum ſo-
„ latio pacis & communicationis abſce-
„ dit. „ Concinit Innocentius I. Epiſt. 3.
cap. 1. ad Exuperium Epiſcopum Toloſa-
num, ubi & abſolutionem, & Euchari-
ſtiam animam agentibus concedit. Cœle-
ſtinus Papa Epiſt. 2. cap. 2. ad Epiſcopos
Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis, de
hoc momento ita ſcribit: “ Horremus,
„ frater, tantæ impietatis aliquem reperiri,
„ ut de Dei pietate deſperet.... Quid hoc,
„ rogo, aliud eſt, quam morienti mortem
„ addere, ejuſque animam ſua crudelita-
„ te, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere?
Hic perſtringit negantes abſolutionis bene-
ficium moribundis. S. Auguſtinus Homil.
41. teſtatur ſe non denegare reconciliatio-
nem vel ipſis qui ad horam mortis pro-
craſtinant pœnitentiam, ſi hanc expoſtu-
lent gratiam. Hoc ipſum ſtatuit Conci-
lium Moguntinum anno 847. cap. 27. His
omnibus accedit definitio primi Concilii
Nicæni Can. 13. “ De his qui ad exitum
„ veniunt, etiam nunc lex antiqua regu-
„ lariſque ſervabitur, ita ut ſi quis egredi-
„ tur e corpore, ultimo & maxime neceſ-
„ ſario viatico minime privetur.

De Abſolutione concedenda ægris, qui capti ſenſibus non poſſunt loqui.

Concilium Arauſicanum I. Can. 12. ſic
definit: “ Subito obmuteſcens, prout ſta-
„ tus ejus eſt, baptizari aut pœnitentiam
„ accipere poteſt, ſi voluntatis aut præte-
„ ritæ teſtimonium, aliorum verbis habet,
„ aut præſentis in ſuo nutu. „ Hoc eſt, ſi
ægrotus vel ſigna contritionis det, vel prius
coram aliquibus, Confeſſarium expoſtulave-
rit, abſolvendus eſt.

S. Leo Magnus Epiſt. 83. cap. 5. ad Theo-
dorum ait: “ Talium neceſſitati auxi- „
„ liandum, ſi eam, amiſſo vocis officio,
„ per indicia ſenſus poſtulant, non nege-
„ tur: aut ſi aliqua ægritudine fuerint ag-
„ gravati, ut quod paulo ante poſce-
„ bant, ſub præſentia Sacerdotis ſignifica-
„ re non valeant, teſtimonia eis fidelium
circumſtantium prodeſſe debebunt. „ Addit
Concilium IV. Carthaginenſe can. 76. tali
concedendam eſſe abſolutionem, etiamſi æ-
grotus vel in dementiam, vel impotentis
animi effrænationem inciderit.

De ea re audiendus eſt Sanctus Auguſti-
nus, qui inter omnes manſuetiſſimus Lib.
1. de adulterinis conjugiis cap. 28. ex pro-
feſſo quæſtionem movet, & concludit mo-
ribundis concedendam eſſe abſolutionem,
etiamſi ad finem uſque pœnitentiam procra-
ſtinaverint, & erga eos ſicut erga Cate-
chumenos, Sacerdotem ſe gerendum eſſe,
quia Deo reconciliari velle probabiliſſimum
„ eſt. “ Quæ Baptiſmatis, eadem & re-
„ conciliationis eſt cauſa, ſi forte pœni-
„ tentem finiendæ vitæ periculum præoc-
„ cupaverit, nec ipſos enim ex hac vita
„ ſine arrha ſuæ pacis exire, velle, de-
„ bet mater Eccleſia. „ Cap. 26. de Cate-
chum. vero ſermonem inſtituens ait: “ Ca-
„ techumenis ergo in hujus vitæ ultimo
„ conſtitutis, ſi morbo ſeu caſu aliquo ſic
„ oppreſſi ſint, ut quamvis adhuc vivant,
„ patere tamen ſibi Baptiſmum, vel ad
„ interrogata reſpondere non poſſint, pro-
„ ſit eis quod eorum in fide Chriſtiana
„ jam nota voluntas eſt, vel eo modo
„ baptizentur, quomodo baptizantur in-
„ fantes, quorum voluntas nulla adhuc
patuit. „ Citra difficultatis pondus eſt,
Baptiſmum Catechumeno, reconciliatio-
nem vero, Pœnitentiæ laborioſæ ſubdito,
concedendam eſſe, etiamſi morbi acerbi-
tate ita correptus ſit, ut nulla ſigna qui-
bus pateat Sacramenti votum, poſſit ex-
hibere, cum ſtatus Catechumeni pro Ba-
ptiſmo ſuſcipiendo, Pœnitentis vero pu-
blici, Confeſſionis ſacramentalis votum
exprimant. Sed gravior ſane difficultas,
num concedenda reconciliatio extrema agen-
tibus, qui habitu peccati lethalis detenti,

nec de hoc pœoitentiam egeruot, oec Sa-
cramentum expoſtulare potuerunt.

Sanctus Auguſtinus ibidem cap. 26. ſic re-
ſpondet: " Verum etiamſi voluntas ejus in-
„ certa eſt, multo ſatius eſt nolenti dare,
„ quam volenti negare, ubi velit, an no-
„ lit, ſic non apparet, & tamen credibi-
„ lius ſit eum, ſi poſſet, velle ſe potius
„ fuiſſe dicturum, ea Sacramenta percipe-
„ re, ſine quibus jam credidit non ſe opor-
„ tere de corpore exire. „ Rurſus cap. 28.
" Ego non ſolum alios Catechumenos, ve-
„ rum etiam ipſos qui viventium cooju-
„ giis copulati, retinent adulterina con-
„ ſortia, cum ſalvos corpore in his per-
„ manentes non admittamus ad Bapti-
„ ſmum, tamen ſi deſperati & intra ſe pe-
„ nitentes jacuerint, nec pro ſe reſponde-
„ re potuerint, baptizandos puto. „ Non
diffitetur tamen omnes ſuæ non ſubſcribe-
re ſententiæ, ibid. cap. 26. " Non tamen
„ propterea damnare debemus eos qui ti-
„ midius agunt, quam nobis videtur agi
„ oportere, ne de pecunia conſervo credi-
„ ta, improbius quam cautius judicare vo-
„ luiſſe judicemur. „

Quid plura adjiciam? Per omnia aſtrui-
tur Confeſſio ſacramentalis.

Ex ſancto Chryſoſtomo, moribundis ab-
ſolutio differri non debet. Epiſtol. 5. ad
Theodorum lapſum apud Gratianum de
Pœnit. diſt. 3. cap. *Talis*, ſic loquitur:
" Talis eſt erga homines pietas Dei,
„ numquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei
„ ſincere & ſimpliciter offeratur, etiam-
„ ſi ad ſummum quis perveniat malorum,
„ & inde velit reverti ad virtutis viam,
„ ſuſcipit & libenter amplectitur. „ Hac
de cauſa ipſe Auguſtinus viſitabat infirmos,
& eorum audiebat confeſſiones. Epiſt. 229.
nov. edit.

Suffragantur Concilia. Aquiſgranenſe,
anno 836. cap. 5. injungit ægrotis ut Pre-
sbytero ſua deponant peccata. Idem præci-
pit Pariſienſe anno 829. cap. 5. Auguſta-
nom anno 1007. Theodulphus Aurelianen-
ſis in inſtructione Parochorum cap. 21. præ-
cipit Sacerdotibus ut invigilent ſuper ægro-
tos: " Si autem in infirmitate depreſſus
„ fuerit (*ægrotus*), ne abſque Confeſſio-
„ ne, abſque oratione ſacerdotali per ejus
„ negligentiam careat. „ Ea de cauſa Con-
cilium Pariſienſe mox laudatum cap. 5. ſta-
tuit ut Parochi reſideant, ne quis, eorum
incuria, abſque Confeſſione e vita migret:
" Quia eorum abſentia homines ſine Con-
„ feſſione plerumque moriuntur. „ Ritua-
le Romanum prælo mandatum Venetiis an-
oo 1550. ſermonem habens de ægroto, qui
apoplexia ita corripitur, ut ne quidem ſi-
gnis votum Coofeſſioois faciendæ exprime-
re valeat, ait poſſe abſolvi, eo quod vo-
tum in bona vita ſufficienter exprimatur;
quod ſi prave & cum ſcandalo vixerit, Con-
feſſarium tamen petierit, ſed vi infirmita-
tis mutus, ante acceſſum Confeſſarii eva-
dat, poſſe abſolvi pronuntiat.

Ex his liquet quoſdam Theologos cum
Grancolas Doctore, Pariſ. L. de ſcient. con-
feſſ. p. 329. Pariſ. 1797. edit. propugna-
re ægrotum qui ſigna cootritionis dare non
poteſt, poſſe abſolvi. His ducuntur ra-
tionibus, 1. quia Sacramenta ſunt pro ho-
minibus: 2. probabiliſſimum eſt ægrotum
in corde conteri, & ut primum apople-
xia corripitur, pœnitere de peccatis, cum
vel in aliis periculis, erumpente naturæ
voce, Deum advocemus in auxilium. Quæ
quidem opinio fundatur in auctoritate S.
Auguſtini laudati, in decreto Julii Papæ
apud Ivonem Carnotenſem. Decretal. p. 15.
cap. 43. " Si quis Presbyter pœnitentiam
„ abnegaverit morieotibus, reus erit
„ animarum, quia Dominus dicit: Qua-
„ cumque die fuerit converſus peccator,
„ vita vivet, & non morietur. Vera ita-
„ que cooverſio in ultimo tempore pot-
„ eſt eſſe, quia Dominus non ſolum tem-
„ poris, ſed etiam cordis inſpector eſt:
„ ſicut latro, unius momenti pœnitentia
„ meruit eſſe in paradiſo in hora ultima
„ converſionis. „

Concilium Lemoviceoſe anno *1619.* ex-
preſſius loquitur cap. 21. " Poterit quoque
„ idem applicari remedium (reconciliatio-
„ nis) ei qui judicio omniumque ſen-
„ ſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita
„ pœniteotia, nulloque ſigno contritionis
„ edito, cum violentia morbi judicatur
„ de repente & ex improviſo præventus,
„ & oppreſſus, & chriſtiane vixit, ferri-
„ que poteſt judicium ex actionibus vitæ
„ & moribus, eum libenter Sacramen-
„ tum Pœnitentiæ petiturum fore; ſi tem-
„ pus & morbi violentia permiſiſſent, li-
„ cet hoc in caſu nihil de abſolutionis ef-
„ fectu promittere poſſimus: ſed animarum
„ ſalvandarum cauſa, nullum remedium

omit-

„ omittere debemus, ſi quod Deus pote- „ ſtati noſtræ commiſit, Deum orantes ut „ immenſa bonitate & miſericordia, quod „ deeſt, ægrotorum diſpoſitioni ſuppleat, „ cetera inſcrutabilibus Dei judiciis com- „ mendantes. „ Neque vero deſunt qui affirment Clementem VIII. hominem e tecto prolabentem hac forma abſolviſſe: *Si es capax, abſolvo te a peccatis tuis.*

Dices: Sacramentum eſſentialiter eſt ſignum ſenſibile nedum ex parte formæ, ſed etiam ex parte materiæ: Sed nulla materia ſenſibilis apparet, cum ægrotus nulla dat aut dedit tum confeſſionis peccatorum, tum de iiſdem contritionis ſigna. Igitur non debet abſolvi.

Reſpondeo primo, Sanctum Auguſtinum, Rituale Romanum, Julium Papam, Concilium Lemovicenſe, una cum Theologis & Doctoribus omni exceptione majoribus, ut D. Grancolas in libro qui inſcribitur *Confeſſorum ſcientia*, anno 1697. Pariſ. in lucem edito, propugnare abſolutionem, ægrotis laudatis, poſſe ex miſericordia concedi.

Reſpondeo ſecundo, hujuſmodi infirmos ſub conditione de præſenti poſſe etiam abſolvi cum multi graviſſimi Theologi teneant, abſolutionem de præſenti in dubiis, licite ſimul & valide dari, cum Clemens VIII. hominem e tecto prolabentem ſic abſolverit.

Reſpondeo tertio, pro more poſitum eſſe in Eccleſia Extremam-Unctionem concedere ægrotis, qui eam nec ante morbum petierunt, ne ingraveſcente morbo eam expoſtulare queunt. Porro eadem eſt ratio de iſto Sacramento, ac de Pœnitentia; namque Extrema-Unctio eſt ſacramentum vivorum, & ſupponit in ſuſcipiente diſpoſitiones, maxime de peccatis dolorem, qui ſi deſit, & ægrotus peccato mortali detineatur, de quo altum eſt dubium, num apoplexia correptus illud retractaverit, jam fit ſacrilegium, cum Extrema-Unctio ſacramentalis irrita ſit: & tamen, Eccleſia concedente, confertur; quid-ni & Pœnitentiæ ſacramentum daretur, cum ſit ſacramentum ad ſalutem abſolute neceſſarium?

Reſpondeo quarto, in forma diſtinguendo minorem: Nulla materia ſenſibilis phyſica apparet, concedo: nulla moralis, ſubdiſtinguo: explicite, concedo: implicite & præſumptive, nego. Sacramentum Pœnitentiæ eſt per omnia ſignum morale: ex parte formæ ſignum ſenſibiliter per abſolutionis beneficium affulget: ex parte materiæ remotæ, non nihil etiam apparet; nam quis dubitat moribundum habere peccata, cum teſte ſancto Joanne, in multis offendamus omnes: & ſi quis diceret ſe peccata non habere, mendax foret. Sed implicite & præſumptive materiam proximam utique adeſſe credendum eſt, cum Fideles chriſtianis imbuti legibus, ſoleant duce fide, Deum invocare, & ingraveſcente morbo, peccata ſaltem interius deplorare: unde juxta ſancti Auguſtini regulam, poſſunt abſolvi: quia abſolute non deeſt illis Confeſſionis votum, cum vita chriſtiana, qua vixit ægrotus, ſit ipſa eatenus illud votum, quatenus profeſſus eſt ſervare mandata Dei & Eccleſiæ, adeoque velle ſe præcepto Confeſſionis obedire.

Reſpondeo quinto, retorquendo argumentum contra auctores adverſariæ ſententiæ. Materia proxima æque eſt ad eſſentiam ſacramenti Pœnitentiæ neceſſaria, quam peccatorum depoſitio: ægrotus enim debet habere dolorem ſaltem imperfectum de peccatis. Atqui tamen nullus Sacerdos dubitat abſolvere ægrotum, qui ſolum nutibus ſe confiteri ſignificavit, tametſi habeat tantummodo certitudinem moralem de ejus contritione. Igitur & ubi adeſt certitudo aliqua moralis de voto confeſſionis, abſolvi poteſt ægrotus: adeſt autem hujuſmodi votum, ex ſancto Auguſtino, in moribundo.

Audis Eccleſiam habere abſolvendi poteſtatem, quæ in eo potiſſimum ſita eſt, quod juſtificet, confeſſione facta, peccatorem. Audis Confeſſionem ſecretam a Chriſto nato tum in Oriente, tum in Occidente uſu perpetuo floruiſſe, nec niſi apud Hæreticos uſum, reclamante Eccleſia, ceſſaſſe. Audis Concilia non ſemel determinaſſe & ſtatuiſſe ægrotos, atequam ultimum claudant diem, eorum peccata Sacerdoti deponenda eſſe. Ergo &c.

§. VI.

Sextum argumentum, pro aſtruenda Confeſſione ſacramentali, ex diſciplina Eccleſiæ pro reconciliatione lapſorum depromitur.

Poenitentiae Sacramentum non ſecus ac peccatorum confeſſio, luculenter aſtruuntur abſolutione tum in particulari, tum in conventu Eccleſiæ celebrata: quis enim cordatus dixerit & ſacramentum Pœnitentiæ, & ſacramentalem a peccatis Confeſſionem nuſquam extitiſſe, ſi ſemel demonſtretur argumentis publicis, confeſſione peccatorum facta, & pro eis expiandis adimpleta ſatisfactione, conceſſam fuiſſe eorumdem peccatorum abſolutionem, maxime cum abſolutio ſupponat confeſſionem, & judicium latum de remiſſibilitate culparum. Atqui abſolutio juxta perpetuam Eccleſiæ univerſalis diſciplinam, ſemper vere pœnitentibus pro peccatis privatis, privatim & in ſecreto declaratis: pro publicis vero, palam & in conventu Eccleſiæ aſtantibus Fidelibus confeſſis conceſſa eſt: Igitur Confeſſio ab omni ævo fuit in uſu. Probatur minor pluribus momentis.

Primus Diſciplinæ gradus:

Peccatoribus, facta confeſſione, & ſatisfactione expleta, abſolutionis beneficium concedebatur.

Absolutio eſt peccatorum remiſſio ab Eccleſia miniſterio Sacerdotum collata. Atqui reis, expleta pœnitentia, illam concedi a Chriſto nato perpetuus fuit uſus: & probatur.

Primo, Ex ſummis Pontificibus Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum cap. 7. " De pœnitentibus ve„ro qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſi„ve ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi „ nulla interveniat ægritudo, quinta feria „ ante Paſcha eis remittendum Romanæ Ec„ cleſiæ conſuetudo demonſtrat. „

S. Leo Epiſt. 91. ad Theodorum Forojulienſem: " Mediator, *inquit*, Dei & ho„ minum Jeſus Chriſtus, hanc Præpoſitis „ Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & con„ fitentibus actionem pœnitentiæ darent, „ & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos „ ad communionem ſacramentorum per ja„ nuam reconciliationis admitterent. „

Secundo, Ex ſanctis Patribus S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Anton. p. 102. ita loquitur: " Quod ſi invenimus a pœnitentia a„ genda neminem debere prohiberi, & de„ precantibus atque exorantibus Domini „ miſericordiam, ſecundum quod ille mi„ ſericors & pius eſt, per Sacerdotes ejus „ pacem poſſe concedi. „

Rurſus Epiſt. 10. " Cum in minoribus „ peccatis, *ait*, agant peccatores pœni„ tentiam juſto tempore, & ſecundum di„ ſciplinæ ordinem ad Exomologeſim ve„ niant, & per manus impoſitionem E„ piſcopi & Cleri, jus communicationis „ accipiant. „ Epiſt. vero 59. quam ſuo & Concilii Carthaginenſis 66. Epiſcoporum nomine ad Fidum ſcripſit, ratam quidem habet abſolutionem peccatorum datam Victori Presbytero per Therapium Epiſcopum, ſed unum arguit, quod eam, non expectata pœnali ſatisfactione, conceſſerit.

Pacianus Epiſt. 1. ad Sympronianum: „ Scio, *inquit*, frater, hanc ipſam Pœni„ tentiæ veniam non paſſim omnibus da„ ri, nec antequam aut interrogatio divi„ næ voluntatis, aut forſitan viſitatio fue„ rit, relaxari, magno pondere, magno„ que libramine poſt multos gemitus, ef„ fuſionemque lacrymarum, poſt totius „ Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœni„ tentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto „ nemo præjudicet. „

S. Ambroſius ſuum addit calculum Libr. 2. de Pœnitent. cap. 9. his verbis: " „ Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam, „ ut ſtatim ſibi reddi communionem ve„ lint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, „ quam Sacerdotem ligare. Suam enim „ conſcientiam non exuunt, Sacerdotis in„ duunt. „ Audis ſanctum Doctorem abſolutionem quidem concedi velle, ſed abſoluta prius pœnitentia laborioſa. Hoc ipſum ſtatuit Concilium Toletanum III. cap. 11. ubi perſtringit contrarium ex nimia indulgentia facientes.: " Quoniam, *ait*, „ comperimus per quaſdam Hiſpaniarum „ Eccleſias non ſecundum Canonem, ſed „ fœdiſſime pro ſuis peccatis agere homi„ nes pœnitentiam, ut quoties peccare li„ buerit, toties a Presbyteris ſe reconci-

„ liari expoſtulent. Et ideo pro coercenda „ tam execrabili præſumptione, id a ſancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc eſt, ut prius eum quem ſui „ pęnitet facti, a communione ſuſpenſum, „ faciat inter reliquos pęnitentes ad manus „ impoſitionem crebro recurrere: expleto „ autem ſatisfactionis tempore, ſicut ſacerdotalis contemplatio probaverit, eum „ communioni reſtituat. „

Alter, prævia confeſſione, abſolutionis concedendæ gradus.

Imminente aut mortis, aut hæreſis ebibendæ periculo, nondum expleta Pœnitentia laborioſa, venia dabatur.

Hujus diſciplinæ teſtis egregius eſt Innocentius I. Epiſt. 1. cap. 7. " Sane, *inquit*, ſi quis in ægritudinem inciderit, „ atque uſque ad deſperationem devenerit, „ ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, „ ne de ſæculo abſque communione diſcedat. „

Suffragatur alter ſanctus Pontifex, ſcilicer S. Leo Magnus Epiſt. 91. ad Theodorum: " His autem, *inquit*, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis „ inſtantia, præſidium Pęnitentiæ, & mox „ reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio „ deneganda. „

Hanc eamdem indulgentiam Sanctus Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum vult concedi eis qui ad hæreſim vel ad ſchiſma compelluntur. " Quorum, *ait*, ſi pęnitentiam reſpuamus, habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim „ cum uxore, cum liberis, quos incolumes reſervaverant, in hæreſim vel ſchiſma, diabolo invitante, rapinntur... opem noſtram, medelam noſtram, vulneratis exhibere debemus. Nec putemus „ mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes jacere eos, quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus: qui ſi in totum mortui „ eſſent, numquam de eiſdem poſtmodum „ & Confeſſores & Martyres fierent. „ Igitur abſque fundamento Novatiani lapſis abſolutionis beneficium ſubripiebant, cum ne quidem abſoluta ſatisfactione, in periculo aut hæreſis, aut ſchiſmatis, aut graviſſimi morbi, eis ab omni ævo abſolutionem conceſſerit Eccleſia.

Tertius abſolutionis, lapſis confeſſis concedendæ gradus.

Flagrante, aut ſaltem imminente perſecutione, nondum expleta laborioſa Pœnitentia, lapſi Deo & Eccleſiæ reconciliabantur.

Hoc erat pro more poſitum in Eccleſia, ut pęnitentes, imminente perſecutione, reconciliarentur, ne inermes deſcenderent cum inimicis fidei ad prælium. Sufficiat de hoc momento audire ſanctum Cyprianum Eccleſiæ diſciplinæ ſeverioris alias tenaciſſimum. Epiſt. 54. ad ſanctum Cornelium propugnat & abſolutionem, & ſacram Euchariſtiam in hoc caſu lapſis eſſe concedendam; ita loquitur: " At vero nunc non infirmis, ſed „ fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus & „ hortamur ad prælium, non inermes & „ nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti mnniamus... „ pacem non ad quietem, ſed ad aciem „ damus. „

Rurſus ibidem: " Primo idoneus eſſe non „ poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non „ armatur ad prælium.... Quomodo poteſt ad confeſſionem paratus aut idoneus „ non inveniri, qui non prius pace accepta „ receperit ſpiritum Patris, qui corroborans „ ſervos ſuos, ipſe loquitur & confitetur in „ nobis? rum deinde, ſi relictis omnibus „ rebus ſuis fugerit..... nonne nobis vel „ negligentia ſegnis, vel duritia crudelis „ aſcribetur in diebus judicii, quod Paſtores creditas & commiſſas nobis oves „ nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare. „

Iterum ibidem ſic concludit: " Placuit „ nobis, ſancto Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas & manifeſtas „ admonente, quia hoſtis nobis imminere prænuntiatur & oſtenditur, colligere „ intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis „ dare. „ In his omnibus non ſolum reconciliatio generalis, quæ eſt a cenſuris abſolutio, ſed & particularis & ſacramentalis

talis commemoratur, cum loquatur ſanctus Cyprianus de Euchariſtia lapſis concedenda, quod dubio-procul beneficium, niſi prævia confeſſione peccatorum & abſolutione concedebatur. Ergo &c.

Quartus poſt Confeſſionem abſolutionis dandæ lapſis gradus.

Qui aliquid arduum pro Chriſto faciebant, ante ſatisfactionis adimpletionem obtinebant peccatorum abſolutionem.

Istum exponit caſum Calcedonius Epiſcopus Africanus ſancto Cypriano Epiſt. 20. his verbis: " Oportebat vobis ſcribere, „ quoniam ii qui poſtea quam ſacrificaverunt, iterato tentati extorres ſunt facti. „ Videntur ergo mihi abluiſſe prius delictum, dum poſſeſſiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes, Chriſtum „ ſequuntur.... Cum ergo univerſi pacem „ peterent dicentes: recuperavimus fidem „ quam amiſeramus, pœnitentiam agentes, & Chriſtum publice ſumus confeſſi; „ quamvis mihi videantur debere pacem „ accipere, tamen ad conſultum veſtrum „ eos dimiſi, ne videar aliquid temere præ„ ſumere. „

Huic poſtulationi reſpondet ſanctus Cyprianus: " Recte ſenſiſti circa impertien„ dam fratribus noſtris pacem, quam ſibi „ ipſi vera pœnitentia & Dominicæ confeſ„ ſionis gloria reddiderunt. „ Igitur abſolutio poſt lapſum pœnitentibus quondam concedebatur: quinimmo ex eodem ſancto Cypriano, nonnumquam tranſacta ſatisfactione canonica, ad preces Martyrum dabatur lapſis.

Quintus, facta confeſſione, abſolutionis concedendæ gradus.

Lapſi, cum imminebat ſchiſmatis periculum, abſque mora abſolvebantur.

Tantæ indulgentiæ teſtis eſt S. Auguſtinus Lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2. 2. " In hac, *ait*, velut anguſtia „ quæſtionis, non aliquid novum aut inſo„ litum dicam, ſed quod ſanitas obſervat „ Eccleſiæ, ut cum quiſque fratrum, id „ eſt, Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſo„ cietate conſtitutorum, in aliquo tali pec„ cato fuerit deprehenſus, ut anathemate „ dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum „ ſchiſmatis nullum eſt, atque id cum ea „ dilectione de qua ipſe alibi præcipit di„ cens: Ut inimicum non eum exiſtimetis, „ ſed corripite ut fratrem. Non enim eſtis „ ad eradicandum, ſed ad corrigendum... „ quando ita cujuſque crimen notum eſt o„ mnibus, & omnibus execrabile apparet, „ ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma „ contingere, non dormiat ſeveritas diſci„ plinæ, in qua tanto eſt efficatior emen„ datio pravitatis, quando diligentior con„ firmatio charitatis. Tunc autem hoc ſine „ labe pacis & unitatis, & ſine læſione fru„ mentorum fieri poteſt. „ Quibus verbis vult lapſis pœnitentibus ſemper concedi criminum abſolutionem, ſed aliter & aliter; illis quidem, tranſactis pœnitentiæ luctuoſæ laboribus, ubi non adeſt ſchiſmatis periculum: iis vero abſque mora, ſi citra dubium immineat.

Sextus, poſt confeſſionem factam, abſolutionis concedendæ gradus.

Lapſi, omiſſa pœnitentia canonica, reconciliabantur, cum ex eorum ad Eccleſiam reditu magnum aliquod inde bonum in Eccleſiam redundabat, puta ſchiſmatis vel extinctio, vel ſaltem imminutio, vel etiam multorum ad meliorem frugem & ad ſinum Eccleſiæ reditus.

Istud momentum probatur uno aut altero facto in in Eccleſia percelebri. Utrumque eſt ſancti Cornelii Papæ, qui Novatianis, præterita oblivioni tradendo, indulſit. Sic enim ſe geſſit erga Maximum, Urbanum, Sidonium & Macharium, tum erga Trophimum, quem abſque pœnitentia laborioſa ſuſcepit, eo quod multos aberrantes ad Eccleſiæ unitatem adduxerat: ſatis habuit ille pius Pontifex, illum e Sacerdotii gradu dejicere, ſolamque ei permittere communionem, hoceſt, perceptionem Euchariſtiæ extra cancellos.

De priori facto ita loquitur in Epiſt. ad ſanctum Cyprianum, quæ inter ejus Epiſtolas ordine 46. habetur. " Quapro„ pter Maximum Presbyterum locum ſu„ um agnoſcere juſſimus: ceteros cum „ ingenti populi ſuffragio recepimus; „ omnia

Digitized by Google

„ omnia autem remiſimus Deo omnipotenti, „ in cujus poteſtate ſunt omnia reſervata.

De poſteriori S. Cyprianus Epiſt. 52. pag. 97. ſupra medium ſic habet: " Sicut anteceſſores noſtri ſæpe fecerunt, colligendis fratribus noſtris chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt: qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus. „

Ex his omnibus iſtud conficitur argumentum, quod nedum Scripturis ſacris, ſententia Patrum & definitionibus Conciliorum, ſed uſu Eccleſiæ comprobatum, a nemine niſi pagano in dubium revocari poteſt. Sed Pœnitentiam eſſe Sacramentum ea omnia probant momenta, maxime perpetua Eccleſiæ conſuetudo de concedenda lapſis abſolutione. Igitur incaſſum propugnant Novatiani, & poſt ipſos Calviniſtæ & Lutherani, Pœnitentiam non eſſe Sacramentum.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum ex Scriptura ſacra & Patribus.

Objiciunt Heterodoxi: Qui ſunt dumtaxat legati & ſervi Chriſti, non debent exercere poteſtatem judicialem in tribunali Pœnitentiæ: Atqui Sacerdotes novæ legis ex S. Paulo ſunt tantum legati Chriſti, juxta illud 2. Cor. cap. 5. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, Chriſti miniſtros. Et cap. 4. *Nos autem ſervos veſtros per Jeſum.* Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et Sacerdotes ſunt etiam conſtituti Judices, concedo: & ſunt tantum legati & ſervi, nego: Porro in Tribunali Pœnitentiæ ea auctoritate, non quidem ſuprema, ſed a Chriſto Domino conceſſa, eique ſubordinata fruuntur; in quantum ſententiam ferunt juxta leges ab eo, & Eccleſia ſancitas; eorum igitur poteſtas eſt miniſterialis, vel ipſe divus Paulus, qui ſe humilem Chriſti ſervum prædicavit, exercuit tamen auctoritatem judiciariam juxta illud 2. Cor. cap. 13. *Prædixi, & prædico ut præſens, & nunc abſens, iis qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam.*

Inſtant: Sanctus Cyprianus Alexandrinus Lib. 12. in Joan. & poſt ipſum Janſenius Gandavenſis, & Joannes Perus hæc verba Joannis 20. *Quorum remiſeritis &c.* ad Baptiſmum referunt: ſed Baptiſmi poteſtas non eſt judiciaria: Igitur Miniſtr Pœnitentiæ non ſunt Judices.

Reſpondeo hanc eſſe ſingularem divo Cyrillo, & illis interpretibus explanationem, in qua danda a Traditione recedunt, unde eos deſerimus: Etenim latum eſt diſcrimen inter Baptiſmum, & Pœnitentiam, per Baptiſma enim Miniſter remittit quidem peccata, ſed non retinet; quod tamen in tribunali Pœnitentiæ, efficere poteſt; arcet enim indignos ab altari, quod Judicis actio eſt, at in eos qui foris ſunt, auctoritatem non exercet. Rurſus laborioſa ſatisfactionis opera imponit, ſed non ita in Sacramento Baptiſmi ſe gerit; hæc igitur verba, *quorum remiſeritis*, Pœnitentiam ſpectant, non autem Baptiſma.

Inſiſtit: Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſtola Canonica ad Letojum, loquens de peccatis avaritiæ, ait: " Inconſiderata, & abſque cura prætermiſſa eſſe a Patribus, ſufficere ut publico doctrinæ, ſive inſtructionis ſermone curentur. „ Sed ſi tali tempore Confeſſio auricularis fuiſſet in uſu; profecto non dixiſſet avaritiæ delicta prætermiſſa fuiſſe a Patribus; peccatum enim avaritiæ eſt mortale: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Ideſt nullam pœnam canonicam, adverſus hæc peccata ſtatuerunt Patres, concedo: nullam pœnitentiam ſecreto expiandam imponebant, iis in Confeſſione auditis, nego: Cum igitur ſcribit, ex publico doctrinæ curari ſermone; loquitur dumtaxat per oppoſitionem ad pœnitentiam publicam, nuſquam vero ad Confeſſionem auricularem.

In-

Inſtant: Sancti Patres paſſim docent, ſola contritione ſine oris confeſſione peccatorum veniam a Deo impetrari: Et primo quidem S. Hilarius, qui enarratione in Pſal. 50. ait Davidem dicere: "Nulli alii eſſe „ confitendum, quam ei qui fecit olivam „ fructiferam ſpei miſericordia in ſæculum „ ſæculi. S. Baſilius in Pſalmum 37. ad hæc Davidis verba: *Rugiebam a gemitu cordis mei*; hæc habet: "Non enim ut multis „ manifeſtus fiam labiis confiteor, ſed ju„ ſtus in ipſo corde, tibi ſoli, ea quæ in „ occulto ſunt, reſpicienti meos apud me„ ipſum gemitus oſtendo:„ Similiter Ambroſius L. 10. in Lucam ſic loquitur: "La„ vant lacrymæ delictum, quod voce pudor „ eſt confiteri. „ Ita pariter S. Auguſtinus in Pſal. 31. Ex quibus conſtat Deum corde contritis, atque pœnitentibus etiam ante vocalem confeſſionem peccata remittere.

Reſpondeo laudatos Patres de contritione perfecta loqui, quod exempla Davidis, & S. Petri probant; certum eſt enim tunc temporis nondum inſtitutam fuiſſe Confeſſionem ſacramentalem: unde ſola contritione eorum peccata expungi potuerunt: Quid plura commemorem? Sancti Patres in homiliis pœnitentiam ut virtutem, non ut Sacramentum inſpexerunt; nihilque in eis vulgarunt, quod in hodiernis concionibus non dicatur. Demum quandoque etiam loquuntur de Confeſſione quotidiana, quæ ſingulis diebus Deo fit.

Urgent: Concilium Cabilonenſe II. Can. 33. ſic pronuntiat: "Quidam ſolummodo „ Deo confiteri debere peccata dicunt, qui„ dam vero Sacerdotibus confitenda eſſe per„ cenſent, quod utrumque non ſine ma„ gno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam. Neutram ibi Concilium ſententiam damnat, & infra: "Confeſſio quæ Deo fit „ purgat peccata, ea vero quæ Sacerdo„ ti fit, docet qualiter ipſa purgentur pec„ cata.

Reſpondeo primo Scripturæ ſacræ, ſummorum Pontificum, & Conciliorum auctoritates præponderare ſententiæ Concilii particularis. 2. Synodum laudatam non adverſari Confeſſioni ſacramentali, cum dicat non ſine magno fructu juxta Eccleſiæ placita fieri. Nonnihil loquitur etiam de Pœnitentia virtute quæ annexam habet quamdam confeſſionem generalem ſoli Deo in ſecreto factam, ſed non excludit ſacramentalem, quippe quæ eo loci eam laudet. Ceterum iſta Sacramentalis ſic explanatur & traditur a Concilio Florentino in decreto inſtructionis: „ Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta.... „ Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſci„ mur, per Confirmationem augemur in gra„ tia, & roboramur in fide: renati autem „ & roborati, nutrimur divinæ Euchariſtiæ „ alimonia: Quod ſi per peccatum ægritu„ dinem incurrimus animæ, per pœnitenti„ am ſpiritualiter ſanamur.

Urgent: Deficientibus Sacramenti partibus eſſentialibus, dubio-procul nullum eſt Sacramentum, ipſa teſte Scriptura compoſitum, quippe hujuſmodi conſtat partibus quæ conſequenter ſacramentales eſſe debent: ſed confeſſio peccatorum inter partes Pœnitentiæ eſſentiales numerata non eſt ſacramentalis: Et probatur. Sacramentum eſt de inſtitutione divina: ſed confeſſio peccatorum eſt quid humanum ab Innocentio VI. & Concilio Lateranenſi in Eccleſiam invectum, anno 1198. cap. *utriuſque ſexuli*. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem propter rationes ſupra laudatas. Ad probationem diſtinguo: Confeſſio executioni, certo & determinato tempore mandanda, concedo: ſecundum ſe ſpectata, nego. Duo ſunt in Confeſſione diſtinguenda, videlicet ipſa peccatorum depoſitio, & tempus ea deponendi: Primum eſt de inſtitutione divina; hanc enim Chriſtus Joan. 20. dedit Sacerdotibus poteſtatem, ut per modum judicii, adeoque facta peccatorum declaratione, ab cis abſolverent: de altero momento, ſcilicet de tempore quo facienda erat confeſſio, non una fuit ante ipſum Innocentium diſciplina. Primis temporibus propter Fidelium exardeſcentem fervorem non opus erat præcepto: ſcriptum eſt enim in Actibus cap. 19. v. 18. *Veniebant confitentes & annuntiantes actus ſuos.* Quia vero teſte D. Bernardo homo ægrotus erubeſcit vulnerum alligaturam, Concilia Africana, Germanica, Gallicana, in primis Concilium Lateranenſe, determinarunt, certis temporibus Confeſſionem peccatorum eſſe faciendam. De hoc etiam momento laudatur Decretum Zephirini Papæ in ejus vita a Platina adducto, in quo his verbis ſtatuit: „ Ut omnes Chriſtiani adulti in ſolemni die„ Paſchæ, Euchariſtiæ Sacramentum per„ ciperent. „ Porro hoc ipſum non niſi prævia peccatorum Confeſſione, nec non purgatione fiebat.

Confeſſio in uſu ab Eccleſia vagiente.

JAM VERO quod Confeſſio peccatorum fuerit ab initio in uſu, teſtantur ſancti Patres. Audiendus eſt de hoc momento S. Irenæus, qui 2. florebat ſæculo: Lib. 1. adverſus hæreſ. cap. 9. ait de quibuſdam feminis; " Hæ „ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei con- „ feſſæ ſunt. „ Rurſus L. 3. cap. 4. " Cer- „ don ſæpe in Eccleſiam veniens, & exomo- „ logeſim faciens, ſic conſummavit, modo „ quidem latenter docens, modo vero ex- „ omologeſim faciens.

Dionyſius Alexandrinus Epiſt. ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium L. 6. Hiſt. cap. 29. aſſerit Serapionem lapſum, in extremis poſitum ſuo dixiſſe nepoti: " Aliquem „ ex Presbyteris advoca ad me. „ Ut mea deponam peccata.

Tertullianus Lib. de Pœnit. cap. 9. eamdem prædicat veritatem: " Confeſſione ait, „ & Pœnitentia Deus mitigatur. „ Quod autem Confeſſionem Sacerdoti faciendam eſſe propugnet, audi, ſic pergit: " Ple- „ rumque vero jejuniis preces alere, inge- „ miſcere, lacrymari, & mugire dies no- „ cteſque ad Dominum Deuum tuum, Pre- „ sbyteris advolvi, & caris Dei adgenni- „ culari.

S. Cyprianus ejuſdem eſt ſententiæ. Sic loquitur Serm. 5. verſus finem pag. 245. de lapſis: " Confiteantur ſinguli, quæ- „ ſo, vos fratres dilectiſſimi delictum ſu- „ um, dum adhuc qui deliquit in ſæcu- „ lo eſt, dum admitti Confeſſio ejus pot- „ eſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta „ per Sacerdotes apud Dominum grata „ eſt.

Non prætereundus Sanctus Baſilius, qui in regulis brevioribus regula 229. " Ut „ vitia, *inquit*, corporis nequaquam qui- „ buſvis temere homines aperiunt, ſed „ iis tantummodo qui rationem qua ea „ curanda ſunt, teneant, eodem modo „ etiam peccatorum Confeſſio fieri debet, „ apud eos videlicet, qui ea poſſint cu- „ rare.

Objectio ex facto Nectarii.

OPPONUNT III. Nullum Sacramentum ab homine abrogari poteſt, cum ſit de jure divino. Sed Nectarius Patriarcha Conſtantinopolitanus abrogavit Confeſſionem: hoc & ipſum Epiſcopi in Galliis, immo & Romæ idem fecerunt: ſimiliter omnes Presbyterum qui Confeſſiones ſuſcipiebat exauctorare ſeu reſcindere æquum duxerunt: Ergo &c. Sozomenus L. 7. cap. 16. dicit Confeſſionem a Nectario abrogatam. Idem Socrates L. 5. Hiſt. c. 19. idem Nicephorus Calliſtus L. 12. cap. 28. Ergo &c.

Reſpondeo primo cum nonnullis quibus, adhæret Baronius Tom. 4. Annal. ad ann. Chriſti 290. n. 66. nullam in hoc habendam eſſe rationem hiſtoriæ Socratis, & Sozomeni, quippe qui Novatianæ hæreſeos fuligine ſuffuſi, per omnia pro virili in quantum poſſunt Novatianis favent, cujus rei argumentum irrefragabile eſt, quod Socrates non ſine errore ſcripſerit unum fuiſſe dumtaxat pro excipiendis Confeſſionibus Presbyterum.

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo minorem: Nectarius abrogavit Pœnitentiam publicam in Eccleſia Conſtantinopolitana, hoc & iiſdem ac Nectarius rationibus ducti Præſules, tum Romæ, tum Germaniæ, tum Galliæ fecerunt, concedo: Confeſſionem ſecretam, nego. Obſervandum eſt Eccleſiam, exardeſcente religionis zelo, ad majorem pro peccatis & emendationem & ſatisfactionem ſtatuiſſe peccata publice quandoque declaranda. Primo quidem aliqua graviora tametſi occulta, & hoc juxta Pœnitentiarii judicium, tum ſola publica & apud multos nota, & hoc occaſione Novatianorum, qui dari pro peccatis poſt Baptiſmum commiſſis veniam negabant. Origenes Hom. 2. in Pſ. 37. meminit Confeſſionis publicæ quorumdam peccatorum occultorum alias graviſſimorum: ſed teſte Bellarmino hic L. 3. de Pœnit. cap. 14. nullus ad hanc publicam Confeſſionem tenebatur: quam ideo Socrates Lib. 5. Hiſt. cap. 19. vocat appendicem ad veteres Canones, publica quippe peccatorum declaratio ante exortam Novatianorum hæreſim non erat de præcepto: ſed illa graſſante hæreſi, ſtatutum eſt ut peccata publica poſt Baptiſmum commiſſa ad con-

fun-

fundendos Hæreticos, qui pro lapſis negabant dari remedium, publicarentur.

Subnotandum eſt etiam non unum fuiſſe Presbyterum qualibet Diœceſi ad ſuſcipiendas Confeſſiones, quippe qui unus ad hoc fuiſſet prorſus impar, ſed unus Pœnitentiarius pro Confeſſione publica ordinanda erat: Quia vero Pœnitentes peccatorum publicorum ſimul & occultorum conſcii erant, quænam tacenda, quænam vero etiam publica aperienda, aſſignabat; cum enim aliquid non ſit niſi per viciniam aliquam apertum, non convenit, indiſcriminatim omnia publice confiteri, cum poteſtas Eccleſiæ ſit in ædificationem, teſte Apoſtolo, & non in deſtructionem. Sic cuncta refert Bellarminus ibidem.

De hoc momento audiendi ſunt Socrates, Sozomenus, & Nicephorus. Prior Lib. 5. cap. 19. *ait*, " Ab illo tempore quo No„ vatiani ſe ab Eccleſia ſejunxerant, re„ cuſaverantque cum his, qui tempore per„ ſecutionis, regnante Decio, concitatæ „ lapſi erant, communicare; Eccleſiarum „ Epiſcopi Canoni adjunxerunt, ut in ſin„ gulis Eccleſiis Presbyter quidem Pœni„ tentiæ præeſſet: quo qui poſt Baptiſmum „ lapſi fuiſſent, coram Presbytero ad eam „ rem deſignato, peccata ſua confiteren„ tur. „

Caſſiodorus Hiſt. trip. L. 9. cap. 35. ex Græco-Latine ſic reddit Sozomenum: " „ Viſum eſt antiquis Pontificibus, ut vel„ ut in theatro, ſub teſtimonio Eccleſia„ ſtici populi delicta pandantur; & ad „ hanc rem Presbyterum bonæ converſa„ tionis, ſervantemque ſecretum ac ſapi„ entem virum ſtatuerunt, ad quem acce„ dentes ii qui deliquerant, delicta propria „ fatebantur. „ Nicephorus Lib. 12. cap. 28. idem ſcribit.

Jam ad ſolutionis explicationem deveniendum eſt. Mulier nobilis a Diacono illuſa indiſcreti Pœnitentiarii conſilio, publice confeſſa eſt ſcelus; inde tumultus populi, inde propter flagitium Cleti contemptus, quocirca Nectarius & Pœnitentiarium pro pœnitentia publica determinanda inſtitutum, & ipſam confeſſionem publicam abrogavit. Eadem propter incommoda gradatim in ceteris Eccleſiis langueſcens, prorſus reſciſſa eſt. Quod autem Nectarius confeſſionem ſecretam nec deleverit, aut in uſu fuiſſe antiquitus negaverit, expreſſe commemorat Socrates qui factum fideli calamo refert L. 5. Hiſt. cap. 19. " Mulier, „ *inquit*, nobilis ad Presbyterum Pœniten„ tiarium accedit, peccata quæ poſt Ba„ ptiſmum commiſerat, particulatim con„ fitetur. „ Ecce Confeſſio ſecreta. Pergit: " Presbyter mulieri mandatum dat, „ ut jejuniis & continuis precibus ſe da„ ret, quibus una cum peccatorum Con„ feſſione, opus dignum Pœnitentia oſten„ deret. „ En ſatisfactio privata pro peccatis occultis. Subdit: " Mulier longius in „ confitendo progreſſa, alterius culpæ ſeip„ ſam inſimulat: docet Diaconum Eccle„ ſiæ cum ipſa dormiviſſe. „ Quæ voca„ bula, *longius progreſſa*, denotant non accepiſſe mandatum confiteri publice ſtuprum, ſed ex indiſcreto pœnitentiæ zelo ipſam aperuiſſe: " Ob quod facinus, hoc modo „ patefactum, *ait Socrates*, Diaconus ab „ Eccleſia ejectus eſt; tumultus inde in po„ puli multitudine excitatus eſt. „ Deinde reſciſſa fuit pœnitentia publica.

S. Leo Epiſt. 80. ſuam de hoc momento prodit mentem: ait enim: " Illam etiam con„ tra Apoſtolicam regulam præſumptionem, „ quam nuper agnovi, a quibuſdam illi„ cita uſurpatione committi, modis om„ nibus conſtituo ſubmoveri: ne de ſin„ gulorum peccatorum genere, libellis ſcri„ pta Confeſſio, publice recitetur, cum „ reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sa„ cerdotibus indicari, Confeſſione ſecre„ ta. Quamvis enim plenitudo fidei vi„ deatur eſſe laudabilis, quæ propter ti„ morem Dei, apud homines erubeſcere „ non veretur, tamen quia non omnium „ ſunt hujuſmodi peccata, ut qui pœni„ tentiam poſcunt, non timeant publica„ re, removeatur tam improbabilis con„ ſuetudo, ne multi a Pœnitentiæ reme„ diis arceantur.... Sufficit enim illa Con„ feſſio, quæ primum Deo offertur, tum „ etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœni„ tentiam precator accedit. „ S. Pontificem abrogare ſolummodo Confeſſionem publicam ut parcat pœnitentis pudori claret, Audis injungere ſecretam, primum Deo: deinde Sacerdoti faciendam.

Reponunt: Nectarius non ſolum publicam, ſed & ſecretam Confeſſionem reſcidit: Ergo &c. Probatur ſubſumptum ex Socrate, qui L. 5. Hiſt. cap. 19. loquens de flagitio Diaconi, quo magnæ infamiæ & con-

contumeliæ nota Eccleſiæ inuſta fuerat,
ait: “ Itaque cum Sacerdotibus obtrecta-
„ tum, Eudæmon quidam Eccleſiæ Pre-
„ ſbyter, genere Alexandrinus, Epiſcopo
„ Nectario dedit conſilium, ut Presbyterum
„ Pœnitentiarium tolleret, & liberam da-
„ ret poteſtatem, uti pro ſua quiſque con-
„ ſcientia ad myſteria participanda acce-
„ deret. Nam eo pacto ſolum futurum eſ-
„ ſe, ut Eccleſia ab omni macula infamiæ
„ careret. „ Sozomenus L. 7. Hiſt. cap.
16. idem ſcribit his verbis: “ Nectarius i-
„ taque perplexus quodnam remedium huic
„ infortunio adhiberet, ſtupratorem iſtum
„ Diaconatu privavit: & conſulentibus qui-
„ buſdam, ut unicuique liberum permitte-
„ ret, prout ſibi ipſe conſcius eſſet & con-
„ fideret, ad Myſteriorum Communionem
„ accedere, Pœnitentiarium illum Presby-
„ terum exauctoravit. Quod quidem ex eo
„ tempore in ritum vindicativum fuit. „
Nicephorus Calliſtus ejuſdem eſt labrii L.
12. Hiſt. cap. 28. “ De quorumdam, *ait*,
„ maxime vero Eudæmonis Eccleſiæ ejus
„ Presbyteri, Patria Alexandrini, conſilio,
„ ne poſtea in Eccleſia Presbyter Pœni-
„ tentiarius eſſet, Nectarius ſtatuit ſua-
„ dentibus illis, ut cuique permitteretur,
„ pro conſcientia & fiducia ſua, commu-
„ nicare, & de immaculatis Myſteriis par-
„ ticipare. Sic enim fore, ut Eccleſia a
„ contumeliis libera eſſet & immunis.
„ Et ab eo tempore Eccleſia in tali ſta-
„ tu permanſit. „ Uno veluti calamo ſcri-
bunt omnes Nectarium Pœnitentiariam de me-
dio ſuſtuliſſe: nec aliud intelligi poteſt,
cum licentiam unicuique fecerit abſque
Confeſſione facta homini, ad ſacra Myſte-
ria accedere. Hoc & ipſum propugnat
Thomas Waldenſis Tom. 2. cap. 141. Er-
go &c.

Reſpondeo primo cæcutire Proteſtantes do-
cendo Nectarium omnem prorſus homini
factam Confeſſionem reſcidiſſe, cum eo lo-
ci permittat unicuique juxta devotionis gra-
dum ſumere Euchariſtiam, cum ad hoc e-
xigat Apoſtolus 1. Cor. 11. ut unuſquiſque
prius ſe probet, ſcilicet peccatorum Con-
feſſione. Alias in hoc, dubio-procul Necta-
rius foret ipſis Proteſtantibus factus deterior,
cum alicujus ſaltem gravioris & notorii pec-
cati vel ipſi exigant præviam Confeſſionem
Lutherani pro Euchariſtiæ ſumptione. Sic
enim habetur in Confeſſione Aug. art. de
Confeſſione: “ Confeſſio apud nos, *inquit*
„ *Philippus Melancthon*, non eſt abolita:
„ non enim ſolet porrigi corpus Domini,
„ niſi antea exploratis & abſolutis. „ Non
„ diſſentit Calvinus L. 3. inſt. cap. 4. §.
13. “ Interim, *inquit*, quin ſiſtant ſe o-
„ ves Paſtori quoties ſacram Cœnam par-
„ ticipare volunt, adeo non reclamo, ut
„ maxime velim hoc ubique obſerva-
„ ri. „

Non minori in hoc momento laborat er-
rore Thomas Waldenſis, dum ſcribit Ne-
ctarium ſacramentalem etiam privatam vo-
luiſſe abrogare Confeſſionem, maxime cum
S. Chryſoſtomus ejus in Patriarchatu ſuc-
ceſſor, eam pro virili propugnet, ut ſupra
oſtenſum eſt: cum Nicolaus I. qui in E-
piſt. ad Photium, quæ legitur in octava
Synodo generali Act. 4. Nectarium ut fidei
defenſorem celebret.

Reſpondeo igitur ſecundo, negando ſubſum-
ptum. Ad probationem, diſtinguo: Necta-
rius uniuſcujuſque arbitrio reliquit Confeſ-
ſionem ſatisfactoriam, concedo: Confeſſio-
nem ſacramentalem, quæ eſt ad abſolutio-
nem peccatorum recipiendam neceſſaria,
nego. Duplex diſtinguenda eſt Confeſſio,
quæ erat illis temporibus in uſu, videlicet
una ad humiliationem & majorem pro pec-
catis patratis ſatisfactionem: altera pro Ab-
ſolutione recipienda. Prior fiebat in con-
ventu Eccleſiæ, eamque abrogavit Necta-
rius, unicuique relinquendo ut Deo ſatis-
faceret, modis tamen, qui juxta peccato-
rum gravitatem ſuos habeant gradus, nuſ-
quam vero ſecretam, & quæ fit Sacerdoti
ad beneficium Abſolutionis recipiendum:
Hujuſce ſolutionis non una eſt ratio. Pri-
mo quidem, Nectarium non omnes Con-
feſſores, ſed ſolummodo Pœnitentiarium
pro Confeſſione publica imponenda exau-
ctoraſſe ſcribitur, cum tamen præter iſtum
plures Confeſſores eſſent in urbibus, qui
Confeſſiones privatas audiebant, & auditis
peccatis, ab eis abſolvebant. 2. Eam ſo-
lum Confeſſionem reſcidit Nectarius, quæ
erat ad Canones, velut appendix, appoſita,
propter Novatianorum hæreſim; non alia
autem erat quam publica. Tum ut Hereti-
ci Pœnitentiæ Sacramentum omittentes ſecer-
nerentur, tum ut ipſi ad Eccleſiam redeun-
tes, ei palam ſubjicerentur. 3. Juxta Au-
ctores laudatos, Nectario conſilium dede-
runt multi, ut honori Eccleſiæ conſulens, il-
lam

lam reſcinderet Confeſſionem, qua ei infamiæ nota inuſta fuerat: ſed dubio-procul ſola publica in id contumeliæ adduxit Eccleſiam, ut ex facto mulieris liquet. Igitur ſolum publicam abſtulit. Quid plura adjiciam? Poſt Nectarii tempora, inquit Bellarminus L. 3. de Pœn. cap. 14. perſeveravit in Eccleſia Græca Confeſſionis privatæ uſus, ut claret ex S. Chryſoſtomo, Nicephoro, Carthophilace, Concilio Trulano, aliiſque teſtimoniis Græcorum recentiorum jamjam citatis.

Perſiſtunt: Atqui Nectarius omnem prorſus abrogavit Confeſſionem: Ergo, & probatur ſubſumptum. Hujuſce rei teſtis irrefragabilis eſt ſanctus Chryſoſtomus, qui ut Nectarii ſucceſſor cuncta prænoverat: ſed S. Chryſoſtomus ſucceſſoris ſui veſtigiis inhærens, adæquatam Pœnitentiæ ſeu Confeſſionis reſciſſionem propugnavit: Et probatur. Ipſe Hom. 2. in Pſalm. 50. ait: „ Peccata tua dicito, ut deleas illa: ſi „ confundaris alicui dicere quæ peccaſti, „ dicito ea quotidie in anima tua; non „ dico ut confitearis ea conſervo tuo qui „ exprobret, dicito Deo, qui curat ea. „ Audis ſanctum Doctorem velle peccata non homini, ſed ſoli Deo declarari. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Omnem Confeſſionem publicam quæ fit in theatro & coram teſtibus quæ eſt ad ſatisfactionem abrogavit S. Chryſoſtomus, concedo: omnem ſacramentalem, maxime privatam quæ relationem ad abſolutionem habet, nego. Quia vero dum publica fiebat, teſte Origene Homil. 2. in Pſalm. 37. non deerant qui confitenti culpas exprobrarent, ideo S. Chryſoſtomus Nectarii veſtigiis inſiſtens, iſtam reſcindere voluit: Quod autem de publica ſolum loquatur ſanctus Doctor, vel ipſe eſt non in uno loco ſui ipſius interpres, maxime Homil. de Pœnit. & Confeſſione ubi ſic loquitur: " Nunc autem „ neque neceſſarium, præſentibus teſtibus confiteri. „ Rurſus Homil. 5. de incomprehenſibili natura Dei, ait: " Non te in „ theatrum conſervorum tuorum duco, „ non hominibus peccata tua detegere co„ go. „ Iterum Homil. 4. de Lazaro: „ Cave, *inquit*, homini dixeris, ne tibi „ exprobret.... Non cogor te in medium „ prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes: mihi ſoli dic peccatum privatim. „ „ Quid clarius pro iſta controverſia, eo quippe loci diſtinguit Confeſſionem publicam a privata, priorem expungit; poſteriorem vero retinet & præcipit.

Diſcutitur mens S. Chryſoſtomi.

Reponunt: Qui confeſſionem lingua factam explodit, eamque ſolam, quæ cogitatione, tum memoria, non homini, ſed ſoli Deo faciendam conſulit, citra dubium omnem etiam privatam ſacramentalem prorſus excludit: quippe qui mentalem opponat verbali, quæ hucuſque priſtinis temporibus fuerat in uſu: Atqui ſic propugnat S. Chryſoſtomus: Et probatur multis quidem momentis. Homil. 2. in „ Pſalm. 50. ait: " Si confunderis dicere „ alicui quia peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua. „ Homilia vero de Pœnit. „ & Confeſſione: " Nunc autem neque „ neceſſarium eſt præſentibus teſtibus con„ fiteri. Tum ſubjicit: " Cogitatione fiat „ delictorum exquiſitio, abſque teſte ſit hoc „ judicium: ſolus te Deus confitentem videat. „ Si non excluderet vel ipſam ſecretam peccatorum Confeſſionem non dixiſſet: " Cogitatione fiat delictorum exquiſitio: „ abſque teſte ſit hoc judicium. „ Cum Sacerdos audiens in ſecreto Confeſſionem ſit teſtis ſimul & judex. Quid plura proferam? Homil. 31. in Epiſt. ad Heb. clarius hanc ſuam prodit mentem his verbis: " Ante „ Deum confitere peccata tua: Apud ve„ rum Judicem cum oratione delicta tua „ pronuntia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria. „ Demum expreſſis terminis ſolum Deum adhibet teſtem & judicem Homil. 8. de Pœnit. " Non delictorum, „ „ *inquit*, teſtes ſtatuas: intus in conſcien„ tia, aſtante nemine, præter eum qui cun„ cta videt, Deum, reforma quod deliqui„ ſti. „ Ergo &c.

Reſpondeo ut ſupra, diſtinguendo minorem: Et in locis laudatis S. Chryſoſtomus loquitur ſolum de Confeſſione ſatisfactoria cui opponit Confeſſionem cordis & ſoli Deo factam, qualis erat Pſalmiſtæ Confeſſio Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*. Rurſus Pſalm. 31. *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*, concedo: de ſecreta, eaque ſacramentali, nego. S. Chryſoſtomus de ea ſolum lo-

quitur.

quitur, ut ex contextibus liquet, quæ facta, homines exprobrabant pœnitenti culpam, eo enim ſcopo fiebat, ut inde ad majorem ſatisfactionem & humilitatem peccatum delinquenti objiceretur: Et hoc plura comprobant. Primo quidem ex eo quod S. Doctor exigat ſibi fieri in ſecreto peccatorum declarationem. 2. Si omnem de medio ſuſtuliſſet Confeſſionem, exuberaſſet vel ſuper ipſos Hæreticos, cum Montaniſtæ aliquorum gravium peccatorum Confeſſionem exigerent, nec illam pro graviſſimis abnegent vel ipſi Proteſtantes. 3. Demum Nectarius non reſcidit, ut obſervat Bellarminus L. 3. de Pœnit. c. 16. Pœnitentiarium, qui munus ſubiret cognoſcendi peccata ut ſolveret vel ligaret, ſed eum tantummodo qui aſſignaret quodnam eſſet peccatum, pro quo pœnitens publicam lueret ſatisfactionem: Pari & conſimili modo iſtum & non alium abnuit S. Chryſoſtomus. Audiſti illum Confeſſioni tantum publicæ adverſari; jam eum audi iterum atque iterum privatæ patrocinantem. Homil. 3. in Geneſim: „ Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus, Dei gratia, nunc maxime & „ jejunii curſus intendendus, & magis con„ tinuandæ ſunt preces, faciendaque dili„ gens & pura Confeſſio peccatorum. „ „ Et L. 2. de Sacerdotio: " Quamobrem „ multa quidem arte opus eſt, ut qui labo„ rant Chriſtiani, ultro ſibi perſuadeant Sa„ cerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere.

Replicant: Sanctus Doctor ait ſoli Deo, & non homini faciendam eſſe Confeſſionem; ſed qui Sacerdoti declarat peccata, non ſoli Deo ea pandit: quod eſt contra ſanctum Chryſoſtomum, immo & contra Scripturam, quæ dum in libris legalibus, in libris Pſalmorum & Prophetarum loquitur de Confeſſione ſoli Deo facienda, omnem excludit hominem, & de facto Chriſtus abſolvit Magdalenam, Petrum & Paralyticum, omiſſa eorum Confeſſione. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Ex ſancto Chryſoſtomo ſoli Deo ut cauſæ principali juſtificationis Confeſſio fit concedo: ſoli Deo excludendo cauſam miniſterialem, ſubdiſtinguo: & ſic intelligendus venit ſanctus Doctor dum loquitur de Confeſſione ſatisfactoria concedo: de ſacramentali, nego: namque ibidem exigit, ut, priore omiſſa, iſta illi fiat.

Quod autem Confeſſio facta Sacerdoti, ſolum ut Miniſtro, ſoli tamen Deo fieri dicatur, docent Tertullianus L. de Pœnit. cap. 9. & 10. ſanctus Auguſtinus in Pſalmo 66. Ratio ea eſt, quod effectus non aſſimiletur cauſæ inſtrumentali, nec eam denominet, non enim ſerra dicitur facere lectulum, ſed artifex. Quocirca Sacerdos tenetur ad ſecretum, immo ſi aut malitia, aut fragilitate aperiret peccata ipſi declarata, nihil inde incommodi, pro Pœnitente in foro externo ſequeretur. Sacerdos vero criminis & perfidiæ lueret pœnas. Vel ipſa Scriptura tradit ſolutionem; Proteſtantes ultro fatentur Miniſtrum adhiberi in Baptiſmo; & tamen ſolus Chriſtus Joannis 1. dicitur baptizare; ſic enim habetur: *Teſtimonium perhibuit Joannes, dicens: quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo: & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.*

Ad exempla in confirmationem objectionis adducta, ne minimum quidem faceſcere negotium liquet, cum nulla ſit paritas, non quidem in iis quæ pro Pœnitentia fiebant in veteri lege, quæ tametſi aliquam Confeſſionis ſpeciem in ſacrificiis pro peccato offerendis præ ſe ferrent, non tamen habebat lex Pœnitentiam ut Sacramentum. Ergone conditio novæ legis deterior eſt? Abſit; cum vel ipſa attritio amore imperfecto actuata cum Sacramento ſufficiat, & vi Sacramenti pœnitens ex attrito contritus evadat: ſed nec facta Chriſti quidquam vitium habent pro Proteſtantium circa Confeſſionem errore, & hoc propter multa. Primo, quia Chriſtus abſolvit & Magdalenam, & Petrum, & Paralyticum ante Pœnitentiæ Sacramenti inſtitutionem, videlicet ante Reſurrectionem; illud enim non niſi ea facta & tranſacta, videlicet cum Joann. 20. dixit Diſcipulis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* 2. Altera diſcriminis ratio inter Sacerdotem & Chriſtum eſt, quod iſte ratione poteſtatis excellentiæ abſque cæremonia Sacramenti gratiam producere potuerit, ille vero non niſi mediante Sacramento hoc ipſum facere valeat. Solutio

lutio eſt D. Thomæ hic 3. p. ſuppl. q. 6. art. 1.

In eo prorſus ſenſu explicandus eſt Caſſianus, qui Collat. 20. c. 8. ait: " Quod „ ſi verecundia retrahente, revelare coram „ hominibus erubeſcis, illi quem laterenon „ poſſunt, confiteri jugi ſupplicatione non „ deſinas, qui & abſque ullius verecun„ diæ publicatione curare, & ſine impro„ perio peccata donare conſuevit. „ Quis enim cordatus non videat illum Patrem loqui de Confeſſione publica ad ſatisfaciendum ordinata, quam quidem abjicit, ne peccatum pœnitenti in opprobrium vertatur.

Inceſſum quoque Brentius apud Bellarminum Lib. 3. de Pœnit. cap. 20. opponit ſanctum Ambroſium Lib. 10. in Lucam c. 96. dicentem: " Petrus doluit & flevit, „ quia ut homo erravit, non invenio „ quid dixerit? „ Sed quid mirum ſi peccatum non confeſſus ſit, cum Pœnitentiæ ſacramentum nondum eſſet inſtitutum? aſt dolorem lacrymis expreſſit: hinc & lacrymæ confeſſionis vicem ſubibant. Sic propugnat S. Doctor ibidem iſtis ſubſequentibus verbis: " Maluit Petrus ſuum accuſare pec„ catum, ut juſtificaretur fatendo, quam „ gravaretur negando.... verecundæ lacry„ mæ ſine horrore culpam loquuntur: la„ crymæ crimen, ſine offenſione verecun„ diæ fatentur. „

Obſtrepunt: Non poſt dici ſanctum Auguſtinum aut non attigiſſe ſenſum ſancti Chryſoſtomi, aut illum debellaſſe: ſed ſanctus ille Doctor omnem prorſus confeſſionem eliminat; & probatur. Lib. 10. Confeſſ. cap. 3. " Quid mihi eſt, *inquit*, cum „ hominibus, ut audiant confeſſiones meas, „ quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores „ meos? curioſum genus ad cognoſcen„ dam alienam vitam, deſidioſum ad cor„ rigendam ſuam. „ Ergo &c. Concinit Venerabilis Beda, qui explicans illa Chriſti apud ſanctum Lucam verba: *Oſtendite vos Sacerdoti*, ait: " Vitia ſolum hæreſis, „ infidelitatis, Judaicæ perfidiæ, & ſchi„ ſmatis eſſe ad Sacerdotes deferenda. „ Igitur non credit confeſſionem peccatorum ſacramentalem eſſe; alias, non illa ſola peccata capitalia, ſed & cetera gravia confeſſioni ſubjicienda propugnaret.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Et eo loci ſanctus Auguſtinus loquitur de peccatis quæ ante ſuſceptum Baptiſmum patraverat, quæque vi & efficacia Baptiſmi jam jam dimiſſa fuerant, concedo: non enim de aliis in libris Confeſſionum loquitur, ea quippe ob ſummam humilitatem poſteritati in ſignum pœnitentiæ amaræ voluit tradere; & loquitur de aliis poſt Baptiſmum commiſſis, nego. Igitur unum ſolummodo contendit ſanctus Doctor, peccata per Baptiſmum dimiſſa non eſſe alicui particulari perſonæ confitenda, propter duo: primo quidem, ex eo quod hoc ſit inutile, cum hujuſmodi peccata non ſint objectum pœnitentiæ ſacramentalis, quippe quæ Eccleſiæ clavibus non ſubjiciantur, cum Eccleſia non habeat juriſdictionem in eos qui nondum ſunt baptizati, juxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. cap. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Secundo, hoc ipſum curioſitati faceret ſatis.

Ad auctoritatem Venerabilis Bedæ reſpondemus, eum loqui tantum de confeſſione publica, cui peccatum publicum, quale eſt hæreſis, infidelitas & ſchiſma, ſubjiciuntur, etiam his temporibus, ſaltem quantum ad aliquid, ut definierunt Concilium Lemovicenſe, Rotomagenſe & Bituricenſe; ubi enim fuit ſcandalum, ibi & ſatisfactio publica requiritur: ſed confeſſionem ſecretam non excludit.

Urgent: Nemo ad impoſſibile tenetur: Sed impoſſibile eſt omnium peccatorum recordari, & conſequenter ea confiteri: Igitur confeſſio rationem Sacramenti ex parte ſua non ſubit. Confirmatur: non eſt neceſſaria ad remiſſionem peccati, cum juſtificatio ſit a gratia, ſed ſolum ad ſatisfactionem, quam quidem quiſquis abſque Sacramento exhibere poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Impoſſibile eſt omnium peccatorum leviorum recordari, tranſeat: graviorum, ſubdiſtinguo: ſi non adhibeatur ſufficiens diligentia, concedo: ſi adhibeatur, nego. Eccleſia non exigit abſolute loquendo arithmeticam enumerationem leviorum culparum, cum non ſint materia abſolute neceſſaria confeſſionis, ſed geometricam & moralem graviorum, quæ adhibito ſufficienti examine, abſque negotio memoriæ occurrunt declaranda: ſi

tamen

tamen poſt talem adhibitam diligentiam aliquid omitteretur, modo pœnitens de omnibus confeſſis & de omiſſis doleat, cum propoſito illa in confeſſione aperiendi, quando recordabitur, ſuſcipit gratiam, & juſtificatur. Igitur Confeſſio non eſt jugum intolerabile, ut Proteſtantes commentiuntur.

Ad confirmationem diſtinguo: Confeſſio publica non eſt abſolute neceſſaria ad remiſſionem peccati, concedo: confeſſio ut ſic, nego. Reus enim non eſt ſuus judex, inquit S. Thomas hic 3. p. ſupp. q. 6. art. 1. unde debet declarare ſua peccata, ut recipiat abſolutionem. Sanctus Doctor ſic loquitur, "Illa Sacramen-„ta quæ ordinantur contra culpam, cum „qua ſalus eſſe non poteſt, ſunt de ne-„ceſſitate ſalutis: & ideo ſicut Bapti-„ſmus quo deletur originale, eſt de neceſ-„ſitate ſalutis, ita & Pœnitentiæ ſacra-„mentum. Sicut autem aliquis per hoc „quod Baptiſmum petit, ſe miniſtris Ec-„cleſiæ ſubjicit, ad quos pertinet diſpen-„ſatio ſacramenti: ita etiam per hoc quod „confitetur peccatum ſuum, ſe mini-„ſtro Eccleſiæ ſubjicit, ut per ſacramen-„tum Pœnitentiæ ab eo diſpenſatum, re-„miſſionem conſequatur, qui congruum „remedium adhibere non poteſt, niſi pec-„cata cognoſcat: quod fit per confeſſio-„nem peccantis; ideo Confeſſio eſt de ne-„ceſſitate ſalutis ejus qui in peccatum „actuale mortale cecidit.

Contra: Audiendi ſunt Theologi pro interpretatione & explicatione dogmatum. Atqui Theologi omni exceptione majores, confeſſionem ſacramentalem ut quid ad ſalutem indifferens habent, eamque vix alicujus neceſſitatis reputant: & probatur. Idem fit judicium de omnibus ac de iſtis: 1. Auctor Gloſſæ in c. 1. de Pœnit. diſt. 5. Confeſſionem ut quid humanum habet. 2. Scotus in 4. ſent. diſt. 17. dubitat num Confeſſio ſit de jure divino. 3. Cajetanus in cap. 20. ſancti Joan. Confeſſionem a Chriſto primum voluntariam inſtitutam fuiſſe, auricularem vero ab hominibus. 4. Gratianus de Pœnit. diſt. 1. can. *Omnis*, dicit peccata non remitti Confeſſione: "Non er-„go, *inquit*, in confeſſione peccatum re-„mittitur, quod jam remiſſum eſſe pro-„batur; fit itaque confeſſio ad oſtenſio-„nem pœnitentiæ, non ad impetrationem „veniæ: & ſicut circumciſio eſt data „Abrahæ in ſignum juſtitiæ, non in cau-„ſam juſtificationis, ſic confeſſio offertur „Sacerdoti in ſignum veniæ acceptæ, non „in cauſam remiſſionis accipiendæ. „Ergo &c.

Reſpondeo primo, dato & non conceſſo aliquos Theologos de confeſſione ſacramentali non recto calamo ſcripſiſſe, nihil inde adverſus eam concludi poſſet, cum Traditio & Conciliorum definitiones quibus innititur, præponderari debeant.

Reſpondeo ſecundo, negando minorem. Ad primam probationem dico, Gloſſam loqui de tempore quo facienda eſt confeſſio, non de confeſſione ſecundum ſe ſpectata. Ceterum ſi aliquid durius de hoc momento complectatur, ipſa per Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 5. emendatur.

Ad ſecundam diſtinguo: Scotus dubitat de inſtitutione Confeſſionis ſacramentalis, quoad tempus, num ſcilicet inſtituta ſit poſt reſurrectionen, illis Joan. 20. verbis: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: vel ante, Matth. 18. v. 18. cum Chriſtus alloquens diſcipulos dixit: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*: concedo: dubitavit de Confeſſione ſacramentali in ſe conſiderata, nego. Namque in 4. diſt. 17. q. 1. art. 1. expreſſe docet Confeſſionem eſſe de jure divino, eoque poſitivo.

Ad tertiam diſtinguo ſimiliter: Cajetanus ait Chriſtum inſtituiſſe confeſſionem voluntariam, hoc eſt, non extortam ſeu violentam, concedo: hoc eſt, faciendam ad nutum, ita ut non ſit ſacramentalis & de neceſſitate ſalutis, nego. Eo loci opponit confeſſionem ſacramentalem confeſſioni reorum in foro externo deprehenſorum.

Ad ultimam diſtinguo: Et Gratianus loquitur in ſententia aliquorum, quorum placita refert, concedo: in propria, nego. Hæc enim ſubjungit: "Alii e contrario „teſtantur, dicentes ſine confeſſione oris, „& ſatisfactione operis, neminem a pec-„cato poſſe mundari, ſi tempus ſatisfa-„ciendi habuerit.„

Objectiones ex ratione prodeuntes.

URGENT: Peccata venialia non ſunt neceſſario deferenda clavibus Eccleſiæ: Sed quiſquis poteſt a Deo immediate eorum veniam obtinere; ſed idem dicendum eſt de peccatis mortalibus. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Chriſtus enim hanc Eccleſiæ poteſtatem dedit remittendi peccata mortalia, de quibus ait ſanctus Apoſtolus 1. Corinth. 6. *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt*. Cum igitur venialia gratiam & charitatem non extinguant, ſed ſolum imminuant, a cœli aditu conſequenter non repellunt: quocirca aliis remediis curari poſſunt; mortalia vero non niſi confeſſione & abſolutione, a qua ita dependet remiſſio peccatorum, ut nulla ſit aliunde ſperanda, juxta illud: *Quorum remiſeritis &c.*

Inſiſtunt: Ea omnia quorum peccator non recordatur, citra confeſſionem dimittuntur. Igitur & alia. Secundo, impoſſibile eſt enumerare omnia quæ aut cogitatione, aut verbo, vel opere patrata ſunt peccata. Tertio, diſcutio plurimum angit pœnitentem, qui ignorans & quandoque perplexus, & forſan cum peccato mortali ad menſam Domini accedit. Quarto, ex confeſſione multi abuſus fluunt: quandoque enim miniſtri eo utuntur medio, ut ad libidinem explendam provocent mulieres, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Remittuntur cum voto Confeſſionis, concedo: ſecus, nego.

Ad ſecundum: Poteſt, moraliter loquendo pænitens omnia gravia numerare peccata.

Ad tertium dico, dubia & anxietates facile ſedari, modo pœnitens ea omnia præſtiterit, quæ Dei gratia adjuvante, adimplere poterit. Speret igitur in Domino, adhortante Propheta & dicente Pſ. 10. *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: tranſmigra in montem ſicut paſſer*. Ruſus Pſal. 54. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto*.

Quod autem ſpectat miniſtros & pœnitentes, Deus providet abundanter: neque enim ſinit miniſtrum in eam ruere malitiam, ut pœnitentes provocando ad malum, perdat: mulier enim devota & vere contrita, abhorret fœtida, & tentatori reſiſtit. Neque viciſſim miniſter fidelis cedit tentationi mulieris ad peccatum forſan illum allicientis: maxime cum vi gratiæ ſuæ ordinationis ſpecialia recipiat auxilia, quibus ignea hoſtis humani generis tela propellere queat. Igitur perditio tua Iſrael, ſi vel pœnitens jam æger in novum ruat peccatum, vel medicus, ægritudinis præbendo remedium, & ipſe odore mali ſua culpa corruptus, ſuccumbat, & Deo moriatur.

Objectiones ex praxi Eccleſiæ.

OPPONUNT: Si antiqui Patres propugnaſſent Confeſſionem auricularem eſſe neceſſariam, præcepta dediſſent Sacerdotibus, ſicut & nunc fit, de modo excipiendi peccata. Atqui nullibi id legitur: & quidem in Conſtitutionibus Apoſtolicis quæ quarto exaratæ ſunt ſæculo, nihil habetur de officio Confeſſarii, nec legimus in actis Patrum, quod ipſi fidelium exceperint peccata, vel Presbyteris iſtam demandaverint provinciam, nec etiam Chriſtianos tempore perſecutionum ad eos peccata deponendi gratia confugiſſe. Ergo &c.

Reſpondeo hæc argumenta eſſe negativa, & contrarium ex ſupra dictis affulgere. Ceterum Scriptores vitæ Epiſcoporum omnia eorum non retulerunt munia, ſed illa ſolum quæ erant ſingularia. Porro commune erat Sacerdotibus peccatorum confeſſiones excipere, ſed maxime Epiſcopis; referente Paulino, ſanctus Ambroſius ut plurimum populi ſui audiebat Confeſſiones.

Perſiſtunt: Sanctus Juſtinus, Tertullianus, Euſebius, & ceteri qui ſanctorum Anachoretarum vitam ſcripſere, ſilent eorum confeſſionem Sacerdotibus factam. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Silent confeſſionem Fidelium qui vitam ducebant innocentem, concedo: qui malam, nego. Vel ipſe Auguſtinus ſuam in variis libris, & quidem omnes circumſtantias, memoriæ perpetuæ mandavit. Ceterum auctores ſupponunt, urgente neceſſitate, factam fuiſſe Sacerdoti peccatorum confeſſionem.

Reponunt: Scriptores ſuorum civium calamitates, bella, naufragia, & ſimilia com-

commemorant : altum vero apud illos de confeſſione ſilentium . Vel ipſe ſanctus Gregorius Naz. referendo tempeſtatem, qua cum multis verſus Alexandriam jactatus eſt , dicit omnes oraſſe, gemitibus Dei auxilium advocaſſe: ſed nihil de confeſſione quæ, magno imminente periculo, abſque mora facienda eſt. Ergo &c.

Reſpondeo ut ſupra , non opus ſuiſſe actus confeſſionis exercitos memoriæ mandari; eo enim ipſo quo & Patres, & ſacri Scriptores mentionem ubique fecerunt & poteſtatis remittendi peccata , & eadem Confeſſario ſingulatim deponere, ſupervacaneum erat Confeſſionis exercitium texere, maxime cùm tempus confeſſionis emittendæ non foret tunc præfixum. Ad auctoritatem Gregorii facilis eſt reſponſio; ipſe nondum erat baptizatus, & forſan non erat in navi Sacerdos , cui ceteri, ſua poſſent deponere peccata; unde non mirum ſi ſanctus Doctor in relatione ſiluerit Confeſſionem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Confeſſio peccatorum ſingulorum eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ.

PRIMO: Patres Pœnitentiam nomine Confeſſionis non ſemel celebrant , ut S. Cyprianus Ep. 55. ad ſanctum Cornelium, & præfigurata fuit in veteris legis ſacrificiis, quæ juxta delictorum diverſitatem offerebantur , Levit. cap. 4. Suffragantur Rabini , ut Moſes Cordubenſis tract. de Pœnit. cap. 1. Annuntiatur Confeſſio Act. 19. Jacob. 5. Joan. Epiſt. 1. cap. 1.

Secundo : Accedit omnium ſæculorum uſus & traditio . Concilium Laodicenum antiquiſſimum can. 2. Carthaginenſe III. can. 31. Lateranenſe ſub Innocentio III. Florentinum & Tridentinum , Confeſſionem etiam auricularem ut partem ſacramenti Pœnitentiæ eſſentialem habent . Idem ſentiunt Patres : Dionyſius Areopagita Epiſt. ad Demophilum, Irenæus Lib. 1. c. 9. vel ipſe Tertullianus Lib. de Pœnit. c. 9. S. Cyprianus Epiſt. 12. Origenes Homil. 2. in Levit. &c.

Tertio : Subſcribunt Eccleſiæ totius Orientis ad hunc uſque diem: ante Concilium Florentinum Simeon The. L. de Sacramentis: poſtea vero, Jeremias Patriarcha CP. prima reſponſione ad Theologos Wittembergenſes , Meletius Syrurgus in confeſſione Orthodoxa , Barſalibi in comment. Arab. uterque Ebnaſſal &c. Hoc ipſum declarat perpetuus utriuſque Eccleſiæ, Orientis ſcilicet & Occidentis uſus.

Quarto : Deus ex natura bonus, omnibus providit media ad ſalutem: Sed Pœnitentia ad hoc abſolute neceſſaria eſt , juxta illud Chriſti effatum Luc. 13. *Si non pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis* : hoc eſt, ſi ſacramentum Pœnitentiæ non habueritis &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Innocentius III. uſum Confeſſionis partim ex negligentia , partim ex animi pravitate ſopitum , reviviſcere ſtatuit : Ergo ne ipſam Confeſſionem invexit primus in Eccleſiam? abſit dicere.

Secundo: Nectarius non aliam abrogavit Confeſſionem, quam publicam, ut omnes teſtantur Scriptores ſacri.

Tertio : Nonnumquam S. Chryſoſtomus ſolam cordis confeſſionem exigit, ſed dubio procul tantummodo opponit confeſſionem ſecretam publicæ , quæ ad ſatisfactionem fiebat in conventu Eccleſiæ: Nectarii enim inſiſtens veſtigiis , publicam abnuebat Confeſſionem . Eodem prope modo explicandæ ſunt aliorum Patrum auctoritates , quæ in ſenſu obvio duriores apparent.

Quarto: Si qui ſint Theologi qui Confeſſionis momentum non ſatis explicent, relictis acrioris ſcholaſticæ critices regulis, Patrum ſententiis & Conciliorum definitionibus ſtandum eſt. Ceterum vix aliquid obſcuri in eis reperies , niſi circa ſtatutum tempus confitendi peccata.

ARTICULUS TERTIUS.

De Pœnitentia publica in particulari, ejuſque ſolemnitatibus.

MUlta hic cum Bellarmino Lib. 1. de Pœnit. c. 21. & 22. prænotare juvat.

Primo quidem : Pœnitentia dividitur in pri-

privatam & ſolemnem: Privata ea cenſetur in qua peccata non oiſi Saeerdoti aperiuntur: Publica vero, eum publicaotur in conventu Eccleſiæ delicta. Jam vero Pœnitentia publica utique duplex ſecernitur: altera ſcilicet ſolemnis, altera non ſolemois, ut habetur apud Gratianum de Pœnit. diſt. 3. can. *nihil prodeſt*. Prior ſolum pro peccatis publicis, non ſine magno ſcandalo in tota civitate patratis impooebatur. Ita Coneilium Carthaginenſe III. cao. 32. Toletaoum I. can. 2. Origenes Homil. 15. Levit. Ambroſius Lib. 2. de Pœnit. c. 10. Poſterior vero pro publicis quibuſeumque gravibus peccatis, ſed quæ noo tantum attulerant ſcandalum, boc autem inter utramque intercedebat diſcrimen, quod ſolemois ſemel tantum in vita conecederetur: hine a Tertulliano L. 2. de Pœnit. ſecunda poſt naufragium tabula vocatur. Poſterior vero e contra non ſemel in vita celebrabatur.

Siricius Papa Epiſt. 1. e. 1. n. 5. determinat pœnitentiam loborioſam pro iis qui, abſoluta ſatisfactione publica, & reconeiliati in eadem vel graviora peccata prolaberentur, his verbis: " Qui jam ſuf-
,, fragium non habeot pęoitendi, id dixi-
,, mus decernendum, ut ſola intra Eccle-
,, ſiam Fidelibus oratione jungantur, ſa-
,, cræ Myſterlorum celebritati, quamvis
,, oon mereantur, interſint: a Domini-
,, cæ autem menſæ convivio ſegregen-
,, tur, ut hae ſaltem diſtrictione corre-
,, pti & ipſi, in ſe ſua errata caſtigent,
,, & aliis exemplum tribuant, quatenus
,, ab obſcęnis cupiditatibus retrahantur;
,, quos tamen, quoniam eardinali fragili-
,, tate ceciderunt, ſi viatico muoere ad
,, Dominum cęperint proficiſci, per com-
,, munioois gratiam volumus ſubleva-
,, ri. "

Secundo: Pœnitentia ſolemnis Sacerdotibus non imponebatur, ſed eos in Monaſteria detrudi ad tempus pro qualitate peccatorum ſtatutum erat, nec ad Ordines ſcandaloſos promoveri ſinebat Eccleſia. Ita ex Sirieii Papæ Epiſt. ad Himerinm Tarraconæ Epiſcopum, ex Concilio Carthaginenſi IV. can. 68. & V. ean. 11. ex Toletano I. can. 2. ex Inoocentio I. Epiſt. 6. ad Agapitum, ex S. Leone Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonæ Epiſcopum cap. 2. Quidam tamen autumant Pęnitentiam ſolemnem potuiſſe imponi Sacerdoti jamjam depoſito. Nec leviter hoc ipſum indigitat S. Cyprianus, qui Lib. 3. Epiſt. ad Fidum, ioerepat Epiſcopum Teraphium, eo quod Victorem quemdam Presbyterum aote expletum pœnitentiæ tempus, nulla ioſirmitatis compellente neceſſitate reconciliaverat. Morinus tamen Lib. 4. de Pęnit. c. 14. contendit Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis fuiſſe Pœnitentiæ publicæ abnoxios. Quidquid ſit, non idem dicendum de ſubſequentibus, ut conſtat ex Epiſt. 1. Siricii Papæ c. 14. ex Leooe Magno Epiſt. ad Ruſticum Narboonenſem, mioores tamen Clericos quovis tempore ſubjicit ſummus ille Pontifex. Hoc ipſum colligitur ex Concilio 5. Carthaginenſi can. 11.

Tertio: Pęnitentia ſolemnis non poterat conjugatis, ſecluſo mutuo eorum conſenſu, impooi. *Sic* proountiavit Concilium II. Arelatenſe: ſic Concilium Toletanum VI. cao. 8. ſic S. Leo Epiſt. 92. cap. 12. ea potiſſimum ratione, quod debitum conjugale exoratis pœnitenribus interdiceretur, ionupti vero prohibereotur nubere. Iſta de cauſa raso admodum juniores pœnitentiæ ſolemni ſubjiciebantur; ſcriptum eſt enim 1. Cor. 7. " Melius eſt ... nu-
,, bere, quam uri. " Ita ſtatuit Concilium Agathenſe cap. 15. ita Aurelianenſe III. cap. 19.

Quarto: Solus Epiſcopus pęoitentiam ſolemnem imponebat, ſolus quippe reconliabat Pęnitentes. In caſu neceſſitatis iſtud peragere poterat ſimplex Sacerdos. Concilium II. Carthaginenſe can. 4. & III. can. 31. & 32.

Quinto: Peccata laicorum occulta ante Novatianorum tempus, publica pœnitentia & cæremoniali non caſtigabant veteres; namque tertio tantum ſæculo idololatriæ, homicidii, adulterii & mœchiæ ſpecies iſti ſubjiciebantur labori, ut conſtat ex Euſebio Lib. 6. cap. ult. Et vero ante medium ſecundi ſæculi, quo tempore graſſari cępit Montani hæreſis, non erat prefixum pœnitentiæ tempus, ut colligitur ex Libro 2. Conſtit. S. Clementis caput 26. A Montano ad Novatianum uſque pœnitentia publica pro lapſis oonnihil in uſu erat, ſed quo tempore & quanto, non apparet, juxta illud Decretum Cleri Romani anno 253. *Sede vacante*, adverſus lapſos promulgatum. " Ante con-
,, ſtitu-

Digitized by Google

„ ſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum „ putavimus, ſed lapſorum curam medio- „ criter temperandam eſſe credimus &c. „ Sanctus Cyprianus Epiſt. 54. vult lapſos, urgente perſecutione, abſque mora reconciliari, immo & corpore Domini ſaginari: " Ut quos excitamus & horta- „ mur ad prælium, non inermes & nu- „ dos relinquamus. „

Sexto: Quovis Eccleſiæ tempore pęnitentia publica injuncta eſt, & ad noſtra uſque tempora injungenda pro peccatis ſcandali & publicis: tametſi enim antiqua eaque cæremonialis a Novatiano uſque ad Nectarii ævum ſolummodo permanſerit, non ideo omnis extincta eſt, quandoquidem ſatisfactio debet reſpondere delicto; ut primum igitur peccatum publice fit & cum ſcandalo, ſtatim pœnitentia medicinalis, ſcilicet publica & laborioſa, injungenda eſt, ſecundum iſtam vel ab ipſo Spiritu ſancto latam legem Apocalyp. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Hoc ipſum probat vetus Eccleſiæ diſciplina: hoc ſubſequens Lib. 5. Capitularium cap. 52. & Concilium Moguntinum ſub Rabano can. 28. hoc poſtremo Trident. Seſſ. 24. cap. 8. de reform. Colonienſe anno 1536. Auguſtodunenſe anno 1548. Braccarenſe anno 1566. act. cap. 11. Mechlinienſe anno 1590. cap. 6. Comitia generalia Cleri Gallicani Meloduni habita anno 1579. Burdigalenſe anno 1583. Bituricenſe anno 1584. tit. 21. can. 2. Rothomagenſe anno 1581. Remenſe anno 1583. Aquenſe anno 1585.

De ſolemnitate Pœnitentiæ publicæ.

PRIMO, antiquitus pęnitentes publici ſacco veſtiti, cinere vero conſperſi, ad Eccleſiam accedebant, ut ſcribit Tertullianus Lib. de pudic. c. 5. S. Cyprianus Lib. de lapſis, Hieronymus Ep. 30. Sic induti quamdam agebant Judæi pęnitentiam ut Deum flecterent: immo in quibuſdam regionibus nec barbam, nec crines nutriebant. Ita Concilium Agathenſe can. 15. & legitur Lib. 5. Capitularium cap. 52. Toletanum III. can. 13.

Secundo, locus Pęnitentium non unus erat: ſed juxta diverſos gradus, diverſæque ſtationes etiam diverſus habebatur. Primus ab altari remotiſſimus extra portas Eccleſiæ, & flentium dicebatur, inquit Bellarminus hic Lib. 1. de Pęnit. c. 22. namque ibi flebant pęnitentes, & Fidelium non ſine magnis gemitibus orationes expoſtulabant. Iſta tamen flentium ſtatio ante Novatianorum hæreſim non erat in uſu, quamvis Eccleſia a Chriſto nato noluerit peccatores a fletu pro peccatis patratis temperare, ut liquet ex L. 5. Hiſt. Euſebii.

Alter pœnitentium locus intra Eccleſiæ portas exiſtebat, ita ut pęnitentes audire verbum Dei poſſint cum Catechumenis, & ideo Audientes vocabantur a verbo græco ἀκρόασις De iſta ſtatione audiendus eſt S. Gregorius Neocæſareenſis Epiſtola Canonica can. 11. Audiendus ſanctus Baſilius Epiſtola Canonica ad Amphilochium can. 56. Audiendus & S. Gregorius Nyſſenus Epiſtola Canonica ad Lætojum. Porro in iſto audientium loco aſtabant quoque præter pęnitentes Ethnici, Judæi, Hæretici & Catechumeni. Neque vero omittendum, Audientes quibuſdam prærogativis fuiſſe ſupra flentes donatos. 1. Erant liberi ab illa humili fratrum rogatione. 2. Non tenebantur ad jejunia, ad vigilias, & cetera hujuſmodi opera laborioſa. Hoc unum eis incumbebat opus, audiendi ſcilicet lectionem Scripturæ ſacræ, & publicas tum Epiſcopi, tum Parochi conciones, quæ fieri conſueverant, eo potiſſimum tempore quo Catechumenorum Miſſa celebrabatur. 3. Liberum prorſus eis erat flentium induere habitum, quo flentes induti, Epiſcoporum, tum ceterorum Baſilicam intrantium pedibus adgeniculabantur. Demum hæc ſtatio ſumpta pro determinato audientium loco in Eccleſia Latina nuſquam fuit in uſu, bene vero apud Orientales, a Novatianorum ſchiſmate, ut conſtat ex Epiſtola S. Baſilii jamjam laudata; ſic enim habetur can. 22. " Oportet au- „ tem eos *qui rei ſunt raptus mulierum*; „ anno primo a precibus expelli, & ipſo „ deflere ad fores Eccleſiæ: ſecundo au- „ tem ad auditionem admitti: tertio ad- „ mitti ad pęnitentiam: quarto ad con- „ gregationem cum populo, abſtinentes „ ab oblatione: deinde eis permitti boni „ communicationem. „

Tertius locus ille erat, in quo Pęnitentes admittebantur non ſolum ad audien-

dum, verum etiam & ad orandum cum Competentibus, non tamen ad ſacrificium Miſſæ cum Fidelibus; qui quidem locus appellabatur *ὑπέπτωσις*, quaſi contemplatio rerum cœleſtium. Nonnumquam Subſtrati vocantur; eo quod illi genuflexi in hac ſtatione permanerent, ut colligitur ex can. 16. Concilii Ancyrani: tempore jejunii manus eis imponebantur ad pœnitentiam, ut habetur in 4. Concilio Carthaginenſi can. 80. quæ quidem manus impoſitio non ſine aliqua verborum præſcripta forma fiebat, juxta illud S. Auguſtini Lib. 3. contra Donatiſtas cap. 19. " Quid eſt aliud, *inquit*, impoſitio manuum quam oratio ſuper hominem? " Expulſis Catechumenis, expellebantur & Subſtrati.

Quartus aſſignabatur locus pro aliis, qui completis ceteris pœnitentiæ gradibus, vel ipſi aſſiſtebant tremendo Miſſæ ſacrificio, non tamen altari communicabant. Iſte locus nomine conſiſtentiæ, celebratur, pęnitentes vero Conſiſtentes dicebantur. Multus eſt ſermo in ſacris Canonibus de iis qui aliquibus irretiti peccatis, ſacrificio quidem aderant, ſed Euchariſtiæ non participabant. Sic habet Concilium Eliberitanum can. 50. Sic Syricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem can. 5. Obſerves, velim, pœnitentes quandoque a prima ſtatione, omiſſis mediis, ad ultimam ex confeſſione Eccleſiæ juxta aut temporis aut neceſſitatis exigentiam tranſiiſſe. Hoc ipſum colligitur ex can. 16. Concilii Ancyrani. Ex Can. 7. Epiſt. Canonicæ S. Baſilii ad Amphilochium: immo & ex can. 12. primi Concilii Nicęni.

Bellarminus ibidem quintum diſtinguit a ceteris commemoratis locum, in quo jacebant qui, completa Pœnitentia, expectabant reconciliationem, quæ non niſi Feria quinta in Cęna Domini ſolemni ritu ab Epiſcopo conferebatur.

Jam aliquid delibare juvat de tempore & diuturnitate pœnitentiæ ſatisſactoriæ. Certum eſt in more fuiſſe poſitum pœnitentiam publicam Feria quarta Cinerum quotannis peccatoribus pœnitentibus imponi: hoc habetur in Concilio Agath. cap. 15. apud Gratianum diſt. 50. can. *in capite*. Quandoque pro tribus annis, quandoque pro ſeptem, vel etiam pro decem, nonnumquam pro multo pluribus, juxta peccatorum gravitatem imponebatur; omnes vero, completa illa ſatisfactione laborioſa, Feria quinta in Cœna Domini reconciliabantur, & ad ſacram ſynaxim participandam non ſine gaudio ſuper pęnitentiam agentibus, recipiebantur; S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ hoc commemorat: Expreſſe vero & diſtincte Innocentius I. Epiſt. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum cap. 7. " De pœnitentibus vero, *inquit*, qui ſive ex gravioribus, ſive ex levioribus pęnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta Feria ante Paſcha eis remittendum, Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. "

Non omittendi ſunt hic pęnarum & laborum gradus. Prima, eaque inter omnes graviſſima pęna hæc erat, abſtinere prorſus a Sacramentorum & Myſteriorum participatione, ut liquet ex L. 3. Epiſt. 8. Sancti Cypriani, & Serm. de lapſis; eo quippe loci perſtringit quoſdam, qui nondum abſoluta pęnitentia, corpus Domini, inquit, *invadebant*. Altera quod pœnitentes ad Clerum non promoverentur. Sic ſtatuit Syricius Papa Epiſt. prima cap. 14. Tertia quod abſtinerent a nuptiis. S. Leo Epiſt. 92. cap. 12. Quandoque ab hac pœna adoleſcentes, ne fornicationis tentationibus ſuccumberent, eximi concedit ſanctus Pontifex. Quarta quod ad militiam ſæcularem non accederent: ſed potius ſoli Deo & pœnitentiæ vacarent. Idem eadem Epiſtola cap. 11. definitur. Quinta, eis prohibebatur ne aut in Baptiſmo, aut in Confirmatione ſuſceptores admitterentur. Concilium Pariſienſe tempore Ludovici & Lotharii adunatum Lib. 1. cap. ultimo, tribus enim libris Concilium illud comprehenditur, & mentionem de hoc momento facit, ita ut iſta munia, quandiu extabant pœnitentes, ſubire non valerent. Sexta, unctione infirmorum carebant. De iſto pœnitentiæ gradu fidem facit Innocentius I. Epiſt. ad Decentium cap. 8. Septima, tenebantur ſingulis jejuniorum diebus ad Eccleſiam accedere, ut capita ſubmitterent Sacerdotibus, qui eis manus imponerent, & pro eis orarent. Ita ſtatuit Concilium Carthaginenſe 4. can. 80. Octava, eiſdem injungebatur ſepelire mortuos, ibidem Can. 81. Nona, item ut diebus Dominicis & Paſchatis tempore, cum Fideles preces ſun-

ſundebant, ipſi genua flecterent ad orandum. Ibidem can. 82. Decima, balnea & convivia eis interdicebantur. De hoc momento audiendus eſt S. Pacianus in ſua paræneſi ad Pœnitentiam. Igitur, teſtibus Tertulliano, L. de Pœnit. Ambroſio L. ad virginem lapſam c. 8. jejuniis, orationi, ſacco & cineri incumbere debebant.

Demum non abs re erit ad perfectam eorum omnium intelligentiam, hic ſubnotare cum Bellarmino ibidem L. 1. de Pœn. cap. 22. Chriſtianos in duas veluti claſſes, tunc diviſos fuiſſe, quarum una Catechumenos, altera vero Fideles complectebatur, juxta illud S. Auguſtini Tract. 96. in Joan. " Catechumenis Sacramenta „ Fidelium non produntur. „ Illorum vero ſcilicet Catechumenorum duæ utique diſtinguebantur claſſes; alii enim audientes tantum, alii competentes ſeu etiam electi vocabantur. Sed Fidelium tres erant turmæ. Prior erat Clericorum, quo nomine cujuſcumque gradus Eccleſiaſtici intelliguntur: Secunda, Fidelium nomine ſine addito celebratur, & ſunt Laici, qui cum nihil excellentiæ præ ceteris habeant, iſtud commune nomen retinuerunt. Tertia, Pœnitentium, qui etſi Fideles, ad ſentinam tamen Eccleſiæ dejecti, peculiari quodam nomine donabantur. S. Pacianus in ſua Paræneſi ad Pœnitentiam pęnitentes a Fidelibus ſecernit his verbis: " Catechumenis ne in hoc tranſ- „ eant, & Fidelibus, ne in hoc red- „ eant, providendum eſt: ipſis vero „ pœnitentibus, ut celeriter ad hujus ope- „ ris fructum perveniant, laborandum. „ Non abſimilia pro eadem diſtinctione profert S. Auguſtinus. L. 50. homiliarum, homil. 49. " Quod dico, *inquit*, compe- „ tentibus, & Fidelibus, audiant pœni- „ tentes. „ S. Hieronymus Epiſtola ad Oceanum de obitu Fabiolæ, teſtatur eam ſtetiſſe in ordine pœnitentium. Obſervandum tamen eſt cum Concilio Toletano I. can. 2. omnes non vocari indiſcriminatim pœnitentes, qui pœnitentiam ſubeunt, ſed illi ſolum qui publicam eamque ſolemnem agebant.

OBJECTIO.

Reponunt Proteſtantes: Ea ſolum admittenda eſt pęnitontia, quæ in Eccleſia, juxta Traditionem, celebrata eſt: ſed hæc non fuit ſacramentalis: & probatur. Iſta pęnitentia ex dictis modo erat publica, & ad noſtra uſque tempora perſeverat, quando peccata ſunt publica, tametſi enim non perſeveret ritus, perſeverat tamen labor: Jmvero eadem ab Eccleſia ortum habuit, ut oſtenſum eſt ſupra: ſed hujuſmodi pœnitentiam nemo dixerit, eſſe Sacramentalem, & hoc propter multa. Primo quidem non eſt ex traditione divina. II. Non eſt pro quocumque peccato etiam gravi, ſed tantum publico. III. Quando adeſt mortis periculum juxta Eccleſiæ ſanctionem reſcinduntur talis pęnitentiæ labores. IV. Forma quæ adhibetur, non per modum abſolutionis, ſed ſolum reconcilationis datur, nec aliud quidquam præter orationes, & ad Deum ſupplicationes continet. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Pęnitentia de qua ritus commemoratur in præſenti articulo erat publica, ſupponens ſacramentalem, & eam adjunctam babebat, concedo: ſecus, nego. Tria ſunt diſtinguenda in Pęnitentia publica, & nuſquam omittenda. Primo quidem pœnitentia publica ſecundum ſe, deinde vero antecedentia; poſtremo, conſequentia. Si ſecundum ſe ſpectetur, erat mera ſatisfactio, & ut verbis Patrum utar, pęnitentia laborioſa: Ex dictis enim conſtat impoſitam fuiſſe, ut peccatores humiliationibus, fletibus, gemitibus, jejuniis & omni laborum genere Deum iratum flecterent. Igitur iſta non erat Sacramenti, ſaltem eſſentialis, ſed ad ſummum pars integralis quæ ſatisfactionis nomine inſigniebatur: Quia vero magno cæremoniarum apparatu juxta Canones fiebat, etiam Pęnitentia Canonica dicta eſt: Quia etiam ea pars iſtius pęnitentiæ erat, ut peccatores ejicerentur ab Eccleſia, & in vindictam peccatorum a participatione Sacramentorum removerentur, ad quam non recipiebantur, donec abſolutis pęnitentiæ ſtationibus, non ſine fuſis ſuper eos precibus, cum impoſitione manuum reconciliarentur: ideo & reconciliationis nomen quandoque retinet.

Verum Confeſſio ſecreta peccatorum, pęnitentiam publicam antecedebat, cum non promiſcue pro quibuſcumque peccatis imponeretur, ſed pro eis ſolum quæ Sacerdos, audita Confeſſione, deſignabat: nempe pro publicis juxta ejuſdem Confeſſo-

feſſoris judicium, namque de peccatis adulterii mulierum non patiebatur Eccleſia fieri Confeſſionem publicam, ne periculo mortis ſubeundæ a viris offenſis exponerentur: Igitur Confeſſio ſeu Pœnitentia publica ſupponebat ſecretam.

Addo abſolutionem ſacramentalem pœnitentiam publicam ſubſecutam fuiſſe, maxime vero cum omnes pœnitentiæ gradus eſſent diſpoſitiones ad eam prærequiſitæ. Non diffiteor tamen duplicem tunc fuiſſe in uſu abſolutionem; alteram ſcilicet canonicam, alteram vero ſacramentalem; Priorem, qua Pœnitentes ſolemniter accipiebant Eccleſiæ pacem, & ei reconciliabantur, cum ab ea in vindictam ſimul & in ſatisfactionem peccatorum prius fuerant dejecti; poſteriorem vero, qua ſicut a publicis ſic & a ſecretis abſolvebantur. Quæ quidem Pœnitentia eſt verum novæ legis Sacramentum. Igitur neque Confeſſio ſacramentalis confundenda eſt cum publica, quæ non niſi ad humiliationem & ſatisfactionem fiebat: neque cum Pœnitentiæ laboribus, velut quid unum. Incaſſum igitur opponitur utrumque momentum ad exſufflandam Confeſſionem ſacramentalem, & ad ipſam Pœnitentiam e numero Sacramentorum expungendam.

Inſiſtunt: Confeſſio ſecreta ejuſdem eſt naturæ cum Confeſſione publica: ſed iſta non erat ſacramentalis: Igitur nec illa. Probatur major. Confeſſio ſecreta ſucceſſit publicæ, Nectarius quippe ut dictum eſt ſupra, iſta reſciſſa, priorem reliquit ad nutum cujuslibet faciendam. Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem: Publica quippe ſolum ad humiliationem & ſatisfactionem erat, ſecreta vero ad peccatorum abſolutionem; talis fuit ab ipſa vagiente Eccleſia in uſu, ut iterum atque iterum factis, & inconcuſſis auctoritatibus oſtenſum eſt. Ad probationem diſtinguo: Nectarius reliquit uniuſcujuſque arbitrio confiteri publice, vel non ſic confiteri, concedo: confiteri ſecreto, ita ut Confeſſio ſecreta fuerit ad libitum ut quid humanum, nego. Hoc unum conſtitutio Nectarii habuit pro ſcopo & fine, videlicet reſcindere Confeſſionem publicam, ne in Cleri contumeliam cederet: ſed Confeſſionem ſacramentalem de medio non ſuſtulit, ut patet ex S. Chryſoſtomo, & ſubſequentium ſæculorum Patribus, qui quidem tamquam pro aris & focis Pœnitentiam ut novæ legis Sacramentum defenderunt.

Synopſis dictorum de Pœnitentia publica, qua quidem aſtruitur Pœnitentia Sacramentum.

PRIMO: Confeſſio publica ea dicitur, quæ fit in conventu Eccleſiæ ad ſatisfaciendum Deo, non ſine magna humilitate & contrione, publicando peccata. Duplex diſtinguitur: una ſolemnis, altera non. Prior pro peccatis publicis & notis, altera pro quocumque graviſſimo peccato ſed occulto, aut ſaltem non tam ſcandaloſo: illa ſemel in vita, iſta ſæpius concedebatur. De Pœnitentia diſt. 3. can. *Nihil pred. eſt*. Concilium Carthaginenſe III. can. 32. Toletanum I. can. 2.

Secundo: Pœnitentia ſolemnis non imponebatur I. Sacerdotibus, ſed in Monaſteria, ut labores ſatisfactionis ſubirent, detrudebantur. Concilium Carthaginenſe IV. can. 68. Toletanum I. can. 2. Innocentius I. Epiſt. ad Agapitum; II. nec conjugatis, niſi ex mutuo conſenſu. Concilium Toletanum 6. can. 8.

Tertio: Solus Epiſcopus imponebat pœnitentiam ſolemnem: ſolus quoque Pœnitentes Eccleſiæ reconciliabat. Concilium Agathenſe cap. 15.

Quarto: Pœnitentes ſacco veſtiti, & cinere aſperſi, verſus feras Eccleſiæ ad genua Fidelium ſeſe proſtrabant, ut eorum precibus ſe commendarent. Tertullianus Lib. de pudicitia cap. 5. S. Cyprianus L. de lapſis.

Quinto: Pœnitentes Sacramentorum & myſteriorum tum frequentatione, tum participatione privabantur. S. Cyprianus L. 3. Ep. 8. & Serm. de lapſis. Ad Clerum non promovebantur. Siricius Papa Epiſt. 1. cap. 14. A balneis & conviviis arcebantur. Pacianus Barcinonenſis in ſua Paræneſi.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

PRIMO: Verum quidem eſt pœnitentiam publicam non fuiſſe ſacramentalem, ſed ſupponebat confeſſionem ſacramentalem factam Pœnitentiario; completa autem ſatisfactione, Pœnitens prævia abſolutione a cenſuris, quæ reconciliationis nomen habebat, abſolvebatur.

Se-

Secundo : Negamus Confeſſionem auricularem & privatam eamdem fuiſſe cum publica ; namque iſta erat ſolum ad ſatisfactionem.

Tertio : Neque vero quiſquam cordatus dixerit Confeſſionem privatam, publicæ fuiſſe ſubſtitutam : ſed potius ab Eccleſia vagiente invecta eſt in mundum ; publica vero quæ ſecundo circiter ſæculo ortum habuit, per Nectarium abrogata eſt.

Obſerves velim, abſoluta confeſſione ſecreta, abſolutionem dari ante ſatisfactionem factam, & hæc vulgo Pęnitentia vocatur, niſi Sacerdos æquum duxerit Pęnitentem propter peccata gravia, eaque habitualia, prius per opera pęnalia probandum eſſe. Si vero ſermo ſit de Pęnitentia publica, extra caſum neceſſitatis non conferebatur beneficium abſolutionis, donec adimpleta eſſet ſatisfactio impoſita.

DISSER-

DISSERTATIO QUINTA
DE
ESSENTIA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Extrema Unctio ſit nova Legis Sacramentum?

EXTREMAM-UNCTIONEM e numero Sacramentorum expungunt Waldenſes, Albigenſes, Wicleſus, Lutherus, Calvinus, & alii hujus furfuris homines, ut refert Bellarminus Lib. 1. de Extrema Unctione cap. 1. Sed contra quod dicitur Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Dogma de eſſentia Extremæ Unctionis probatur multis argumentis.

PRIMO, Ex Scriptura ſacra.
Secundo, Ex Traditione.
Tertio, Ex Conciliorum definitionibus.
Quarto, Ex manuſcriptis antiquis optimæ notæ.
Quinto, Ex Ritualibus, Manuſcriptis & aliis Domini Launoji, quondam Doctoris Pariſienſis, quæ aſſervantur in Bibliotheca Conventus Minimorum Pariſienſium.
Sexto, Ex Eccleſiis Orientalibus.
Septimo, Ex rationibus Theologicis. Sit igitur

CONCLUSIO.

Extrema Unctio eſt Sacramentum proprie dictum novæ Legis.

Probatur variis & irrefragabilibus momentis.

§. I.

Primum argumentum ex Scriptura ſacra eruitur.

ILLUD eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum, quod omnia ad eſſentiam Sacramenti requiſita habet. Atqui res ſic ſe habet pro Extrema Unctione: Igitur Extrema Unctio eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum. Probatur minor in qua eſt difficultas, & quidem auctoritate duplici: una ex Evangelio, altera vero ex Divo Jacobo depromitur.

Legitur Marci 6. verſ. 12. 13. de Apoſtolis: *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabantur.* Non diffiteor quoſdam Theologos iſtum Beati Marci textum explicare ſolum de gratia curationum: non deſunt tamen æqualis ponderis Auctores qui propugnent eo loci Chriſtum loqui de vero Sacramento: & hoc propter multa. Primo quidem ibi fit mentio de materia & ſigno ſenſibili. Secundo Thomas Waldenſis, & Alphonſus de caſtro iſti adhærent ſententiæ, ea ducti ratione, quod Theophilactus & Oecumenius in commentariis SS. Marci & Jacobi videantur indigitare eamdem eſſe in utroque unctionem. S. Thomas Comment. in cap. 6. S. Marci non levia pro hoc momento ſcribit;

Digitized by Google

bit ; loquens enim de Apoſtolis qui curabant infirmos , ait : " Quod oleo ungerent, ſolus Marcus enarrat . Jacobus au„ tem in Epiſtola ſua canonica ſimilia di„ cit . „ Audis ſanctum Doctorem unctionem de qua, Marci 6. & Epiſt. Jacobi, pro eodem habere . Quod enim prior unctio vel ipſam gratiam etiam conſerat, teſtatur ; nam ſubdit immediate poſt verba laudata : " Oleum enim & labores „ curat , & luminis & hilaritatis cauſa „ exiſtit . Significat autem oleum unctio„ nis Dei miſericordiam, infirmitatis me„ delam, & cordis illuminationem, quod „ totum oratio operatur . *Theophilactus* : „ ſignificat etiam gratiam Spiritus ſan„ cti , per quam a laboribus tranſmuta„ mur , & lumen & lætitiam ſpiritua„ lem ſuſcipimus . „ Ceterum Chriſtus, juxta Patrum doctrinam, dum corpora ſanabat, ſimul & animas ſanctificabat . Ergo donum curationum erat ad utrumque: Quid-ni igitur unctio olei ad gratiam data, foret Sacramentum?

S. Jacobus hujuſce Sacramenti promulgator eſt in ſua Epiſtola cap. 5. ubi ita clare de hoc momento loquitur , ut non ſit relictus ambigendi locus . *Infirmatur quis* , ait , *in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ* , *& orent ſuper eum* , *ungentes eum oleo in nomine Domini* : *& oratio fidei ſalvabit infirmum*, *& alleviabit eum Dominus* : *& ſi in peccatis ſit*, *remittentur ei* . Iſtam cæremoniam omnibus Sacramenti characteribus inſigniri , nemo non videt . Primo quidem adeſt ſignum ſenſibile gratiam ſignificans, ſcilicet oleum, quod ex ſua natura pro medendis vulneribus adhibetur ; igitur & eſt ſymbolum pro gratia animæ vulnerum ſanativa , ſignificanda , aptiſſimum . Secundo non tacetur miniſter ; eo quippe loci commemorantur Sacerdotes, ad quos ex jure ſpectat conficere Sacramenta . Tertio , ipſa eatenus ſubindigitatur forma , quatenus Sacerdos in nomine Domini debet infirmos ungere, videlicet pro eis orando; formam enim hujus Sacramenti deprecatoriam eſſe omnes ultro fatentur & docent Theologi . Demum huic cæremoniæ annexa eſt gratiæ promiſſio ; ſic enim habetur in gratiam illius qui ungitur : *Si in peccatis ſit* , *remittentur ei* . Effectus hujus Sacramenti eſt alleviare infirmum , & eum a reliquiis peccatorum abſtergere. Quia vero in adulterinos ſenſus iſta Scripturæ verba protrahunt Proteſtantes , juvat ſenſum obvium modo allatum , inconcuſſa Patrum traditione roborare . Ut primum enim aliqua circa Scriptura ſacræ textus, emergit controverſia , ad Traditionem recurrere neceſſe eſt , cum ſit infallibilis fidei regula .

§. II.

Alterum argumentum : Eadem veritas Traditione firmatur.

NULLUS Novator in propria cauſa judex eſt ; hoc ipſum ultro fatentur Calviniſtæ in Synodo Carentonica prope Pariſios, in qua præſidebant Miniſtri Bochardus , Dallæus & Derelincourſus anno 1643. qui proſcripſerunt Independentes , eos ſcilicet ex Calvini ſecta , qui ad nutum & juxta propriam phantaſiam Scripturam interpretari volebant, ea ducti ratione , quod hoc dato & conceſſo , quot capita , tot & forent religiones . Sed glorioſus Patrum utriuſque Eccleſiæ, Latinæ ſcilicet & Græcæ cœtus , ſed Concilia , & Theologi , Extremam Unctionem ut ſacramentum habent , & de Sacramento proprie dicto divi Jacobi effatum intelligunt . Igitur Extrama Unctio eſt Sacramentum . Quidquid garriant Proteſtantes ut Traditionem evacuent, non audent tamen unanimem Patrum pro aliquo momento conſenſum propellere . Et vero quis ſanæ mentis dixerit ſuum proprium de aliquo dogmate ſenſum præponderare venerabili antiquitati? Quaſi vero Novatores ſint Patribus & in ſcientia , & in ſanctitate , & in ſinceritate præpollentiores . Nunc igitur ad probationem minoris deveniendum . Quia vero Traditio conſtat Patrum ſententiis , roboratur Conciliorum definitionibus , defenditur Theologorum placitis , his quoque momentis eam propugnare & explicare juvat .

Sancti Patres , & ſancti Doctores pro Sacramento Extremæ Unctionis aſtruendo Traditionis teſtes .

Ex ſecundo Sæculo : Inſigne eſt quod pro iſto momento ſcripſit Tertullianus , qui illa labente ætate floruit . Lib. x. contra

tra Marcionem hæc habet: " Nec aquam, " *Chriſtus*, reprobavit qua ſuos abluit, " nec oleum quo ſuos unxit, nec mellis " & lactis ſocietatem qua ſuos infantat, " nec panem quo ipſum ſuum Corpus re- " præſentat. " Ibi Tertullianus perſtringit Marcionem, eo quod legem vetepem uti malam, & a maligno principio uromanantem haberet, & iſto ad hominem itur argumento: Tu Sacramenta novæ legis veluti optima & a bono Deo nſtituta, tametſi in rebus ſenſibilibus inſtituta ſuſcipis: tu Chriſtum tamquam Filium Dei veri agnoſcis; ipſe tamen auctor aſt Sacramentorum Baptiſmi, ipſe Extremæ-Unctionis, ipſe Euchariſtiæ; nomine quippe olei intelligit non Confirmationem aut Ordinem, cum primis ſæculis iſta Sacramenta haberent pro materia manuum impoſitionem, ſed Extremam-Unctionem, quæ ab ipſa Eccleſia naſcente non aliam præ ſe ferebat materiam: vel ſi vis nomine olei intelligere Confirmationem, intelligas velim, ſed tamen primario, Extremam-Unctionem; cum enim nihil determinet ibi auctor, ſi excluderetur e numero Sacramentorum Extrema Unctio, excluderetur & Ordo, qui nunc unctione olei peragitur: & hæc omnia gratis dicerentur, cum nomine olei illud intelligat Tertulianus quod potiſſimum ſuo tempore in oleo ex traditione Apoſtolica conferebatur. Igitur ex Tertulliano Extrema-Unctio inter novæ legis Sacramenta recenſenda eſt, maxime cum Patres ſubſequentium ſæculorum ita intellexerint.

Ex tertio Sæculo: Origenes percelebris ejuſdem veritatis teſtis eſt Homil. 2. in Levit. his verbis: " Eſt adhuc & ſeptima, " licet dura & laborioſa per penitentiam " remiſſio peccatorum, cum lavat pec- " cator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt " ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, " & cum non erubeſcit Sacerdoti Domi- " ni indicare peccatum ſuum, & quæ- " rere medicinam, ſecundum eum qui " ait: Dixi pronuntiabo adverſum me in- " juſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti " impietatem cordis mei. In quo imple- " tur & illud quod Jacobus Apoſtolus di- " cit: Si quis autem infirmatur, vo- " cet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant " ei manus, ungentes eum oleo in nomine " Domini. " Obſerves velim Origenem duplex pro remittendis peccatis prædicare Sacramentum, Pœnitentiam ſcilicet & Extremam-Unctionem: Extremam-Unctionem habere ut ſacramenti Pœnitentiæ appendicem: illim a Pœnitentia ſecernere his verbis: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*. Nemo quippe cordatus dixerit unctionem olei in ſacramento Pœnitentiæ adhiberi: demum Origenem Extremam-Unctionem ex traditione Apoſtolica prædicare, cum laudet ritum a Divo Jacobo promulgatum. Quid plura? & in inſtitutione divina fundatum, vult, cum ait unctionem faciendam eſſe *in nomine Domini*. His verbis perfecte delineatur novæ legis Sacramentum.

Ex quarto Sæculo ſe prodit S. Chryſoſtomus L. 3. de Sacerdotio, ubi ſic loquitur: " Neque enim ſolum cum nos regenerant, " ſed poſtea etiam condonandorum nobis " peccatorum facultatem obtinent: Infirma- " tur, *inquit*, inter vos aliquis? Accerſat " Presbyteros &c. "

Tum Innocentius I. a quo Decentius Eugubinus Epiſcopus quærit. 1. Num ſententia divi Jacobi intelligatur de infirmis oleo per Sacerdotes inungendis? 2. Num ex ſuppoſitione quod verba Apoſtoli intelligantur de infirmorum unctione, ſoli Presbyteri, an etiam vel ipſi Epiſcopi magni Sacerdotes illam unctionem perficere queant? Utrum etiam Laicus in ſua aut ſuorum neceſſitate oleo iſto ſancto infirmorum uti poſſit? 4. Demum num vacantes pœnitentiæ publicæ ungere licitum ſit? Ad hæc omnia magnus ille & ſanctus Pontifex facit ſatis Epiſt. 1. ad Decentium, cap. 8. & ſic definit: " Sane quoniam de hoc ſicuti de " ceteris, conſulere voluit dilectio tua, " adjecit etiam filius meus Cœleſtinus Dia- " conus in Epiſtola ſua eſſe a tua dilectio- " ne poſitum, illud quod in beati Jaco- " bi Apoſtoli Epiſtola conſcriptum eſt; " Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet " Presbyteros, & orent ſuper eum, ungen- " tes eum oleo in nomine Domini, & ora- " tio fidei ſalvabit laborantem & ſuſcitabit " illum Dominus, & ſi peccata fecit, re- " mittet ei: Quod non eſt dubium de Fi- " delibus ægrotantibus accipi vel intelligi " debere, qui ſancto oleo chriſmatis per- " ungi poſſunt, quo ab Epiſcopo con- " fecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed " omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut

" ſuo-

„ ſuorum neceſſitate, inungendo. Ceterum illud ſuperfluum videmus adjectum; ut de Epiſcopo ambigatur quod „ Presbyteris licere non dubium eſt. Nam „ idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia „ Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad „ omnes languidos ire non poſſunt. Cete„ tum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum „ ducit, aliquem a ſe viſitandum, & be„ nedicere & ungere chriſmate, ſine cun„ ctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma „ conficere. Nam pœnitentibus iſtud infun„ di non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. „ Nam quibus reliqua Sacramenta negan„ tur, quomodo unum genus putatur poſſe „ concedi. „

Iſta reſponſione ne minimum quidem de Sacramento Extremæ-Unctionis dubitandi locum relinquit ſanctus Pontifex: quippe qui oleum illud a ſancto Jacobo pro corporis & animæ ſanitate celebratum annuntiet, Miniſtrum Presbyterum & potiori jure Epiſcopum determinet: Iſtud autem Sacramentum a Confirmatione in duobus ſecernit: 1. ex eo quod ſit pro ægrotantium ſanitate & ſalute: 2. quod Presbyter pro iſto ſit Miniſter, pro Confirmatione vero ſolus Epiſcopus. Quid plura? Reſpondet Extremam Unctionem Pœnitentia publica irretitis eſſe denegandam: " Quia genus eſt Sacramen„ ti. Nam quibus reliqua Sacramenta „ negantur, quomodo unum genus putatur „ poſſe concedi. „ His verbis, *reliqua Sacramenta*, prorſus aſſimilat Extremam-Unctionem aliis Sacramentis. Ex his igitur concludas velim benevole Lector, veteres Patres intellexiſſe verba D. Jacobi de unctione materiali, qua abſterguntur peccata: & ritum illum ab Apoſtolo commendatum eſſe ſacramentalem.

Ex quinto Sæculo plures habemus ejuſdem dogmatis præcones. Inſtar omnium ſit ſanctus Auguſtinus L. 5. de Bapt. cap. 20. ubi quatuor potiſſimum novæ legis Sacramenta prædicat, videlicet Baptiſmum, Extremam Unctionem, Euchariſtiam, Pœnitentiam: " Si, *ait*, ad „ hoc valet quod dictum eſt in Evange„ lio, ut per peccatorem Sacramenta „ non celebrentur: quomodo exaudit ho„ micidam deprecantem, vel ſuper aquam „ Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper „ Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum „ quibus manus imponuntur. „ Rurſus Serm. 215. de tempore verſus medicum ſacramentalem Extremæ Unctionis effectum recenſet: " Quoties, *inquit*, infirmitas ali„ qua ſupervenerit, corpus & ſanguinem „ Chriſti, ille qui ægrotat, accipiat; & „ inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud „ quod ſcriptum eſt impleatur in eo, In„ firmatur quis in vobis &c. „ Ecce Auguſtinus ejuſdem labii cum primorum ſæculorum Patribus, circa ſententiæ D. Jacobi interpretationem de unctione Sacramentali.

Alterum ejuſdem ævi habemus teſtem, ſcilicet Auctorem Tractatus de Rectitudine Catholicæ Fidei inter opera B. Auguſtini Tom. 9. vet. edit. " Qui ægrotat, *inquit*, „ in ſola Dei miſericordia confidat, Eu„ chariſtiam cum fide & devotione acci„ piat, oleumque benedictum ab Eccleſia „ petat, unde corpus ſuum ungatur, & „ ſecundum Apoſtolum, oratio fidei ſalva„ bit infirmum. „

Ex ſexto Sæculo eminet S. Gregorius Magnus in Sacramentario; nam & materiam & formam, & effectum & ritum Sacramenti Extremæ Unctionis egregie delineat.

Primo: Iuxta illum conſecratio olei Feria 5. in Cœna Dom. facienda eſt: " Tunc, „ *inquit*, offertur Pontifici oleum, & be„ nedicit illud tam ipſe quam omnes Presby„ teri ad ungendum infirmum his verbis: „ *Emitte Domine Spiritum ſanctum tuum* „ *Paraclitum de cælis in hanc pinguedinem oli*„ *væ . . . ut tua ſancta benedictione ſit omni* „ *hoc unguentum tangenti tutamentum mentis* „ *& corporis ad evacuandum omnes dolores*, „ *omneſque infirmitates, omnem ægritudinem* „ *corporis*. „

2. *Oratio* ad infirmum ungendum: *Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris Omnipotentis ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti Altiſſimi & Spiritus ſancti.*

3. *Poſtulatio* ſanitatis mentis & corporis. Pergit: " Et perungit eum dicens, An„ tiphonam hanc, *Sana me domine*. Pſalm. *Domine ne in furore tuo*. Item, Antiphona: *Cor contritum*. Pſalm. *Miſerere mei Deus*. Deinde dicit: *Oremus: Deus qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo*

tua-

tuarum dona virtutum, *&* *concede ut medelam tuam non ſolum in corpore*, *ſed etiam in anima ſentiat*.

4. *Conſummatio* Officii. Præcipit magnus ille Pater ritum hujuſce Sacramenti ſic terminari: *Ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum*, *qui famulum tuum in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem*, *conſolationibus tuis attollat*, *quibus & de præſenti conſequatur auxilia*, *& æterna remedia comprehendat*. Obſerves velim quantum mendacium eſt Proteſtantium qui auſu temerario propugnant Extremam-Unctionem eſſe Innocentii I. commentum, cum vel a primis ſæculis juxta ritum a D. Jacobo præſcriptum fuerit in uſu, & magnus Gregorius hanc cæremoniam per omnia delineat, & quomodo facienda ſit acurate præſcribat: neque vero ut cæremoniam vacuam habet, ſed ut ſignum ſenſibile inviſibilis gratiæ quod & ad medelam tum corporis, tum animæ valet.

Juvat hic texere aliqua ſextæ ætatis facta de Extrema-Unctione collata infirmis. Bollandus Tom. 11. menſis Februarii hæc de Threſano ſanctiſſimo Presbytero ſcribit: " Oleum ſanctæ reconciliationis ac- ,, cepit, & cum cordis intima contritio- ,, ne & humilitate ſuſcepit, confortans ,, itaque fratres, &c. quæ poſtquam exple- ,, vit, Viaticum petiit. ,,

Ex ſeptimo Sæculo Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui anno 668. Librum Pœnitentialem fecit juris publici, ex quo Yvo Carnotenſis decreti part. 15. cap. 26. iſtud excerpſit ſtatutum " Ab infirmis in ,, periculo mortis poſitis, pura eſt in- ,, quirenda Confeſſio peccatorum, non ,, tamen illis imponenda eſt quantitas pœ- ,, nitentiæ, ſed ignoſcendum: & cum ,, amicorum orationibus, & eleemoſyna- ,, rum ſtudiis pondus pœnitentiæ ſublevan- ,, dum, ſi forte migraverint, ne obliga- ,, ti, & communione & conſortio veniæ ,, fiant alieni: a quo periculo ſi divinitus ,, ereptus convaluerit, pœnitentiæ mo- ,, dum ſibi a Sacerdote impoſitum dili- ,, genter obſervet, & ideo ſecundum au- ,, ctoritatem Canonicam, ne illis janua ,, pietatis clauſa videatur, orationibus & ,, conſolationibus Eccleſiaſticis ſacra unctio- ,, ne olei inuncti ſecundum ſtatuta SS. Pa- ,, trum communione Viatici reficiantur. ,,

Huic Pœnitentiario adjungendum eſt exemplum ſanctæ Cunegundis, quæ eadem floruit ætate: " At illa, *inquit Surius* cap. 14. converſa ad eos, qui illic aſ- ,, ſiſtebant, Presbyteros, ſacræ unctionis ,, oleum, & Euchariſtiam ſibi petiit mi- ,, niſtrari. ,,

Ex octavo Sæculo venit in teſtimonium Grodogangus Epiſcopus Metenſis in Regula quam Canonicis obſervandam dedit; caput ſexageſimum primum ſub hocce titulo conſcripſit: *Pro infirmis orare*, *& ungere eos præcipitur*: Eo loci commemorat S. Jacobi pro ungendis infirmis verba: *Infirmatur quis in vobis &c.* Laudat etiam reſponſionem Innocentii Papæ I. ad Decentium. Obſerves velim Auctorem inhærere ſancti Jacobi ſententiæ juxta antiquorum Patrum interpretationem.

Sub finem ejuſdem ævi idem perſeveravit adminiſtrandæ Extremæ-Unctionis uſus L. 6. Capitulariorum Caroli Magni cap. 75. hæc habentur: " Si infirmitate quis ,, depreſſus fuerit, vitam ſine Commu- ,, nione non finiat, nec Unctione ſacrati ,, olei careat, & ſi finem perſpiciat, ſa- ,, cro-ſancto corpore Deo anima ejus a ,, Sacerdote precibus commendetur. ,,.

Rurſus ibidem cap. 76. " Ut omnes ,, Presbyteri oleum infirmorum ab Epiſco- ,, po expectent, ſecumque habeant, & ,, maneant fideles infirmos illud exquire- ,, re, ut eodem oleo peruncti, gratia Dei ,, ſanentur; quia oratio fidei ſalvabit in- ,, firmos. ,, Audis cæremoniam olei gratiam producere. Igitur ex omni ætate Extrema-Unctio habita eſt ut Sacramentum.

Ex nono Sæculo non unum eſt teſtimonium; concinunt quippe Capitula Heraldi Turonenſis anno 856. promulgata; Canones Iſaaci Lingonenſis: Non prætereundus Jonas Aurelianenſis: qui Libro 3. de Inſtit. Laicali. cap. 14. ait: " Sunt ,, item plerique qui dum infirmantur, ,, aut ipſi, aut eorum parentes & propin- ,, qui, non ſibi Presbyteros Eccleſiæ in- ,, duci, ſeque ſanctificato oleo, ſecundum ,, Traditionem Apoſtolicam, & ſanctæ ,, Eccleſiæ morem perungi &c. ,, petunt.

Tum Paſchaſius Radbertus L. de corpore & ſanguine Domini cap. 8. hæc de Adelardo Abbate Corbejenſi ſcribit: " In- ,, terim vero audiens Beatus vir Hildema- ,, nus Epiſcopus ſanctum ægrotare pa-

,, trem,

Digitized by Google

„ trem, advenit illico. Interea cum cœ- „ piſſet idem ſanctus Epiſcopus a nobis „ percontari, utrum benedictionis oleo, „ ſicut a B. Apoſtolo ſancitum eſt, debe- „ ret perungi: Interrogavimus eum u- „ trum ne vellet? Quem proculdubio „ ſciebamus peccatorum oneribus non de- „ tineri. Quod ille audiens, erectis oculis „ in cœlum, quominus obſecrabat ut fie- „ ret. „

Ex decimo Sæculo laudamus Canones Ælfrici ad Vulſinum Epiſcopum: " Habe- „ bit etiam Presbyter conſecratum oleum „ duplex. „ Inquit ille Monachus qui juſſu Vulſini Epiſcopi Scirburnenſis in Anglia circa annum 940. illos Canones edidit, qui referuntur in volumine Conciliorum Angliæ pag. 572. " Hoc infanti- „ bus, id ægrotis præparatum; & ægro- „ tos ſemper unget jacentes. Quidam ve- „ ro ægroti hoc nihili pendunt & in „ ægritudine ſua ſe non concedunt un- „ gi. „ &c.

Hunc confirmat uſum auctor vitæ S. Oſwaldi Eboracenſis Epiſcopi. Hæc de illo Præſule, qui obiit anno 992. ſcribit: " Re- „ greſſus in oratorium, convocatis fratri- „ bus, hortatur eos impendere ſibi mini- „ ſterium ſacræ unctionis cum viatico Do- „ minici corporis. „

Ex undecimo ævo Wibertus Archidiaconus in vita Leonis IX. qui ultimum clauſit diem anno 1054. L. 2. cap. 26. eamdem propugnat veritatem; loquens enim de illo ſummo Pontifice ait: " Seque intel- „ ligens vocari divini reſpectus miseratio- „ ne... Quorum pia conſideratio perpen- „ dens, non diutius eum retinendum car- „ nis ergaſtulo, decrevit, ut quoniam plures „ Epiſcoporum, Abbatum, ceterorumque „ confluxerant turbæ eis præſentibus inun- „ geretur ſacri olei liquore. Super quo „ facto exhilaratus uſquequaque, munituſ- „ que corporis & ſanguinis Domini com- „ munione. „ &c.

Lanfrancus qui eodem floruit Sæculo, quippe qui e vita migraverit anno 1085. ejuſdem eſt labii. In Decretis pro Ordine S. Benedicti cap. 23. ſic ſcribit: " Si „ infirmatur, magis ad mortem quam ad „ ſalutem tendere videatur, & ſe petat „ inungi ... interim dicantur aliæ collectæ „ uſque ad unctionem: facta unctione lavet „ Sacerdos manus ..... Quo facto vadat „ Sacerdos ... Quibus revertentibus, fle- „ xis genibus adorent omnes corpus Do- „ mini quod a Sacerdote affertur. „ Audis Extremam-Unctionem conferri ad ſalutem, illi ſcilicet qui magis infirmatur ad ſalutem quam ad mortem. Igitur eſt verum Sacramentum, cum Sacramentum, eo inſtitutum ſit ſcopo, ut per gratiam quam confert, etiam animæ conſulatur ſaluti.

Ex duodecima ætate occurrit Hugo a S. Victore, qui anno 1140. vita functus eſt: Tractatu 6. Sententiarum cap. 5. ait: " Eſt „ & aliud Sacramentum, ſcilicet Unctio „ infirmorum, quæ fit oleo conſecrato per „ Epiſcopum. „

S. Bernardus ſuum addit calculum, quippe qui in vita S. Malachiæ cap. 31. ſic loquatur: " Jubet ſe ſacro oleo ungi. „ Exeunte conventu fratrum, ut ſole- „ mniter fieret, non ſubſtinuit ut ad ſe „ aſcenderent; ipſe deſcendit ad eos. Jace- „ bat ſiquidem in ſolario in domo ſuperio- „ ri. Ungitur, & ſumpto viatico, fra- „ trum ſe orationibus & fratres commen- „ dans Deo ad lectum revertitur. „ Obſerves velim omnes eodem modo loqui de eſſentia Sacramenti Extremæ-Unctionis, cum in oleo adhibitis precibus illud reponant.

§. III.

Tertium argumentum. Ex definitionibus Conciliorum veritas aſtruitur.

CONCILIUM Cabilonenſe anno 813. adunatum, can. 48. ſic habet: " Secundum „ B. Jacobi documentum, cui etiam do- „ cumenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo „ quod ab Epiſcopo benedicitur, a Pre- „ ſbyteris ungi debent. Sic enim ait, *in-* „ *firmatur quis in vobis*, &c. Non eſt ita- „ que parvi pendenda hujuſmodi medi- „ cina, quæ animæ corporiſque medetur „ languoribus. „

Aquiſgranenſe anno 836. can. 5. ſimilia profert his verbis: " Si autem infir- „ mitate depreſſus fuerit, ne Confeſſione, „ atque oratione, ſacerdotali, necnon un- „ ctione ſacrati olei per ejus *Presbyteri* „ negligentiam careat. Denique ſi finem „ urgentem perſpexerit, commendet ani- „ mam chriſtianam Domino Deo ſuo, mo- „ re ſacerdotali cum acceptione ſacræ „ Communionis. „

Mo-

Moguntinum ann. 847. cap. 26. ejuſdem
eſt ſententiæ : " Ab infirmis in mortis
,, periculo poſitis per Presbyteros pura
,, inquirenda eſt Confeſſio . Et ideo ſe-
,, cundum canonicam auctoritatem, ne il-
,, lis ianua pietatis clauſa videatur, oratio-
,, nibus & conſolationibus Eccleſiaſticis ſa-
,, cra cum unctione Dei animati, ſecun-
,, dum ſtatuta ſanctorum Patrum Com-
,, munione Viatici reficiantur . ,,

Regiaticinum ann. 850. ſuffragatur . Sic
ſtatuit c. 8. " Illud quoque ſalutare Sa-
,, cramentum quod commendat Jacobus
,, Apoſt. dicens : *Infirmatur quis, &c.* ſo-
,, lerti prædicatione populis innoteſcen-
,, dum eſt : Magnum ſane ac valde appe
,, tendum Myſterium, per quod, ſi fide-
,, liter poſcitur, & remittuntur peccata,
,, & conſequenter corporalis ſalus reſti-
,, tuitur . Sed quia frequenter contingit,
,, ut ægrotus aliquis aut Sacramenti vim
,, neſciat, aut minus periculoſam reputans
,, infirmitatem, ſalutem ſuam operari diſ-
,, ſimulet, aut certe morbi violentia o-
,, bliviſcatur, debet eum loci Presbyter
,, congruenter admonere quatenus ad hanc
,, ſpiritualem curam ſecundum propriæ
,, poſſibilitatis vires, vicinos quoque Pres
,, byteros invitet.,,Concilium Florentinum
in Decreto unionis, inter ſeptem Sacramen-
ta annumerat Extremam Unctionem .

Agmen claudet ſacra Synodus Tridenti-
na, quæ Seſſ. 14. cap. 1. de Extrema Un-
ctione hanc eximiam & omni exceptione
dignam tradit doctrinam his verbis : " In-
,, ſtituta eſt autem ſacra hæc unctio In-
,, firmorum, tamquam vere & proprie
,, Sacramentum novi Teſtamenti a Chri-
,, ſto Domino noſtro, apud Marcum qui-
,, dem inſinuatum, per Jacobum autem
,, Apoſtolum, ac Domini fratrem, Fi-
,, delibus commendatum ac promulgatum :
,, *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, inducat*
,, *Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum,*
,, *ungentes eum oleo in nomine Domini : &*
,, *oratio fidei ſalvabit infirmum ; & ſi in pec-*
,, *catis ſit, dimittentur ei*. Quibus verbis,
,, ut ex Apoſtolica Traditione, per ma-
,, nus accepta, Eccleſia didicit, docet
,, materiam, formam, proprium Mini-
,, ſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sa-
,, cramenti ; intellexit enim Eccleſia,
,, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo be-
,, nedictum. Nam unctio aptiſſime Spiri-
,, tus ſancti gratiam qua inviſibiliter ani-
,, ma ægrotantis inungitur, repræſentat ;
,, formam deinde eſſe illa verba, Per iſtam
,, unctionem, ,, &c.

Pergit cap. 2. ubi delineat effectum ſpi-
ritualem pro anima allevianda, ejuſque
ſalute, quo invincibiliter probatur iſtam
unctionem forma præſcripta adornatam
vera inter Sacramenta annumerandam eſ-
ſe. Ergo, inquit Concilium : " Res por-
,, ro & effectus hujus Sacramenti illis ver-
,, bis explicatur : Et oratio fidei ſalvabit
,, infirmum, & alleviabit eum Dominus ;
,, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.
,, Res etenim hæc gratia eſt Spiritus
,, ſancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint
,, adhuc expianda, ac peccati reliquias
,, abſtergit, & ægroti animam alleviat,
,, & confirmat, magnam in eo divinæ
,, miſericordiæ fiduciam excitando ; qua
,, infirmus ſublevatus, & morbi incom-
,, moda ac labores levius fert, & tenta-
,, tionibus dæmonis calcaneo inſidiantis,
,, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis
,, interdum, ubi ſaluti animæ expedie-
,, rit, conſequitur . ,,

Demum ſuis percellit anathematibus ne-
gantes Extremam Unctionem eſſe proprie
dictum novæ legis Sacramentum. Can. 1.
ſic pronuntiat : " *Si quis dixerit Extre-
mam Unctionem non eſſe vere & proprie Sa-
cramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitu-
tum, & a B. Jacobo Apoſtolo promulgatum,
ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut
figmentum humanum ; anathema ſit*. Can. 2.
*Si quis dixerit ſacram infirmorum unctionem
non conferre gratiam, nec remittere peccata,
nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, qua-
ſi olim tantum fuerit gratia curationum,
anathema ſit*. Igitur ex Conciliorum defi-
nitionibus Extrema Unctio eſt proprie di-
ctum novæ legis Sacramentum, cum ex
eiſdem ſit cæremonia ſacra, cui anne-
xa eſt gratia, nedum ad infirmorum con-
ſolationem & corporis medelam, ſed &
ad peccatorum ſaltem leviorum remiſſio-
nem.

§. IV.

Quartum argumentum ex Manuſcriptis antiquis optimæ notæ procedit.

QUOD vetuſtiſſima confirmant Manu-
ſcripta, in dubium citra mendacium aut
exoſam temeritatem explodi non poteſt,
cum

cum impreſſio librorum Eccleſiaſticorum alias fide dignorum veluti a primigeniis fontibus ab illis promanet: Sed manuſcripta omni exceptione majora, vel etiam vetuſtiſſima, Extremam Unctionem uti verum novæ legis Sacramentum exhibent, ejuſque ritus referunt. Ergo &c.

Primum Manuſcriptum, eſt Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter 900.

Alterum eſt Pontificale Prudentii Epiſcopi, qui aote annos 850. Trecenſem regebat Eccleſiam.

Tertium, eſt liber Sacramentorum inſignis Eccleſiæ S. Gatiaoi Turonenſis ante aonos 800. conſcriptum, complectens ordinem ungendi ſacramentaliter infirmos.

Quartum, eſt alterum Manuſcriptum ejuſdem Eccleſiæ Turonenſis, ante aonos 800. exaratum.

Quintum, eſt ejuſdem Eccleſiæ etiam ante annos 800. factum.

Sextum, eſt liber Sacrameotaril ſancti Gregorii papæ Bibliothecæ Colbertinæ n. 1917.

Septimum, eſt liber Sacramentorum ejuſdem Bibliothecæ Colbertinæ n. 2585.

Octavum tribuitur Eccleſiæ B. Mariæ Remenſis annorum circiter 800.

Nonum, eſt liber Sacramentorum Monaſterii Moiſacenſis, nunc Bibliothecæ Colbertioæ, n. 418. aonorum circiter 800.

Decimum, eſt inſignis Eccleſiæ Noviomenſis ab anois circiter 800. exaratum.

Undecimum, eſt codex Bibliothecæ Regiæ, n. 4208. ab annis circiter 700. conſcriptum.

Duodecimum, eſt Pontificale inſignis Eccleſiæ Saliſburgenſis annorum 600.

Decimum-tertium, eſt Pontificale inſignis Eccleſiæ Sueſſiooenſis aote annos 690. conſcriptum.

Decimum-quartum, eſt Miſſale Romaricenſe, ante annos 600. exaratum.

Decimum-quintum, Pontificale inſignis Eccleſiæ Senonenſis anno 500. quod extat in Bibliotheca Regia, n. 4219.

Decimum ſextum, Pontificale inſignis Eccleſiæ Cameracenſis ab aonis circiter 500. conſcriptum.

Decimum-ſeptimum, Codex inſignis Eccleſiæ Bellovacenſis a V. C. Godefrido conſcriptus.

Decimum-octavum, Pontificale inſignis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ annorum circiter 500.

Decimum-nonum, Codex Victorinus, n. GG. 15. annorum circiter 500.

Vigeſimum, Pontificale inſignis Eccleſiæ Apamienſis in Syria.

Vigeſimum-primum, Codex Floriacenſis ab annis circiter 500. ſcriptus.

Vigeſimum-ſecundum, Rituale Monaſterii B. Mariæ de Pontelevio annorum circiter 500.

Vigeſimum-tertium, Codex CCV. Domini Demurais, aote aooos 400. exaratus.

Vigeſimum-quartum, Pontificale inſignis Eccleſiæ Ambianenſis.

Vigeſimum-quintum, Codex Bibliothecæ Regiæ n. 4234. annorum ad ſummum 300.

Vigeſimum-ſextum, Rituale ad uſum Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ prope Cenomanos, ante anoos 300. exaratus.

Vigeſimum ſeptimum, Rituale inſignis Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter 200.

Vigeſimum-octavum, Rituale inſignis Eccleſiæ Leodienſis, aooo 1553. editum.

Vigeſimum-nonum, Rituale Ambroſianum, juſſu Cæſaris Montii Archiepiſcopi Mediolaneoſis anno 1645. juris publici factum.

Ordo adminiſtrandi Extremam Unctionem ex Euchologio Græcorum.

§. V.

Quintum argumentum ex Ritualibus Domini Launoji quondam Doctoris, Pariſienſis, quæ aſſervantur in Bibliotheca Conventus Minimorum Pariſienſium.

NON poſſumus Sacramentorum originem, eorumque naturam ſeu eſſentiam melius indagare, & traditionem pro iſto momento certius habere, quam per Ritualia; eo quippe ſcopo facta ſunt, ut Sacerdotes Miniſtri Domini ſcirent, quo apparatu, & quibus modis perficienda tum & conferenda ſunt Fidelibus Sacramenta: Atqui ex Ritualibus conſtat Extremam Unctionem eſſe Sacramentum; diverſi enim pro diverſis Eccleſiis ordioes in eis quibus confertur, affulgent. Ibi materia, ibi forma ad gratiam producendam aſſignantur:

tur; omnia conſentiunt in ſubſtantia cæremoniæ peragendæ: non nihil quidem aliquando diverſi, ſed omnes Eccleſiæ unctionem pro materia, orationem deprecatoriam pro forma, pro effectu tandem remiſſionem peccatorum ventilant: Ergo &c. Minor in qua ſolum difficultas incumbit, jam ex manuſcriptis probata manet, cum ne uno quidem excepto, ritum adminiſtrandi Extremam Unctionem ut Sacramentum cuncta complectantur; probatur inſuper ad abundantiam juris ex Ritualibus Domini Launoji; quibus eadem Traditio Manuſcriptis continuatur.

Non eſt animus hic cuncta recenſere, unum impræſentiarum aſſerimus, Ritualia illa ab anno 1450. ſuam ducere originem & ad noſtra uſque tempora continuari. Sunt magna ex parte manu conſcripta, & magni apud Litteratos ponderis: Ritum ſacram Unctionem ut Sacramentum exhibendi continent. Inſtar omnium ſint ſequentia.

Rituale, ſeu Manuale Dignenſe anno 1450. manuſcriptum ritum laudatum cum iſta forma per ſingula membra ungenda refert: *Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, per auditum, per guſtum, per odoratum, per tactum, per inceſſum pedum, per ardorem libidinis &c.* Audis cæremoniam, quæ gratiam, peccatorum remiſſivam producit. Igitur illa unctio eſt ſacramentalis.

Alterum eſt Conſtantienſe anno 1494. inter cetera complectitur officium Unctionis infirmorum cum præſcripta verborum forma, & unctione ad ſingulos ſenſus noſtræ non abſimili.

Tertium, eſt Manuale Viennenſe ann. 1500. exaratum: Ritum adminiſtrandi Extremam Unctionem continet ſub hac forma: *Inungo te oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti Altiſſimi &c.* Ad caput: *Ungo caput tuum de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ut in ore militis unctus preparatus ad luctam poſſit aërius ſuperare catervas per Chriſtum.*

Quartum, eſt Manuale Uticenſe ann. 1500. in quo quidem habetur ordo ceteris non abſimilis ad ungendos infirmos. Sed ut multa paucis abſolvam, ſufficiat appellare alia Ritualia, in quibus ritus conferendi Extremam Unctionem uti Sacramentum habetur. Pariſienſe ann. 1504. Maclovienſe ann. itidem 1504. Lexovienſe anno 1507. Petragoricenſe ann. 1509. Sagienſe anno 1515. Claromontanum ann. 1518. Ebroicenſe ann. 1521. Lexovienſe ann. 1523. Eduenſe ejuſdem ann. Sueſſionenſe ann. 1524. Tullenſe ejuſdem ann. Silvanenſe ann. 1526. Anicienſe ann. 1527. Bellicenſe ejuſdem ann. Cathalaunenſe ejuſdem anni, & ſic de ceteris.

§. VI.

Sextum argumentum fit ex Eccleſiarum Orientalium auctoritate.

Græcorum placita de Extrema Unctione.

Ex traditione Patrum Græcorum laudata claret Eccleſiam Orientalem antiquitus Extremam Unctionem habuiſſe ut verum novæ legis Sacramentum. Nunc vero recentiores Græcos ab hac fide non diſceſſiſſe, liquido probatur.

Gregorius Protoſyncellus in appendice dogmatum Eccleſiæ pag. 259. & 260. ſuum huic fidei addit calculum. Caput inſcribitur, *De ſeptimo Sacramento, ſeu Extrema Unctione*. Græci quippe ultimo loco eam reponunt. Ex loci ſic loquitur de illo Sacramento. " Eſt unctio olei pu-
„ ri præparati pro ægrotis, quod virtute
„ benedictionis & ſanctificationis ſanat
„ ſpiritualiter & corporaliter: eſt unum
„ de ſeptem Sacramentis a Chriſto in-
„ ſtitutis, quod quidem præcepit confer-
„ ri Chriſtus, cum Diſcipulos prædicare
„ Evangelium miſit, qui quidem unge-
„ bant infirmos oleo, & ſanabant, ut
„ legitur in ſancto Marco. Hac innixa
„ auctoritate Eccleſia Orientalis inde
„ traditione ſtatuit illud conferre Fide-
„ libus chriſtianis orthodoxis, ut quid
„ animalibus utile & ſalutare, ut Jaco-
„ bi 5. legitur: *Infirmatur quis in vobis?*
„ *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſu-*
„ *per eum, ungentes eum oleo in nomine*
„ *Domini.* „

Meletius Syrurgus inter Theologos Græcorum recentiorum celeberrimus, refut. 15. art. Cyrilli MS. in verſ. gr. Barb Buchore-

Digitized by Google

choreſti edita pag. 89. ait: “ Perſuaſi ſu-
„ mus oleum conſecratum invocatione
„ Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti ab ip-
„ ſo inſtitutum fuiſſe, quia ejus Apoſtoli
„ eo utebantur, ut ſcribit ſanctus Mar-
„ cus, & ungebant plurimos ægrotos,
„ quos & ſanabant; ſed & ad eumdem
„ effectum eodem uti præceperunt: nam-
„ que Apoſtolus ſanctus Jacobus ait: *Infir-*
„ *matur quis in vobis? inducat Presbyteros*
„ *Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes*
„ *eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei*
„ *ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Domi-*
„ *nus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Eadem veritas continetur in Confeſſio-
ne orthodoxa adverſus Cyrillum Lucarem
Calviniſtis adhærentem; hæc quæſt. 116.
leguntur: “ Quodnam eſt ſeptimum Sa-
„ cramentum? Eſt Exſtrema Unctio,
„ ſeu Εὐχέλαιον, quæ a Jeſu Chriſto
„ præcepta eſt: nam cum ſuos Diſcipu-
„ los binos & binos miſit, ipſi plurimos
„ ungebant infirmos, qui & ſanabantur;
„ quod poſtea in more poſitum eſt in to-
„ ta Eccleſia, ut ex Epiſtola S. Jacobi
„ liquet. „

Suffragatur Doſitheus, qui in Synodo
Jeroſolymitana anno 1672. ſic loquitur.
“ Sanctum oleum, ſeu Εὐχέλαιον, com-
„ memoratur in Evangelio ſancti Marci,
„ quod & ſanctus Jacobus teſtimonio ſpe-
„ ciali confirmat. „

Non deſunt præter auctoritatem ratio-
nes. Prima & potiſſima eruitur ex Eucho-
logiis, ubi reperitur ritus Extremam con-
ferendi Unctionem cum Orationibus,
quæ eam eſſe Sacramentum ſubindigi-
tant. Altera variis Theologiæ principiis
ſuffulta eſt. Et vero Græci contendunt
cæremonias ſacras vim ſanctificandi ani-
mas, tametſi miracula ceſſaverint, ſem-
per habere: ex quo principio concludunt
& Confirmationem, & Extremam Un-
ctionem valere ſemper ad gratiam produ-
cendam, & eſſe vera Sacramenta.

Allatius Lib. 3. de conſenſione Eccleſiæ
Orientalis cum Occidentali cap. 16. pag.
1255. 1256. 1257. 1258. edit. Col. Agrip.
idem auctoritate doctiſſimorum Græco-
rum probat, & adverſus Caucum Cor-
cyræ Epiſcopum hæc negantem, ſic inſur-
git num. 4. “ Præterea Græci omnes qui
„ de Sacramentis ſcripſerunt, tum antiqui,
„ tum recentiores, ſeptem Sacramenta
„ Chriſtianæ legis uno conſenſu omnes
„ affirmant. Si apud Græcos Confirma-
„ tio & Extrema Unctio inter Sacra-
„ menta non recenſentur, vel quinque
„ tantumodo Sacramenta non recenſen-
„ tur, vel quinquetantummodo ſacramen-
„ ta erunt: vel recitet Caucus, ſi pot-
„ eſt, alia quæ horum locum ſuppleant,
„ ut ſeptenarius numerus ſalvus ſit. Sed
„ non recitabit umquam; ergo hæc duo
„ inter alia Sacramenta cenſentur. Ve-
„ rum Græcos ipſos inſpiciamus non ita
„ antiquos; quando facile fuerit dicere
„ Cauco, Græcos poſteriores a vera ſuorum
„ progenitorum doctrina degeneraſſe: ſed
„ recentiores & poſt exciſum a Latinis
„ imperium Orientale natos. „

Pergit: “ Jobus Monachus de ſeptem
„ Eccleſiæ ſacramentis: Septem ſacro-
„ ſancta Chriſti Eccleſiæ myſteria hoc
„ ordine ſunt. Primum Baptiſmus; ſecun-
„ dum Chriſma; tertium participatio
„ vivifici corporis & ſanguinis Chriſti;
„ quartum Sacerdotium; quintum hono-
„ rabiles nuptiæ; ſextum ſanctus habi-
„ tus; ſeptimum Euchelæum, hoc eſt,
„ Extrema Unctio. Is auctor, quamvis in
„ nonnullis animadverſione indigeat, in
„ recenſendis tamen Chriſmate, quæ eſt
„ Confirmatio, & Euchelæo, quæ eſt
„ Extrema Unctio, nullam dubietatem
„ admittit. „

Tum ait: “ Simeon Teſſalonicenſis in
„ Dialogo de ſeptem Eccleſiæ ſacramen-
„ tis: (Septem ſunt dona Spiritus ſan-
„ cti, teſte Eſaia; ſeptem Eccleſiæ ſacra-
„ menta, quæ ab eodem Spiritu ſancto
„ vim operandi habent: quæ nimirum ſunt
„ Baptiſma, Chriſma, Communio, manus
„ impoſitio, Matrimonium, Pœnitentia,
„ & ſanctum oleum.)

Proſequitur: “ Joannes Palæologus An-
„ dronici II. filius, Imperator CP. in
„ profeſſione fidei: (Ad hæc credo, quem-
„ admodum tenet & docet ſancta Ro-
„ mana Eccleſia, ſeptem eſſe Eccleſiaſti-
„ ca ſacramenta: unum ſcilicet Baptiſmus
„ de quo diximus; aliud ſacramentum
„ chriſmatis ſancti unguenti, quod per
„ impoſitionem manuum Epiſcopi ungen-
„ tis eos qui regenerantur, exhibetur;
„ aliud eſt Pœnitentia; aliud eſt Eucha-
„ riſtia; aliud eſt ſacramentum Ordi-
„ nis, ſive manuum impoſitio; aliud nu-
„ ptiarum; aliud Extrema Unctio, nempe
„ Euchelæum, quod ſecundum doctri-

 „ nam

Digitized by Google

nam Beati Jacobi Apſtoli, infirmis traditur.]

Subjungit: “ Jeremias Patriarcha CP. qui eadem qua & Caucus, ætate ſcribebat, cenſ. ad Confeſſ. Auguſt. c. 7. [Quæ in ea ipſa catholica recte ſentientium Chriſtianorum Eccleſia tradita ſunt nobis myſteria, utique ſeptem ſunt, videlicet Baptiſma, Chriſma divini unguenti, ſacroſancta Communio, manus impoſitio, Matrimonium, Pœnitentia, & ſanctum nleum.]

Deinde ad alios ſuum convertit ſermonem Allatius: “ Gabriel Severus, *ait*, Philadelphienſis Epiſcopus, tractatum de ſacris myſteriis edidit, in quo ſeptem, quemadmodum & ſupra dicti, enumerat ſacramenta. Synodus Cypria ſub Germano Amathuntis Epiſcopo: [Sciendum eſt ſeptem eſſe ſacramenta Eccleſiæ Chriſti: I. in Domino nuptiæ impediunt fornicatinnem. II. Ordinatio auget virtutes, III. Sacrum lavacrum detergit corpus, & animam ſanctificat, IV. Unctio unguenti confirmat fidem. V. Divina communio in corpore Chriſtum. VI. Confeſſio aſcenſionem in cœlum, & liberationem a peccatis. VII. Sanctum nleum præbet regnum cœlorum.]

„ *Synodus* Conſtantinopolitana, *ait idem auctor pag.* 1157. ſub Cyrillo Berœenſi anno cIↃ IↃxxxix. contra Cyrillum Lucarem: [Cyrillo dogmatizanti, & credenti non eſſe ſeptem ſacramenta Eccleſiæ, id eſt, Baptiſma, Chriſma, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Sacerdotium, Extremam Unctionem, & Matrimonium, juxta conſtitutionem Chriſti, Apoſtolorum traditionem, atque conſuetudinem Eccleſiæ; ſed mentienti non eſſe tradita a Chriſto in Evangelio, niſi ſolum Baptiſma & Euchariſtiam, ut videre eſt in decimo quarto ejus capite, anathema.] Et alia ſub Parthenio anno cIↃ IↃcxLII. adverſus eumdem: [In decimo-quinto negat Eccleſiæ ſacramenta quinque, Sacerdotium, ſacram Unctionem, ſacrum oleum, Confeſſionem cum Pęnitentia, & honorabiles nuptias, quæ omnia ut ſacra, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.]

Rurſus: “ Gregorius Hieronomachus Chius, qui anno cIↃ IↃcxxxv. ſcribebat in ſynopſi dogmatum Eccleſiaſticorum c. 4. [Deus noſtrum ſpiritualem ſtatum gubernat eo modo quo corporalem. Hinc primo nos regenerat ſpiritualiter, idque efficit medio Baptiſmate. Secundo auget nos in gratia ſua, & in pietate ſtabilit; quod operatur perficitque medio ſacro unguento. Tertio nos alit ſpiritualiter: idque facit & monſtrat media Communione. Quarto ſanat nos a multis infirmitatibus animæ: quod efficit oſtenditque media Pęnitentia. Quinto ſanat nos & in anima, & in corpore, ut utilius eſt animæ noſtræ: & hoc perficit media Extrema Unctione. Sexto totam Eccleſiam gubernat, & ſpiritualiter illam multiplicat: idque operatur media Ordinatione. Septimo auget, multiplicatque pari ratione corporaliter: & hoc operatur medio Matrimonio.]

Demum ait Allatius: “ Damaſcenus Theſſalonicenſis Hieronomachus, concione in Epiphaniam Domini: [Tertia ſolutio eſt, ut oſtenderet myſterium hoc magnum ac admirabile eſſe, cum unum ſit ex ſeptem noſtræ fidei ſacramentis: quorum primum eſt Baptiſmus; ſecundum, ſacrum Chriſma; tertium, ſacra Communio; quartum, primæ Nuptiæ; quintum, Sacerdotium; ſextum, Monachatus, nempe magnus habitus; ſeptimum, Extrema Unctio. Ut itaque magnum primumque noſtræ fidei myſterium oſtenderet, baptizatus eſt. Nec aliter ſtatuunt Gabriel Severus Philadelphienſis de ſeptem ſacramentis, & Neophytus Rhodinus in panoplia & tractatu de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ.]

Placita ceterorum Orientalium.

QUOD ceteri Orientales Extremam Unctionem inter alia novæ legis Sacramenta annumerent, & de ejus eſſentia ſicut Græci eloquantur, non una evincit ratio. Namque quot Euchologia & Ritualia eorum, tot veritatis teſtes, cum prę continea nt ritus ungendi infirmos, ritibus Græcorum in ſubſtantia non abſimiles. Quin immo in officio ordinationis Preſbyterorum apud Neſtorianos, Epiſcopus a Deo optimo expoſtulat ut dignetur

pote-

Digitized by Google

poteſtatem imponendi manus ſuper ægrotos ordinato concedere.

Abſque negotio eluceſcit veritas ex ipſa Extremæ Unctionis cæremonia. Græci oleum olivarum in lampade ſeptiformi ponunt; ſeptem Presbyteri juxta S. Jacobi eloquium: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* Quilibet Sacerdos in Eccleſia, aſtante cruce, aſtantibus & miniſtris, benedicit unam lampadis partem, ſeu unum ramum; quæ quidem benedictio fit variis orationibus. Quibus completis, accendit unum e ramis: alter eodem ritu ſeſe accingit ad alterum ramum benedicendum; & ſic de ceteris per ordinem uſque ad ſeptimum incluſive. His peractis fit in Eccleſia Proceſſio: deinde in variis corporis partibus ungitur ægrotus, non enim in Eccleſia Græca expectatur ut extrema agat, quod & in Eccleſia Latina quondam fuit in uſu: ſi tamen infirmus præoccupetur extremis, facta benedictione a Sacerdotibus in Eccleſia, quod ſemper obſervatur, infirmus in propria domo inungitur. Iſte ritus & benedicendi oleum, & ungendi infirmos adamuſſim obſervatur apud Coptitas Alexandriæ, ut legere eſt in eorum Rituali. Rit. Gabr. Copr. Ar.

Dices I. Materia Extremæ Unctionis non eſt lampadis oleum. II. Non in oleo a Sacerdotibus, ſed ab Epiſcopis benedicto confertur illud Sacramentum. III. Nedum infirmis, ſed & ſanis apud Græcos unctio olei conceditur: immo, peracta ceremonia, Sacerdotes ſe viciſſim inungunt; quod & ceteris aſtantibus concedunt. Sed hæc & ſimilia innuunt Orientales non habere pro Sacramento Extremam Unctionem. Igitur ex hac parte non probatur ex Traditione exiſtentia Sacramenti Extremæ Unctionis.

Reſpondeo primo, Thomam a Jeſu, Guidonem Carmelitam, Prateolum & Caucum Archiepiſcopum Corcyræ, perperam fucatis iſtis innixos fundamentis, ſcripſiſſe Orientales non habere pro Sacramento Extremam Unctionem, quippe qui nec ad Theologorum tractatus, nec ad fidei profeſſionem orthodoxam, nec ad Ritualia attenderint. Olei enim unctionem eſſe Sacramentum, præter laudatos auctores probat Ebnaſſal Coptita in ſua collectione c. 20. cujus rei argumentum irrefragabile illud eſt, quod omnibus Græcorum diſcuſſis dogmatibus, primum a Concilio Florentino, deinde a ſummis Pontificibus Leone X. Clemente VII. Gregorio XIII. & Clemente VIII. ne minimum quidem in doctrina Sacramentorum reprehenſione dignum compertum eſt. Neque vero vel ipſe R. P. Goar in rebus Eccleſiaſticis Græcorum peritiſſimus, alterius eſt ſententiæ: quin immo in ſuis ad Euchologium de Extrema Unctione notis obſervat non ſine injuſtitia Græcos erroris circa Extremæ Unctionis Sacramentum inſimulari. Non prætereunda quæ eo loci profert: Primo quidem ſcribit Latinos quondam ſeptem quoque adhibuiſſe Presbyteros pro Extrema Unctione adminiſtranda: quod quidem, in vetuſto officio juris publici facto opera Hugonis Menardi, multis ulterioribus rationibus comprobatum affulget. Secundo redarguit Simeonem Theſſalonicenſem, eo quod non ſine temeritate propugnaverit iſtud Sacramentum non poſſe ab uno tantum Sacerdote conferri. Tertio benedictionem olei in Eccleſia conſt inter fieri, in caſu tamen extremi morbi, in domo ægrotantis adminiſtrari. Demum notat Clementem VIII. concedere Græcis ſub juriſdictione Latinorum conſtitutis, oleum ab Epiſcopo non aſſumere, quippe qui ſecundum perantiquum uſum ſoleant eo ipſo tempore quo Sacramentum conferunt, benedicere oleum. " Cum ejuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur ac benedicantur. „ Idem habetur apud Renaudotium Lib. 5. Perpet. fidei c. 2. apud Arcudium Lib. 5. c. 2.

Reſpondeo ſecundo ad ſingula. Ad primum quidem diſtinguendo: Meteria Extremæ Unctionis non eſt oleum commune lampadis, concedo: oleum benedictione ſanctificatum, nego. Ita Arcudius L. 5. c. 3. pag. 381. edit. Pariſ. 1626. " Mos eſt, *inquit*, Orientalis Eccleſiæ ſeptem convocare Presbyteros, qui Extremam Unctionem ægrotis adminiſtrent. In eo munere perfungendo, quamvis varias ſinguli orationes recitent, eamdem tamen formam Sacramenti omnes iterant &c. „

Ad ſecundum, diſtinguo ſimiliter: Oleum apud Latinos eſt ab Epiſcopo benedi-

peccatis, ſe ungerent. Neque deſunt exempla vel in ipſa Occid. Eccleſia, quibus comperitur multos Sanctos quandoque unxiſſe oleo communi ægrotos & energumenos, & effectus miraculoſos non ſemel fuiſſe conſecutos. Igitur ſanus ex devotione oleo benedicto infirmorum ungi poteſt. Si tamen inde aliquis ſubrepſerit abuſus, non inde credendum eſt Græcos Extremam Unctionem e numero ſacrameotorum expungere.

Arcudius eamdem multis ſolvit modis difficultatem L. 5. de Extrema Unctione cap. 4. primo quidem dicendo eſſe a Græcis recentioribus inductum abuſum ungendi ſanos. Secundo Unctionem quidem fieri, ſed extra Sacramentum, eo quod multi, miraculoſe ab infirmitatibus ſanati, multi etiam inter ſanos a dæmonibus unctione olei ſoluti ſint. Tertio Unctionem extra Sacramentum nonnumquam ad Pœnitentiam fuiſſe adhibitam: hoc eſt vel ad reconciliandos Hæreticos vel ad ceteros peccatores ad dolorem de facinoribus patratis commovendos. Demum neque hoc implicare contradictionem, eamdem materiam ſub diverſo reſpectu & diverſa adhibita forma, diverſos producere effectus: ita tamen, inquit, quod ſi Græci eadem utaotur forma pro unctione ſani hominis extra Sacramentum, hoc ſit mere abuſus.

De primo momento diſcurrit proponendo ſibi objectionem, quam poſtea erudite ſolvit pag. 387. & 388. edit. Pariſ. ann. 1626. " Favet multum nominatis Au-
,, ctoribus auctoritas Euchologii, in quo
,, non tantum ægrotus, ſed etiam ſanus,
,, qui ſit ungendus introducitur. Favet
,, item præſens Græcorum conſuetudo,
,, quæ quidem viget non in aliquo an-
,, gulo Græciæ, ſed ubique paſſim, quam
,, eamdem retinet hac noſtra ætate tota
,, Ruſſia, univerſaque Moſcovia. ,, Deinde ſic reſpondet: " Joannes Nathanael
,, in illa Epiſtola ſupra citata hunc Græ-
,, corum uſum omnino improbat. Sic
,, enim ſcribit: Myſterium itaque hoc, &
,, eſt, & appellatur ſeptimum, ut dictum
,, eſt. Quamvis nonnulli ex Pſeudabbati-
,, bus, & illiteratis Græcorum inſanien-
,, tes, turpis lucri cauſa peccantibus, ſi
,, reſipuerint, frequenter loco mulctæ, &
,, inſtar rei, quæ illos ſanctificet, iſtud
,, præbeant.... Ego præſentem morem
,, Græcorum, qui pœnitentes quamvis
,, bene valentes in omnibus iis corporis
,, partibus, adhibita quoque forma Sacra-
,, menti, non aliter, atque infirmos inun-
,, gunt, nulla ratione probare poſſum...
,, cum enim ſubjectum non ſit aptum ad
,, recipieodum Sacramentum, quando ne-
,, que graviter quis iofirmatur, & ad
,, mortem, ut requirit Apoſtolus, & ex-
,, ponunt ſacri Doctores, fruſtra, teme-
,, reque, ac non ſine ſacrilegio illud
,, Græci adminiſtrant. ,,

De altero momento pag. 388. & 389.
,, ait: Ego quaotum conjectura ex præ-
,, ſenti ſtatu Orieotalis Eccleſiæ aſſequi
,, poſſum; Exiſtimo antiquitus Epiſco-
,, pos, eoſque ſolos benedixiſſe oleum,
,, quod vocamus Extremæ Unctionis.
,, Cujus olei finis proprius, primarius &
,, præcipuus erat, ut exhiberetur valde
,, graviter decumbentibus. Et quia for-
,, taſſis viderant homines; hoc oleum mi-
,, ra efficere; cœperunt etiam eo uti ex-
,, tra Sacramentum... Quapropter huic
,, unctioni aſſignarunt alterum finem mi-
,, nus principalem & ſecundarium; vide-
,, licet, ut oleo conſecrato ab Epiſcopo
,, extra Sacramentum ungerentur pœni-
,, tentes, quamvis benevalentes, & qui
,, lethali morbo minus decumberent....
,, Presbyteri obtenta jam facultate oleum
,, infirmorum conſecrandi, hæc duo mu-
,, nia permiſcuerunt, quemadmodum &
,, Epiſcopi; & dum aliquando ſanos un-
,, gere volunt, cum non aſſervent oleum,
,, non ſecus atque ipſi Epiſcopi cæremo-
,, niam peragunt ad eum modum, quo
,, ægrotos ungere ſolent: Unde negari
,, non poteſt, quin ex hujuſmodi conceſ-
,, ſione ἀταξία quædam, & quidem maxi-
,, ma orta ſit, & modo rubricæ Eucho-
,, logii plane ſunt corrigendæ.

De tertio momento pag. 389. " Quam-
,, obrem, *inquit*, ſi recte adminiſtratio
,, hujus Sacramenti fieri debet, vel om-
,, nino tale oleum pœnitentibus, ſi bene
,, valeant, non eſt cooferendum, vel ita
,, conferendum, ut prorſus intelligant ex-
,, tra Sacramentum conferri, hoc eſt quod
,, Innoc. IV. in ſuis libris toties citatis
,, ad Legatum Sedis Apoſtolicæ Epiſco-
,, pum Tuſculanum in regno Cypri mo-
,, net faciendum ... Addo etiam exhiberi
,, in conſolationem Fidelium, & ad ma-
,, jorem gignendam in animis penitentium

„ fiduciam , & contritionem ob mira & „ ingenria quæ efficere & operari ſolet . „ Ibidem ſubnotut in his caſibus non eſſe exhibendam ſormam ſacramentalem .

Jamvero quod oleum extra Sacramentum fuerit in uſu in Eccleſia Orientali , immo & in Occidentali multiplici probat exemplo Arcudius pag. 390. de oleo exrra Sacramentum ſic loquitur : Impertitum „ igitur fuiſſe aliquando non per modum „ Sacramenti poſſet probari ex eo , quod „ refert Tertullianus in libro ad Scapu„ lam de quodam Proculo Chriſtiano , qui „ eo nomine Imperatori alioquin Gen„ tili fuit chariſſimus , quod ipſum gravi „ morbo conflictantem oleo ſanaſſet . Er„ go extra Sacramentum , cum non eſſer „ is Presbyter, nec ille Chriſtianus . Item „ probatur ex Innocentio I. ad Decen„ tium Epiſt. 1. c. 8. ubi ait , oleo ſancto „ ab Epiſcopo benedicto poſſe uti non ſo„ lum Sacerdotes , ſed etiam omnes Chri„ ſtianos in ſuis ac ſuorum neceſſirati„ bus . . . . & confirmari poteſt ex Ordi„ ne Romano de Divinis officiis , ubi „ recenſetur hujus olei conſecratio his ver„ bis : *Tum offeratur Pontifici oleum de am„ pullis , quas offerunt populi ad ungendos „ tam infirmos quam Energumenos* . „

Aliis exemplis ſuum illuſtrat dictum I. ſanctæ Genoveſæ , quæ oleo benedicto energumenum liberavit . Ita Surius Tom. 1. tertio Januarii . II. Eutychii Patriarchę Conſtantiuop. apud Surium Tom. 1. ſexto Aprilis , qui oleo ſancto reſtituit cæco viſum &c. In vita Udalrici Epiſcopi Auguſtani apud eumdem Surium Tom. 4. quarto Julii , mulri unctione olei a variis acutiſſimis doloribus liberati ſunt . In vita S. Gothardi Epiſcopi apud Surium Tom. 7. quarto Maji , refertur Presbyterum unctione olei infirmam ſanaſſe mulierem quæ graviſſimis laborabat in uttoque ſeculo doloribus .

§. VII.

Septimum argumentum ex variis convenientiæ rationibus deſumitur .

Prima : Quod non implicat contradictionem : ſed fundamentum habet & in ſacra Scriptura, & in Patribus & omnium Catholicorum Theologorum calculo munitur , admitti debet : Atqui Extremam Unctionem eſſe novæ legis Sacramentum annuntiat Scriptura ſacra , annuntiat Traditio Patrum ur ex dictis liquet · Propugnant quoque omnes Academiæ Catholicæ : Et probatur minor quoad iſtam poſteriorem partem . Infinitus forem ſi ſingulorum Theologorum hic placira recenſerem : Inſtar omnium ſit Princeps S. Thomas , qui 3. p. ſupp. q. 29. art. 1. “ Sa„ cramenta , *ait* , Eccleſiæ ſufficienter „ ſubveniunt defectibus hominum ſecun„ dum quemlibet ſtatum : ſed exeuntibus „ non ſubvenit aliud , quam Extrema Un„ ctio : Ergo ipſa eſt Sacramentum . „ Rurſus ibidem in argumenro *ſed contra* ita loquitut : “ Sacramenta nihil aliud ſunt „ quam quædam ſpirituales medicinæ ; „ ſed Extrema Unctio eſt quædam Spiri„ tualis medicina , quia valer ad remiſſio„ nem peccatorum , ut habetur Jacob. 5. „ Ergo eſt Sacramentum . „

Altera ratio hæc eſt : Deus cujus natura bonitas , voluit homini ſicut naſcenti , ſic & morienti ſuccurrere , maxime cum non levioribus homo extrema agens concutiatur tentationibus , quas propellere non ſine gratia ſpeciali poteſt . Igitur , inquit Bellarminus L. 1. de Extrema Unctione cap. 5. decebat ut Deus cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur , Sacramentum Extremæ Unctionis inſtitueret , cujus gratia adjuvaretur ægrotus ad chriſtiane moriendum , non ſecus ac gratia baptiſmali adjuvatur in ingreſſu mundi ut digne in præceptis Domini ambulet & vivat .

Tertia : Deus vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri , & hujus voluntatis effectus , inquit D. Thomas , ſunt media ad ſalutem , videlicet gratiæ , & ad hoc inſtituit Sacramenta : alterum eſt quo homo regeneretur , ait Florentinum : alterum , quo roboretur in fide , alterum , quo ſanetur ſi in morbum incidat : Igitur & ex ſua in homines providentia & charitate , uoum conveniebat inſtiruere , quo in extremis adjuvaretur adverſus dæmonum incurſus , & vocatur Extrema Unctio , qua ægri adjuvantur . Et vero auxilia ſunt tunc tempotis plurimum neceſſaria , ait ſanctus Gregorius Homil. 39. in Evang. & L. 24. Moralium c. 17. & 18. Idem docet Euſebius Emiſſenus Homil. 1. ad Monachos . S. Joannes Climacus de triginta gradibus , gradu 7. Tunc enim viribus

Digitized by Google

bus corporis deficientibus, langueſcit anima, tunc ingraveſcit propter tentationes prælium; tunc urget præceptum fidei, ſpei & charitatis, quæ quidem omnia ſine gratia ſpeciali adjuvante perficere nequit infirmus. Igitur requiritur Sacramentum quod illam ex ſua inſtitutione operetur.

Quarta: Perſeverantia finalis ſine qua nulla ſalus, nonniſi multis virtutum actibus, plurimiſque gratiis comparatur, quippe quæ tantum ſit Dei donum, ut non cadat ſub meritum, ſed impetratur bonis operibus. Sed inter illa bona opera ea ſunt neceſſaria ut ægrotus in fide & charitate perſeveret, ut ſeipſum Deo optimo maximo in ſacrificium offerat, ut in ejus throno purus & immaculatus ſiſtatur, ut adverſante mundo, ſæviente diabolo, exardeſcente concupiſcentia, terrente paſſione, maneat fidelis, quod non ſine ſpeciali gratia, ait D. Aug. L. de corr. & grat. cap. 12. fieri non poteſt: Igitur requiritur Extremæ Unctionis Sacramentum quo adjuvetur infirmus ut ultimum in charitate claudat ſuæ vitæ diem.

Quinta: Extrema Unctio eſt quid ſacrum & ex perantiquo Eccleſiæ uſu datur moribundis ad conſolationem ſimul & juvamen: ſed non eſt merum ſacramentale: Igitur eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum. Probatur minor: Primo quidem eſt cæremonia ſacra, quæ materia & forma ſacramentali conſtat; ex verbis enim quibus conficitur denotatur gratia. 2. Eſt ſignum gratiæ practicum, & quidem immediate; dicit enim Sacerdos dum ungit infirmum: *Parcat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum &c.* Demum ſolus Sacerdos eſt hujus unctionis Miniſter: Porro hæc omnia non habet ſacramentale, tametſi enim ſit quædam ſacra cæremonia, non tamen conſtat determinata forma ut Sacramentum; gratiam vero ſolum mediate & ex opere operantis producit. Quid plura? Non habet Miniſtrum Sacerdotem, quilibet enim etiam laicus ſumit aquam luſtralem, percutit pectus, recitat Orationem Dominicam, quibus & aliis non abſimilibus ſignis remittuntur peccata venialia. Ergo &c.

Hæc ratio eſt D. Thomæ, ibidem art. 1. in corp. his verbis: “ Reſpondeo dicendum quod in his quæ Eccleſia viſibiliter operatur, quædam ſunt Sacramenta, ut Baptiſmus, quædam ſacramentalia, ut exorciſmus: Quorum eſt hæc differentia, quod Sacramentum dicitur illa actio Eccleſiæ, quæ attingit ad effectum principaliter intentum in adminiſtratione Sacramentorum: ſed ſacramentale dicitur illa actio, quæ quamvis non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem. Effectus autem intentus in adminiſtratione Sacramentorum eſt curatio morbi peccati, unde Iſa. 27. hic eſt omnis fructus, ut tollatur peccatum: & ideo cum ad hunc effectum pertingat Extrema Unctio, ut ex verbis Jacobi patet, nec ordinetur ad aliud Sacramentum quaſi ei annexum, conſtat, quod Extrema Unctio non eſt ſacramentale, ſed Sacramentum. „

Proponuntur difficultates ex Scriptura ſacra prodeuntes.

OBJICIUNT Heterodoxi: Sacramentum proprie dictum eſt a Chriſto inſtitutum: Atqui Extrema Unctio non eſt hujuſmodi ſacramentum: Et probatur. Sacramentum a Chriſto inſtitutum in ſacra celebratur Scriptura: ſed non colligitur ex novi Teſtamenti Scriptura Extremam Unctionem eſſe Sacramentum: Et probatur; unum pro iſto momento aducitur S. Jacobi teſtimonium: ſed nihil roboris in hoc habet: Et probatur. Epiſtola ex qua eruitur, eſt aſſuta & nullo modo Apoſtoli fœtus, quandoquidem ſanctus Hieronymus L. de ſcript. Eccleſ. aſſerit veteres non agnoviſſe iſtam Epiſtolam ut genuinam: ſuffragatur Euſebius L. 3. Hiſt. Eccl. cap. 19.

Reſpondeo negando minorem: Sacra quippe Synodus Tridentina Seſſ. 7. can. 1. ait omnia Sacramenta eſſe a Chriſto Domino immediate inſtituta: *Si quis dixerit*, ait, *Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta .... anathema ſit*. Seſſ. vero 14. de Extrema Unctione loquens, dicit hoc Sacramentum a ſancto Marco quidem inſinuatum, a D. Jacobo non dicit inſtitutum, ſed promulgatum, quibus verbis propugnat a Chriſto immediate inſtitutum, ſaltem tacite: licet vocem immediate reticeat: “ Apud Marcum quidem fuiſſe inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum & Do-

Digitized by Google

„ & Domini fratrem, Fidelibus commen„ datum, ac promulgatum. „ Hoc ipſum agnovit Eccleſia Græca in Concilio Florentino. Revera quidem Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ cap. 29. hanc fidei profeſſionem, nomine totius nationis emiſit: “ Peccatorum remiſſionem & „ ultimum olei Sacramentum perficit Sa„ cerdotum oratio. „ Hoc & omnes Orientalium ſectæ, ut ſupra oſtenſum eſt. Iniquitas igitur mentitur ſibi, cum Kemnitius ſcribit Extremam Unctionem eſſe Felicis IV. Papæ inventum: namque ante ipſum, eam uti verum novæ legis Sacramentum agnoverat Innocentius I. Epiſt. ad Decentium cap. 8. eam vel ipſum Concilium Nicænum Canone 69. Arabico his verbis: “ Tranſacto anno, debet Sacerdos „ benedicere aquam & oleum; non ſic„ ut ſit in Baptiſmo, neque ſicut bene„ dicitur chriſma, ſed ſicut oleum infir„ morum. „ Eam tandem Traditionis calculo munitam eſſe, iterum atque iterum oſtendimus.

Jamvero ſi ſermo ſit de tempore quo Chriſtus iſtud inſtituit Sacramentum, de hoc non una eſt ſententia. Hugo a S. Vict. L. 2. de Sacram. Magiſter Sent. in 4. diſt. 23. Alenſis 4. part. q. 8. art. 1. S. Bonaventura eadem diſt. art. 1. quæſt. 2. & alii propugnant Extremam Unctionem ab Apoſtolis, ex commiſſione a Chriſto accepta, inſtitutam fuiſſe, quæ quidem opinio poſt definitionem Concilii Trident. propugnari non poteſt. Quidam alii tenent Marci 6. Chriſtum iſtud inſtituiſſe Sacramentum, quando ſuos miſit diſcipulos ad prædicandum, ſimul & curandum infirmos, cum ſanando corpora, ſimul & curarent animas, & ab Apoſtolis illud fieri volebat. Sic Joan. 5. dixit Paralytico: *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat.* Ita Hugo hic diffic. 2. Plures exiſtimant & probabilius eam factam a Chriſto inſtitutionem poſt ejus Reſurrectionem, cum inſufflando ſuper Apoſtolos Joan. 20. dedit eis poteſtatem remittendi peccata, ſiquidem Extrema Unctio eſt pœnitentiæ ſacramentalis appendix, & ad reliquias peccatorum ſubmovendas ordinatur.

S. Thomas hic 3. p. ſupplem. q. 29. art. 3. ad 1. ait: “ Dicendum quod multa „ Dominus fecit & dixit quæ in Evan„ geliis non continentur. Illa enim præ„ cipue curaverunt Evangeliſtæ tradere, „ quæ ad neceſſitatem ſalutis, & Eccleſiæ „ diſpoſitionem pertinent, & ideo potius „ inſtitutionem Baptiſmi, & Penitentiæ, „ & Euchariſtiæ, & Ordinis factum nar„ raverunt, quam Extremæ Unctionis, „ vel Confirmationis, quæ neque ſunt „ de neceſſitate ſalutis, neque ad diſpo„ tionem ſive diſtinctionem Eccleſiæ perti„ nent. „

Ad probationem prioris argumenti nego minorem primæ, ſecundæ, & tertiæ inſtantiæ; falſum eſt enim Epiſtolam divi Jacobi non eſſe Canonicam: Commemoratur ut Scriptura inſpirata Canone ultimo Apoſt. in Epiſtola 3. Innocentii I. Papæ: Eam uti talem celebrant Concilium Romanum ſub Gelaſio I. ſummo Pontifice, Laodicenum can. ult. Carthaginenſe tertium can. 47. Tridentinum Seſſ. 4. nec illam tacet Florentiuum: non Origenes Homil. 7. in Joſue: non Athanaſius in ſynopſi: non Epiphanius Hær. 76. non Hieronymus Epiſt. ad Paulinam: non Auguſtinus L. 2. Doctrinæ Chriſtian. cap. 8. non Rufinus in ſymbolum: non Iſidorus Lib. 4. Etymolog. cap. 1. non denique Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 18.

Jam ad auctoritates in contrarium, reſpondere juvat: Primo quidem dico S. Hieronymum in objectione laudatum, non loqui ex propria ſententia; eo quippe loci dicit ſolum quoſdam inter veteres habuiſſe Epiſtolam D. Jacobi ut dubiam, attamen decurſu temporum obtinuiſſe auctoritatem. Secundo, eadem eſt ad Euſebium reſponſio; ſic enim ſcribit: “ Ex „ illis quæ in dubitationem quidem vocan„ tur, ſunt tamen a pleriſque recepta, „ ut eſt Epiſtol quæ Jacobi dicitur &c. „ Quaſi vero libri ſancti in deutero-Canone Judæorum adſciti, non eſſent Scriptura ſacra, eo quod deſint in proto-canone, nec niſi temporum decurſu, prævio maturo examine, in ſecundo inſcripti ſint. Hoc vel ipſi Proteſtantes dicere non audent. Quorſum igitur abnuunt Epiſtolam S. Jacobi calculo Eccleſiæ non ſemel munitam?

Inſtant: Atqui Extrema Unctio non eſt ex inſtitutione divina: Igitur nec Sacramentum. Probatur ſubſumptum: Non in aliis invenitur Scripturis quam in Epi-

Digitized by Google

ſtola divini Jacobi , qui quidem nullam facit mentionem aut de Chriſto, aut de commiſſione ab eo pro iſto Sacramento inſtituendo recepta, ſed propria ſuffultus utens auctoritate, ait: *Infirmatur quis &c.* Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem dico I. juxta graviſſimorum Theologorum ſenteotiam, Extremæ Unctionis inſtitutionem haberi Marci 6. tametſi enim eo loci fiat mentio de curatione infirmorum, nihil tamen roboris ab inſtitutione detrahitur, maxime cum illa unctio ſit formaliter ad ſanitatem corporum, non ſecus ac ad medelam animarum: neque vero multum proficiunt qui ad iſtam reſponſionem exſufflandam replicant, unctionem ad curationem infirmitatum ab omnibus indiſcriminatim etiam non Sacerdotibus fuiſſe datam. Et promiſcue ſicut Fidelibus ſic & Paganis collatam, cum tamen Sacramenta a ſolis Presbyteris conficiantur, & non niſi Fidelibus concedantur: demum ſacram Synodum dicere quidem Extremam-Unctionem Marci 6. inſinuatam, ſed non inſtitutam: Namque Chriſtus Marci 6. ſolos diſcipulos mittebat & alloquebatur, & de eis tantum non de Laicis & indiſcriminatim ibidem dicitur; *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Quia vero etiam Paganis, Apoſtoli hanc eamdem gratiam & humanitatem præſtabant, nihil prohibet dicere collatam fuiſſe Paganis unctionem ſolum ad corporis ſanitatem, aliis vero ſacramentaliter ad animæ ſalutem. Quid plura? utramque ad eumdem duplicem effectum conferre Gentilibus jam credentibus potuerunt, quandoquidem, ut ſupra oſtenſum, ſicut Chriſtus ſanabat interius, dum & corporis conſulebat ſanitati, ſic & Apoſtoli ejus inſiſtentes veſtigiis faciebant.

Non diffitemur Concilium Tridentinum dicere Extremam Unctionem Marci 6. tantum inſinuatam: ſed hoc ipſum ſonat inſtitutionem Extremæ Unctionis, quæ cum ſit Sacramentum, in uſu per Miniſtrum facto conſiſtens, eo ipſo inſtituitur quo poteſtas eam faciendi confertur, ſicut de Baptiſmo habetur Matth. ult. *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* Hoc ipſum colligitur ex ſancto Thoma hic 3. p. ſuppl. q. 29. art. 3. ad 1. laudato, non enim, inquit ille ſanctus Doctor tanta requiritur expreſſio pro Sacramentis, quæ non ſunt ad ſalutem abſolute neceſſariis, quanta in his ſine quibus ſalus haberi non poteſt.

Reſpondeo ſecundo ad eamdem probationem diſtingnendo: In ſola B. Jacobi Epiſtola, & non in aliis Scripturis fit mentio explicita Extremæ Unctionis tranſeat: implicita nego; nam juxta Tridentinum Marci 6. fuit illud Sacramentum inſinuatum. Ad id vero quod dicitur, D. Jacobum propria auctoritate loqui de Extrema Unctione, ſimiliter diſtinguo: ut deferatur ad infirmos hoc Sacramentum, concedo: ut illud inſtituat, nego: Præcipit executionem & Sacramenti jam inſtituti adminiſtrationem; hoc unum ex ipſis Divi Jacobi verbis colligitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum*. Hoc unum etiam Tridentinum citatum propugnat; non enim ait Extremam Unctionem eſſe Sacramentum a divo Jacobo inſtitutum, ſed tantummodo *promulgatum*. Hoc contendit & prædicat Bellarminus Lib. de Extr. Unct. cap. 3. " At certe, *inquit*, nec Jaco-
" bus ſibi aſſumit, quod Lutherus dicit:
" Non enim ipſe Sacramentum inſtituit,
" ſed hortatur ad uſum Sacramenti inſti-
" tuti. "

Urgent: S. Jacobus de eadem loquitur unctione, quam ſanctus Marcus cap. 6. commemorat: Sed iſta non erat Sacramentalis: Igitur nec altera. Majorem propugnat Nugno, propugnant & alii eum ipſo Theologi, nec abſolute diſſentit Bellarminus hic L. 1. de Extr. Unct. cap. 3. minor vero ex eodem Bellarmino ibidem cap. 1. liquet. Porro dogmatis veritas non manet inter Theologos anceps, ſed eſt quid ab Eccleſia definitum; cum igitur nihil certi habeatur pro Extrema Unctione, ut Sacramentum dicatur, non eſt niſi quid humanum ab Eccleſia inſtitutum, ad ſacramentalia conſequenter deducendum.

Reſpondeo primo, omnes Theologos divina Traditione ſuffultos, velut pro aris & focis defendere Extremam Unctionem, eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum: omnes quoque uno veluti calamo ſcribere ſaltem Marci 6. inſinuatam, & curatione miraculoſa corporum, non abſi-

mili

mili modo præluſam, ſicut Baptiſmus Chriſti Joannis Baptiſonate annuntiatus eſt, tandem a divo Jacobo, quod a Domino ita acceperat, commendatam & promulgatam: Probabilis tamen eſt ea ſententia Theologorum qui teneut de facto Extremam Unctionem ab ipſo Chriſto inſtitutam fuiſſe Marci 6. nec iſti adverſatur opinioni Bellarminus hic cap. 3. ſic enim loquitur: " Si quis autem defendere velit Marci 6. tractari de ipſo Sacramento Unctionis Extremæ, dicere poteſt, Marcum non omnia expreſſiſſe, ſed quæ illi deſunt, ex Jacobo eſſe petenda: ſæpe enim in Scriptoribus ſanctis id neceſſario faciendum eſt, ut quod unus omittit, petatur ab alio." Videas igitur velim, benevole Lector nullam eſſe inter Theologos de dogmate Extremæ Unctionis controverſiam.

Reſpondeo ſecundo: Tranſeat major; neque enim uti fidei dogma defendimus, Extremam Unctionem Marci 6. a Chriſto inſtitutam: Potuit enim Salvator viva voce alio tempore hoc ipſum facere, cum teſte D. Joanne cap. ult. multa dixerit & fecerit, quæ non ſunt in Evangelio ſcripta, quæ tamen fieri mandavit Apoſtolis: quidni igitur ex ejus mandato, ſanctus Jacobus ſacramentalem Unctionem promulgaverit; hinc diſtinguo minorem: Unctio de qua Marci 6. fit mentio, non erat ſacramentalis, juxta quorumdam tantum opinionem, omnibus vero fatentibus Theologis erat altera, de qua ſanctus Iacobus inſtituit ſermonem, concedo: & non erat, nego: omnibus quippe Sacramenti characteribus inſignitur.

Quia vero Heterodoxi non erubeſcunt illam vel cum medicinali arte, vel cum dono curationum confundere, ut eam e numero novæ legis ſacramentorum expungant, operæ pretium eſt inter unctionem pro ſanitate corporum, & ſacramentalem ad animarum ſalutem inſtitutam, diſcrepantias hic cum Bellarmino texere. Certe ſanctus Jacobus non loquitur in ſua Epiſtola de curatione mere naturali, tametſi enim oleum ad ſanitatem corporum conducat, non tamen Prophetæ, Apoſtoli, & alii ſancti medelam corporum ſicut Medici civiles operabantur, cum e contra ſæpius uſi ſint rebus adverſis ſanitati ad medelam, ut ſublimitas foret Dei, & intelligerent homines ſe ſanari corporibus per gratiam ſanitatum, & Dei donum; quod dubio-procul iſto non celebraretur nomine, ſi quid mere naturale ad ſanitatem reſtaurandam fuiſſet adhibitum. Et vero quæ conventio aquæ Jordanis cum mundatione a lepra, qua liberatus eſt Naaman ab Eliſeo: Maſſæ ex ficu, qua ulcus Ezechielis Regis ſanavit Iſaias, luti quo Chriſtus illuminavit cæcum a nativitate? Jam iniquitas mentitur ſibi, cum Wiclefus non ſine auſu temerario dicit ſanctum Jacobum uſum fuiſſe unctione mere naturali ad ſanandos infirmos, & ea de cauſa meminiſſe olei quod ad ſalutem corporum medicina adhibet.

Neque vero eam unctionem ſanctus Jacobus a dono curationum indiſtinctam, ſed potius ut omnino diſtinctam & ſacramentalem prædicat: ſingula ejus verba ponderanda ſunt. 1. ait *Infirmatur quis in vobis*; ſi loqueretur Apoſtolus de gratia ſanitatum, eam non reſtringeret ad eos qui jacent infirmi, in lectulo, ſed generaliter abſque limite ad omnes extenderet; claudi enim, leproſi & ſimiles gravi laborant infirmitate; tametſi non decumbant in cubili 2. *Inducat Presbyteros*, argumentum eſt ſermonem inſtituere de illis infirmis qui præ infirmitate ad Eccleſiam venire non poſſunt, præterea non ſolos Presbyteros, quibus dubio-procul non eſt alligatum curationis donum, ſed vel Prophetam, vel aliquem ſanctum tali gratia donatum præciperet in Eccleſiam adduci: Quid dico adduci, eo ipſo quo de ductione ad Eccleſiam mentionem facit, loquitur de Sacramento, non enim illi qui gratia curationum pollent pro curandis infirmis ad Eccleſiam accedunt, ſed ubi & quocumque inveniant infirmos per impoſitionem manuum curant, juxta illud Marc. 16. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*: Quorſum igitur accedere ad Eccleſiam ad ungendum infirmos, niſi quia de Sacramento agitur, cujus materia fit in Eccleſia, ſi vero facta eſt, ab ea defertur ad infirmum. 3. *Orent ſuper eum ungentes eum oleo*. Quis non videat Apoſtolum ex profeſſo loqui de Sacramento, nuſquam vero de gratia ſanitatum, quandoquidem curatio miraculoſa formam non habet, cum ut plurimum ſolo manuum contactu, aut alio ad libitum aſſumpto ſigno fiat: neque conſequenter materiam determinatam exigit:

nam

eam Chriſtus ſolo vocis imperio, B. Petrus per ſuam umbram, S. Paulus per ſua linteamina ſupra vulnus appoſita ſanabant ægros, raro admodum ad hoc utebantur oleo; ſaltem non legitur in ſacra Scriptura hoc ſæpius contigiſſe. Additur: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*. Ecce promiſſio gratiæ, quæ tamen dono curationis non alligatur, cum Infideles non ſecus ac Fideles Apoſtoli ſanarent, illos quidem ut eis probarent myſteria eſſe credibilia, iſtos vero ut in fide, obſtrepente mundo, & ſæviente diabolo conſtanter permanerent. Quid plura adjiciam? Numquid erat promiſſio perpetua & infallibilis ſanitatis, quando Chriſtus præcepit curare infirmos? Abſit; alias ſanitas fuiſſet ſemper conceſſa, & uncti ab Apoſtolis nuſquam mortui fuiſſent, cum urgente & ingraveſcente morbo, ea potuiſſent ad ſanitatem cito-citius reſtaurandam uti: Quod autem hoc non ſit factum, nedum experientia evincit, ſed & probat ſanitatis inutilitas, cum eam quandoque ſaluti adverſari contingat, in quo caſu certe per miracula & ope divina non conceditur. Neque omittenda ſunt reliqua S Jacobi verba: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Audis Apoſtolum principaliter animæ ſalutis remedium promulgare. Igitur loquitur de unctione prorſus diſtincta a dono ſanitatum: Tametſi enim ea unctio quandoque etiam corporis operetur ſalutem, non tamen primario, ſed tantum ſecundario: ceterum animæ fideli & de peccatis contritæ gratiam ſemper confert, quod ſoli competit Sacramento, raro vero admodum corporis ſanitatem.

Inſtant: Atqui S. Jacobus non niſi de unctione ad corporis ſanitatem reſtaurandam tractat: Ergo &c. Probatur antecedens multipliciter. Primo quidem de ea loquitur unctione, quam ex Evangelio B. Marci didicerat, illam autem fuiſſe per ſe primo ad curationem corporis communior eſt apud Theologos ſententia. 2. Apoſtolus utitur terminis ad corporis ſanitatem ſpectantibus ἐγείρω & ἰάομαι. 3. Sermonem dirigit ad homines ſuæ ætatis, quo ſolum tempore donum curationum ad fidei propagationem affulgebat; non enim eſt promiſſio de tranſmiſſione hujus ſalutiferæ unctionis ad poſteros, quæ tamen conditio Sacramenti conſequitur inſtitutionem, ſicut legitur de ſacra Euchariſtia 1. Cor. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo: S. Jacobus accepit ab Evangelio S. Marci figurative unctionem quam prædicavit, concedo: accepit ſimpliciter & abſolute, nego. Unctio de qua Marci 6. ſermo habetur fuit figura Unctionis ſacramentalis juxta quorumdam ſententiam, & in hoc ſenſu, inquit Bellarminus hic Lib. de Extr. Unct. c. 3. " S. Jacobus accepit „ unctionem ſacramentalem, quatenus ſci- „ licet figura prænuntiat veritatem: di- „ ctum eſt autem a Chriſto Domino Ex- „ tremam Unctionem ſuam originem du- „ cere. „

Ad ſecundam probationem, ſimiliter diſtinguo: Et ex hoc quod S. Jacobus nonnihil loquatur de verbis ſanitatem corporum ſpirantibus, ſequitur Extremam Unctionem, quandoque, ſi animæ expedit, operari corporis medelam, concedo, operari primario & principaliter, nego. In quo ſenſu hoc ſit intelligendum, jam explicavimus. Addo familiare eſſe ſacræ Scripturæ uti verbo ἐγείρω per metaphoram ad ſignificandum pellere animæ mœrorem & triſtitiam, animæ ſocordiam ſic Rom. 13. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere* ἐγερθῆναι Eph. 5. *Surge* ἔγειραι. Quid plura adjiciam? Incaſſum Kemnitius ad verbum ἰάω recurrit, S. enim Jacobus eo non utitur ubi agit de Extrema Unctione, ſed infra cum ait: *Orate pro invicem, ut ſalvemini*: ibi enim legitur ἰαθῆτε.

Ad tertiam probationem diſtinguo: Non eſt promiſſio explicita pro duratione Extremæ Unctionis ad conſummationem uſque ſæculi, concedo: implicita, nego. Hoc ipſum ſufficienter explicavit, cum Matth. ult. dixit: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: ſcilicet per Sacramenta; de iis tamen, inquit S. Thomas hic 3. p. ſuppl. q. 2. art. 3. fit major expreſſio, quæ ad ſalutem ſunt magis neceſſaria, nimirum de Baptiſmo, de Pœnitentia & Euchariſtia.

Regerunt: Si D. Jacobi ſententia intelligeretur de Sacramento inſtituto a Chriſto, idem foret ritus nunc ungendi infirmos qualis erat tempore Apoſtolorum: Atqui

qui res non ſic ſe habet: Et probatur. Eccleſia illam unctionem iis ſolum qui animam agunt nunc adhibet, quocirca dicitur Extrema Unctio, tempore vero Apoſtolorum indiſcriminatim illis qui ſanandi vel non ſanandi erant, conferebatur. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Idem foret ritus quoad ſubſtantiam, concedo: quoad omnes circumſtantias, nego. Subſtantia in eo potiſſimum ſita eſt quod infirmus oleo ungatur ſub præſcripta verborum forma, qui ritus ex Traditinne Apoſtolorum acceptns, ad hæc uſque tempora perſeverat. Quod vero aliquid, ſervata Sacramenti eſſentia, addatur, vel detrahatur, nihil, facit ad rem. Non diffitemur Extremam Unctionem quandoque concedi ſenio cnnſectis, quia juxta vulgare adagium; *Summa ſenectus, ſummus morbus:* Attamen ſuit ab omni ævo in more poſitum ut non niſi infirmis periclitantibus daretur: Porro Extremæ Unctionis nomine celebratur iſtud Sacramentum. 1. Ex eo quod ſit ultima unctio reſpectu ceterarum unctionum quas in aliis Sacramentis recipimus, videlicet in Baptiſmo, in Confirmatione, & Ordine. 2. Quia datur infirmo in extremis poſito.

Inſiſtunt: Atqui ritus quo noſtris temporibus traditur Extrema Unctio, eſt eſſentialiter diverſus a ritu quem S. Jacobus mandavit: Ergo &c. Eſſentia ſacramenti oſtenditur penes Miniſtrum & materiam, ita ut ſi utrumque mutetur eſſentialiter, non eſt Sacramentum; nullus enim v. g. præter Sacerdotem poteſt conſecrare, nec ipſe Sacerdos in alia materia quam in pane hoc uſquam conficiet: ſed non eſt idem Miniſter qui nunc ſacram unctionem confert: non eſt quoque eadem materia, Ergo &c. Probatur antecedens. Primo quidem, S. Jacobus jubet adduci Presbyteros in Eccleſia, nos vero nnn niſi unum pro adminiſtranda Extrema Unctinne advocamus. 2. Apud ſanctum Jacobum altum eſt ſilentium de oleo benedicto, Eccleſia vero impræſentiarum utitur tantum oleo, & quidem benedicto a ſolo Epiſcopo in Occidente, a ſimplici vero ſaltem Sacerdote in Oriente. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego minorem: nomine quippe Presbyterorum intelligit S. Jacobus qualitatem Miniſtrorum non numerum, ſicut cum injungitur peccata deponi Sacerdotibus, non ſenſus eſt plures requiri, ſed ſolum neminem præter Sacerdotem poſſe abſolvere a peccatis. Poteſt etiam dici Apoſtolum exigere plures Sacerdntes ad benedicendum oleum, Epiſcnpus quippe cum Miniſtris ſanctum conficit Chriſma & oleum infirmorum: In Eccleſia Græca ſeptem Sacerdntes in unum congregati ſumunt de oleo lampadis coram ſanctiſſimo Sacramento fulgentis, quod & in vaſe ſeptiſormi reponunt: Tum quilibet ex ſeptem, alternata vice, variis repetitis orationibus, unum lampadis ramum oleo refertum benedicit ad unctionem infirmorum. Jam vero quod oleum ſit ab Epiſcopo vel ſimplici Sacerdnte bebenedictum, inſinuat ſanctus Jacobus his verbis: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*. Clemens L. 8. Conſtit. c. 35. docet Apoſtolos eſſe benedictionis olei auctores; Baſilius L. de Spiritu ſancto c. 27. & Beda in cap. 6. Epiſt. D. Jacobi aſſerunt benedictionem olei ex traditione Apoſtolica promanare.

Incaſſum quoque opponunt Proteſtantes Eccleſiam impræſentiarum quaſdam ungere corporis partes in homine, non eaſdem vero in mulieribus, quimmo Apoſtolum Jacobum hæc omnia ſilerc; nemo quippe nnn novit Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ poteſtatem determinandi in individuo ea quæ in Sacramenris multis non niſi in genere commendavit, ita tamen quod & materia, & forma convenienter adhiberentur, quod certe ſicut in aliis Sacramentis, ſic & in Extrema Unctione ad nos uſque ſemper ſervavit Eccleſia.

Sed contra, & ſic de novo inſurgunt: Unctio quam S. Jacnbus commendat, nullam conferr gratiam. Igitur nomine unctionis non intelligit proprie dictum novæ legis Sacramentum. Probatur antecedens. Spiritualem effectum non unctioni, ſed fidei tribuit his verbis: *Oratio fidei ſalvabit infirmum* Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probatinnem diſtinguo: Spiritualem effectum ſanctus Jacobus tribuit fidei, non excludendo unctionem, concedo, excludendo nego. Eo loci agit de ſacramento, unde materiam non ſecus ac formam commendat & unctionem præcipit. Qua fronte igitur Proteſtantes exſufflare volunt Ex-

tre-

Digitized by Google

tremam Unctionem a ratione ſigni practici gratiam producentis? Quia vero oracionem pro forma aſſignat Apoſtolus, non immerito fidei mentionem facit propter duo: 1. quia miniſter debet agere in fide Eccleſiæ, & juxta Chriſti intentionem 2. Ipſe infirmus debet habere fidem charitate formatam, quippe qui vivorum ſuſcipiat Sacramentum, quod eam exigit conditionem ad ſuum producendum effectum.

Solvuntur objectiones ex auctoritate Patrum prodeuntes.

OPPONUNT: Illud inter Sacramenta locum nun obtinet, quod primorum ſæculorum Patres vel ſilent, vel uti tale non habent. Atqui res ſic ſe habet pro Extrema Unctione: & probatur multis momentis. Primo quidem eam omittit Dionyſius Lib. de Eccleſ. Hierarc. ubi de Sacramentis tractat. Nec mirum; omne ſacramentum ex ipſo c. 3. eſt vel ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum; ſed nihil ex his Extremæ Unctioni convenit: non primum & ſecundum, ſoli quippe Baptiſmo tribuitur & purgatio & illuminatio; ſed nec tertium, cum perficere divinam ſpectet Euchariſtiam. Secundo Clemens Romans in libris Conſtit. Apoſt. illam quoque ſilet. Tertio Decentius Epiſcopus, qui quinto florebat ſæculo, iſtud Sacramentum ita ignorabat, ut ab Innocentio I. expoſtulet edoceri de illa cæremonia. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem; conſtat enim ex probationibus, Patres agnoviſſe Extremam Unctionem ut Sacramentum. Ad primam probationem diſtinguo: Dionyſius eo loci omittit Extremam Unctionem, quia agit ſolum de Sacramentis quæ relatiunem habent ad Hierarchiam, maxime ad Miniſtros quibus competunt operationes Hierarchiæ, concedo: omittit negando eſſe Sacramentum, nego. Cum aliquis juxta ſuum ſcopum unum pertractat, non inde ſequitur aliud negare quod ſilet: Dionyſius ea ratione ſilet etiam & Pœnitentiam, & Matrimonium. Ergo e numero Sacramentorum ſunt expungenda? abſit dicere. Ad id vero quod dicitur, purgare, illuminare & perficere, non convenire Extremæ Unctioni, diſtinguo: Non convenit ita perfecte ſicut Baptiſmo, & Euchariſtiæ, concedo: nullo modo, nego. Et vero huic ſacramento tribuitur quod gratiam conferat, ſaltem quoad augmentum, & remiſſionem peccatorum venialium operetur.

Solutio eſt Divi Thomæ hic 3. part. ſuppl. q. 29. art. 1. ad 3. ubi ſic reſpondet ad argumentum. " Dicendum quod
,, Dionyſius non facit aliquam mentionem
,, de Extrema Unctione, ſicut nec de Pœ-
,, nitentia, nec de Matrimonio: quia ipſe
,, non intendit determinare de Sacramentis,
,, niſi quatenus per ea innoteſcere poteſt
,, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinata diſ-
,, poſitio, quantum ad miniſtros & actiones
,, miniſtrorum, & recipientes. Tamen
,, cum per Extremam Unctionem aliquis
,, conſequatur gratiam & remiſſionem pec-
,, catorum, non eſt dubium quod Extre-
,, ma Unctio habet vim illuminativam
,, & purgativam, ſicut Baptiſmus, quamvis
,, non ita plenam. ,,

Ad alteram probationem eadem eſt reſponſio: Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum nedum Extremam Unctionem, ſed & Euchariſtiam omiſit. Quorſum igitur utrumque ſilet? niſi quia de his pertractare non erat animus, nec exigebat inſtituti ratio: ſicut igitur ex ejus de Euchariſtia ſilentio non concludi poteſt Euchariſtiam non eſſe Sacramentum, idem & de Extrema Unctione dicendum, maxime cum Origenes, qui tertio florebat ſæculo, & conſequenter optime noverat quæ primo & altero ſæculo erant in uſu, Homil. 2. in Levit. Extremam Unctionem ut Sacramentum celebret.

Ad tertiam auctoritatem diſtinguo: Decentius poſtulavit edoceri de ritu Extremæ Unctionis, concedo: de eſſentia, nego. Decentius dubitabat 1. Num iſtud Sacramentum a ſolis Presbyteris adminiſtrandum foret, cum de Epiſcopis non loquatur S. Jacobus? 2. Utrum pœnitentibus nondum reconciliatis conferendum eſſet, cum hujus Sacramenti effectus ſit peccata quædam remittere? num denique laici ad pellendos corporis morbos ſeipſos inungere poſſent? Sed & iſtę quæſtiones ne minimum quidem eſſentiæ Sacramenti adverſantur; nam & poſt ipſum non ignoti nominis Theologi diſputarunt num Extrema Unctio immediate ſit a Chriſto, an ab Apoſt. ex Chriſti commiſſione inſtituta? num oleo abſolute debeat

eſſe

eſſe ab Epiſcopis conſecratum? Contendunt multi ſufficere ut ſit a ſimplici Sacerdote benedictum, & uſus iſte apud Græcos invaluit. Alii omnes ſenſus inungendos volunt; alii unius unctionem cum forma generali ſufficere autumant. Sed quid ad rem Theologorum Scholaſticorum opiniones? Singuli conveniunt I. Extremam Unctionem eſſe ſacramentum. II. Materiam ex qua conſtat, eſſe oleum: formam vero, divinæ virtutis invocationem. III. Illius miniſtros eſſe Sacerdotes. IV. Eam ex opere operato delere peccata. An autem immediate tantum, ut voluerunt Hugo a ſancto Victore, Lombardus, & S. Bonaventura, inſtituta fuerit a Chriſto: an conſecratio olei ſit de neceſſitate Sacramenti: an ſanitas corporis per eam reſtituatur ex opere operato? quæſtiones ſunt quas Eccleſia, ſalva fide Catholica, Theologis permiſit agitare. Quocirca adhærere juvat iſti oraculo Auguſtini, qui Lib. 1. contra Julianum c. 6. ait: " Alia " ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam " doctiſſimi atque optimi regulæ Catho- " licæ defenſores, ſalva fidei compage, " non conſonant, & alius alio de una " re melius aliquid dicit & verius. Hoc " autem de quo nunc agimus, ad ipſa fi- " dei pertinet fundamenta. " Dicendum tamen eſt propter definitionem Concilii Tridentini Extremæ Unctionis ſacramentum fuiſſe viva voce ab ipſo Chriſto inſtitutum, & a Divo Jacobo promulgatum. Ceterum dato & non conceſſo, Decentium Extremam Unctionem vel ex ignorantia, vel ex inadvertentia, vel etiam ex dubio inficiatum fuiſſe, Patrum primorum ſæculorum ſententia corrigitur ille Præſul, tum ab ipſo Innoc. reſpondente illum dubitaſſe ubi non erat dubitandi locus: " Quod " *inquit*, non eſt dubium &c. Cete- " rum illud ſuperfluum videmus objectum " &c. "

Inſtant Heterodoxi: Atqui Patres Extremæ Unctionis cæremoniam ut Sacramentum infirmis conferendum non habuerunt. Ergo &c. Probatur antecedens: Nullus inter Patres ſex priorum ſæculorum, & Hiſtoricos, qui obitum Sanctorum ſcripſerunt, de Extrema Unctione eis adverſus obſtrepentes dæmones collata meminit: quod argumentum eſt ideo ſiluiſſe, quia eam non habebant ut Sacramentum: ergo &c. Probatur antecedens multis momentis. Primoquidem Extremam Unctionem ſilet Gregorius Nazianzenus oratione 11. eaque funebri ſororis ſuæ Gorgoniæ, tametſi accurate referat quæ pie egit, maxime dum animam agebat; eamdem ſilet in oratione de Gregorio Patre ſuo, de Baſilio, quamvis fuſo calamo eorum ultimos dies deſcribat; eam quoque ſilet ſanctus Gregorius Nyſſenus, & hoc in iis locis ubi Gregorii Neocæſarienſis, Macrinæ ſororis mortem recenſet: quin immo S. Hieronymus eam omittit, dum Nepotiani, Lucinii, Marcellæ, Aſellæ, Paulæ, & aliorum obitus litteris commendat. Quid plura? vel ipſe ſanctus Auguſtinus eam ſilet Lib. 9. ſuarum confeſſionum, ubi commemorat ſuæ matris mortem. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Omnes priorum ſæculorum Patres ſilueruut Extremam Unctiunem, nego: aliqui, ſubdiſtinguo: ex eo quod non exigebat eorum ſcribendi ſcopus, concedo: quia de facto eam non habebant ut Sacramentum, nego. Certum eſt quod ab omni Chriſtianæ religionis ævo infirmos ungendi obtinuerat uſus: nihil autem roboris ex ſilentio aliquorum detrahitur pro iſto aſtruendo Sacramento propter multa. 1. Quia argumentum negativum jejunum eſt, maxime cum, aliis ſilentibus aliquid, alii omni exceptione majores hoc ipſum propugnant: liquet autem ex probationibus, Patres omnium ſæculorum Extremam Unctionem ut Sacramentum habuiſſe. 2. Aliud eſt ſilere uſum, aliud ipſam rem. Patres obitus piorum deſcribentes, quandoque prætererunt cæremoniam Extremæ Unctionis, quia illam ſupponebant, ea potiſſimum ratione ducti, quod nulla de hoc momento moveretur controverſia: immo loquendo de quibuſdam Sacramentis, vel ipſam, ut dictum eſt, omiſere Euchariſtiam: & tamen ex illa omiſſione Proteſtantes eam ex albo ſacramentorum non expungunt. Cur igitur & propter leviſſimam omiſſionis ab aliquibus rationem, Extremam Unctionem ab eodem numero exſufflabunt? Hæc reſponſio ulteriori poteſt illuſtrari exemplo D. Bernardi, qui dubio-procul antequam ultimum clauderet diem ſacro delibutus eſt oleo, inquit Bellarminus hic, cum conſtet ex vita S. Malachiæ quam conſcri-

ſcripſit, eum plurimi feciſſe iſtam unctionem, & tamen litteris non eſt proditum, quod moriens iſtud ſuſceperit Sacramentum. 2. Nec Euſebius qui L. 3. de Conſtantini vita ſanctæ Helenæ obitum refert, nec Gregorius qui Gorgoniæ, nec Nazianzenus qui S. Baſilii: immo nec ſcribunt, iis datum fuiſſe ſanctiſſimum Viaticum, quod piis in exitu vitæ ſemper conceſſum tradunt Hiſtorici ſacri: ſicut igitur ſupponunt illud Sacramentum datum Patres & Scriptores Eccleſiaſtici, ſic & illud de quo movetur controverſia.

Urgens: Si Patres Extremam Unctionem ut Sacramentum habuiſſent, citra dubium Concilia antiqua in ſuis viciſſim definitionibus eam commemoraſſent. Atqui tamen illam ſiluerunt: & probatur. Cabillonenſe II. inter Concilia primum eſt quod de ea tractet; ſed hoc non ſufficit ut auctoritate Conciliorum veterum Extrema Unctio dicatur ſuffulta ut ſacramentum: & probatur multis: 1. non obſtante canone Concilii Cabillonenſis gloſſa capitis, *Vir autem* extra *de ſecundis nuptiis:* negat Extremam Unctionem eſſe ſacramentum. 2. Unctio in antiquioribus temporibus apud Patrum ſcripta familiaris, erat tantum ad corporis medelam, & ſanitatis donum ſpectabat, juxta illud Marci ultimo: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Hoc ipſum conſtat ex Tertulliano Lib. ad Scapulam c. 4. ex Sulpitio in vita S. Martini, ex Gregorio Turonenſi Lib. 1. c. 26. immo & ex forma qua tunc temporis adminiſtrabatur unctio, quam fuſe refert Caſſander art. 22. ſuæ conſultationis. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Concilia antiqua ſiluerunt Extremam Unctionem; eo quod nulla tunc temporis de iſto ſacramento moveretur controverſia, concedo: eo quod Eccleſia Extremam Unctionem ut ſacramentum non haberet, nego. Ne unum quidem Concilium reperies adunatum abſque aliquo vel diſciplinæ vel dogmatis puncto definiendo, propter diviſas hinc inde opiniones. Ipſum Concilium celebre Apoſtolorum congregatum eſt occaſione obmurmurationis Judæorum ad fidem Chriſti converſorum, qui circumciſionem & pro ſe, & pro Gentilibus factis Chriſtianis ſervandam eſſe ducebant; quocirca definitum eſt, afflante Spiritu ſancto, eam non amplius obligare, cum legi veteri nova, ut veritas omnem eliminans & umbram & figuram, ſubſtituta eſſet: ſed ut primum emerſit aut diſceptationis, aut inſtructionis locus, eam in inſtructione Armenorum inter Sacramenta recenſet Florentinum: eamdem vero eſſe Sacramentum adverſus Proteſtantes obſtrepentes de fide definit Tridentinum.

Iſambertus hic diſp. 1. art. 4. ſic reſpondet ad difficultatem propoſitam: " Sancti „ Patres, *inquit*, Innocentius I. Chryſo- „ ſtomus, Auguſtinus, & alii pro noſtra „ propoſitione relati articulo 2. hujus diſ- „ putationis, floruerunt longe ante ſe- „ cundum Cabillonenſe Concilium, ut pa- „ tet ex Annalibus Eccleſiaſticis; & ta- „ men illi omnes meminerunt hujus un- „ ctionis infirmorum, tamquam alicujus „ novæ legis Sacramenti, ut conſtat ex „ relatis eorum teſtimoniis. Nec ex eo quod „ prima Concilia univerſalia non memine- „ runt Extremæ Unctionis, bene colligi- „ tur eam non eſſe Sacramentum, cum hoc „ argumentum ſit ab auctoritate negativa; „ quia vero de Extrema Unctione nondum „ mota fuerat controverſia ab aliquo Hæ- „ retico, nihil de ea dixerunt, ſcilicet, „ *inquit* Hieronymus Epiſt. 65. ad Pam- „ machium & Oceanum de erroribus Ori- „ genis in ſimili re ad fidem ſpectante, „ de qua tamen prima Concilia nihil de- „ finierant. *Uno medicamine omnes ſimul* „ *morbos debere curari, confeſſi ſunt quod* „ *negabatur: tacuerunt de quo nemo quæ-* „ *rebat.* „

Ad primam probationem diſtinguo minorem: Definitio Concilii ſecundi Cabillonenſis non ſufficit pro aſtruendo Extremæ Unctionis dogmate, ſi non ſit in Traditione fundatum, concedo: ſi ſit, nego. Conſtat autem Canonem hujus Concilii fuiſſe Traditionis calculo munitum, & Patres tunc temporis confeſſos fuiſſe quod aliqui in dubium revocabant.

Ad auctoritatem Gloſſæ, *inquit* Iſambertus ibidem, *Vir autem* extra *de ſecundis nuptiis*, reſpondet Joannes Andreas ſuis ad illum locum commentariis: " Mentem „ Gloſſæ eſſe, ſolummodo Extremam Un- „ ctionem non eſſe Sacramentum chara- „ cterem imprimens, quod verum eſt, & „ proinde poſſe iterari; ibi enim agit tan- „ tùm de illius iteratione: poteſt tamen „ addi Gloſſam ibi decipi, quando confun- „ dit Extremam Unctionem cum reconci- „ liativa impoſitione manuum, quæ ſupra „ pœnitentes publicos ſemel tantum fiebat; „ hæc

„ hæc enim erat tantum quædam cæremo„ nia Eccleſiæ, & non ſacramentum, ut „ notavimus tam agendo de Sacramento „ Confirmationis, quam de ſacramento Pœni„ tentiæ: unde etiam in nova editione juris „ Canonici juſſu Gregorii XIII. emendata, „ locus iſte Gloſſæ eſt ad marginem notatus „ correctus. „

Ad alteram probationem diſtinguo: Et unctio curativa erat prorſus diſtincta ab unctione ſacramentali, concedo: & erat quid indiſtinctum, nego. Jam inter utramque diſcrimina protulimus. Subſcribit ſolutioni noſtræ Iſambertus ibidem jamjam laudatus. " Ad unctionem illam curativam, *ait*, cu„ jus antiqui Patres paſſim meminerunt, „ reſpondetur illam fuiſſe omnino aliam ab „ hac noſtra. Illa enim ſæpe fiebat a non „ Sacerdote, ut a ſancto Hilarione apud „ ſanctum Hieronymum in ejus vita, item „ ad quoſcumque morbos, & vulnera etiam „ Infidelium, ut patet ex Tertulliano ad „ Scapulam c. 4. ubi refert Proculum Chri„ ſtianum ſanaſſe Severum Imperatorem o„ leo. Nullam item habebat formam ora„ tionis determinatam, ſed aliquando eo „ ipſo quo oleum benedictum applicabatur „ vulneri, ſanabat illud; nec Tertullianus „ ſupra facit mentionem alicujus orationis. „ Ad Caſſandrum dico fidem non eſſe ei adhibendam, quippe qui unctionem ſacramentalem cum ſanativa corporis confundat.

Proponuntur ſimul & ſolvuntur difficultates Heterodoxorum, ex variis rationibus excerptæ.

Objiciunt: Ideo Extrema Unctio a Romanis Catholicis ut Sacramentum celebratur, quia apud ſanctum Jacobum fit mentio de oleo, quod ut ſignum gratiæ practicum habent: ſed hæc ratio nulla eſt; & probatur multis momentis. Primo, Marci 6. fit mentio de oleo ab ipſo Chriſto commendato, & tamen non habetur etiam juxta multos Theologos ut ſacramentum. Secundo, præter oleum infirmorum etiam datur oleum Catechumenorum vel in ipſa Eccleſia Romana, quod tamen nemo dixerit ſacramentum: pari & ſimili ratione nec Unctionis Extremæ oleum dicendum eſt, ſicut nec lutum quo Chriſtus cæcum illuminavit. Tertio, Chriſtus ipſe illo non uſus eſt oleo, tametſi uſus ſit aqua, & baptizari voluerit: quod argumentum eſt Extremam Unctionem non eſſe ſacramentum. Quarto, ſacramenta veteris legis erant ſacramentorum novæ legis figuræ: ſed nullum præfiguravit Extremam Unctionem. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem patet ſolutio ex dictis: dato enim & non conceſſo, unctionem de qua Marci 6. fit mentio, non eſſe Sacramentum, non inde ſequitur alteram a Divo Jacobo celebratam non eſſe, quandoquidem eo loci adeſt promiſſio gratiæ, determinatur materia & forma, aſſignatur & pro miniſtro Sacerdos, cum tamen vel ipſe laicus poſſit ſeipſum ungere oleo benedicto ad medelam corporis, ut non ſemel factum fuiſſe infra dicemus.

Ad ſecundam probationem, nego utriuſque facti paritatem. Et vero oleum Catechumenorum nec in Scriptura ſacra, nec apud Patres celebratur ut ſacramentum, ſicut oleum infirmorum; ad ſummum enim ſpectat diſpoſitionem ad Baptiſmum ſuſcipiendum. Solutio eſt Divi Thomæ hic 3. p. Suppl. q. 29. art. 1. ad 1. his verbis: " Di„ cendum quod oleum quo Catechumeni „ inunguntur, ſua unctione non perducit „ ad peccati remiſſionem, quia hoc ad Ba„ ptiſmum pertinet: ſed aliquo modo ad „ Baptiſmum diſponit, ut ſupra dictum eſt; „ & ideo illa unctio non eſt ſacramentum, „ ſicut Unctio Extrema. „ Neque vero magis urget factum luti a Chriſto appoſiti oculis ad illuminationem; namque ad medelam mere corporalem, eamque prorſus miraculoſam adhibitum eſſe conſtat, nuſquam vero ad ſacramentum: & hoc non una evincit ratio. Primo, materia Sacramentorum ex S. Thoma & omnibus Theologis, quamdam debet habere convenientiam ad effectum vi Sacramenti producendum: ſic aqua apta ad corporis lotionem, optime ſignificat lotionem animæ interiorem; cum, teſte Sancto Auguſtino, ſignum præter ſpeciem ſui quam ingerit ſenſibus, faciat aliud in mentem venire, lutum vero non ſolum convenientiam cum oculi illuminatione non habet, ſed manifeſte appoſitum oculis obcæcat. Secundo, aliud eſt miraculum, aliud ſacramentum; illud tranſit, nec eſt indiſcriminatim pro omnibus: iſtud e contra. Tertio, nec forma, nec inſtitutio, nec promiſſio gratiæ pro luto ſicut pro oleo habetur; quocirca a ratione ſacramenti excidit

lutum,

Digitized by Google

lutum, ſed non oleum infirmorum.

Ad tertiam diſtinguo: Chriſtus non uſus eſt Extrema Unctione, ex eo quod non conveniret, concedo: ex eo quod non foret ſacramentum, nego. Chriſtus quibuſdam uſus eſt ſacramentis ad exemplum, ut Baptiſmate quod eſt ceterorum janua, non quidem ex neceſſitate, cum impeccabilis eſſet, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus, ut habetur in Epiſt. ad Hebr. ſed ut ſanctificaret aquas; uſus eſt & Euchariſtia, quæ eſt maximi erga nos amoris argumentum, ſed non Confirmatione, cum ab ipſa conceptionis aurora plenus gratia exiſteret; a fortiori nec Pœnitentia & Extrema Unctione, quæ ſunt ſacramenta inſtituta primario ad remiſſionem peccatorum actualium; immo neque Ordine, erat enim unctus unctione ſubſtantiali præ participibus ſuis, ut ait Apoſtolus Hebr. 1. Sufficit igitur ut quibuſdam ad exemplum uſus fuerit. Non ideo igitur alia a ſacramentorum numero expuncta ſunt, tametſi iis non uſus fuerit; vel ipſi Proteſtantes ultro fatentur Chriſtum fuiſſe Sacerdotem magnum: nullus tamen eorum dixerit illum ſuſcepiſſe Ordinationis cæremoniam, quam tamen multi ex eis ut Sacramentum habent.

S. Thomas ibidem art. 3. ad 3. ſic reſpondet ad objectionem. „ Dicendum quod Chriſtus non exhibuit aliquod ſacramentum, niſi quod ipſe accepit in exemplum: accipere autem Pœnitentiam & Extremam Unctionem ſibi non competebat, quia ſine peccato erat; ideo ipſe non exhibuit. „

Ad quartam diſtinguo: Veteris legis ſacramenta Extremam Unctionem non prænunciabant explicite, concedo: implicite, nego. Extrema Unctio eſt diſpoſitio proxima ad gloriam, quocirca explicite non præfigurabatur in veteri Teſtamento, eo quod nihil ad perfectum conduceret lex: fuit tamen adumbrata per purificationes legales. Iſta reſponſio eſt S. Thomæ ibidem art. 1. ad 2. „ Dicendum, *inquit*, quod hoc ſacramentum immediate hominem ad gloriam diſponit, cum exeuntibus a corpore detur: & quia in veteri lege non erat adhuc tempus perveniendi ad gloriam, quia neminem ad perfectum adduxit lex: ideo iſtud Sacramentum ibi præfigurari non debuit per aliquod Sacramentum ſibi reſpondens, ſicut per figuram ejuſdem generis: quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum ſit in omnibus curationibus quæ leguntur in veteri Teſtamento. „

Inſtans: Sacramentum ineffabilem habet cum ſuo effectu connexionem: ſed hoc in Extrema Unctione a Divo Jacobo promulgata deficit. Igitur non obſtantibus allatis rationibus, non poteſt dici ſacramentum. Probatur minor: Medela corporis Jacob. 5. annuntiatur ut effectus principalis; ſic enim habetur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Cuncta hic æqua lance ponderanda ſunt. Primo quidem motivum & occaſio unctionis eſt morbus corporalis: *Infirmatur quis &c.* Secundo, ex eo quod ungatur infirmus, oratio fidei ſalvat infirmum, hoc eſt, ſanat, & a morbi gravamine eum ſublevat Dominus. Tertio, veluti pro ſecundario effectu notat Apoſtolus peccatorum remiſſionem: hinc quaſi per additum ait: *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Sed quotidiana probat experientia infirmum, tametſi oleo ſacro delibutum, non ſemper ſanari, immo ſæpius migrare e vita. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Sacramentum infallibilem habet cum ſuo primario effectu connexionem, concedo: cum ſecundario, ſubdiſtinguo: ſi vel Eccleſiæ utilitas, vel recipientis ſalus hoc exigat, concedo: ſin minus, nego. Primarius ſacramenti effectus eſt gratiæ ſanctificantis infuſio aut augmentum, illumque, modo recipiens non ponat obicem, producit. Secundarius quandoque eſt prophetia, gratia ſanitatum; ſimileſque gratiæ gratis datæ: Non ſemel ipſius corporis ſanitas, multis fide plenis conceſſa eſt. Confirmatio prioribus ſæculis dabat operationem mirabilium: Apoſtoli imponebant manus, & Spiritus ſanctus deſcendebat ſuper confirmatos; loquebantur linguis, tum prophetabant, ut habetur Act. 8. quæ quidem ſigna poſt fidem firmatam & promulgatam ceſſarunt, tametſi non ſemel eadem fecere, prout exegit neceſſitas, in primis S. Gregorius Thaumaturgus, Sanctus Franciſcus de Paula, alter Sanctus Franciſcus, ſcilicet Xaverius. Nonnumquam etiam divina Euchariſtia per modum viatici accepta incorruptibilitatis donum in corpore

 mul-

multorum ſanctorum operata eſt, cum corpus S.Claudii Veſuntionis Epiſcopi incorruptum ad hæc uſque tempora conſpiciatur; & ſic de aliis. Ne miremini igitur, ſi Extrema-Unctio habeat etiam pro effectu ſecundario corporis ſanitatem, quem tamen non producit ſemper, niſi exigat ſumentis ſalus. Dico ſecundarium, cum in hoc ſit diſtincta a gratia gratis data curationum quæ eſt tantum ad iſtum effectum producendum. Namque Extrema-Unctio habet omnia requiſita ad rationem Sacramenti, ut jam non ſemel dictum eſt, & conſequenter per ſe primo ordinatur ad medelam animæ: poteſt tamen dici ſemper producere corporis ſanitatem quantum ad aliquid, videlicet ad aliquam alleviationem & conſolationem, qua mens erecta & ſublevata non ita corporis infirmi pondere premitur, ut de ſalute complenda non poſſit cogitare. Igitur hujus Sacramenti efficaciam habet ægrotus, ut e terrenis erectus, læto ad aliam vitam, immo & alacri animo tranſeat.

Ex ſacra Synodo Tridentina iſtæ colliguntur ſolutiones; ſic enim loquitur Seſſ. 14. cap. 2. de effectu Extremæ-Unctionis: “ Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti: cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando; quia infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur. „ Quibus verbis ſit ſatis omnibus rationibus in objectione allatis. Ad probationem enim prioris argumenti negatur ſanitatem corporalem eſſe primarium Extremæ-Unctionis effectum: hoc enim ſolummodo competit gratiæ gratis datæ, quæ gratia ſanitatum vocatur. Unctionem autem a Divo Jacobo commendatam eſſe Sacramentum, & quidem ab unctione curationum prorſus diſtinctum, ea omnia evincunt, quod ejus materia & forma determinentur, quod ſolum pro miniſtro habeat Sacerdotem: e contra vero altera non ſemel a laicis data legitur.

Perſiſtunt: Ritus Sacramenti immutabilis eſt. Sed ritus Unctionis Extremæ non eſt talis: Et probatur 1. initio Apoſtoli oleo ſimplici ungebant, poſtea uſus invaluit conſecrare oleum. 2. Patres priorum temporum illo utebantur oleo ad curandos infirmos, quod non ſine miraculo factum eſt, ut patet ex miraculis quæ narrantur patrata per oleum benedictum a ſancto Martino, aliiſque piis viris, ut referunt Sulpitius in vita ſancti Martini, Palladius Hiſtoria Lauſiaca, Theodoretus Hiſtoria religioſa. 3. Tandem cum miracula ceſſarunt, ne otioſa maneret Unctionis cæremonia, Felix III. voluit ungi infirmos, ex quo liquet Unctionem Extremam, non aliam habere originem quam ex unctione curationum, & conſequenter ad ſummum aut eſſe ab ea indiſtinctam, aut ad eam ſpectare.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Ritus adminiſtrandi Extremam-Unctionem infirmis non fuit ſemper idem quoad ſe & ſubſtantiam, nego: quoad circumſtantias, ſubdiſtinguo; leviores, tranſeat: eſſentiales & integrales, nego. Duo ſunt in quolibet Sacramento conſideranda, videlicet id quod eſt eſſentiale, & id quod eſt ad majorem ſolemnitatem: ultro fatemur primis Eccleſiæ temporibus, propter perſecutiones horrendas, breviores fuiſſe & Sacramentorum, & ſacrificii Miſſæ cæremonias, quæ, reddita Eccleſiæ pace, ſolemniori pompa factæ ſunt; ita tamen quod nihil eſſentiale uſquam omiſſum ſit: Et ſicut de reliquis Sacramentis, ſic de Extrema-Unctione aſſerimus atque propugnamus.

Jamvero ſi de benedictione ſermo ſit, diximus ſupra, S. Jacobum innuiſſe oleum eſſe benedicendum his verbis: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*. Addo S. Clementem, L. 8. Conſt. cap. 35. tribuere Apoſtolis doctrinam de oleo benedicendo: idem propugnare S. Baſilium L. de Spiritu ſancto cap. 27. idem Bedam in c. 5. D. Jacobi.

Ad alteram probationem ſimiliter diſtinguo: Patres prioribus Eccleſiæ ſæculis utebantur oleo ad curandos morbos, ſed extra Sacramentum, concedo: eodem ritu ſacramentali, nego. Oleum benedictum eſt ſolum materia Sacramenti Extremæ-Unctionis, ſed ut ſacramentum unctio evadat, fieri debet a Sacerdote ſub præſcripta verborum forma: quod igitur aliqui Sancti, iſto titu

cu.ii-

omiſſo, quandoque ad curandos infirmos uſi ſint, non inde confundenda eſt unctio ſacramentalis cum ſimplici curativa.

Bellarminus hic L.1. de Extr. Unct.cap.6. ſic reſpondet ad argumentum: “ Quod ve-
„ ro cæremonia ungendi infirmos per mo-
„ dum Sacramenti, nata ſit ex unctione
„ illa quæ per modum miraculi operaba-
„ tur, non probat Kemnitius, niſi quia
„ ſic ipſe exiſtimat. Sed nos contrario mo-
„ do conjicimus factum eſſe progreſſum iſtum
„ olei, nimirum ex eo quod in ſacramen-
„ to Extremæ-Unctionis ſæpe accidebat, ut
„ homines curarentur; inde cœperunt qui-
„ dem viri ſancti etiam extra ſacramen-
„ tum uti oleo, non quidem ab Epiſco-
„ po benedicto ad uſum Sacramenti, ſed
„ ſimpliciter ſigno crucis ab ipſis ſanctifi-
„ cato, ad curandos morbos. Quo etiam
„ modo videmus factum in aqua, quia
„ in Baptiſmo aliquando curabantur ho-
„ mines ab ægritudine corporali, ut Au-
„ guſtinus teſtatur in Epiſtola 23. & nar-
„ rat ipſe exempla quædam hujus rei L.
„ 22. de civ. Dei cap. 8. Inde cœperunt
„ multi etiam extra Baptiſmum uti a-
„ qua benedicta ad curandos morbos, cu-
„ jus rei multa exempla extant apud eoſ-
„ dem auctores, Palladium, Theodore-
„ tum, & alios. „

Adſunt verba S. Auguſt. quantum ad baptiſmum: “ Curubitanus, *inquit*, non
„ ſolum a paralyſi, verum etiam ab in-
„ formi pondere genitalium, cum bapti-
„ zaretur, ſalvus effectus eſt; & libera-
„ tus utraque moleſtia tamquam mali ni-
„ hil habuiſſet in corpore, de fonte rege-
„ nerationis aſcendit. „ Pergit ibidem pro oleo benedicto, quo plures uncti a languoribus ſanati fuere & a dæmonibus liberati: “ Hipponenſem, *inquit*, quamdam
„ virginem ſcio, cum ſe oleo perunxiſſet,
„ cui pro illa orans Presbyter inſtillaverat
„ lacrymas ſuas, mox a dæmonio fuiſſe ſa-
„ natam. „

Replicant: Quod ab Hæreticis promanat, e numero ſacramentorum expungendum eſt: Atqui unctionis cæremonia abſque curationis dono ortum habet ab Heterodoxis: Et probatur. Primi, inquit Kemnitius apud Bellarminum ibidem, qui cœperunt uti cæremonia unctionis per modum Sacramenti ſine dono curandi, fuerunt Hæretici Valentiniani, ut patet ex Irenæo L. 1. cap.18. Ergo.

Reſpondeo negando minorem: tametſi multa non referantur Antiquorum facta, quibus eos uſos fuiſſe Sacramento Extremæ-Unctionis conſtet, non inde ſequitur ejus apud Veteres non invaluiſſe uſum: ſed hoc ſupponitur eo ipſo quo probatur priorum ſæculorum Patres habuiſſe Extremam-Unctionem ut Sacramentum. Ad probationem ſic loquitur Bellarminus loco mox citato: “ Reſpondeo,
„ *inquit*, Hæreticorum illorum ritus a noſtro
„ diverſiſſimus fuit. Illi enim ungebant non
„ moriturum, ſed jam mortuum, ut patet
„ ex collatione hujus loci Irenæi cum Epi-
„ phanio hæreſ.36. Quod enim Irenæus di-
„ cit, ungi ſolitos ab Hæreticis ad finem
„ defunctionis, quod ambiguum eſſe pote-
„ rat, Epiphanius aperte dicit, ungi ſoli-
„ tos ipſos defunctos. Præterea illi unge-
„ bant aqua, & oleo ſimul mixti, ut eſſet
„ illa unctio loco Baptiſmi, nos autem ſe-
„ paramus hanc unctionem a Baptiſmo, nec
„ miſcemus aquam cum oleo. Denique illi
„ utebantur inauditis quibuſdam, & horri-
„ bilibus verbis Hebraicis, cum nos prece
„ ſimplici & apertiſſima utamur. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Extrema-Unctio eſt novæ legis Sacramentum.

PRIMO: Hoc ipſum clare habetur Jacobi 5. his verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Secundo: Eamdem veritatem docent, Tertullianus L. 1. contra Marcionem, Origenes Homil. 2. in Levit. S. Chryſoſtomus L. 3. de Sacerdotio, Innocentius I. Epiſt. ad Decentium, Auguſtinus L. 5. de Bapt. cap. 20. & alii. Ita definiere, Concilium Cabilonenſe; Moguntinum, Florentinum, in primis Tridentinum Seſſ. 14. cap. 1. Idem atteſtunt manuſcripti Codices: in primis Pontificale Anglicanum annorum 900. Pontificale Trecenſe ann. 850. Et idem omnia Launoii Ritualia referunt. Idem Eccleſiæ Orientales conclamant. Simeon Theſſal. de Sacramentis p. 63. Gregorius Protoſyncellus in appendice dogmatum Eccleſiæ p.259. & 260. Arcudius L. 5. de Extr. Unct. cap. 4. in primis Renaudotius L. 5. perp. fidei cap. 1. 2. ubi multo plura de ſententia Orientalium refert.

DISSERTATIO SEXTA DE NATURA SACRAMENTI ORDINIS.

Utrum Ordo ſit novæ Legis Sacramentum?

CALVINISTAE e numero SacramentorumOrdinem tollunt. Sed contra quod dicit Apoſtolus Timotheo Epheſiorum Epiſcopo 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.*

Dogma Sacramenti Ordinis multis probatur argumentis.

PRIMO, Ex Scriptura ſacra.
Secundo, Ex Traditione Patrum.
Tertio, Ex Ordinationibus Eccleſiarum Occidentis, & Orientis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Ordo ſit novæ legis Sacramentum proprie dictum.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur omni argumentorum genere.

SACRAMENTUM novæ legis eſſentialiter eſt ſignum ſacrum, cui ex promiſſione Dei, annexa eſt gratia quæ ſanctificat animas: Atqui Ordo hanc habet eſſentiam & naturam. Igitur eſt verum & proprie dictum novæ legis Sacramentum. Probatur minor, in qua ſolum eſt difficultas.

§. I.

Primo ex Scriptura ſacra.

ACTUUM 6. legitur de Ordinatione ſeptem Diaconorum: *Placuit ſermo coram omni multitudine: Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus.*

Rurſus ibidem 13. *Dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.*

Rurſus ibidem cap. 14. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros.* In textu græco habetur Χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους. Et de facto apud Græcos Miniſtri Ordinatio vocatur Χειροτονία vel χειροθεσία, ideſt manus extenſio, ſeu impoſitio.

Rurſus 1. ad Timoth. 4. Apoſtolus ſic alloquitur diſcipulum quem Epiſcopum conſecraverat: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* Quod autem eo loci beatus Paulus, nomine Presbyterii, intelligat non ſimplicem Sacerdotem, ſed Epiſcopum conſecrantem & ordinantem aliquem, eſt ſui ipſius interpres v. ad eumdem Tim. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Audis Paulum inter Epiſcopos celeberrimum, ordinaſſe Timotheum Sacerdotem ſimul & Epiſcopum.

Rurſus Ad Eph. 4. idem Gentium Doctor ſic effatur: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*. In quatuor prioribus locis eſt ſignum, videlicet manus impoſitio: huic ſigno gratia annexa legitur, ideo enim orantes & jejunantes Apoſtoli manus impoſuerunt, & ſuper Diaconos electos, & ſuper Barnabam & Paulum ut pro miniſterio digne adimplendo gratiam ſuſciperent: Ipſe Paulus ſuam prodit de hoc momento mentem, loquendo de Ordinatione Timothei, dicendo: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum*. S. Leo Epiſt. 81. ad Dioſcorum in eo prorſus ſenſu explanat locum mox Act. 14. laudatum. Demum S. Paulus diſtinguit in Epiſtola ad Epheſios, Apoſtolos a Prophetis, & Paſtores ab iſtis, qua quidem diſtinctione, nomine *Paſtores*, intelligit Sacerdotes & Epiſcopos: Igitur Ordini convenit definitio Sacramenti, & conſequenter inter novæ legis Sacramenta rite annumeratur.

§. I I.

Secundo, idem Traditione probatur.

Traditio habetur ex Decretis ſummorum Pontificum, ex Conciliorum definitionibus, ex Patrum tum Græcorum tum Latinorum ſententiis: ſed hæc omnia habemus teſtimonia pro dogmate Sacramenti Ordinis. Ergo &c.

Teſtimonia ſummorum Pontificum.

Ex omnibus hiſtoricis ſacris B. Petrus, & ſui in ſede Chriſti ſucceſſores, ut BB. Linus, Cletus & alii per diverſa loca Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos ordinaverunt, ut fuſiori calamo infra ſcribemus: impræſentiarum ſufficiat aliquos afferre textus, queis oſtendatur Ordinem eſſe novæ legis proprie dictum Sacramentum.

Innocentius I. Epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum directa ſic loquitur: " Arianos præterea cæteraſque hujuſ„ modi peſtes, quia eorum Laicos con„ verſos ad Dominum, ſub imagine Pœ„ nitentiæ, ac ſancti Spiritus ſanctificatio„ ne, per manus impoſitionem ſuſcipimus, „ non videtur Clericos eorum cum Sacer„ dotii aut miniſterii cujuſpiam ſuſcipi de„ bere dignitate: quoniam quibus ſolum „ Baptiſma ratum eſſe permittimus....Nec „ Spiritum ſanctum eos habere ex illo Ba„ ptiſmate, aliiſque Myſteriis arbitramur; „ quoniam cum a catholica fide eorum „ auctores deſciſcerent, perfectionem Spi„ ritus, quam acceperant, amiſerunt. „ Nec dare ejus plenitudinem poſſunt: quæ „ maxime iu Ordinationibus operatur, „ quam per impietatis ſuæ perfidiam po„ tius quam per fidem, dixerim, perdi„ derunt. „ Obſerves velim ſanctum Pontificem ſuſcipere quidem Arianorum Baptiſma, eorum ſcilicet qui formam non deflorabant, rejicere vero Sacerdotium, non quidem ut invalidum, ſed ut illicitum & conſequenter propter hæreſim gratia vacuum, quocirca vult & executione Ordinum, & dignitate Clericali per omnia in ſceleris vindictam ſpoliari.

Leo Magnus ſuum addit calculum. Epiſt. 81. c. 1. ad Dioſcorum Alexandrinum his verbis: " Quod ergo a Patribus no„ ſtris, propenſiore cura novimus eſſe ſer„ vatum, a vobis quoque volumus cuſto„ diri, ut non paſſim diebus omnibus ſa„ cerdotalis vel levitica Ordinatio celebre„ tur, ſed poſt diem ſabbati ejus noctis, „ quæ in prima ſabbati luceſſit, exordia „ delingantur, hoc eſt ſub lege divini offi„ cii ſubſtituantur, in quibus his qui con„ ſecrandi ſunt, jejuniis & a jejunantibus „ ſacra benedictio conferatur... Nam præ„ ter auctoritatem conſuetudinis quam ex „ Apoſtolica novimus venire doctrina, „ etiam ſacra Scriptura manifeſtat, quod „ cum Apoſtoli Paulum & Barnabam ex „ præcepto Spiritus ſancti ad Evangelium „ Gentibus mitterent prædicandum, jeju„ nantes & orantes impoſuerunt eis ma„ nus; ut intelligamus quanta & dantium „ & accipientium devotione curandum ſit, „ ne tantæ benedictionis Sacramentum ne„ gligenter videatur impletum. „ Rurſus Epiſt. 87. cap. 1. ad Epiſcopos Africanos, de de Ordinatione loquens verbis expreſſis Ordinem nomine Sacramenti celebrat: " Quis, „ *inquit*, diſſimulare audeat quod in tanti „ Sacramenti perpetratur injuriam. „ Ecce beatus Leo conſecrandi Eccleſiæ Miniſtro præfigit tempus: & Ordinem uti Sacramentum habet.

S. Gregorius Magnus illud eleganter deſcribit Sacramentum L. 4. in Libros Regum

cap 4.

Digitized by Google

cap. 4. eo quippe loci explicans illa primi Regum verba: *Tulit Samuel lenticulam olei*, " In hac unctione exprimitur quod „ in ſancta Eccleſia nunc etiam materia„ liter exhibetur; quia qui in culmine po„ nitur, Sacramenta ſuſcipit unctionis: „ quia vero ipſa unctio Sacramentum eſt, „ is qui promovetur, bene foris ungitur, „ ſi intus virtute Sacramenti roboretur. S. Pontifex exhibet & Sacramenti Ordinis in unctione veteris legis figuram: & veritatem in nova lege adimpletam prædicat.

Non prætereundus Anaſtaſius II. qui Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem aſſerit Ordinationem eſſe Sacramentum. Cap. 2. & ita loquitur: " Nulli de his quos vel „ baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, „ ſive Levitas ſecundum Canones ordina„ vit, ulla eos ex nomine Acacii portio „ læſionis attingit, quo forſitan per ini„ quum tradita Sacramenti gratia minus „ firma videatur. „ Ordinis Sacramentum verbis allatis prædicat Anaſtaſius, cum vel ejus non ſileat effectum.

Teſtimonia Patrum Græcorum.

Nubem teſtium in Eccleſia Orientali pro hoc dogmate habemus. Agmen ducet Dionyſius, qui juxta Morinum, & alios celeberrimos Auctores Areopagita cenſetur. In toto libro de Eccleſiaſtica Hierarchia multum ſermonem habet de Ordine ut ſacramento, in primis cap. 5. ubi Ordinationis ritum commemorat, quod vel ipſe non diffitetur Lutherus, quippe qui aſſerat in libro de capt. Babil. capita de Ordine ſe habere Dionyſium novitati ſuæ oppoſitum. Non ſilendus eſt ex primo ſæculo S. Ignatius Martyr, qui ſcribens ad Trallianos ait: " Saluto Diaconos, ſaluto Hy„ podiaconos. „ Ex ſecundo ſæculo ſe prodit Irenæus; ex tertio Firmilianus, quos omnes fuiſſe & Epiſcopos & Sacerdotes reſtantur Eccleſiaſtici Scriptores.

Ex quarto Sæculo, S. Chryſoſtomus L. 3. de Sacerdotio hæc mira profert: " Sacer„ dotium in terra peragitur, ſed in rerum „ cœleſtium claſſem, Ordinemque referen„ dum eſt; atque id perquam merito: „ quippe non mortalis quiſpiam, non An„ gelus, non Archangelus, non alia quæ„ vis creata potentia, ſed ipſe Paracle„ tus Ordinem ejuſmodi diſpoſuit.... „ Tum probe intelliget, quanto Sacerdo„ tes honore, quanta dignitate, Spiritus „ ſancti gratia dignata fuerit. „

Ex quinto audiendus eſt Theodoretus, qui explicans illud 1. Tim. 5. *Manus cito nemini impoſueris*; dicit gratiam Spiritus ſancti in Ordinatione dari. In eodem prorſus ſenſu eadem Apoſtoli verba interpretantur Theophylactus & alii complures infra citandi, ubi de Ordinatione in particulari ſpecialis ſermo erit.

Non injucundum erit hic commemorare quæ Sozomenus L. his verbis c. 10. ſcribit de cujuſdam Martyrii ſententia ad Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Eo loci comparat Sacerdotium cum Baptiſmo, & in utroque ſacramento homines juſtificari prædicat: " Tu, *inquit*, o bea„ te, recens, baptizatus, & purificatus, & „ mox inſuper Sacerdotio auctus es: utra„ que autem hæc peccatorum expiatoria „ eſſe Deus conſtituit. „ Quibus verbis Ordo, ut Sacramentum gratiam conferens, aſtruitur.

Teſtimonia Patrum Latinorum.

Eamdem veritatem, ne uno quidem excepto, propugnant aut ſupponunt Eccleſiæ Occidentalis Patres. Inſtar omnium ſit S. Cyprianus, ſeu apud eum, auctor ſermonum de operibus Cardinalibus Chriſti, qui Ordinationem nomine Sacramenti celebrat: & in producenda gratia, Baptiſmo aſſimilat atque comparat: " Docemur, *ait*, quæ „ Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum „ ſtabilitas... Nam Baptiſmum repeti, Ec„ cleſiaſticæ prohibent Regulæ; & ſemel „ ſanctificatis nulla deinceps manus iterum „ conſecrans præſumit accedere: nemo ſa„ cros Ordines ſemel datos iterum reno„ vat. „

Jam ipſum audiamus Cyprianum in ſermone de ablutione pedum ſic loquentem, immo & veluti definientem: " Nam Ba„ ptiſmum repeti, Eccleſiaſticæ prohibent „ Regulæ: & ſemel ſanctificatis nulla de„ inceps manus iterum conſecrans præſumit „ accedere. Nemo ſacros Ordines ſemel da„ tos iterum renovat; nemo ſacro oleo lita, „ iterum linit & conſecrat, nemo impoſitio„ ni manuum vel miniſterio derogat Sacer„ dotum: quia contumelia eſſet Spiritus „ ſancti, ſi evacuari poſſet quod ille ſan„ ctificat, vel aliena ſanctificatio emenda„ ret,

Digitized by Google

tant, non ſecus & Ordinem uti tale agneſcant. Sin minus ab Auguſtino ceteriſque Patribus non ſine temeritate prorſus deflectunt.

§. III.

Tertio ex definitionibus Conciliorum veritas ſe prodit.

Dogma ex definitione Concilii dignoſcitur: Sed Ordinem plures in ſe complectentem gradus eſſe Sacramentum ſtatuunt Concilia, quæ ex jure credenda proponunt, cum Concilium ſit vel ipſa Eccleſia loquens: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primo quidem ex Synodo Romana ſub ſancto Sylveſtro ante Nicænum celebrata: ubi varia pro Epiſcopis, rum pro Presbyteris & Diaconis ſtatuuntur. Ex quibus liquet Patres ſupponere omnes iſtos Altaris Miniſtros a Chriſto per Apoſtolos creatos: Act. 1. cap. habetur: " Conſtituit enim „ clara voce Sylveſter Epiſcopus urbis Ro„ mæ, ut nemo Presbyter chriſma confi„ ceret. „ Ibidem cap. 7. " Iſta autem „ Sylveſter clara voce dicebat ad Co-Epi„ ſcopos, ut a Subdiacono uſque ad Lecto„ rem omnes ſubditi eſſent Diacono Cardi„ nali urbis Romæ. „ Fit mentio de omnibus Ordinibus uſque ad quatuor Minores incluſive & Act. 2. " Alia autem die vene„ runt omnes Presbyteri urbis Romæ, & „ Diaconi omnes 284. in thermas Domitia„ nas &c. „ Quis autem audebit dicere Ordines tam antiquos, eſſe inventum humanum, cum potius a Chriſto ducant originem juxta hanc D. Auguſtini Regulam, illud a Chriſto ſuam ducere inſtitutionem, de quo non invenitur initium: Porro rem ita ſe habere probant omnes qui Conciliis adſuere, cum nomine vel Presbyteri, vel Epiſcopi ſubſcripſerint.

Subſcriptiones.

In Concilio Palæſtino Theophilus, qui ſecundo florebat ſæculo, & Synodo, nomine Victoris, præfuit, ſe Epiſcopum proclamat, ſic enim habetur: " Theophilus Epiſcopus dixit. „

Ex tertio Sæculo ann. 258. in Synodo Carthaginenſi ſub ſancto Cypriano pro rebaptizandis Hereticis hæc leguntur: " Cum „ in unum Carthagine conveniſſent, Kalen„ dis Septembris Epiſcopi plurimi ex Pro„ vincia Africana. „ &c.

Ex quarto Sæculo idem habemus: " O„ ſius Epiſcopus civitatis Cordubenſis Pro„ vinciæ Hiſpaniæ, dixit: ita credo, ſicut „ ſuperius ſcriptum eſt. „ Item. " Victor „ & Vincentius Presbyteri urbis Romæ, „ pro venerabili Papa & Epiſcopo noſtro „ ſancto Sylveſtro ſubſcripſimus. „ Et ſic de ceteris, ne uno quidem excepto Concilio in quo Patres, modo ut ſummi Pontifices, modo ut Epiſcopi, modo ut Presbyteri ſubſcripſerunt. Ergo-ne igitur fidem ſacramenti Ordinis tot calculis indefeſſa ſucceſſione & univerſalitate conſignatam, evacuabunt Heterodoxi? Pudeat eos adverſus matrem Eccleſiam, adverſus omnia prorſus Concilia, adverſus cunctos Patres, addo & Eccleſiaſticos Auctores: adverſus omnes venerabilis antiquitatis Academias & Theologos, Ordinem e numero novæ legis ſacramentorum expungere.

Nunc ad alias Conciliorum ſubſequentium ſententias convertitur oratio. Nicænum magnum generale primum, iterum atque iterum de Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis loquitur, & varia pro eis ſtatuit. Unam impræſentiarum pro rei veritate ſententiam in medium afferre ſufficiat. Canone 3. ſic loquuntur Patres: " „ Vetuit omnino magna Synodus, ne li„ ceat Epiſcopo, nec Presbytero, nec Dia„ cono, nec ulli penitus eorum qui ſunt „ in Clero, introductam habere mulie„ rem, præterquam utique matriam, vel „ ſororem, vel amitam, vel eas ſolas „ perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effu„ giunt.

Concilium Sardicenſe in omnibus ferme Canonibus ſermonem habet de Epiſcopis, & in ſubſcriptionibus, ne uno quidem dempto, omnes Patres ſe Epiſcopos nominant. Certe hunc titulum niſi ſacris Ordinibus initiatus, nemo ſibi tribuere fuiſſet auſus.

Carthaginenſe III. totum eſt in aſſignandis regulis & pro Ordinationibus & moribus recte inſtituendis Clericorum. Quædam hic ſtatuta referre non pigebit: " Tertio, „ item placuit, ut ordinandis Epiſcopis „ vel Clericis, prius ab Ordinatoribus ſuis „ decreta Conciliorum auribus eorum in„ culcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta

„ Con-

„ Concilii feciſſe aſſerant. Nono, item pla-
„ cuit, ut quiſquis Epiſcoporum, Presby-
„ terorum & Diaconorum ſeu Clericorum,
„ cum in Eccleſia ei crimen fuerit intenta-
„ tum, vel civilis cauſa fuerit commota,
„ ſi relicto Eccleſiaſtico judicio, publicis
„ judiciis purgari voluerit, etiam ſi pro
„ ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſu-
„ um amittat, & hoc in criminali judicio,
„ &c. „

Chalcedonenſe damnat eos qui pro Ordinatione pecunias ſuſcipiunt, & hanc reddit pro ſtatuto rationem, quia gratiam Dei illi vendere cenſentur. Exiſtimat igitur Ordinationem eſſe verum novæ legis Sacramentum, cum ſignum gratiæ productivum prædicet. Idem docet Bracarenſe II. can. 3. idem Florentinum in Decreto pro inſtructione Armenorum.

Inter omnia Concilia eminet Tridentinum, quod ex profeſſo adverſus Lutheranam perfidiam definit Ordinem eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum. Seſs. 23. cap. 2. ſic loquitur; “ Cum autem
„ divina res ſit tam ſancti Sacerdotii mini-
„ ſterium, conſentaneum fuit, quo digni-
„ us, & majori cum veneratione exerceri
„ poſset, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſ-
„ poſitione plures & diverſi eſsent miniſtro-
„ rum ordines, qui ſacerdotio ex officio de-
„ ſervirent: ita diſtributi, ut qui jam Cle-
„ ricali tonſura inſigniti eſsent, per mino-
„ res ad majores aſcenderent. Nam non ſo-
„ lum de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis
„ ſacræ litteræ apertam mentionem faciunt;
„ & quæ maxime in illorum ordinatione
„ attendenda ſunt, graviſſimis verbis do-
„ cent, & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequen-
„ tium ordinum nomina, atque uniuſcujuſ-
„ que eorum propria miniſteria, Subdia-
„ coni ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Le-
„ ctoris, & Oſtiarii, in uſu fuiſse cogno-
„ ſcuntur, quamvis non pari gradu. “

Rurſus ibidem cap. 3. “ Cum Scripturæ
„ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Pa-
„ trum unanimi conſenſu perſpicuum ſit,
„ per ſacram Ordinationem, quæ verbis
„ & ſignis exterioribus perficitur, gra-
„ tiam conferri, dubitare nemo debet,
„ Ordinem eſse vere & proprie unum ex
„ ſeptem ſanctæ Eccleſiæ ſacramentis; in-
„ quit enim Apoſtolus: Admoneo te ut
„ reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per
„ impoſitionem manuum mearum; non
„ enim nobis dedit Deus ſpiritum timoris,
„ ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrieta-
„ tis. “

Ejuſdem Concilii definitiones.

Canone primo ſic pronuntiat: *Si quis dixerit, non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile & externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi & offerendi verum corpus & ſanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi: ſed officium tantum, & nudum miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit.*

In ſecuudo: *Si quis dixerit, propter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & majores & minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; anathema ſit.*

In tertio: *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei & Sacramentorum; anathema ſit.*

In quarto demum: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum ſanctum; aut per eam non imprimi characterem: vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit.*

His omnibus accedunt auctoritates Canonum Apoſtolorum, & Concilii Laodiceni antiquiſſimi. Zonaras interpretans primum Apoſtolorum Canonem, ſcribit Ordinem eſse ſacramentum. In Laodicena Synodo can. 5. ordinationes vocantur Χειροτονίαι.

Solvuntur Hæreticorum objectiones ex ſacra Scriptura deſumptæ.

Objiciunt primo: Si Ordinatio foret verum & proprie dictum novæ legis Sacramentum, hoc potiſſimum conſtaret ex manuum impoſitione, de qua fit mentio in duobus ad Timotheum Epiſtolis. Atqui ex his & ſimilibus locis non recte colligitur Ordinem eſse proprie dictum Sacramentum; & probatur multis momentis. Primo quidem, impoſitio manus ſanctificativa eſt ad robur & pro fide adverſus tyrannorum

norum perſecutiones firmanda, juxta illud Actuum 8. de Apoſtolis Petro & Joanne Samariæ commorantibus: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Secundo, nihil determinatum pro materia aſſignatur, maxime in impoſitione manuum, cum ex Scriptura illa impoſitio ſit modo ad ſanandos infirmos, modo ad aliquid aliud. Tertio, Ordo nullam promiſſionem, nullumve præceptum pro gratia conferenda annexum habet. Quarto, Apoſtolus in prima ad Tim. c. 4. commemorat virtutes, fidem ſcilicet, caſtitatem. Igitur gratiam ſacramentalem dandam per manus impoſitionem non deſignat. In ſecunda c. 1. ubi de eodem agit momento, ita loquitur: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Tum immediate ſubjicit: *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis & ſobrietatis*. Quæ verba non habent cum gratia Sacramenti connexionem; quæ enim conſequentia, ex eo quod aliquis ſuſceperit manus impoſitionem ordinativam, non habeat ſpiritum timoris, cum potius non niſi pavidus & ſtupens divina myſteria peragere debeat. Quinto, nec ex illis Chriſti ad Apoſt. verbis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, Ordinatio rite colligitur, cum eo loci nulla mentio fiat de impoſitione manuum. Sexto, neque eadem ratione id probari poteſt ex illo Joan. 20. oraculo: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: non enim manus ſuas impoſuit Apoſtolis Chriſtus Dominus, ſed ſolum in eos inſufflavit dicens: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata &c.* Igitur impoſitio manuum non fuit ordinativa, ſed tantum quædam cæremonia qua Apoſtoli orantes aliquem vel Deo commendabant, vel miſſionem pro miniſterio aliquo in Eccleſia conferebant.

Reſpondeo negando minorem propter auctoritates ſupra laudatas. Orabant quidem Apoſtoli ut adducerent ſuper ordinatos Spiritum ſanctum, ſed poſtea manus imponebant ut acciperent Spiritum ſanctum ad digne Sacrificium & Sacramenta conficienda: orabant, hoc eſt, formam pronuntiabant; formæ quippe Sacramentorum non ſemel apud Patres nomine orationis celebrantur. Quid plura adjiciam? orationem a manus impoſitione ordinativa eſſe diſtinctam, non una eſt ratio; 1. Quia 1. ad Tim. 4. & 5. & 2. 1. ubi ſermonem de ordinatione Diſcipuli ſui inſtituit Apoſtolus, altum eſt de oratione ſilentium. 2. Act. 6. legitur Diaconorum ordinatio: ſed eo loci oratio quidem commemoratur, ſed ut quid ab impoſitione manus diſtinctum. 3. 1. ad Tim. 5. ait S. Paulus Timotheo: *Manus cito nemini impoſueris*. Si nomine impoſitionis manus oratio ſolum & preces pro populo intelligerentur, ut garriunt Heterodoxi, propoſitio hunc abſurdum ſubiret ſenſum: *Noli cito preces commendatitias fundere pro plebe tibi ſubdita*. Igitur cauſa cadunt Proteſtantes, dum verbum Dei adulterant, ut Ordinis Sacramentum evacuent.

Ad ſecundum diſtinguo: Nihil eſt determinatum in genere pro materia Ordinis, nego. In ſpecie, ſubdiſtinguo: Si manus impoſitio ſumatur ſecundum ſe, concedo: ſi conjunctim cum verbis, nego. Materia ſacramenti Confirmationis, Extremæ Unctionis, & Ordinis ſolum determinata eſt in genere, quatenus Chriſtus pro his aliquod ſenſibile eam eſſe voluit; reliquit vero Eccleſiæ determinandam in ſpecie, immo & in individuo: quod quidem fit, inquit Divus Thomas, per verba quæ locum tenent formæ. Igitur impoſitio manus per verba diverſa habet quod ſit materia modo unius, modo alterius Sacramenti.

Ad tertium ſimiliter diſtinguo: Impoſitio manus nullam habet promiſſionem, nullumque exhibendi gratiam præceptum explicite, concedo: implicite, nego. Implicite promiſſio fit, cum Chriſtus ordinando Apoſtolos præcepit eis dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Rurſus: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Audis gratiam dari Sacerdotibus, certe non reconciliationis, cum ſupponantur juſti, ſed ſpecialem, ut ſuis digne fungantur officiis. Sic Euchariſtia non aliam per ſe primario producit gratiam, quam ſuavitatis: eſt enim Sacramentum vivorum; id eſt, ſolummodo juſtificati eam debent ſumere, juxta illud 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*.

Ad quartum diſtinguo: Apoſtolus loquitur de virtutibus, cum de ordinatione Timothei loquitur, ex eo quod gratiarum & virtutum ſupellectilis profluat a gratia ſanctificante, quæ in Ordine datur in plenitudine & ad augmentum, concedo: Sacerdos quippe debet eſſe plenus pro ſe, & ſuperplenus pro aliis: ita ut ne quidem gratiæ augmentum producat Ordinatio, nego. Con-

tra-

Digitized by Google

trarium ex Beati Pauli ſententiis affulget. Neque vero quiſquam mirari debet, ſi Apoſtolus etiam gratias gratis datas non ſileat, loquendo de impoſitione manuum facta ſuper Timotheum; namque prioribus temporibus Spiritus ſanctus omnes gratiæ ſuæ theſauros propter utilitatem Eccleſiæ velut effundebat: Eccleſia adhuc inter cunabula vagiens, miraculis erat ſovenda, & omnium gratiarum imbribus irriganda.

Ad quintum, dictum eſt Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ poteſtatem determinandi Sacramentorum materiam in individuo, ſi Baptiſmum & Euchariſtiam exceperis.

Ad ſextum eadem eſt reſponſio; addo Chriſtum abſque ſignis potuiſſe & Sacramenta inſtituere, & gratiam abſque ſignis ſenſibilibus conſerre ratione poteſtatis excellentiæ quæ in eo ſolo propter unionem hypoſtaticam reſidet, ut docet Divus Thomas: ſi tamen totum æqua lance ponderent Heterodoxi, non ſine ritu ſaltem aliquo Chriſtus ordinavit Apoſtolos Sacerdotes, cum inſtituerit ſumma cum ſolemnitate Euchariſtiam; ſic enim allocutus eſt Diſcipulos Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: & Joan. 20. inſufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Inſtant: Ubi omnia ſunt communia & quid unum, Ordo uti ſacramentum non eſt admittendum; alias, illi qui Ordinibus initiarentur, dubio-procul ceteris & charactere & dignitate præcellentes forent. Atqui inter Fideles nulla eſt in re præeminentia: & probatur variis Scripturæ ſacræ ſententiis. Primo quidem ait Apoſtolus ad Gal. 3. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque femina: omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* Secundo, hoc ipſum indigitat B. Petrus 1. Epiſt. 2. ubi Fideles in Sacerdotio convenire aſſerit; ſic enim eos omnes abſque diſcrimine vocat: *Genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis.* Concinit S. Joan. Apoc. 1. *Qui dilexit nos*, inquit de Chriſto, *& lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.* Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem; falſiſſimum eſt enim omnes Fideles pari gradu donari in Eccleſia: tanta enim evidentia liquet Sacerdotes ceteris in miniſterio præeſſe, ut conſtans ſit de hac veritate memorata traditio, quam novis illuſtrare auctoritatum monumentis non injucundum erit. Juſtinus Martyr ſecunda Apologia teſtatur ad ſolos pertinere Sacerdotes ſanctam conſecrare Euchariſtiam: " Deinde, *inquit*, ei qui fratri-
„ bus præeſt, offertur panis & poculum a-
„ quæ & vini, quibus ille acceptis, laudem
„ & gloriam rerum univerſarum Patri, per
„ nomen Filii & Spiritus ſancti offert, &
„ Euchariſtiam ſive gratiarum actionem,
„ pro eo quod nos donis ſuis hiſce dignatus
„ ſit, prolixe exequitur. Atqui ubi ille pre-
„ ces & gratiarum actionem abſolvit, po-
„ pulus qui adeſt omnis, fauſta approbatio-
„ ne acclamat dicens, Amen: Amen autem
„ vox græca, fiat, ſignificat.

Alii Patres ejuſdem ſunt labii. Tertullianus Lib. de Præſcrip. Marcionitis crimini vertit quod laicis ſacerdotalia munera committerent. Cyprianus in ſua contra Stephanum de Hæreticorum Baptiſmate controverſia, verbis expreſſis propugnat neminem præter Sacerdotes poſſe Euchariſtiam conficere. Athanaſius Apol. 2. probat Iſchyrum Arianum non potuiſſe conſecrare Euchariſtiam, eo quod ſacerdotio nuſquam initiatus fuiſſet, quippe qui a ſimplici Presbytero Alexandriæ ſuſcepiſſet manus impoſitionem.

Ad primam probationem diſtinguo: Fideles unum ſunt ratione vocationis, juſtificationis, adoptionis & glorificationis, concedo: ratione poteſtatis, nego. Dona Dei multa ſunt, eaque Spiritus ſanctus diſtribuit ſingulis prout vult. Illa quæ vocationem, ſanctificationem, adoptionem & glorificationem ſpectant, ſunt eadem entitative in omnibus, cum gratiæ actualis vocatio, habitualis vero cetera dona ſint fœtus. Nec gratia actualis diſtinguitur in ſingulis juxta multos, niſi penes gradum; idem dicendum de habituali. Sed non eodem modo ratiocinandum eſt de poteſtate Ordinum; non enim omnes, ſed quoſdam ſolum, teſte Apoſtolo, dedit Apoſtolos, quoſdam Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum. Quod autem Apoſtolus in priori tantum ſenſu loquatur, eſt ſui ipſius interpres Rom. 2. his verbis: *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Rurſus ad Epheſios 4. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ: unus Dominus, una fides, unum baptiſma: unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis: unicuique autem*

na-

Digitized by Google

noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.

Ad alteram probationem utique diſtinguo: Et S. Petrus eo loci intelligit Sacerdotium ſpirituale & myſticum, concedo; reale & proprie dictum, nego. Duplex diſtinguendum eſt ſacerdotium, non ſecus ac ſacrificium; iſtud certe duplex prædicatur, videlicet myſticum & ſpirituale, quo noſtros affectus Deo ſubjicimus per modum immolationis, cujus cor humanum victima eſt, juxta illud Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Aliud vero reale & proprie dictum, in quo victima proprie dicta immolatur, quale fuit ſacrificium crucis, & quale eſt illud quod in Miſſa peragitur. Sanctum Petrum loqui de priori ſacrificio luce meridiana clarius apparet: ſicut enim Fideles vocat Sacerdotes, ſic & reges. Quis autem cordatus dixerit vere & realiter juſtos omnes eſſe Reges? bene vero myſtice, quatenus ſuis dominantur paſſionibus, juxta illud adagium: *Sapiens dominabitur aſtris*. Et vero qui cunctos appetitus ſenſibilis componit motus, vere rex eſt.

Solutio eſt ſanctorum Patrum, qui ne uno quidem excepto, verba B. Petri de ſacerdotio myſtico interpretantur. Sic Ambroſius Lib. 4. de Sacerd. c. 1. " Unuſquiſque ungi„ tur ſacerdotio in regnum: ſed ſpirituale „ regnum eſt ſacerdotium. „ Sic Auguſtinus Lib. 10. de Civ. c. 10. " Erunt, *ait*, „ Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt „ cum eo mille annis; non utique de ſolis „ Epiſcopis & Presbyteris dictum eſt, qui „ proprie jam vocantur in Eccleſia Sacerdo„ tes; ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus „ propter myſticum chriſma, ſic omnes Sa„ cerdotes, quoniam membra ſunt hujus Sa„ cerdotis, de quibus Apoſtolus Petrus: „ *Plebs ſancta, regale Sacerdotium*. „ Audis ſanctum Doctorem ſecernere veros Sacerdotes a myſticis, & juſtos laicos a malis, non conſecratione, ſed unctione tantum gratiæ interioris, & propter unionem cum Chriſto ſummo Sacerdote, cujus ſunt membra; hinc illos uti Sacerdotes habet. Eamdem explicationem tradit Magnus ſanctus Leo Serm. 3. in die anniverſario ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum. Nec ſane prætereunda ſunt ejus aurea de hoc momento verba: „ Omnes in Chriſto regeneratos crucis ſi„ gnum efficit reges, ſanctive Spiritus un„ ctio conſecrat Sacerdotes, ut propter iſtam „ ſpecialem noſtri miniſterii ſervitutem, „ univerſi ſpirituales & rationales Chriſtia„ ni agnoſcant ſe regii generis & ſacerdo„ talis officii eſſe conſortes.... Quid enim „ tam regium, quam ſubditum Deo ani„ mum, corporis ſui eſſe rectorem? & quid „ tam ſacerdotale, quam vovere Domino „ conſcientiam puram, & immaculatas pie„ tatis hoſtias de altari cordis offerre? „ Et ſic patet ſolutio ad ulteriorem probationem.

Urgent: Atqui verba ſicut B. Petri, ſic & libri Apocalypſeos, intelligi debent de Sacerdotio tum miniſtris Eccleſiæ, tum laicis communi, ita ut ſacerdotium iſtorum non ſit illorum ſacerdotii impar. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Quod priorum ſæculorum Doctores aſtruunt, nemini refragari licet. Atqui ſacerdotium miniſtrorum Eccleſiæ & laicorum eſſe quid omnibus commune ſtatuere venerabilis antiquitatis Doctores celeberrimi; & probatur. Inſtar omnium ſit Tertullianus. Qui munus offerendi ſacrificium omnibus indiſcriminatim tribuit: qui pari jure omnes vult diſciplinam Eccleſiaſticam ſervare: qui demum nullam intrinſecam, ſed tantum humanam diſcrepantiam in ſacrificando inter omnes iſtos ſacrificantes inſtituit, citra dubium ſaltem re & ſubſtantialiter in ſacerdotio pates eſſe contendit. Atqui ſic docet, ſic propugnat Tertullianus; & probatur. Lib. de exhortatione ad caſtitatem c. 7. ſic ſcribit: " Nonne & lai„ ci Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Re„ gnum quoque nos & Sacerdotes Deo & „ Patri ſuo fecit. Differentiam inter Or„ dinem & plebem conſtituit Eccleſiæ au„ ctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum „ ſanctificatus. Ubi Eccleſiaſtici ordinis „ non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, „ & ſacerdos es tibi ſolus; ſed ubi tres, „ Eccleſia eſt; licet laici: unuſquiſque e„ nim de ſua fide vivit.,. Igitur ſi habes „ jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe „ eſt habeas, oportet etiam diſciplinam „ Sacerdotis. „ Obſerves inſuper eodem modo Tertullianum loqui de poteſtate tingendi, ac de jure offerendi ſacrificium: certe nemo non novit poteſtatem tingendi ſeu baptizandi competere laicis. Igitur & offerendi ſacrificium.

Reſpondeo primo, argumentum exuberare: inde enim ſequeretur, & plebi abſque miſſione competere munus prædicandi, Euchariſtiam conficiendi, credenda proponendi & de-

& definiendi, quæ tamen munia etiam apud Proteſtantes ſoli miniſtri & Synodi ſubeunt.

Reſpondeo ſecundo, opponendo Tertullianum Tertulliano; namque Lib. de Præſcr. cap. 40. diſerte aſſerit Ordinem eſſe novæ legis proprie dictum Sacramentum. Ceterum Euchariſtia non niſi a Presbyteris conficitur, nec alius præter Sacerdotem poteſt offerre Sacrificium. Sic Patres jam jam laudati conclamant; aſtipulantur omnes alii: in primis Hieronymus, qui Dialogo adverſus Lucif. contra Hilarium Luciferianorum principem inſurgit, & de illo ait: „ Euchariſtiam non poterat conficere, quia „ Diaconus tantum erat. „

Subſcribit Ambroſius apud Theodoretum Lib. 15. Hiſt. cap. 17. qui Sacerdotalem poteſtatem regiæ longe anteponit; quod certe abſurdum foret, ſi omnibus vel ipſis laicis eſſet communia. Equidem Imperatori Chriſtiano hoc competit. " Purpura, „ *ait*, Imperatores facit, non Sacerdotes. Audis ſanctum Doctorem expreſſe Sacerdotes ab Imperatoribus ſecernere, & poſtea ſuſiſſimo calamo Sacerdotis dignitatem in immenſum ſuperare Imperatoriam dignitatem validiſſimis argumentis probat.

Eamdem erudite admodum adimplet provinciam ſanctus Chryſoſtomus Lib. 2. de Sacerdotio aureis iſtis verbis antiq. edit. „ Non homo, nec Angelus, non Archan„ gelus, non aliqua alia creatura, non „ virtus, ſed ipſe Spiritus Sanctus hoc mu„ nus inſtituit, atque adhuc manentes in „ carne myſterio fungi præſtitit Angelo„ rum. Quomodo ergo nobis iſti non ſo„ lum reverendi magis quam reges, aut „ judices, ſed etiam nobis magis honora„ biles erunt, quam parentes? „

Jam ad argumentum in forma propoſitum properare juvat, ut etiam in forma reſpondeamus. Primo quidem negando ſubſumptum, & primam atque ſecundam probationem. Ad tertiam diſtinguo: Et Tertullianus eo loci loquitur de ſacerdotio myſtico, concedo: de vero & proprie dicto, nego. Porro in iſto offerendo laici Eccleſiaſticam debent utique obſervare diſciplinam, ſcilicet accedendo ad Euchariſtiam cum fide & amore, offerendo cor contritum: qui quidem actus & ſimiles ſacram debent præcedere Communionem. Quod autem hic ſit germanus Tertulliani ſenſus, liquet ex eo quod ibidem aſſerat Eccleſiam ſecernere laicos a veris Sacerdotibus per poteſtatem juriſdictionis ſuper corpus Chriſti myſticum, quam ſoli ab ipſa habent. „ Differentiam, *inquit*, inter Ordinem & „ plebem Eccleſiæ conſtituit auctoritas. „ Igitur ex Tertulliano, plebs non habet Ordinem ſacrum. Subjicit: „ Unuſquiſque „ enim de ſua fide vivit; igitur ſi habes „ jus ſacerdotii in temetipſo, ubi neceſſe „ eſt, habeas etiam oportet diſciplinam „ Sacerdotis. „

Cuncta ſunt in verbis Tertulliani ponderanda: *Unuſquiſque de ſua fide vivit*. Ecce ex eodem ſacerdotium myſticum, cujus officium juxta Eccleſiæ diſciplinam ſeu præceptum certis diebus, & exigente ſolemnitate peragendum eſt.

Quod autem poteſtas Sacerdotis non ſit humana, ſed a Chriſto profluat, & ſuper corpus ejus reale, & ſuper myſticum, audi eumdem Tertullianum lib. de Præſc. cap. 40. inter Sacramenta novæ legis proprie dicta Ordinem ſacrum annumerantem. Audi Chryſoſtomum dicentem de Ordine: " „ Non homo, nec Angelus, non Archan„ gelus, non aliqua alia creatura, non vir„ tus, ſed ipſe Spiritus Sanctus hoc munus „ inſtituit. „

Reſpondeo tertio ad auctoritatem Tertulliani aliter diſtinguendo: Et per illam vocem *offers*, intelligit ſimplices populi oblationes panis & vini, per modum Eulogiæ precibus ab Eccleſia benedictæ, concedo: ſecus, nego. Pro more apud veteres Chriſtianos erat offerre panem & vinum in conventum Eccleſiæ, quæ quidem munera fuſis precibus a Sacerdote benedicta, poſtea in tres dividebantur partes, quarum prior conſecranda inſerviebat ſacrificio: altera ad Confeſſores in carceribus detentos pro ſuſtentatione mittebatur, tertia demum egenis alendis miſericorditer relinquebatur, qui quidem mos nedum in Eccleſia Latina, ſed in Græca floruit, ita ut vel ipſi Græci recentiores præ fide & devotione etiam nunc de pane illo benedicto, ſed nondum conſecrato aſſumant, ut per applicationem curent vulnera. Tertullianus ipſe ſuum prodit ſenſum, quamdam laudans viduam, quod panem & vinum ſingulis annis pro mortuo viro offerret: " Et „ offert, *inquit*, diebus dormitionis ejus. In eumdem ſenſum L. de exhortatione, hæc ſcribit de marito pro defunctis uxoribus

bus offerente: " Et offeres pro duabus, & commemorabis per Sacerdotem." Videas velim Tertullianum nomine *offert*, non intelligere ſulummodo panem ſacrificii, verum etiam omnem cujuſcumque muneris oblationem. Neque vero in Eccleſia Occidentali prætermiſſa eſt offerendi panem & vinum conſuetudo: in multis quippe Diœceſibus maxime in Bituricenſi ſingulis ferme pro defuncto aut defuncta Miſſis, mulieres tenentes candelam accenſam offerunt panem & vinum ad Altaris veſtibulum, quæ quidem munera de manu ejus ſuſcipit Sacerdos in requiem defunctorum, & remanent pro ſuſtentatione modo Miniſtrorum, modo etiam pauperum & egenorum.

Inſiſtes: Eodem prorſus modo loqui debemus de cunctis Fidelibus reſpective ad ſacrificii oblationem ac de Diaconis; nemo quippe dixerit iſtos eſſe Sacerdotes proprie dictos: Atqui tamen competit illis offerre in Altari ſacrificium. Igitur omnibus indiſcriminatim par eſt offerendi ratio: Probatur minor ex Concilio Ancyrano ca. 2. ubi habetur: " Diaconi ſimiliter qui immolaverunt, honorem quidem habeant: ceſſare vero ab omni ſacro miniſterio, ſive a pane, ſive a calice offerendo vel prædicando: Quod ſi quidam Epiſcoporum conſcii ſunt laboris eorum, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipſos erit poteſtas." Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo. Et Patres Ancyrani eo loci auferunt in vindictam lapſis Diaconis ſui ordinis officium, quod dubio procul in conficienda Euchariſtia ſitum non erat, concedo: & iſtum in eis agnoſcit poteſtatem, nego: Munus Diaconi eſt prædicare verbum Dei, ſuſcipere panem tum vinum oblata per Fideles, ſacrificio ſimul cum Sacerdote offerre calicem, nuſquam vero conſecrare. Hanc autem Synodus Ancyrana ſtatuit diſciplinam, ut Diaconi qui ſerveſcente perſecutione, timore perterriti idolis immolaverant, gradum quidem honoris ſervarent, & manerent Diaconi, ſed ab officio exequendo ſuſpenderentur. Et hoc unum definit.

Perſiſtes: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: ſed non ſemel contigit Laicos vere conſecraſſe. Igitur non ſecus ac Eccleſiæ Miniſtri ſunt Sacerdotes: Probatur minor multis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ factis & monumentis. Primo quidem Frumentius, ut ſcribit Theodoretus L. 2. Hiſt. c. 23. cum adhuc adoleſcens Indiarum foret incola, Italos Chriſtianos qui illuc appullerant invitavit ad Myſterii celebrationem, quæ quidem conſummata fertur, tametſi nullus ex iis ſacramento Ordinis eſſet initiatus. 2. In actis ſanctæ Petronillæ legitur quod in carcere ultimum clauſerit diem: " Celebratis Dominicæ oblationis Myſteriis." 3. Joannes Moſchus in prato ſpirituali c. 25. refert Monachum laicum panes quoſdam, prolatis verbis Evangelicis conſecraſſe, conſecrationem vero ut ratam ab Angelo denuntiatam fuiſſe. Ergo &c.

Reſpondeo primo, privilegium pro regula non haberi: quocirca dato & non conceſſo facta eſſe in ſenſu obvio intelligenda, non inde ſequitur Laicos eſſe proprie dictos Sacerdotes, & ex jure vel etiam valide ſacram poſſe Euchariſtiam conficere.

Reſpondeo 2. negando minorem. Ad primum factum dico, nomine Liturgiæ a Frumentio peractæ intelligi vel precum ſacrificium, quod pro more Chriſtiani in conventu vel in recognitionem ſupremi Dei Dominii, vel in gratiarum actionem pro beneficiis ab eo ſuſceptis debent fundere: vel ſi verum & proprie dictum fuit ſacrificium, per Sacerdotem a mercatore pro conſuetudine adductum oblatum aſſerimus: hinc non mirum ſi Frumentius non habens ſecum Sacerdotis copiam, Italos ad ſacrificium per eorum Preſbyterum conſummandum invitaverit.

Ad ſecundum reſpondemus, celebrata fuiſſe myſteria per Sacerdotem, qui, ut moris erat, carcerem inviſerat, non autem a ſancta Petronilla.

Ad tertium abſque negotio ſolvitur difficultas a viris doctis, qui ut dubiæ fidei & vix alicujus ponderis habent auctorem Prati ſpiritualis.

Objectiones ex auctoritate Patrum & SS. Doctorum prodeuntes.

OPPONUNT Heterodoxi: Quod eſt vere & proprie dictum Sacramentum imprimens characterem, debet accipi valide a quocumque, immo etiam ab eo qui illud

indigne ſuſcipit : atqui Ordinem ſacrum non ſuſcipiunt indigni , tametſi ſubeant cæremoniam : Et probatur ex ſanctis Patribus . Primo quidem ex S. Dionyſio , qui Epiſtola ad Demophilum aſſerit Ordinationem hominis illiterati & inepti nullam eſſe : " Non eſt iſte Sacerdos , non ,, eſt , ſed infeſtus , atrox , doloſus , illuſor ſui , & lupus in divinum gregem ,, ovina pelle armatus . ,,

S. Clemens L. 8. Conſt. Apoſt. cap. 2. ut vacuas habet Ordinationes quæ fiunt contra Eccleſiæ ſtatuta .

S. Hieronymus ſimilia dicit Comment. in caput 4. ad Epheſios . 2. in caput 3. Sophoniæ aſſerit promotos ad Ordines modis illegitimis & contra Canones : " Non eſſe ,, vere Ordinatos . ,, 3. In caput 1. Epiſt. ad Galatas expreſſe dicit : " Tales non eſſe ,, factos Sacerdotes judicio Dei , ſed tantum favore hominum . ,,

S. Leo Magnus ejuſdem eſt labii , quippe qui Epiſt. 95. dicat Ordinationem : " Sine ,, conſenſu & judicio proprii Epiſcopi eſſe ,, habendam vanam . ,,

S. Ambroſius L. de dignitate Sacerdotali cap. 5. idem cenſet .

Idem ſtatuit & docet Innocentius I. Epiſt. 20. & 27. idem S. Gregorius L. 7. regiſtri Epiſt. 110. & l. 6. Epiſt. 5. Idem Nicolaus I. Epiſt. 9. aſſerens Gregorium Syracuſanum Epiſcopum Schiſmaticum , depoſitum , & exauctoratum non ordinaſſe valide Photium . Ejuſdem eſt cum Nicolao ſententiæ Adrianus Ep. 3. ad Baſilium Imperatorem . Ergo &c.

Reſpondeo primo hæc & ſimilia unum tantummodo probare , indignos , gratiam Sacramenti non ſuſcipere , & Sacramentum eſſe pro eorum ſanctificatione vacuum , ut perinde ſit , ac ſi nullum recepiſſent : quocirca non ſunt valide ordinati ad ſalutem propriam , bene vero ad aliorum glorificationem . Sed de hoc momento fuſiori calamo infra ſcribemus , ubi de reordinatione . Simili modo reſpondetur ad Ordinationem quæ ex parte Miniſtri adverſatur ſanctis Canonibus : Ex hoc enim ſequitur ſolum Epiſcopos ab officio ſuſpenſos licite non ordinaſſe , ſed facta cæremonia ſtat Sacramentum pro ſuſcipiente .

Reſpondeo ſecundo opponendo Patres Patribus ; conſtat enim ex Cypriano , Ambroſio , & aliis Ordinem eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum .

Reſpondeo tertio in forma negando minorem. Ad probationem ex Dionyſio depromptam , diſtinguo : Illiteratus & indignus non eſt Sacerdos pro ſua ſanctificatione, concedo : ratione poteſtatis & pro aliorum ſalute , nego : Eodem ſenſu indignum Sacerdotem ut vacuum habet , quo ibidem ait impium non habere Deum ut Patrem , & incaſſum Orationem Dominicam recitare , hoc eſt non ad ſalutem , juxta illud Pſal. 49. *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras juſtitias meas , & aſſumis teſtamentum meum per os tuum ? Tu vero odiſti diſciplinam &c.* Porro quum Dionyſius vocat preces Sacerdotis indigni ſceleſtas , non loquitur de forma Euchariſtiæ , ſed de Oratione Dominica . Quod autem hic ſit germanus Dionyſii ſenſus patet : nam Demophilum Laicum increpat , eo quod Sacerdotem ejeciſſet , qui pœnitentem admiſerat , quem Demophilus propellendum judicabat , ſicque Sacerdotem puniri volebat . Sed Dionyſius propugnat Presbyterum non ideo deponendum , quippe qui ratione poteſtatis in Ordinatione accepta pęnitentem abſolvere poſſet : quæ ratio dubio procul nulla fuiſſet , ſi mali Sacerdotes abſolvendo nihil facerent .

Ad Clementem : abjicit illicitam Ordinationem , ſed non dicit invalidam .

Ad S. Hieronym. diſtinguendum eſt ſimiliter : S. enim Doctor unum tantummodo intendit , ſcilicet Sacerdotes ſuis officiis debere digne incumbere , & Euchariſtiam tunc proficere ex opere operato , & ex opere operantis , ſin minus nihil meriti habere Miniſtrum ; Epiſcopum non eſſe vere Epiſcopum ut ſcribit Epi. ad Heliodorum , hoc eſt , pro ſalute animæ ſuæ : eum denique qui non Spiritu ſancto afflante , ſed gratia & favore hominum abſque vocatione promovetur , vult eſſe quidem valide ordinatum , ſed non legitime & in judicio Dei , qui illum habet ut ementitum Miniſtrum . Hoc unum Comment. in Epiſt. ad Gal. intendit . Hier.

Audiendus eſt de hoc momento S. Thomas , qui 3. p. q. 82. art. 5. ad 1. ſic reſpondet ad difficultatem : " Dicendum quod Hieronymus per illa verba improbat errorem Sa- ,, cerdotum , qui credebant ſe digne poſſe Euchariſtiam conſecrare , ex hoc ſolo , quod ſunt Sacerdotes , etiamſi ſint ,, peccatores . Quod improbat Hieronymus ,, per hoc , quod maculoſi ad altare ac-

,, cede-

,, cedere prohibentur. Non tamen removetur, quin ſi acceſſerint, ſit verum ſacrificium quod offerunt. ,,

Eodem innixus principio ſolvit ibidem objectionem deſumptam ex auctoritate Gelaſii Papæ dicentis in Decreto q. 1. cap. *ſacro ſancta*: " Quomodo ad divini My- ,, ſterii conſecrationem, cœleſtis Spiri- ,, tus invocatus adveniet, ſi Sacerdos, qui ,, eum adeſſe deprecatur, criminoſis ple- ,, nus actionibus comprobetur? Dicendum ,, quod ante illa verba Gelaſius Papa præ- ,, mittit, ſacroſancta religio, quæ catholi- ,, cam continet diſciplinam, tantam ſibi ,, reverentiam vindicat, ut ad eam quili- ,, bet, niſi pura conſcientia, non audeat ,, pervenire. Ex quo manifeſte apparet ejus ,, intentionem eſſe, quod peccator Sacerdos ,, non debet ad hoc Sacramentum accede- ,, re. Unde per hoc quod ſubdit, quomodo ,, cæleſtis Spiritus invocatus adveniet, in- ,, telligi oportet, quod non advenit meri- ,, to Sacerdotis, ſed ex virtute Chriſti, ,, cujus verba profert Sacerdos. ,, Per iſta ultima verba *ex virtute Chriſti* declarat ſanctus Doctor Sacerdotem impium non nomine proprio, ſed Chriſti benedicere & conſecrare oblata.

Ad S. Leonem ſic reſpondet Iſambertus Diſp. 2. de Ordine art. 2. " Ad auctoritatem ,, ſancti Leonis reſpondetur illam tantum ,, procedere de honore Epiſcopali inter ,, Co-Epiſcopos retinendo, & non de ipſa ,, Ordinatione in Epiſcopum, cum eodem ,, capite 1. iſtius Epiſtolæ dicat ſanctus ,, Leo Ordinatos ab ejuſmodi Epiſcopis, ,, cum conſenſu proprii Epiſcopi, *valide* ,, *Ordinatos eſſe, eorum Ordinationem poſſe* ,, *ratam haberi*. quod non eſſet verum ni- ,, ſi tales Epiſcopi eſſent vere & proprie ,, Ordinati in Epiſcopos. Quando vero ibi- ,, dem ſubdit, *Ordinationem* vero aliter fa- ,, ctam, id eſt, *ſine conſenſu & judicio pro-* ,, *prii Epiſcopi eſſe habendam vanam*, intel- ,, ligitur tantum loqui de *uſu Ordinis*, qua- ,, tenus taliter Ordinati *ſuſpendebantur ab uſu* ,, *ſuorum Ordinum*. ,,

Iſta reſponſione fit ſatis objectionibus ex aliis auctoritatibus depromptis; unum enim & Patres & ſummi Pontifices volunt, nempe indignos eatenus non ordinari valide pro ſeipſis, quatenus nihil fructus & gratiæ ex ſuſceptione Sacramenti accipiunt: Neque etiam etſi Ordinati valide aliis poſſe remittere peccata, ſi ſint exauctorati, quippe qui nullam habent juriſdictionem: immo & quodam modo pro aliis Sacramentis conferendis, eo quod ab officio & executione Ordinum ſuſpenſi, illicite divina adminiſtrent Sacramenta.

Neque tamen diffitemur quoſdam inter ſummos Pontifices exiſtimaſſe multos impios vel non ſuſcepiſſe Ordines, vel ſi rite ordinati fuiſſent dum membra erant Eccleſiæ, ut primum poſtea propter ſcelera excommunicati ſunt, non potuiſſe ceteros ordinare, immo & reordinationem præcepiſſe, ſed in hoc quorumdam Doctorum rigidiorum ſecuti ſunt ſententiam, ut dicetur infra, altera quippe opinio in Concilio Florentino prævaluit.

Ceterum ſenſus ſummorum Pontificum ille eſt, inquit Iſambertus Diſp. 2. de ſacr. Ord. art. 2. Epiſcopos exauctoratos non potuiſſe conferre & juriſdictionem & ipſam gratiam ſanctificantem eis quos Laicos hoc eſt contra Canones, & non prævia pœnitentia publica & ſacramentali ordinaverat. Et vero numquid Photius ſuos in ſchiſmate detentos bene ordinabat, ita ut honoris gradum & gratiæ fructum iſti mali reciperent? Non. " Quomodo fieri poteſt, *ait* ,, *Innocentius Epiſtola* 18. ut eorum pro- ,, phanos Sacerdotes dignos Chriſti honori- ,, bus arbitremur, quorum Laicos imper- ,, fectos, ut dixi, ad S. Spiritus percipien- ,, dam gratiam cum pœnitentiæ imagine re- ,, cipiamus. ,,

Inſtant: Atqui Ordo non ſuſcipitur valide a quocumque cui fit cæremonia: Ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum: Si res ita ſe haberet, dubio-procul Ordo conferret poteſtatem peragendi ea quæ ſunt tali Sacramento propria, tametſi Miniſter ſacrilege ageret: Atqui ex ſanctis Patribus contrarium conſtat; & probatur. S. Cyprianus Epiſt. 68. ait: " Sacrificium Eucha- ,, riſtiæ celebratum ab indigniſſimo Sacer- ,, dote, eſſe panem luctus, a quo pleba ,, debet abhorrere. ,, Eoſque Miniſtros aſſimilat Core, Datan & Abiron, qui non ſine crimine uſurpaverant Sacerdotium. Igitur ex beato Cypriano Ordine inſignitus nequit quandoque peragere ea quæ illi propria cenſentur, qualis eſt Euchariſtiæ confectio. Confirmatur: Degradati acceptam amittunt poteſtatem, et ut a criminibus reſipiſcant, reordinari poſſunt juxta ſtatutum primi Concilii generalis apud Theodoretum L. 1. Hiſt. c. 9. idem ſtatuit Synodus

dus IV. Toleti cap. 27. Ex quo patet Ordinem non imprimere characterem indelebilem, nec eſſe talis naturæ Sacramentum quale prædicatur in Eccleſia Romana, inquit Spalatenſis.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem: Hæretici, & exauctorati non habent poteſtatem ſubeundi munia in Ordinatione accepta licite, valide, ſubdiſtinguo: circa ea quæ forum Eccleſiaſticum ſpectant concedo: circa ea quæ conſecratione perficiuntur, nego. Duplex eſt in Epiſcopo poteſtas, ut jam non ſemel diximus: Altera circa corpus Chriſti verum, altera circa corpus Chriſti myſticum: Prior habet pro objecto Euchariſtiæ & Miniſtrorum conſecrationem, & competit ratione characteris qui eſt indelebilis, quique imprimitur Ordinatione Sacerdotis, & extenditur inauguratione Præſulis: Poſterior vero eſt penes auctoritatem ad cenſuras contumacibus infligendas, ad peccata ſolvenda, & celebratur nomine juriſdictionis, quæ diverſos honoris & prælaturæ gradus complectitur; illam retinent degradati, excommunicati, iſtam vero amittunt: & hoc unum probant auctoritates, quas contra Ordinis ſacramentum per modum molis immenſæ accumulant Proteſtantes ut fucum faciant.

Ad alteram ex auctoritate ſancti Cypriani depromptam probationem, diſtinguo: Et eo loci beatus ille Pater docet ſolum nec eſſe communicandum cum Hæreticis, nec myſteriis quæ illicite celebrant adſtandum, concedo: ſic & ad noſtra uſque tempora mos ille perantiquus perſeverat: & contendit revera malos Miniſtros, ſacram non conficere Euchariſtiam, nego. Quia vero nemo catholicus hominis ſuſpenſi & exauctorati non debet audire Miſſam, ideo Cyprianus vocat panem Euchariſticum ab eis conſecratum, panem luctus, maxime cum non ſit fas citra peccatum, communicare cum exauctoratis.

Quod autem hic ſit genuinus ſancti Cypriani ſenſus, patet ex eo, quod ibi loquatur de Epiſcopis excommunicatis, videlicet de Baſilide & Martiali, qui propter idololatriæ crimen exauctorati, ſuis reſtitui ſedibus ſatagebant; ibidem enim de eis ſic loquitur: " Fruſtra tales Epiſcopatum ſibi
,, uſurpare conantur, cum manifeſtum ſit
,, ejuſmodi homines, nec Eccleſiæ Chriſti
,, poſſe præeſſe. ,, Audis ſanctum Doctorem loqui tantum de juriſdictione qua Prælati ceteris præſunt. Pergit: " Nec Deo
,, ſacrificia offerre debere, maxime cum
,, jam pridem nobiſcum, & cum omni-
,, bus omnino Epiſcopis in toto mundo con-
,, ſtitutis etiam Cornelius Collega noſter
,, Sacerdos pacificus ac juſtus, & Martyrio
,, quoque dignatione Domini honoratus
,, decreverit ejuſmodi homines ad pœniten-
,, tiam quidem agendam poſſe admitti,
,, ab Ordinatione autem Cleri atque ſacer-
,, dotali honore prohiberi. ,, Obſerves velim Cyprianum cum B. Cornelio non niſi de exauctoratione ſolum, & juriſdictionis poteſtate quæ in Ordinatione primas habet radices loqui; quod certe iſta verba, *Sacerdotali honore prohiberi*, ſonant: nihil vero de characteris deletione.

Rurſus paulo ante explicans quid tunc moliretur Baſilides, dum exauctoratus, ſuum poſtea confeſſus peccatum provocavit ad ſummum Pontificem, non quidem ut iterata ordinatione ſuum reſtauret Ordinem, ſed juriſdictionis poteſtatem. Ecce de eodem momento ſancti Cypriani verba: " Ba-
,, ſilidem, *ait*, poſt crimina ſua detecta,
,, & conſcientiam etiam propria confeſ-
,, ſione nudatam, Romam pergens, Ste-
,, phanum Collegam noſtrum longe poſi-
,, tum, & rei geſtæ ac tantæ veritatis igna-
,, rum ſefellit, ut exambiret reponi ſe in-
,, juſte in Epiſcopatum, de quo fuerat ju-
,, ſte depoſitus. ,,

Ad Concilii Nicæni ſtatutum eadem eſt reſponſio; unum tantùmmodo intendit, videlicet exauctoratos, qualis erat Meletius ſchiſmaticus, privari non quidem Ordinis poteſtate, ſed Ordinum executione & juriſdictione: prohibet quippe ne divina celebrent myſteria; juriſdictionem vero eorum ita ſuſpendit, ut ne minimum quidem actum etiam valide exercere queant; quod & probat in ſuſpenſis quotidiana experientia. De hoc momento ſic ſcribit Sozomenus Lib. 4. Hiſt. c. 23. " Concilium,
,, *inquit*, contra eum, *ſcilicet Meletium*,
,, pronuntiavit ſententiam, ut videlicet
,, Lyconem incoleret, nomenque ſuum re-
,, tineret Epiſcopi, atque de reliquo neque
,, in urbe, neque in pago ullum Eccleſiæ
,, miniſtrum ordinaret; qui autem eſ-
,, ſent ab eo conſtituti, illi neque a com-
,, munione quidem, neque a miniſterio ex-
,, cluderentur; ſed tamen ceteris Clericis
,, in ſingulis Eccleſiis ac Provinciis con-

ſti-

„ ſtitutis eſſent honore inferiores . „ Non igitur exauctoratur Epiſcopatu , ſed juriſdictione & Prælaturæ honoribus ſpoliatur; quippe qui e gradu dejecti ceteris Clericis inferiores ſint , cum antea eis præficerentur.

Replicant: Atqui character & poteſtas Ordinis deperdi poteſt. Igitur Ordo non eſt Sacramentum quale delineatur a Theologis Catholicis, nec imprimit characterem. Probatur antecedens ex ſancto Cypriano , qui Epiſt. 52. loquens de Novatiano, qui tametſi ante excommunicationem Epiſcopus foret , contendit tamen: " per ipſum ſchiſma de- „ ſinere eſſe Epiſcopum . „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo ut ſupra: Non eſſe poſt ſchiſma Epiſcopum quoad honoris gradum & juriſdictionem, concedo : quoad characterem & conſecrationem , nego . Eo loci inſurgit Sanctus Cyprianus adverſus Novatianum , qui molitione horribili ſanctum Cornelium a ſede Pontificia deturbare volebat , dicens ſe ſolum Summum Pontificem ; propugnat autem ſanctus Cyprianus Novatianum , tametſi ordinatum , nulla tamen potiri juriſdictione ut erigeret Diœceſes , & Epiſcopos in provinciis pro more Summorum Pontificum conſtitueret, ut Archiepiſcopos conſecraret &c. Igitur ſolum de poteſtate juriſdictionis movet quæſtionem, cum de Novatiano loquens ait: " Epiſcopatum autem tenere non poteſt, „ etiamſi Epiſcopus prius factus , a Coe- „ piſcoporum ſuorum corpore, & ab uni- „ tat: Eccleſiæ deſciſceret. „

Perſiſtunt : Patres eodem modo loquuntur de Ordine ac de Baptiſmo : Sed ad Baptiſmum adminiſtrandum non requiritur Ordo ſacer qui ſit indelebilis . Igitur nec ut aliquis conſtituatur Confirmationis , Pœnitentiæ , & Extremæ-Unctionis miniſter.

Reſpondeo diſtinguendo : Patres comparant cum Baptiſmo Ordinem quantum ad efficaciam , concedo : quantum ad conſecrationem, characterem & poteſtatem, nego. Sacramentum ſecundum, ſe ſpectatum producit gratiam; in hoc omnia conveniunt Sacramenta , nec Ordo Baptiſmati in illa efficacia impar eſt ; ſed non eamdem ſpecie producunt gratiam . Baptiſmus regenerationis, Ordo vero conſecrationis annexam habens poteſtatem ſuper corpus Chriſti naturale & myſticum, ſua vi & ex opere operato confert . Nec mirum quod non eadem ſit ratio pro utroque Sacramento ; cum enim Baptiſmus ſit ceterorum ſacramentorum janua , & ad ſalutem ſimpliciter & abſolute neceſſarius, conveniens erat ut quilibet ſive laicus , ſive Sacerdos , poſſet in neceſſitate baptizare , tametſi ſolus Sacerdos ſit ex officio hujus Sacramenti miniſter ordinarius . Sed res non eodem modo ſe habet in confectione Euchariſtiæ , Pœnitentiæ , Confirmationis & Extremæ-Unctionis ; ad ea quippe operanda requiritur miniſter a Deo electus , ſacerdotio præditus , dicente Apoſtolo Epiſt. ad Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem : ſed qui vocatur a Deo , tamquam Aaron* . Ad hoc igitur datur Ordo ſacer; & hic eſt apertus Patrum ſenſus.

Reponunt : Omne Sacramentum ex elemento conſtat , juxta illud S. Auguſtini Tract.80. in Joannem: *Accedit verbum ad elementum , & fit Sacramentum* . Sed in collatione Ordinis nullum affulget elementum . Igitur Ordo non eſt Sacramentum ſaltem proprie dictum.

Reſpondeo primo diſtinguendo: Omne Sacramentum ex elemento conſtat , hoc eſt, ſigno ſenſibili & terreno , concedo : nec ipſe diſſentit Beza in ſuis quæſtionibus & reſponſionibus de Sacramentis q. 19. Elemento ſtricte ſumpto , nego . Hoc enim in ſolo comperitur Baptiſmo qui fit in aqua , & de illo Sacramento tantum in loco pro objectione adducto movet S. Auguſtinus quæſtionem. Quod autem Patres nomine elementi pro Sacramentis omnibus non intelligant aut aquam , aut ignem & aerem, quæ nedum ſunt entia ſimplicia , ſed & complexa, patet ex eo quod aſſerant actus pœnitentis eſſe Pœnitentiæ, chriſma Confirmationis , oleum Extremæ-Unctionis materiam: ſin minus , vel ipſi Proteſtantes non habebunt pro Sacramento Euchariſtiam, quandoquidem , ipſis non diſſitentibus , fit in pane & vino , quæ dubio procul a Philoſophis non vocantur elementa.

Reſpondeo ſecundo ad eamdem probationem aliter diſtinguendo: Omne Sacramentum ex elemento fit , hoc eſt , in materia cujuslibet Sacramenti aliquid elementi invenitur , concedo : eſt merum elementum , nego. Compoſita juxta Philoſophum conſtant elementis , tametſi non ſint pure & ſimplici-

pliciter elementa : ſic panis ex aqua & frumento coaleſcit. In hoc ſenſu S. Thomas explicat Hugonem a S. Victore dicentem materiam ſacramenti eſſe elementum . Sic loquitur 3. p. ſup. q. 34. art. 3. ad 1. " Dicen-
„ dum quod quamvis Ordo in ſuo nomi-
„ oe non exprimat aliquod materiale ele-
„ meotum, tamen Ordo non confertur ſi-
„ ne aliquo elemento materiali. „

Inſtant : Atqui Ordo non fit in elemento , etiam latiſſime ſumpto, & pro aliquo ſenſibili. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: Eodem prope modo ratiocinandum eſt de Ordine Eccleſiæ militantis , ac de Ordine Eccleſiæ triumphantis . Sed Ordo iſtius in aliquo ſenſibili & terreſtri ſigno non repoſitus eſt : Igitur nec Ordo illius.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo : Eodem modo ratiocinandum eſt de ordine Eccleſiæ militantis ac de ordine Eccleſiæ triumphantis quantum ad aliquid, concedo : quaotum ad omnia, nego. In hoc Ordo uterque ſitus eſt, quod omnia Eccleſiæ membra Deo conjungantur, & in ipſo quieſcant , ſed iſta unio in terra fit per Sacramenta & ſeoſibilia, eo quod homo non poſſit ſine ſignis ſenſibilibus propter naturæ corruptæ pondus ad divina aſſurgere , maxime cum hic in ænigmate & per fidem de ſe obſcuram Deum cognoſcamus : ſed in cœlis hoc viſione intuitiva , lumine gloriæ & Dei ipſius in mentem Beatorum felici illapſu immediate & perfectiſſime adimpletur.

D. Thomas ibidem ad 2. ſolvit difficultatem his verbis : " Dicendum quod Po-
„ teſtates proportionari debent illis ad quæ
„ ſunt : Communicatio autem divinorum,
„ ad quam datur ſpiritualis poteſtas , non
„ fit Angelis per aliqua ſenſibilia ſigoa ,
„ ſicut in hominibus contingit . Et ideo
„ poteſtas ſpiritualis , quæ eſt ordo , non
„ adhibetur Angelis cum aliquibus ſignis
„ viſibilibus , ſicut hominibus; & ideo in
„ hominibus Ordo eſt Sacramentum , ſed
„ oon in Angelis. „ Idem prorſus de ce-
„ teris Beatis aſſerendum juxta expoſitam
„ rationem.

Inſiſtunt : Ideo Ordo dicitur Sacrameotum , quia unctione & conſecratione fit : ſed Reges etiam inunguntur, & tamen eorum inauguratio non eſt Sacrameotum. Igitur nec Ordo.

Reſpondeo negando paritatem . Ratio diſcriminis eſt , quod unctio Regis , immo nec Abbatis benedictio per ſe primo ordinentur ad producendam vi propria gratam & ſanctitatem, bene vero unctio ſacerdotalis . Succinit S. Thomas ibidem q. 34. art. 3. ad 3. " Dicendum , *inquit*, quod
„ non omnis benedictio , quæ hominibus
„ adhibetur, vel conſecratio eſt Sacramen-
„ tum, quia & Monachi, & Abbates be-
„ nedicuntur , tameo illæ beoedictiooes
„ non ſunt Sacramenta : & ſimiliter nec
„ regalis unctio, quia per hujuſmodi bene-
„ dictiooes non ordinantur aliqui ad diſ-
„ penſationem divioorum Sacrameotorum,
„ ſicut per benedictiones Ordinis. „

§. IV.

Idem Sacramenti Ordinis dogma auctoritate Eccleſiarum Orientalium confirmatur.

CONSENSUS utriuſque Eccleſiæ Occidentalis ſcilicet & Orieotalis in aliquo circa fidem articulo , ita ponderat, ut ſi quis illum ipſum abnegaverit , nedum fidei omnis , ſed & Religionis extorrem ſe eſſe probaret. Atqui conſenſus ille pro Sacramento Ordinis omni argumentorum genere manifeſtatur. Igitur Ordo ſacer eſt Sacrameotum novæ legis. Tametſi minor illa jamjam ex defioitionibus Conciliorum io Oriente adunatorum, & ſententiis Patrum Græcorum conſtet, ulterioribus tamen momentis comprobatur. Videlicet nominibus Sacramenti in utraque Eccleſia celebratis : Hierarchia Eccleſiaſtica , quæ ſicut Eccleſiæ Occidentali , ſic & Orientali conveoit : 2. Ordinatiooibus a primis ſæculis ad noſtra uſque ſæcula cum in Occidente , tum in Oriente pari zelo & œconomia ſolemniter factis . 3. Ex oppoſitione quæ ſemper intercesſit inter Græcos vel ipſos recentiores & Proteſtantes. Demum ex Decretis ſummorum Pontificum, qui Ordioationes Græcorum , tametſi quandoque hæreſi, vel ſchiſmate ab Eccleſia Romana divulſorum , ratas tamen habuere.

Primo ex nominibus.

NOMEN explicat naturam rei , juxta illud Geneſ. 2. *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus.* Sed nomina quibus Eccleſia celebrat Ordinem ſubindigitaot ipſum eſſe oovæ legis Sacramen-

men-

mentum : Et probatur. Juxta Latinos nomen Ordinis varia ſignificat. Primo quidem debitam & convenientem rerum diſpoſitionem. Secundo certum ſtatum hominis: eo protſus ſenſu tres diſtinguuntur hominum ſtatus, videlicet Eccleſiaſticus, nobilis, & plebejus. Tertio demum actionem qua aliquis inter Eccleſiæ Miniſtros annumeratur.

Apud Græcos illa actio χειροτονία vocatur, hoc eſt manuum impoſitio; adſciti quippe ad ſacros Ordines per manuum impoſitionem quondam conſecrabantur, dicente Apoſtolo 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*. Rurſus Epiſt. 2. ad eumdem cap. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Concinit illud Zonaræ in primum Apoſtolorum canonem: " Cum turbæ li-
„ ceret in urbibus eligere ſacrorum Præfe-
„ ctos, conveniebat ipſa turba, & alii qui-
„ dem hunc, alii vero deligebant illum:
„ quatenus autem plurium ſuffragium vin-
„ ceret, eligentes ferunt ſolitos extende-
„ re manus, & per manus ita porrectas
„ numerabantur, qui hunc vel illum ele-
„ giſſent. „

Arcudius L. 6. cap. 1. fuſum habet ſermonem de nomine Sacramenti, de quo præſens movetur controverſia: aſſerit vocem græcam χειροτονία duo potiſſimum ſignificare, videlicet electionem ad ſacros Ordines, plerumque vero conſecrationem, & ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam initiationem. Armenopolus in appendice canonum explicans priorem canonem Apoſtolicum, ait: " Canon iſte Apoſtolorum
„ de conſecratione, ac manuum impoſi-
„ tione loquitur, primæ vero Synodi ca-
„ non de electione; hanc enim & conſti-
„ tutionem, & chirotoniam vocat. „

Idem Sacramentum pluribus aliis donatur nominibus, maxime vero unctionis nomine celebratur. A ſancto Gregorio Nazianzeno Orat. 5. De ſancto Chryſoſtomo hæc ſcribit Metaphraſtes apud Arcudium ibidem: " Sacro chriſmate conſecratur,
„ & in excelſo loco Eccleſiæ colloca-
„ tur. „

Ex iſta ſententia liquet Sacerdotes unctione non ſolum gratiæ & interiori, ſed & materiali ac ſenſibili quæ priorem deſignat, conſecrari: " De Latinis loquendo, in-
„ quit Arcudius pag. 410. negari non pot-
„ eſt, quia propter utramque recte dici
„ debeat hoc Sacramentum unctio. Sic
„ enim habent in uſu, ut ex Pontificali
„ Romano conſtat. Quamvis materialis
„ unctio non ſit de eſſentia Sacramenti.
„ Ejus tamen mentionem facit Anacletus
„ in Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, Pacia-
„ nus Ambroſii coætaneus in Epiſtola 3.
„ ad Sympronianum, Auctor de operibus
„ Cardinalibus Chriſti in ſermone de chri-
„ ſmate, & Gregorius L. 4. in Libros Re-
„ gum cap. 5. „

Subjungit: " Quia vero Græcis non idem
„ mos eſt, idcirco quærimus, an aliquan-
„ do uncti materialiter fuerint, & eam
„ deinde cæremoniam neglexerint, vel eam
„ numquam adhibuerint. Partem affirma-
„ tivam aſtruere videtur Dionyſius Areo-
„ pagita de Eccleſ. Hyer. cap. 4. Sanctus
„ Maximus Confeſſor Scholiaſtes Dionyſii.
[Per unguentum, *inquit*, omne ſanctum
„ perficitur. In iiſdem Scholiis ejuſdem
„ 4. cap. Perficiuntur enim omnia divino
„ unguento delibuta, quemadmodum par-
„ ticipatione ſancti corporis & ſangui-
„ nis. „]

Secundo ex Hierarchia.

A mundo condito Hierarchiam inſtituit Deus Creator inter Angelos, tum Chriſtus in Eccleſia, quam quidem ſuo proprio emit ſanguine. Sed utraque Hierarchia, Cœleſtis ſcilicet & Eccleſiaſtica ſacrum Ordinem eſſe Sacramentum evincit: Ergo &c. Probatur minor quoad utramque partem. Primo quidem cœleſtis eſt exemplar Eccleſiaſticæ. Porro illa in Ordine ſacro, eoque multiplici inter Angelos inſtituto ſita eſt, ita ut Superiores ad Dei ſimilitudinem propius accedentes, purgent, illuminent atque perficiant inferiores: hinc a Propheta regio Miniſtri Dei optimi maximi vocantur, juxta illud Pſal. 103. 5. *Qui facis Angelos tuos Spiritus: & Miniſtros tuos ignem urentem*. Conveniens igitur fuit ut Chriſtus ad inſtar Hierarchiæ cœleſtis, alteram in Eccleſia inſtitueret, & quidam inter multos præelecti Ordine ſacro initiarentur, ut ſuorum Myſteriorum eſſent diſpenſatores: quod Paulus plenus Spiritu ſancto intonat 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Igitur Hierarchia

cœleſtis, quæ in Ordinibus ſacris, & operationibus a gratia ſupereminenti promanantibus conſiſtit, indicat alteram Eccleſiaſticam, cujus definitio & natura, idem principium, idem ſcopus, idem prorſus finis eſt. Igitur Ordo ſacer in gratia fundatus, immo & ſignum gratiæ practicum, conſequenter, & ut verum novæ legis Sacramentum exiſtit. De his momentis audiendus eſt ſanctus Dionyſius, qui inter ceteros Patres in hac mirabili materia diſcutienda eminet.

De cœleſti Hierarchia.

Cuncta dirimit mirum in modum ille Pater in libro, qui de cœleſti Hierarchia inſcribitur. Capite 1. docet omnem gratiam a Patre Luminum ad nos derivari; deinde vero auctoritate divinarum Scripturarum probat cœleſtes Hierarchias: Tres quippe ſunt: Prior quæ Seraphim, Cherubim & Thronos complectitur: altera quæ Dominationes, Virtutes & Poteſtates: Tertia, quæ Principatus, Archangelos & Angelos. Cap. 2. idem proſequitur, quod quidem variis illuſtrat exemplis & figuris, tum & rationibus. Cap. 3. definit Hierarchiam, præfigit ſcopum, enarrat operationes. Non injucundum erit, hic aliquos proferre textus.

Eo loci ſic loquitur: " Eſt Hierarchia,
„ meo quidem judicio, ſacer Ordo, &
„ ſcientia, & actio quæ ad Deiformita-
„ tem, quantum fas eſt, accedit, atque
„ inſitis ſibi divinitus illuſtrationibus pro-
„ portione quadam ad Dei ſubvehitur imi-
„ tationem. „

Rurſus ibidem: " Scopus igitur Hierar-
„ chiæ eſt Dei, quanta fieri poteſt, aſſimi-
„ latio conjunctioque; quem cum habeat
„ omnis ſacræ & ſcientiæ, & operationis
„ ducem, ad diviniſſimum ejus decorem
„ conſtanter intuendo, eumdem quoad pot-
„ eſt exprimit, nec non divinos ſui con-
„ ſortes ſacra quædam perficit ſimulacra,
„ ſpeculaque clariſſima & immaculata,
„ quæ excipiant primitivę lucis ſummæque
„ Deitatis radium. „

Rurſus: " Etenim cujuslibet eorum qui
„ ſacrum Ordinem ſortiti ſunt, in hoc ſi-
„ ta perfectio eſt, ut ad divinam pro ca-
„ ptu quiſque ſuo, promoveatur imitatio-
„ nem . . . divinamque in ſemetipſo de-
„ monſtret operationem, quoad poteſt elu-
„ centem: quippe cum in hoc ſit ſacræ
„ gubernationis ordo, ut aliqui purgen-
„ tur, alii purgent, aliqui illuminentur,
„ alii illuminent: quidam perficiantur,
„ nonnulli vero perficiant. „

Pergit in reliquis capitibus Hierarchias cœleſtes explanare. Cap. 4. ait Deum ſuam bonitatem in creaturis diffundere, & oſtendit quamlibet Hierarchiam primos, medios & extremos ordines ita habere, ut unaquæque ſuſcipiat gradum. Ex quo concludit S. Thomas 1. p. q. 108. art. 1. Hierarchiam in ſanctiſſima Trinitate non reperiri, quia teſte Tertulliano, *Divinitas non ſuſcipit gradum*. Cap. 5. docet Dionyſius nomen Angeli ſuperioribus Spiritibus eatenus convenire, quatenus quidquid inferiores faciunt, adimplere queant. Cap. 7. delineat Angelorum primæ Hierarchiæ dignitatem. Cap. 8. potentiam ſecundæ. Cap. 9. Tertiæ virtutes & functiones. Cap. 10. ait ſublimiores ſpiritus præ ceteris magis illuminari. Cap. 11. oſtendit omnes Virtutum nomine rite celebrari. Cap. 12. ſubnotat nomen Angelorum nonnumquam hominibus concedi, maxime Sacerdotibus. Cap. 13. explicat quomodo Iſaias vel ab ipſo Seraphim purgatus dicitur. Cap. 14. tractat de Angelorum numero. Cap. 15. in quo ſenſu formæ hominum & ſenſus Angelis tribuantur.

De Eccleſiaſtica Hierarchia.

S. Dionysius abſolutis iis quæ cœleſtem ſpectant Hierarchiam, gradum facit ad Eccleſiaſticam in libro ſequenti. Capite 1. docet Myſteria Religionis noſtræ ſolis baptizatis aperienda eſſe ab iis quibus ex officio Sacramenta conferre competit: illam cum priore in hoc potiſſimum convenire aſſerit, quod inferiores a ſuperioribus, Deo duce, purgentur, illuminentur & perficiantur; differre vero in eo quod hoc fiat in Angelis modo ſimpliciori, in hominibus vero per imagines, per figuras & Sacramenta ſenſibilia. Cap. 2. ait Baptiſmum eſſe totius vitæ ſpiritualis principium, deinde fuſo calamo deſcribit ritum & cæremonias Baptiſmi cum ejus effectibus. Cap. 3. diſcurrit de ſacra Euchariſtia, quam omnium Sacramentorum conſummationem eſſe oſtendit. Poſtea de Scriptura ſacra & Sacrificio. Cap. 4. loquitur de unguento benedicto, quo baptizati, quo virgines, quo Altaria con-

conſecrantur: deinde ait illud ſignificare virtutum & gratiarum fragrantiam: poſtea Seraphim aſſiſtere Pontifici unguentum illud pretioſum conficienti aſſerere non dubitat. Cap. 5. ſermonem inſtituit iu particulari de Eccleſiaſtica Hierarchia, quæ complectitur Pontificem, Sacerdotes, Diaconos & alios inferiores Miniſtros, quorum omnium conſecrationem recenſet. Pontificem eſſe primum in ordine Hierarchico, & ab eo ſacram omnem poteſtatem ad inferiores derivari dicit: Tum quid ſit munus Pontificum, quid Presbyterorum, & ceterorum inferiorum Miniſtrorum præfigit.

Ibidem docet Hierarchiam novæ legis mediare inter cœleſtem & legalem. De legali hæc habet p. 305. " Hujus autem legalis Hierarchiæ myſterium introductio „ quædam fuit ad cultum ſpiritualem: Duces ejus extiterunt ii qui ſacri illius tabernaculi ritum a Moyſe, primo legis „ Pontificum Doctore ac duce, didicerant: „ qui ad ſacrum illud tabernaculum inſtitutionis cauſa Hierarchiam legis deſcribens ad exemplaris, quod illi in monte „ Sina monſtratum fuerat imaginem & imitationem omnia, quæ in lege ſancte „ fiebant, revocabat. „

Pergit: & de Hierarchia Eccleſiæ Chriſti hæc habet pag. 308. " Pontificum itaque divinus ordo primus eſt eorum ordinum qui Deum vident, idemque ſummus & ultimus, quippe in quo & abſolvitur & expletur omnis Hierarchiæ „ noſtræ diſtinctio. Ut enim Hierarchiam „ omnem videmus in Jeſum deſinere, ſic „ unamquamque in ſuum divinum Pontificem. „ Subjungit Sacerdotem multa conficere Sacramenta, ſed modo prius ab Epiſcopo fuerit ipſe conſecratus; qua quidem ſententia os contunditur Calviniſtarum, qui abnuunt Sacerdotii ordinem: " „ Licet enim a Sacerdotibus veneranda quædam Sacramenta conficiantur, numquam „ tamen Sacerdos divinam illam regenerationem ſine diviniſſimo illo unguento conſummabit. . . . . Quin ne Sacerdos quidem erit, niſi Pontificiis initiationibus „ ad ſortem iſtam fuerit promotus. „ Cap. 6. mentionem facit de Monachis, qui ipſo teſte conſecrantur, & inter eos, qui perficiuntur primas tenent ſedes.

Ex Dionyſio datur Hierarchia cœleſtis, qua Angeli per diverſos gradus ad Dei ſanctitatem accedunt: Datur & Eccleſiaſtica; una quidem legalis fuit, & ortum habuit a veteris legis Sacerdotibus, qui non niſi prævia initiati conſecratione, divinum cultum non perficiebant: altera vero Eccleſiæ Chriſti quæ baptizatos complectitur, quæ Pontifices, quæ Sacerdotes qui primum tenent locum & in hoc ordine mira conſecratione conſtituuntur, quibus ſolis ex officio competit conficere Sacramenta. Hierarchia iſta, teſte Dionyſio, mediat inter cœleſtem & legalem: quippe quæ gratiam prioris, conſecrationem vero poſterioris novæ legis Miniſtris conferat. Igitur ex conſenſu Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis Ordo eſt Sacramentum novæ legis: Et vero quod Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia, hoc ipſum ex Eccleſia Græca SS. Chryſoſtomus, Baſilius in ſuis Liturgiis, & alii docuere. Hoc tenuit ex Occidentali ſanctus Gregorius Magnus in Sacramentario, in quo ordinationes Sacerdotum, Diaconorum & aliorum inferiorum Miniſtrorum refert: Hoc Concilium tertium & quartum Carthaginenſe. Hoc aliorum Patrum glorioſus cœtus: Hoc ſanctus Thomas 3. p. q. 61. art. 4. q. 67. art. 1. in Supplemento q. 31. art. 1. q. 34. art. 1. q. 37. aot. 2. & 4. q. 40. art. 4. & 5. q. 72. art. 1.

Gradus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.

De Epiſcopatu.

Nomine Epiſcopi intelligimus ſummum Sacerdotem & primum in ordine Hierarchiæ, cui ſoli ex officio competit creare Sacerdotes, conſecrare altaria, ſanctum conficere chriſma, & regere Eccleſiam Dei, adeoque Presbyteris longe ſuperiorem. Ita definivit ſacra Synodus Tridentina Seſſ. 23. cap. 4. his: " Declarat præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc „ Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & poſitos, ſicut Apoſtolus ait, a „ Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, „ eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe. „ Rurſus ibidem can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem . . . anathema ſit*. De hoc momento ac præeminentia fuſiori

fuſiori calamo infra ſcribemus: ſufficiat impræſentiarum oſtendere Epiſcopum eſſe magnum Hierarcham.

Epiſcopatus ſuos viciſſim habet gradus. Primus complectitur ſummos Pontifices, qui nedum ordine, ſed & poteſtate ſuper ceteros Epiſcopos eminent, juxta illud Chriſti ad Petrum Joan.21. *Paſce agnos meos... Paſce oves meas*. Quæ verba SS. Cyprianus Epiſt. ad Quintum, Chryſoſtomus Comment in hunc locum, Auguſtinus L.2. de Bapt.c. 1. intelligunt de ſuprema in reliquos Paſtores & Plebejos fideles auctoritate, ſicut & divus Bernardus Lib.2. de Conſideratione.

In ſecundo ordine reponuntur Patriarchæ. Quia ſecundum Scriptores ſacros datur Epiſcopus qui Primatibus & Metropolitanis præeſt. Eo titulo primus celebratus eſt S. Leo Act.1. Concilii Chalcedonenſis. Græci in Concilio Conſtantinopolitano ann. 536. Patriarchæ dignitatem in Pontifice Romano agnoverunt, tum & tribuerunt quatuor Epiſcopis primarum Eccleſiæ Orientalis ſedium, videlicet Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano.

Poſt Patriarchas ſequuntur Primates, qui quidem Patriarchis inferiores, ſed Metropolitanis ſuperiores ſunt, ita colligitur ex can. 2. Concilii Conſtantinopolitani.

Metropolitanorum nomine intelligas velim, benevole Lector, Epiſcopos qui immediate ſubſunt Primatibus, & immediate præſunt Epiſcopis alicujus Provinciæ.

De Presbyteris.

Presbyter eſt Sacerdos cui traditur poteſtas ſuper corpus Chriſti verum & myſticum. Ordo iſte ſuſcipit quoque diverſos juxta diverſa officia gradus; ſcilicet Chorepiſcopos, Epiſcoporum Vicarios, Canonicos, Parochos.

Chorepiſcopi erant ſimplices Sacerdotes qui in villis, & pagis vices Epiſcoporum agerent: Quatuor minores conferebant, ut videre eſt in can.13. Concilii Ancyrani. Vicarii Generales Epiſcoporum munere pro Diœceſis regimine funguntur. Canonici dicuntur illi, qui juxta regulas a jure præſcriptas publice certis & ſtatutis horis divinum decantant officium. Parochi, cuidam Fidelium numero, inter certa loca commorantium præſunt, eorumque ſaluti Sacramentorum adminiſtratione invigilant.

De inferioribus Miniſtris.

Inter omnes primum tenent locum Diaconi, quibus ex officio competit inſervire Altari, & legere Evangelium: Sequuntur Subdiaconi, qui cantant Epiſtolam, & in adminiſtratione Sacrificii, ſimul cum Diacono adjuvant Sacerdotem. Minores Miniſtri ſimpliciter dicuntur, qui Minoribus inſerviunt, ut Acolythus qui urceolos præbet Subdiacono: Lector, qui Scripturam ſacram in conventu Eccleſiæ legit; Exorciſta, qui dæmones ab Energumenis vi Exorciſmorum propellit: Oſtiarius, qui prophanos ab Eccleſia ejicit.

Veteres Conciliorum Canones mentionem faciunt de Diaconiſſis, ſed dubio-procul non erant de numero Miniſtrorum ad ſacrum Presbyteratus ordinem ſpectantium, quippe quæ nulla conſecratione initiarentur: Porro erant piæ mulieres, vel virgines, vel etiam viduæ, quæ caſtitatis voto celebres, quibuſdam piis incumbebant circa mulieres officiis, modo ruſticanas de Baptiſmate ſuſcipiendo erudiebant: modo ipſas baptizandas exuebant veſtibus, quas e Baptiſterio eductas ſuſcipiebant. Ita Epiphanius Her.79. de eis loquitur S.Clemens L.3. Conſt. c.15.

Diluuntur objecta circa auctoritatem ex libro de Hierarchia Eccleſiaſtica divi Dionyſii deprompta.

Objicies: Incertus eſt auctor libri Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Igitur nihil inde roboris eruitur ad probandum Ordinem apud Græcos habitum fuiſſe ut Sacramentum. Probatur antecedens: Non eſt Dionyſii Areopagitæ, ut quidam contendunt, fœtus. Igitur incertus auctor eſt; conſequenter & liber.

Reſpondeo diſtinguendo: Incertus eſt auctor, ſed certus liber, concedo: incertus quoque liber, nego. Dato & non conceſſo, auctorem libri eſſe dubium, omnes tamen etiam ſeverioris critices conveniunt de duobus punctis. Primo quidem librum eſſe alicujus Patris fœtum; ſecundo ab auctore ſexti ſaltem ſæculi promanaſſe: Neminem vero latet tam antiquum auctorem traditione Apoſtolica fulſultum falſa ſcripſiſſe de Ordine tamquam de Sacramento. Sancti Doctores libros operis illius qui tributu-

Dio-

Dionyſio paſſim in ſuis ſcriptis laudant, & habent ut Patris antiquiſſimi teſtimonia ex eis deprompta: In primis ſanctus Thomas Librum de cœleſti Hierarchia citat. Caput quidem primum. 1. p. q. 1. art. 9. q. 9. art. 1. Caput ſecundum ibidem q. 13. art. 3. & 12. Caput tertium ibidem q. 106. art. 2. q. 108. art. 1. Caput quartum ibidem q. 12. art. 11. Caput quintum ibidem q. 1. art. 10. Caput ſextum ibidem q. 56. art. 1. Caput ſeptimum ibidem q. 12. art. 8. Caput octavum ibidem q. 66. art. 3. Caput nonum ibidem q. 108. art. 2. 5. & 6. Caput decimum ibidem q. 108. art. 2. & 3. Caput undecimum ibidem q. 76. art. 1. Caput duodecimum ibidem q. 55. art. 3. Caput decimumtertium ibidem q. 112. art. 2. Caput decimumquartum ibidem q. 50. art. 3. Caput decimumquintum ibidem q. 51. art. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia dictum eſt ſupra. Mitto librorum de divinis nominibus & de myſtica Theologia loca, quæ Doctor Angelicus pari cum fiducia laudat ut Dionyſii Areopagitæ fœtum. Ex quibus claret auctoritates illius operis eſſe omni exceptione majores pro aſtruenda traditione Eccleſiæ Græcæ de Sacramento Ordinis.

Reſpondeo ſecundo quoſdam perperam revocare in dubium opera beati Dionyſii, de quo varii varia ſcripſere, quem & in Gallias appulſum negant: Verum tametſi Dionyſius Epiſcopus Pariſienſis non eſſet Areopagita, non inde ſequeretur eum Dionyſium Areopagitam non eſſe librorum Hierarchiæ parentem, maxime cum Sanctus Thomas Doctor Eccleſiæ eximius, qui ſcripſit quinque ferme abhinc ſæculis, illos ubique laudet ut ſancti Dionyſii Areopagitæ opera: Quis autem cordatus dixerit fidem magis eſſe adhibendam recentioribus Theologis, qui nova dixere, quam Sancti Thomæ divinæ ſapientiæ imbribus imbuto.

Neque vero felicius critici poſuerunt Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem non eſſe Areopagitam, quandoquidem habemus nubem teſtium qui contrarium aſſerant. Primoquidem Hincmarum Epiſtola ad Carolum Calvum. 2. Fides ſeu traditio de hoc momento jamjam perantiqua tempore Ludovici Manſueti Caroli patris circumferebatur, ut claret ex Fortunato Pictavienſium Epiſcopo. Ex Eugenio II. Epiſcopo Toletano: Ex Beda, Metaphraſte, Methodio Patriarcha Conſtantinopolitano, Syngello Presbytero Jeroſolymitano, Anaſtaſio Bibliothecario, Concilio Pariſienſi anno 824. in ſua ad Eugenium II. Papam Epiſtola, Baronio, Spondano, Sauſſiano, Germano Milet, Hugone Menard. Patre Alexandro, qui & objectionibus facit ſatis. Revera quidem non eſt credibile Apoſtolos qui fidem in Æthiopia, in Africa, in vaſtiſſimis Indiarum imperiis fidem diſſeminarunt, prætermiſiſſe Gallias, quæ Romæ ubi Petri ſucceſſores ſedebant, viciniores ſunt.

Inſtabis: Qui non niſi operationes myſticas tribuit & Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconibus, non exiſtimat Ordinem eſſe verum novæ legis Sacramentum: ſed auctor libri Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, non alias illis tribuit operationes. Igitur non poteſt dici illum habere Ordinem ut ſacramentum, quandoquidem hujus Sacramenti finis, eſt conſecrare Miniſtros, qui cetera conficiant Sacramenta. Jam probatur minor. Cap. 4. pag. 309. 55. 6. hæc habet & loquitur: " Eſt igitur Pontificatus ſeu Epiſcopatus Ordo, qui conſummante virtute fultus, perficientia quæque ſacri Ordinis munia præeminenter conſummat, que ſacrorum diſciplinas interpretando tradit, & edocet, quænam ipſis ſacræ competant habitudines atque virtutes. Sacerdotum Ordo, qui illuminat ad ſacra myſteria contuenda initiatos manu ducit divinorum Ordini Pontificum ſubjectus . . . Verum Ordo Miniſtrorum, ſeu Diaconorum eſt, qui expiat & diſſimilia diſcernit antequam ad Sacerdotum ſacra veniant; accedentes etiam luſtrat, ut eos a contrariis immunes reddat. "

Reſpondeo primo, auctorem habere Ordinem ut verum novæ legis Sacramentum, quippe qui ſacras & Presbyteri & Diaconi Ordinationes referat eodem cap. 5. pag. 312. & ſequentibus.

Reſpondeo ſecundo negando minorem; auctor quidem myſticas tribuit operationes Eccleſiæ Miniſtris, qui promoveant initiatos ad divinæ bonitatis tum participationem, tum fruitionem, quæ eſt Hierarchiæ finis, ſed non excludit ſacramentorum confectivas. Sic loquitur ibidem pag. 308. " Licet enim a Sacerdotibus veneranda quædam Sacramenta conficiantur, numquam tamen

„ men Sacerdos divinam illam regenerationem ſine diviniſſimo illo ungento conſummabit, neque divinæ Communionis Myſteria conſecrabit, niſi Communionis Sacramenta diviniſſimo Altari fuerint impoſita, quin ne Sacerdos quidem erit, niſi Pontificis initiationibus ad ſortem iſtam fuerit promotus. „

Rurſus pag. 309. de Sacerdote ſic loquitur: " Sacerdotum autem Ordo qui illuminat ad ſacra Myſteria contuenda initiatos manu ducit divinorum ordini Pontificum ſubjectus, cum quo propria ſua celebrat officia, atque in iis quidem quæ facit divina opera ſanctiſſimis ſignis & Sacramentis oſtendit.... Verum ordo Miniſtrorum ſeu Diaconorum eſt, qui expiat & diſſimilia diſcernit, antequam ad Sacerdotum ſacra veniant. „ Audis Dionyſium ubique mentionem facere de ſignis ſacris adeoque de Sacramentis, quocirca dum operationes myſticas, quibus anima chriſtiana gradum facit ad Deum, commemorat, dubio-procul non excludit Ordinem a ratione Sacramenti.

Urgebis Cap. 6. fuſiori calamo explanat Ordinum functiones & officia, quæ ſolum in expiatione, illuminatione & perfectione reponit. Hoc eſt, ut Myſteriorum Dei diſpenſatores expient peccatores, illuminent & perficiant: Sed eo loci altum eſt ſilentium de confectione Sacramentorum, ad quam tendit Ordo ſacer ut Sacramentum eſt. Igitur in ea non fuit ſententia Dionyſius quod ſit Sacramentum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Eo loci altum eſt ſilentium de operationibus Sacramenta conficientibus, quia illas auctor ſupponit, concedo: quia excludit, nego. Scopus auctoris librorum Hierarchiæ eſt ſtimulare animas ad contemplationem divinorum quibus perficiuntur: hujuſce ſtatus mirabilis, ait, Miniſtros eſſe Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos; ſubjectos vero fideles quem in triplicem dividit Ordinem. Primus eſt peccatorum, qui a vitiis purgantur: alter eorum, qui virtutum operatione ad ſcientiam Dei vi contemplationis aſcendunt. Tertium eorum, qui abjectis & ſpretis omnibus vitæ contemplativæ toti incumbunt, & perfecti dicuntur. Non mirum igitur ſi Dionyſius operationes Sacramentales ſupponat, & de ceteris potiſſimum ubi erat ſcopus ſui impetus, agat.

De priori ordine pag. 329. 8t. ait: " Triplex modo genus ordinum initiandorum ſupereſt exponendum. Dicimus igitur, ordines illos qui expiantur, eſſe turbas illas quæ a ſacris functionibus & conſecrationibus ſegregantur, quarum ſuperius mentionem fecimus. „ Obſerves velim ibi ſecernere populum a ſacris Miniſtris de quibus in prioribus capitulis egerat, & ſupponere Pontifices, Sacerdotes, Diaconos eſſe in Eccleſia conſecratos ut divina Sacramentorum Myſteria perficiant, deinde de diverſis peccatoribus, qui expiandi & purgandi ſunt, hæc ſubjungit: " Hi enim ſunt Ordines qui cura Miniſtrorum & purgandi vi expiantur, quos ad hoc Miniſtri ſacris ſuis virtutibus provehunt, ut perfecte purgati, ad illuminantem illuſtriſſimorum ſacrificiorum contemplationem & communionem traducantur. „ Igitur ex Dionyſio dantur Sacerdotes, qui ſacris initiati Ordinibus ſacrificium Altaris conficiunt.

De ſecundo pag. 330. hæc habet: " Medius autem Ordo eſt is, qui ſacrorum quorumdam aſpectu gaudet; atque eorumdem pro modulo ſuo in omni puritate particeps exiſtit, qui luminis accipiendi gratia Sacerdotum curæ eſt commiſſus.... Hunc ergo ſanctæ plebis Ordinem appello, quippe qui per omnem expiationem eo pervenerit, ut ſacro-ſancto præſtantiſſimorum Sacramentorum aſpectu & communione, quantum fas eſt, dignus ſit habiturus. „

De tertio ſic intonat ibidem §. 3. " Summus vero eorum omnium qui perficiuntur eſt Ordo Monachorum, cum & omni piaculo, & tota vi, omnique actionum ſuarum ſanctimonia ſit expiatus, & omnis Myſterii, quod quidem ei fas ſit aſpicere, ſpectator, particepſque ſit factus, traditusque perficienti Pontificum Ordini, cujus divinis illuſtrationibus Pontificiſque inſtitutis ſacrorum ad ſe ſpectantium Myſteriorum conſecrationes eruditus, ab eorumdem ſacra ſcientia ad perfectiſſimam pro ſuo modulo perfectionem evehatur. „

Perſiſtes: Dionyſius eodem modo loquitur de Monachorum ordine, ac de ordine ipſorum Pontificum, cum & ad ordinem Pontificum illum ſpectare pronuntiet his verbis quæ de Monacho profert: *Traditusque perficienti Pontificum ordini.* Quinim-

Digitized by Google

mo Jobus apud Allatium profeſſionem Monaſticam inter Sacramenta connumerare non dubitat. Sed nemo dixerit profeſſionem Monaſticam eſſe verum & proprie dictum novæ legis Sacramentum. Igitur & juxta Dionyſii principia, nec Pontificum & Sacerdotum ordinem.

Reſpondeo diſtinguendo: Dionyſius eodem modo loquitur de profeſſione Monachorum, ac de Pontificum ordine, quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego. Duo diſtinguit Dionyſius in Pontifice, nimirum Ordinem ſacramentalem, & perfectionis ſtatum; primum ratione characteris & ordinationis, cujus vi habet poteſtatem Sacerdotes conſecrandi, & alia munia Eccleſiaſtica exercendi, ei ſoli convenire docet; alterum ratione contemplationis & cum Deo unionis, quam præ ceteris miniſtris propter eminentem ſtatum comparare tenetur. Monachum non aſſimilat Epiſcopo quantum ad characterem, ſed ſolummodo quantum ad perfectionis gradum, propter vitæ ſanctimoniam quam profitetur, cum Deo ſoli, omnibus mundi illecebris & bonis ſpretis, vacare ex profeſſione teneatur. Ergo Deo per profeſſionem Monaſticam ſeſe conſecrat: quocirca Monachatus a Jobo dicitur quoddam Sacramentum, quatenus ſicut in Baptiſmo homo regeneratur renuntiando ſatanæ pompis, ſic & profeſſione Monachali renovatur in melius religioſus, juxta illud Apocalypſeos c. 22. ℣. 11. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc*.

Quod autem Dionyſius non aſſimilet Monachum Pontifici quantum ad characterem & poteſtatem ſacramentalem, ex multis liquido patet. Primo quidem ex eo quod Dionyſius expreſſe removeat Monachorum conſecrationes a ſacris Ordinibus. Secundo, quia hujuſmodi conſecrationis non Pontifex, ſed ſimplex Sacerdos miniſter eſt. Porro ad ſolum ſpectat Pontificem, & Pontifices & Sacerdotes conſecrare. Tertio, ipſe profeſſionis Monachalis ritum eſſe vitæ ſolum perfectiſſimæ inſtitutum ſubindigitat, quam quidem perfectionem ex profeſſo docet, prædicatque auctor in omnibus ſuis libris, videlicet in iis quos conſcripſit de cœleſti, & Eccleſiaſtica Hierarchia, de divinis nominibus, & de Theologia myſtica; unde non mirum ſi pauca de Ordine, ut Sacramentum eſt, dicat, & omnem ferme ſermonem ad vitam contemplativam edocendam, & in animas inducendam convertat.

Ceterum Dionyſius eſt ſui ipſius interpres circa Monachorum profeſſionem, de qua ſic loquitur ibidem cap. 6. §. 3. pag. 331. “ Lex ſancta perficientem eis gra- „ tiam indulſit, eiſque conſecrantem „ quamdam adhibet invocationem, non „ quidem Pontificiam, ea enim in ſolis „ ſacris Ordinibus adhibetur, ſed conſe- „ cratoriam aliquam, quæ a ſanctis Sacer- „ dotibus in hierarchica initiatione ſecun- „ do loco adhibetur. „ Pergit his verbis.

Myſterium Monaſtica conſecrationis.

“ SACERDOS quidem ſtat ante Altare, „ Monaſticam ſancte recitans invocatio- „ nem: is autem qui conſecratur, ſtat „ poſt Sacerdotem, nec utrumque, ne- „ que etiam alterum genu flectit, nec „ ſupra caput habet Scripturas a Deo tra- „ ditas, ſed tantum aſtat Sacerdoti ſu- „ pra illum myſticam invocationem pro- „ ſequenti. Qua finita, Sacerdos ad eum „ accedens, rogat ipſum primum an om- „ nibus rebus dividuis renuntiet, non ſo- „ lum vitiis, verum etiam imaginationi- „ bus. Deinde exponit illi vitam perfe- „ ctiſſimam, conteſtans illum debere me- „ diam vivendi rationem ſuperare. Quæ „ ubi omnia is qui initiatur continenter „ profeſſus eſt, Sacerdos eum ſigno crucis „ conſignatum tondet, tres perſonas divi- „ næ beatitudinis invocando, omnique „ veſte detracta, eum alia induit, & cum „ aliis viris ſanctis aſtantibus ipſum ſalu- „ tans, participem facit divinorum myſte- „ riorum. „

Placita recentiorum Græcorum de Sacramento Ordinis.

ARGUMENTUM pro Sacramento Ordinis omni exceptione majus, illud eſt, quod Græci, tametſi a Romana Eccleſia tum ſchiſmate, tum hæreſi divulſi, fidem tamen de ſeptem novæ legis Sacramentis intactam ad noſtra uſque tempora ſervaverint. Atqui res ſic ſe habet. Igitur abſque fundamento Proteſtantes e numero ſacramentorum expunxerunt Ordinem. Numquid iſti ſanctis Patribus doctiores, numquid Conciliis prævalentes, num-

numquid pro libito & ad voluntatis nutum, prout erit vel imaginationis, vel paſſionis impetus, profana ſacris miſcere fas eſt? Probatur igitur minor, videlicet conſentientibus Græcis etiam recentioribus, Ordinem eſſe novæ legis Sacramentum proprie dictum, & hoc inconcuſſis momentis.

Primo quidem proferimus confeſſionem orthodoxam q. 119. p. 173. Ibi ſic habetur: " Sacerdotium eſt Sacramentum traditum a Jeſu Chriſto ſuis Apoſtolis: Ordinatio per eorum manuum impoſitionem ad hæc uſque tempora ſubſiſtit, cum Epiſcopi in adminiſtratione divinorum myſteriorum eis ſucceſſerint."

Non abſimili modo Jeremias Patriarcha de eodem loquitur momento in ſuis ad Theologos Wittembergenſes Lutheranos reſponſionibus, reſp. 1. pag. 78. his verbis: " Ordinatio Creatoris potentiam & fortitudinem elargitur: porro cum nihil abſque eo ſubſiſtat, & in hoc venerit ut ſuæ Aſcenſionis tempore nos ad bonum perducat, ipſam ſuam nobis contulit poteſtatem Sacerdotio, quo quidem cuncta ſacra operantur Myſteria. Quin immo nihil, ſecluſo Sacerdote, ſanctum eſt. Præterea cum ab initio nos rerum omnium viſibilium conſtituerit magiſtros, hoc modo ſuper omnes excellentiſſimo, vi Sacerdotii eſſe fatagit, quippe qui claves cœli contulerit Apoſtolis, & ſucceſſione Sacerdotibus."

Meletius Syrurgus eamdem doctiſſime probat veritatem, confutando capitulum decimum quintum Cyrilli Lucaris, qui adhærebat Calviniſtis. Ita perſtringit adverſarium Apoſtatam: " Nonne nobis claret ſanctum Spiritum ſtatuiſſe quæ erant obſervanda ab eis qui ad Epiſcopatum promoveri debebant. Primo quidem ut ſuſciperent Ordinationem, & preces eorum qui jamjam ordinati fuerant, & ſuum poſtea adimplerent miniſterium. Namque de ſancto Paulo & ſancto Barnaba ſcriptum eſt: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.*" Idem multis ex Apoſtolo depromptis auctoritatibus confirmat, maxime illo 2. ad Tim. c. 1. oraculo: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Pergit: " Quomodo igitur poſt hæc dicetur, rem adeo magnam, quale eſt Sacerdotium, non eſſe Sacramentum, cum cæremoniis viſibilibus gratia inviſibilis ſancti Spiritus conferatur, quod eſt Sacramento proprium." Ulterioribus rationibus Theologicis idem iterum atque iterum probat, quibus completis, ſic concludit: " Igitur Eccleſia Orientalis primis temporibus ſuſcepit & conſervat Sacerdotium uti myſterium ſacrum, juxta doctrinam ſancti Dionyſii aliorumque ſubſequentium Patrum, illud ut quid inter omnia excellentiſſimum babet, & tamquam mater eorum omnium quæ in Religione ſunt, ut loquitur Epiphanius; neque vero agnoſcit vocem Cyrilli, qui propugnat contrarium.

Quid plura adjiciam? Doſithæus Patriarcha in opere quod juris publici fecit anno 1694. validiſſimis argumentis oſtendit Ordinem eſſe ſacramentum. Hoc ipſum innuunt omnia tum Pontificalia, tum Ritualia Græca, in quibus ſacræ referuntur Ordinationes, de quibus infra ex profeſſo tractabimus.

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Græci nomine Sacerdotii intelligunt Ordines: ſed in hoc multum diſcrepant a Latinis, nec quidquam certi ex eis habetur. Igitur inane eſt argumentum petitum ex auctoritate Græcorum recentiorum. Probatur minor multis momentis. Primo quidem Subdiaconatum non habent ut Ordinem ſacrum, nec ejus aſſignant officium pro legenda Epiſtola, ſed in præparatione eorum quæ ſpectant ſacrificium. Secundo, quatuor Minores non admittunt, ſed tantum Lectorem, & Cantorem, non dicam ab undecim ſæculis, ſed ab ipſo Chriſtianiſmi initio: nec octava Synodus act. 10. cap. 5. aliorum meminit. Tertio, ſimiliter non recipiunt tonſuram clericalem, ſed eam ad Monaſticam vitam inſtituendam remittunt. IV. neque cohæret apud eos cum Latinis Pontificum, Sacerdotum & Diaconorum ordinationes, quippe quæ ſola manuum impoſitione fiant. Quin immo Diaconorum officium prorſus diverſum eſt ab eo quod in Eccleſia Latina videmus; namque in Eccleſia Alexandrina Coptitarum Sacerdos legit Evangelium; nonnumquam etiam ab ipſis Epiſcopis

pis & Patriarchis legitur . Quibus poſitis , Ordines Orientalium non nihil ſuperſtitionem ſpirant , nec conſequenter quidquam roboris habent ad aſtruendum Ordinis Sacramentum . Ita Renaudotius Lib. 5. perp. fidei c. 6. de Græcis ſcribit : ſic & ante ipſum Morinus exercit.13. & 14. de Ordinationibus Orientalium .

Reſpondeo primo , hæc & ſimilia ne minimum quidem inficiari Orientalium circa Ordinis ut ſacramenti exiſtentiam , ſed unum tantummodo probare , videlicet inter Orientales & Occidentales in Ordinationibus aliquam reperiri diſcrepantiam accidentalem , nullam vero eſſentialem ; cujus rei argumentum eſt , quod ſummi Pontifices ratas ſemper habuerint Orientalium ordinationes , nec quicquam aut dubii , aut controverſiæ inter Græcos & Latinos in Concilio Florentino emerſerit . Quocirca non ſine ſtupore legitur in libro Thomæ a Jeſu c. 13. p. 379. interrogatio facta Æthiopo cujus nomen eſt Tecla-Maria , num ſuſcepiſſet quatuor Minores , quandoquidem ex iis propter omiſſionem Minorum judicium de validitate ejus ordinationis non erat ferendum , cum illi Minores non ſint de Sacerdotii eſſentia .

Reſpondeo ſecundo , in Liturgiis antiquis & Canonibus mentionem fieri de quatuor Minoribus , videlicet de Oſtiariis , Exorciſtis & Acolythis : ſed iſtorum officiis fungebantur Lectores , vel etiam Cantores ; hinc , inquit Renaudotius ibidem , nihil ſuperſtitionis habebant Ordines inferiores , cum potius Lectores & Cantores non ſine cæremonia ſacra vel ab Epiſcopo , vel a ſimplici Sacerdote ordinarentur , ut Altari inſervirent , & ad ſacrificium ſimul cum Subdiacono cuncta pararent . Ceterum parum refert iſta munia fieri vel a quatuor , vel a duobus ſolum miniſtris , nimirum a Lectore & Cantore , & pro perfectioribus a Subdiacono . Quia vero Orientales officia quatuor minorum non diſtinxerunt a Lectoris & Cantoris muniis , nec utique diviſerunt Ordines in ſacros & non ſacros , in majores & minores .

Morinus de hoc momento exercit. 14. cap. 1. de minoribus Ordinibus ſecundum Græcos hæc ſcribit : " De minoribus
,, Ordinibus ſecundum Græcos acturi ,
,, primum adnotabimus hanc diſtinctio-
,, nem Ordinum in majores & minores
,, non eſſe apud eos uſitatam , ideo nec
,, epithetum *Minorum* inferioribus Ordi-
,, nibus ab iis tribui ſolere . Res tamen
,, epitheto ſignificata uſitatiſſima eſt apud
,, eos , non ſecus quam apud Latinos , ſed
,, non eodem modo . Ex quatuor enim Or-
,, dinibus unum retinuerunt , tres autem
,, reliquos non agnoſcunt , videlicet Oſtia-
,, rium , Exorciſtam , Acolythum . Una
,, eſt illis ordinatio , nempe Lectoris ; La-
,, tinis vero quatuor . Si quis curioſius
,, agere velit , duas illi tribuet , ſed ſe-
,, cunda eſt Latinis inuſitata , Cantoris
,, ſcilicet ; ſolent enim iiſdem verbis
,, Græci Cantores ordinare , quibus Le-
,, ctores . De iis inferius agetur . Mini-
,, ſteria tamen quatuor minoribus Ordi-
,, nibus a Latinis tributa in Liturgiis &
,, officiis ſuis Eccleſiaſticis non omiſerunt
,, Græci , ſed ea partim Lectori diviſe-
,, runt , partim Subdiacono . ,,

Jam ad ſingula reſpondere juvat . Ad primum , non eſt de fide vel ipſos apud Latinos Subdiaconatum eſſe ordinem ; multi enim graviſſimi Theologi , ut Vaſquez , Maldonatus , Morinus exercit . 11. c. 4. propugnant contrarium . Neque vero aliquod faceſcit negotium quod Subdiaconi in Eccleſia Græca non legant Epiſtolam , ſicut faciunt in Latina : modo enim inſerviant Altari præparando ea quæ ſpectant ſacrificium , ſufficit : maxime cum materia Ordinum ſit ſolummodo aliquod ſenſibile ab Eccleſia aſſumptum per verba ad aliquos effectus ſpirituales producendos determinatum .

Ad ſecundum diſting. Græci præter Lectorem non alios agnoſcunt minores explicite , concedo ; implicite , nego . Nam ceterorum officia peragunt quandoque Lectores , quandoque etiam Subdiaconi ; quod ſufficit ut in Eccleſia Latina dividantur in quatuor , & quatuor ad hæc munia ſubeunda aſſumantur miniſtri . Et vero naſcente Eccleſia , non alii erant præter Diaconos miniſtri . Ergone ſubſequenti tempore inutiles Subdiaconi , Lectores , Oſtiarii &c. ? abſit . Omnes , aiunt Theologi , inferiores Ordines includebantur in Preſbyteratu , & data oportunitate , quod Sacerdotes cum Diaconis in ſacrificio adimplebant , multo pluribus miniſtris ad majorem ſolemnitatem peractum eſt .

Ad tertium : Omnes norunt Tonſuram cleri-

clericalem non eamdem eſſe cum Monaſtica, cum ſit præparatio ad Ordines, iſta vero ad vitam contemplativam ex officio exercendam, quia tamen per quatuor minores ſufficienter homo præparatur ad Sacerdotium, nulli mirum videri debet ſi apud Græcos tonſura clericalis non ſit in uſu, cum primævis temporibus vel in ipſa Eccleſia Latina juxta auctores Eccleſiaſticos non habuerit locum.

Ad quartum, patet ſolutio ex dictis; nimirum diverſam materiam non niſi materialem & accidentalem inducere inter Latinorum & Græcorum ordinationes diſcrepantiam, quandoquidem apud omnes eadem eſt, ſaltem quoad ſenſum verborum forma, idem intentus effectus, idem & conficiendum Sacramentum. Jam vero ſi de Diaconorum officio quandoque vel a Sacerdotibus, vel etiam ab ipſis Epiſcopis & Patriarchis peracto loquamur, nihil inde abſurdi ſequi manifeſtum eſt: ſuperiores quippe Altaris miniſteria ſe ſolis abſque inferioribus poſſunt facere, juxta illud S. Dionyſii effatum: *Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, adunata ſunt in ſuperioribus*. Nec inde etiam ſequitur Diaconum non poſſe legere Evangelium, Quidquid ſit, certum eſt Diaconatum apud Græcos eſſe Ordinem ſacrum & Sacramentum. Simeon Theſſalonicenſis, apud Morinum exercit. 11. c. 4. duplicem diſtinguit apud Græcos ordinationem, unam latam & improprie dictam, alteram ſtrictam & proprie dictam; priorem ad Lectoratum & Subdiaconatum reſtringit, ſecundam ad Diaconatum & ſuperiores Ordines. Officium Subdiaconorum in eo ſitum eſſe aſſerit, ut vaſa ſacra & ornamenta pro Sacerdote, tum pro Epiſcopo præparent: Diaconorum vero, ut Sacerdoti ſacrificanti in omnibus ad ſacrificium peragendum adjuvent; eumque miniſtrum ad hoc ita neceſſarium eſſe exiſtimant Græci, ut nedum in Miſſis ſolemnioribus, ſed & in ſecretis quæ demiſſa voce celebrantur, adhibeant Diaconum.

Objicies Renaudotius Lib. 5. perp. fidei c. 6. Orientales veteris diſciplinæ pro officio Diaconorum ipſis Latinis tenaciores eſſe, nec ſemel iſtis exprobraſſe quod in omnibus Miſſis non adhiberent Diaconum. Quin immo ſubnotat varias lingua Arabica & Syriaca circumferri quæſtiones, num Liturgia abſque Diacono celebrari queat? & partem negativam ſecluſo ſupremæ neceſſitatis caſu, Canoniſtas Orientales defendere. Pro coronide ſubdit Subdiaconos in Eccleſia Orientali vaſa ſacra, videlicet calicem cum patena & cochleari, ponere ſuper Abacum, ſolum vero Diaconum ad Altare ea deferre, eo potiſſimum tempore quo fit cæremonia quam Græci vocant μεγάλη εἴσοδος. Ceterum iſtæ circa inferiores Ordines difficultates ne minimum quidem urgent, cum caput controverſiæ ſit de Sacerdotio, quod dubio procul, etiamſi omitterentur miniſtri, foret ſemper Ordo, cum Apoſtoli ante ipſorum Diaconorum inſtitutionem divina non ſine conſecratione celebraverint myſteria, maxime ſi attendas, benevole Lector, illorum officium tunc fuiſſe miniſtrare menſis.

Inſtabis: Atqui vel ipſum Sacerdotium non eſt Ordo ſacer. Igitur nec Sacramentum. Probatur ſubſumptum: Si eſſet, maxime ad conficiendum corpus Chriſti ut ſacramentum ſimul & ſacrificium. Atqui Græci iſta divina non peragunt myſteria: & probatur. Panem benedicunt, quem & ſuper vulnera & corpus languidum apponunt ad medelam. Sed nemo cordatus dixerit panem tranſubſtantiatum iſtis inſervire profanis uſibus. Igitur panis ille eſt vere a Græcis tranſubſtantiatus, nec corpus Chriſti realiter continet; adeoque non eſt apud eos vel ipſum Sacerdotium uti ſacramentum.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego minorem. Ad ulteriorem diſtinguo: Græci benedicunt panem, cujus aliqua pars poſtea conſecratur, concedo: & totus conſecratur, nego. Mos inolevit apud Græcos ad majorem ſolemnitatem, quamdam panis portionem præviis orationibus benedicere, ut iſta benedictione præparetur materia ſacrificii. Porro ex devotione quidam quandoque de illo pane benedicto reſiduo & nondum conſecrato utuntur ad ſanitatem reſtaurandam, eo prope modo quo & ad eumdem effectum utuntur oleo benedicto, ut dictum eſt de materia Extremæ Unctionis. Igitur non panis Euchariſticus & tranſubſtantiatus, ſed ſolummodo ſimpliciter benedictus inſervit, fide adhibita ad vulnerum quibus apponitur curationem.

§. V.

§. V.

Idem Ordinis dogma aſtruitur

Ex Ordinationibus.

SACRAMENTUM eſt ſignum ſenſibile inviſibilis gratiæ ad noſtram ſanctificationem inſtitutum. Atqui Eccleſia Orientalis ſimul & Occidentalis in hoc conveniunt, quod Ordo ſit hujuſmodi ſignum ſacrum; & probatur ex Ordinationibus utriuſque Eccleſiæ, in quibus materia ſimul cum forma ad ſanctificationem miniſtri adhibentur: unde attonit demirantur omnes cordati, Ordinem e numero Sacramentorum a Lutheranis & Calviniſtis expunctum fuiſſe. Cauſa cadunt in hoc profecto iſti, cum & Scripturis ſacris, & omni contradicant Eccleſiæ; conſenſus enim ille perpetuus Orintalium & Occidentalium tantam habet auctoritatem ad perſtringendos Hæreticos, ut non habeant quid juſte reſpondeant.

Ordinationes juxta Latinos.

CONCILIUM IV. Carthaginenſe anno 398. celebratum cap. 1. eas omnes refert, ordinationem ſcilicet quatuor Minorum, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteratus & Epiſcopatus.

Textus Concilii.

CAPITE 1. ſic loquitur: " Qui Epi-
,, ſcopus ordinandus eſt, antea examine-
,, tur ſi natura ſit prudens, ſi docibilis,
,, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus,
,, ſi ſobrius, ſi ſemper ſuis negotiis ca-
,, vens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſe-
,, ricors, ſi litteratus, ſi in lege Domi-
,, ni inſtructus, ſi in Scripturarum ſenſi-
,, bus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſia-
,, ſticis exercitatus, & ante omnia ſi fidei
,, documenta verbis ſimplicibus aſſerat
,, &c.

Ibidem n. 2. " Epiſcopus cum ordina-
,, tur duo Epiſcopi ponant & teneant
,, Evangeliorum codicem ſupra caput &
,, cervicem Ejus, & uno ſuper eum fun-
,, dente benedictionem, reliqui omnes
,, Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput
,, ejus tangant. ,,

Ibidem num. 3. " Presbyter cum ordi-
,, natur, Epiſcopo eum benedicente, &
,, manum ſuper caput ejus tenente, etiam
,, omnes Presbyteri qui præſentes ſunt,
,, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſu-
,, per caput illius teneant. ,,

Ibidem num. 4. " Diaconus cum ordi-
,, natur, ſolus Epiſcopus qui eum bene-
,, dicit ,, manum ſuper caput illius po-
,, nat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad
,, miniſterium conſecratur. ,,

Ibidem num. 5. " Subdiaconus cum or-
,, diatur, quia manus impoſitionem non
,, accipit, patenam de Epiſcopi manu acci-
,, piat vacuam, & calicem vacuum; de
,, manu vero Archidiaconi urceolum cum
,, aqua, & mantile, & manutergium. ,,

Ibidem num. 6. " Acolythus cum ordi-
,, natur, ab Epiſcopo quidem doceatur
,, qualiter in officio ſuo agere debeat;
,, ſed ab Archidiacono accipiat cerofe-
,, rarium cum cereo, ut ſciat ſe ad ac-
,, cendenda Eccleſiæ luminaria mancipa-
,, ri. Accipiat & urceolum vacuum, ad
,, ſuggerendum vinum in Euchariſtiam
,, ſanguinis Chriſti. ,,

Ibidem num. 7. " Exorciſta cum ordi-
,, natur, accipiat de manu Epiſcpi libel-
,, lum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, di-
,, cente ſibi Epiſcopo: Accipe, & com-
,, menda memoriæ, & habeto poteſta-
,, tem imponendi manus ſuper energu-
,, menum, ſive baptizatum, ſive catechu-
,, menum.

Ibidem num. 8. " Lector cum ordina-
,, tur, faciat de illo verbum Epiſcopus
,, ad plebem, indicans ejus fidem, ac vi-
,, tam, atque ingenium. Poſt hæc, ſpe-
,, ctante plebe, tradat ei codicem de quo
,, lecturus eſt, dicens ad eum: Accipe,
,, & eſto Lector verbi Dei, habiturus,
,, ſi fideliter & utiliter impleveris offi-
,, cium, partem cum iis qui verbum Dei
,, miniſtraverint. ,,

Ibidem num. 9. ,, Oſtiarius cum ordina-
,, tur, poſtquam ab Archidiacono inſtru-
,, ctus fuerit, qualiter in domo Dei de-
,, beat converſari, ad ſuggeſtionem Ar-
,, chidiaconi, tradat ei Epiſcopus claves
,, Eccleſiæ de altario, dicens: Sic age,
,, quaſi redditurus Deo rationem pro his
,, rebus quæ his clavibus recluduntur. ,,

Ibidem num 10. " Pſalmiſta, id eſt Can-
,, tor, poteſt abſque ſcientia Epi-
,, ſcopi, ſola juſſione Presbyteri, officium
,, ſu-

„ ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Pre- „ sbytero: Vide ut quod ore cantes, cor- „ de credas: & quod corde credis, ope- „ ribus probes. „

Codex duodecim circiter ſæculorum excerptus e Bibliotheca Viri ampliſſimi D. Petavii Parlamenti Pariſienſis quondam Senatoris, optimis abſolutus notis, eaſdem refert ordinationes cum orationibus, quibus Epiſcopus, Presbyter & Diaconus conſecrantur, non ſecus ac alias quibus miniſtri ordinantur. Inſtar omnium Codicum infra referendorum ſit iſte in quo hæc habentur.

Ex codice nongentorum annorum ætatem ſuperante habemus Miſſam Sabbati ante Dominicam ſecundam Quadrageſimæ, conſecrationem Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi: item & varias ordinationis orationes.

Similia habet de ritibus ordinationis codex manuſcriptus Corbejenſis octingentorum & amplius annorum, quem cum præcedentibus & ſubſequentibus memorat codex laudatus. Eo loci leguntur ordinationes quatuor Minorum, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi, qualiter in Eccleſia Romana fiunt & obſervantur.

Codex antiquiſſimus Bibliothecæ Vaticanæ, ordinandi Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum & Subdiaconum ritus complectitur.

His accedit ritus ex iterato Corbejenſi manuſcripto pervetuſto ordinandi Epiſcopum, ſimplicem Sacerdotem, Diaconum, Subdiaconum & quatuor Minores.

Non omittendus ritus Rotomagenſis Eccleſiæ ex codice Anglicano octingentorum ſaltem annorum excerptus. In illo codice ſimilia cum orationibus & benedictionibus pro ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ leguntur.

Idem ritus iſtos omnes conſecrandi ex codice annorum octingentorum deſcriptus in Remenſi floret Eccleſia.

Concinit pro iiſdem ordinationibus ritus ex antiquiſſimo Senonenſi codice deſumptus.

Idem profertur ritus ex codice manuſcripto ſeptingentorum annorum excerptus. In iſto Litaniæ Sanctorum a Clero decantandæ leguntur.

Inter iſtos ritus conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros & alios, habemus alterum ex octingentorum annorum codice Thuano aſſumptum.

Morinus eumdem profert ritum ex codice Romano, ſeptingentorum annorum ætatem ſuperante. Apud eumdem de aliis codicibus hæc habentur: *Ritus antiquus electionis, examinis & ordinationis Epiſcopalis*. Item: *Sacrarum ordinationum ritus ex duobus codicibus Bellovacenſibus, quorum unus eſt ſexcentorum & quinquaginta annorum, alter paulo poſterior, decerptus*. Item: *Sacrarum ordinationum ritus, ex codice annorum circiter quingentorum exſcriptus*. Demum: *Excerpta quædam e duobus codicibus, ante annos quinquaginta ſupra quadringentos ſcriptis, quæ ad ſacras ordinationes ſpectant*.

Ecce Ordo ut Sacramentum ex antiquiſſimis, probatiſſimis & perpetuis ordinationibus probatus & aſſertus. Numquid Proteſtantes fidem omnium ſæculorum evacuabunt? Quaſi vero licitum ſit per fas & nefas muſcitando abrogare ea quæ a Chriſto Domino incontaminata & nunquam vel ipſis adverſus Chriſtianos Tyrannis ſævientibus, intermiſſa functione habemus; quod nedum ex dictis, ſed ab ordinationibus a primævis B. Petri ſucceſſoribus liquido conſtat, ut legitur in Breviario Romano, ubi ex manuſcriptis antiquiſſimis & Auctoribus Eccleſiaſticis omni prorſus fide digniſſimis ſequentia proferuntur.

De ſancto Lino primo poſt Beatum Petrum ſummo Pontifice anno Chriſti 67.

“ SEDIT annos undecim, menſes duos, „ dies viginti tres, creatis bis menſe De- „ cembri Epiſcopis quindecim, Presby- „ teris decem & octo. „

De ſancto Clemente qui clavum Eccleſiæ tenuit anno 91.

“ VIXIT in Pontificatu annos novem, „ menſes ſex, dies ſex. Fecit ordinatio- „ nes duas menſe Decembri, quibus crea- „ vit Presbyteros decem, Diaconos duos, „ Epiſcopos per diverſa loca quinde- „ cim. „

De ſancto Sotero, qui floruit anno 173.

“ SEDIT in Pontificatu annos tres, men- „ ſes

,, ſes undecim , dies decem & octo , mar-
,, tyrio coronatus ſub Marco Aurelio Im-
,, peratore , & in cœmeterio quod poſt-
,, ea Calliſti dictum eſt , ſepelitur. Mo-
,, re majorum menſe Decembri creatis
,, Presbyteris decem & octo , Diaconis
,, novem , Epiſcopis per diverſa loca un-
,, decim . ,,

De ſancto Aniceto qui univerſæ præfuit Eccleſiæ anno 179.

" ANICETUS Syrus , Imperatore Mar-
,, co Aurelio Antonino , præſuit Eccle-
,, ſiæ . Decrevit ne Clerici comam nu-
,, trirent . Quinquies menſe Decembri
,, ordinavit Presbyteros decem & ſe-
,, ptem , Diaconos quatuor , Epiſcopos
,, per diverſa loca novem &c. ,,

De ſancto Cajo qui vivebat anno 283.

" CAJUS Dalmata , ex genere Diocle-
,, tiani Imperatoris , conſtituit ut his or-
,, dinum & honorum gradibus in Eccle-
,, ſia ad Epiſcopatum aſcenderetur : O-
,, ſtiarii , Lectoris , Exorciſtæ , Acolythi ,
,, Subdiaconi , Diaconi , Presbyteri .
,, Hic crudelitatem Diocletiani fugiens ;
,, aliquandiu in ſpelunca delituit , ve-
,, rum octo poſt annis una cum Gabi-
,, no fratre martyrii coronam conſecutus
,, eſt , cum ſediſſet annos duodecim men-
,, ſes quatuor , dies quinque , creatis
,, menſe Decembri Presbyteris vinginti
,, quinque , Diaconis octo , Epiſcopis
,, quinque . ,,

De ſancto Marcello , qui martyrio coronatus eſt ; quique Eccleſiam gubernabat anno 304.

" ORDINAVIT menſe Decembri Ro-
,, mæ Presbyteros vigiuti quinque , Dia-
,, conos duos , Epiſcopos per diverſa lo-
,, ca viginti unum . ,, Et ſic de multis aliis
quorum memoria in benedictione eſt .

Ordinationes Græcorum .

IN Libro Dionyſii de Eccleſiaſtica Hie-
rarchia cap. 5. pag. 312. editionis Pari-
ſienſis ann. 1644. hæc habentur .

Myſterium conſecrationis ſacrorum Ordinum .

" PONTIFEX quidem , qui ad Pontifi-
,, ciam conſecrationem eſt evectus , utro-
,, que genu flexo ante Altare , ſupra ca-
,, put habet Scripturas a Deo traditas ,
,, manumque Pontificis atque hoc modo a
,, Pontifice , qui ipſum conſecrat , ſan-
,, ctiſſimis apprecationibus conſecratur .
,, Sacerdos vero utroque poplite ante Al-
,, tare flexo , in Capite habet dexteram
,, Pontificis , & hoc modo ab illo Pontifi-
,, ce , qui illum conſecrat ſanctis invoca-
,, tionibus conſecratur . Porro Diaconus
,, unum genu flectens ante divinum Al-
,, tare ſupra caput habet dextram Ponti-
,, ficis ipſum conſecrantis , & ab eo con-
,, ſecratur invocationibus ad Miniſtrorum
,, conſecrationem accommodatis . Unicui-
,, que autem eorum ſignum crucis a con-
,, ſecrante Pontifice imprimitur , & ſingulis
,, ſancta prædicatio perficienſque ſaluta-
,, tio adhibetur , cunctis præſentibus Ec-
,, cleſiaſticis , una cum Pontifice conſe-
,, crante , conſalutantibus illum qui in
,, aliquem dictorum Ordinum ſacrorum eſt
,, cooptatus . ,,

Codex octingentorum annorum Bibliothecæ Cardinalis Franciſci Barberini litteris majoribus & uncialibus ex integro ſcriptus , antiquitate & majeſtate venerandus , habet & complectitur ritum conſecrandi Epiſcopum , Presbyterum , Diaconum , Subdiaconum , Lectorem & Cantorem : iis adjicitur promotio Abbatis : tum & celebratur benedictio Diaconiſſæ , & viri qui Monaſticam profitetur vitam . Plures alios codices optimæ notæ pro eadem materia laudat Morinus parte 2. de Græcorum Ordinationibus a pag. 64. ad 211.

Ritus iſti prorſus ſimilis legitur in codice manuſcripto ſeptimgnuentorum prope annorum Monaſterii Græci Criptæ Ferratæ . Nonnihil tamen diſparitatis eſt , in eo ſcilicet quod omittat promotionem Cantoris .

Idem ritus continetur in codice Bibliothecæ Regiæ quadragintorum annorum notatus 1741. folio 221. Ordinationem Lectoris , Subdiaconi , Diaconi , Presbyteri & Epiſcopi præcontinet . Omittit promotionem Cantoris , & benedictio-

nem Diaconiſſæ. Nec mirum, neutra eſt vera Ordinatio: Tacet quoque Abbatis in Patriarcham aſſumptionem, ſed eam in Epiſcopatu quoad conſecrationem ſacramentalem includi nemo non novit.

Ordinationum Ritus Græcus in aliis momentis refertur, videlicet in antiquo codice Bibliothecæ Clericorum Regularium S. Andreæ Vallenſis, qui Romæ commorantur. In aliis duobus antiquis Bibliothecæ Vaticanæ manuſcriptis, quorum prior annorum quingentorum videtur ſuperare ætatem. Euchologium manuſcriptum ab Allatio, & a Morino mutuatum, fuse omnium Ordinum Ritus refert. Iſte eos ex intego delineat. Parte 2. a pag. 105. uſque ad 128. excluſive; nec in his omnibus diſſentiunt Græci recentiores, quorum aliquos textus in perpetuum veritatis Sacramenti Ordinis munumentum in medium adducere non pigebit.

Placita recentiorum Græcorum de Ordinationibus.

INTER Græcos recentiores eruditione celeberrimus eſt Symeon Theſſalonicenſis, addo & Patrum Græcorum de Sacramentis doctrinæ tenaciſſimus. Hic Juris publici fecit librum, quem de ſacris Ordinationibus exaravit. In eo cap. 1. rationem ſuæ ſcriptionis explicat, tum uniuſcujuſque ordinationis functiones enarrat, & diſtinguit.

De Ordinatione Lectoris cap. 2.

“ ADDUCTUS igitur ad Epiſcopum *Cle-*
,, *ricus* jamque per Tonſuram conſecra-
,, tus, & phenolio ſive camiſia, quod eſt
,, ſacrorum indumentorum primum & vel-
,, uti primitiæ, benedicto, manumque
,, Pontificis deoſculatus per collum indui-
,, tur, non ſecus ac ſi jugum Sacerdotii ſub-
,, iret, Deique protectioni ſubjiceretur,
,, & miniſterio devoveretur. Deinde ſi-
,, gno crucis ter obſignatur ſuper ſigillum
,, tonſura impreſſum: & Epiſcopus ponens
,, manum ſuper illud ſigillum, qua re
,, virtus Dei protegens, & gratiam com-
,, municans ab eo demonſtraturi Deum
,, precatur, ut conſecrandum ſibi electum
,, ſanctificet, & cum omni ſapientia &
,, prudentia divinorum oraculorum lectio-
,, nem & meditationem exerceat, ſicque
,, gratias agens hanc orationem complet.
,, Oratione completa, iterum obſignat
,, eum ad Sacramenti conſummationem,
,, pacemque illi precatur propter pacem a
,, Deo obtinendam, & cum eo unionem;
,, & dicere eum jubet, ſi in Lectorem
,, ordinatus eſt. &c. ,,

De Ordinatione Subdiaconi cap. 3.

“ POST Lectores, ſequitur, ut dixi-
,, mus Subdiaconorum ordo, qui Lectoratu
,, excelſior eſt.... Adiens igitur Epiſco-
,, pum, ab eo ſignatur *Lector*, quia Jeſus
,, qui mortificatus eſt, & vivit, ipſum
,, inaugurat, & ipſi conſecratur. Manus
,, quoque illi imponitur, & quoniam ora-
,, tio a Deo gratiam & protectionem re-
,, cipit. Ipſa autem eſt ejuſmodi: *Quia*
,, *tu poſuiſti in Eccleſia gradus & ordines,*
,, *hunc quoque ſuſcipe, ut adſtet portis templi*
,, *ſancti tui*. Et cum gratias egit, eum-
,, que ſignavit, mantile imponit Epiſco-
,, pus ejus humero, &c. ,,

De Ordinatione Diaconi cap. 4.

“ POST hos veniunt Diaconi, qui &
,, Miniſtri & Levitæ velut a legalibus il-
,, lis, dicuntur... Epiſcopus igitur reci-
,, tatis rogationibus manum habens capiti
,, ipſius impoſitam, per eam enim gratia
,, operatur, ſecundam dicit orationem,
,, qua poſtulat ordinandum per adventum
,, ſancti Spiritus repleri fide, ſapientia,
,, virtute & ſanctificatione. Hæc autem
,, vera cum humilitate ait, dicens, ſe
,, manuum ſuarum impoſitioni non confi-
,, dere, ſed per divinæ miſericordiæ vi-
,, ſitationem dignis gratiam donari, ita ut
,, per manuum impoſitionem divinæ mi-
,, ſericordiæ viſitatio ſignificetur, &
,, gratia indignis adveniat.... Deo alta
,, voce laudato; oportet enim gratias illi
,, agere pro omnibus divinis donis, ter ite-
,, rum illum ſignando Myſterii conſumma-
,, tionem adimplet; deinde ordinatum e
,, menſa erigit. &c. ,,

De Ordinatione Presbyteri cap. 5.

“ PRESBYTER qui a Dionyſio Teleti-
,, cus ſive Myſteriorum operator vocatur,
,, ut ſæpius diximus, eo quod myſteria
,, conficiendi virtutem habeat... Primum
igitur

Digitized by Google

„ igitur Epiſcopus hunc renuntiat, & „ deprædicat, cum horarium accipit, & „ ex poſteriore parte ſiniſtri humeri in „ dexteram imponit, duabus partibus anterius pendentibus, quod tunc eſt perfectum ἐπιτραχήλιον ſuper collare, & „ ita vocatur. Indicat autem gratiam deſuper a capite deſcendentem, ut inquit „ David, velut unguentum ſuper caput „ deſcendens ad fimbriam veſtimenti, & „ bonum ſacerdotii Chriſti jugum: & ut „ dicunt quidam, ut ſignificetur eum geſtantem humeris crucem ad Paſſionem „ trahi, cum ipſe Sacerdos Paſſionis Myſteria operetur. „

De Ordinatione Epiſcopi, cap. 7.

AUCTOR cap. 6. permulta explicat de electione Epiſcopi, tum cap. 7. fuſo calamo ejus explanat conſecrationem, de qua non nihil referemus. Ita incipit.

“ *His* ſic peractis quæ pertinent ad Ordinationem & Conſecrationem præparantur. Inſtante igitur die dicta omnes „ Epiſcopi electores congregantur; adeſt „ quoque Archiepiſcopus Ordinationem „ cum ipſis facturus, vel potius Chriſti operans quæ pecularia ſunt quæque „ ipſe tradit... Pſaltis autem cantantibus „ illud *in multos annos, Domine*; orandum enim eſt gratiam Dei nobis abunde ſuppeditari, aſcendit electus, & ſedente Archiepiſcopo illius oſculatur genu „ ſeſe velut coram Deo inclinans, tam „ propter ſervitutem indicandam, quam „ propter dexteram ejus quæ divini operis eſt adjutrix, quæque ipſum ordinavit. Genam quoque oſculatur ut ordinatoris ſui, propter charitatem in „ Chriſto, & unionem. Abit quoque ad „ Epiſcopos electores quos in ore oſculatur, ut jam cum iis incipiens ejuſdem „ eſſe ordinis, tum etiam propter ſacra „ labia quæ ipſum elegerunt, & in Chriſto charitatem & pacem. Sic iterum ad „ aquilam ſubſiſtit capite inclinato: Et „ cartophilace dicente, *Jubete*, ſurgunt iterum & Epiſcopi, & ipſe Archiepiſcopus qui manu extenſa exclamat, gratia „ ſanctiſſimi Spiritus ſit tecum, eumque „ cruce ſignans dimittit. Hoc modo electus, arrhas matrimoniales Eccleſiæ „ conſequitur, ſitque perfecte ſponſus, „ & crucis illud ſignum pro annulo nuptiali accipit, oſculumque affectu humano carentem tradit.... omnibus diviniſſimis Epiſcopis circumdantibus ordinandum, & ipſum tangentibus, ut appareant primo conſentientesque: Primum „ ſigillum & ordinationis primitiæ a primo Epiſcopo fiunt capiti illius qui ordinatur. Poſtea flectit utrumque genu „ ordinandus ſuper crepidinem, & fronte ſacræ Menſæ incumbit, quandoquidem gubernat & ædificat ipſe ſuper „ fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Recipit autem gratiam a Deo „ ſupercœleſti, cujus quidem veluti thronus eſt Altare. &c. „

Pergit ibidem his verbis: “ Eo igitur „ aperto, & impoſito, ſacriſque litteris „ ordinandi capiti incumbentibus, Epiſcopus primam precem precatur. Ut herus & Dominus Deus noſter qui conſtituit in Eccleſia ſua primum Apoſtolos, „ ſecundo Prophetas, tertio Doctores &c. „ quique hunc vocavit ad Epiſcopalem „ Dignitatem, per manum meam & reliquorum Coepiſcoporum corroboret per „ adventum & virtutem, & gratiam ſancti Spiritus, ſicut Apoſtolos corroboravit, „ & Prophetas, & ungat quemadmodum „ Reges, & ſanctificet ut Principes Sacerdotum, & eo fine peccato & macula conſervato, & Epiſcopatu ornato omni morum gravitate & ſeveritate „ ſanctum efficiat, ut poſtulet quæ ad populi ſalutem ſpectant, & ad obediendum ipſi præſtandam. Quod equidem „ maximum eſt donum: & revera maxima dona hæc ſacra precatio præbet, „ cum tradat ordinando Apoſtolorum & „ Prophetarum virtutem. Quapropter „ Epiſcopi donis gratiæ Apoſtolicis & „ Propheticis fruuntur. Hunc autem ungendum, inquit, *non ſecus ac Reges*: quoniam illi ungebantur oleo & ſpiritu; & „ nunc etiam Reges unguntur ab Eccleſia, „ Principatum ab ea ſuſcipientes, Epiſcopi quoque propter poteſtatem & „ Principatum gratia Spiritus unguntur. „ *Conſtitues eos*, inquit Scriptura, *Principes ſuper omnem terram*. Sanctificat autem „ eum ſicut Principes Sacerdotum, & „ antiquos illos. Melchiſedech, Aaron, „ & Samuel; ut etiam Apoſtolos quos ſacros gratiæ participes, & Myſtas conſtituit, ut in altare ſupernum ingrediatur, „ & agnum viventem ſanctificet, & „ pro

„ pro omnibus propitietur; atque ut ſanctificatus ingrediatur in ſancta ſanctorum, & quæ vere ſancta ſunt, operetur, „ permaneatque Dei Sacerdos irreprehenſibilis, & immaculatus, omni puritate „ & morum gravitate ornatus, demonſtretque finem ſanctum Dei ſanctitate „ & gratia cumulatum &c.„

Gabriel Philadelphiæ Metropolitanus ſuum his omnibus addit calculum in ſuo de ſancto Sacerdotii ſacramento libello, in quo quidem de omnibus diſſerit ordinibus juxta antiquam Patrum Græcorum doctrinam & Eccleſiæ Græcæ veteris uſum, quique ſic inſcribitur. *De Ordine Sacerdotii: in quo hæc tractantur.*

1. *Quid eſt Ordo ſacer?*
2. *Unde ſacer Ordo?*
3. *Quantitas Ordinis, & illius qualitas?*
4. *Quæ ejus materia?*
5. *Quæ forma?*
6. *Qui illius effectus?*

Operæ pretium eſſet eo loci ea omnia quæ de tanto momento ſcribit, delineare juxta fidelem Morini ex græco verſionem; cuncta quippe quæ de Orientalium Ordinationibus enarrat, latine non ſecus ac lingua Græca & Syriaca juxta diverſum diverſarum nationum ritum tradit. Ibi loquitur de libello laudato Gabrielis de ſacris Ordinationibus parte 2. a pag. 201. uſque ad 204. incluſive: ſed hoc referemus ad calcem.

Arcudius L. 7. eaſdem Græcorum Ordinationes omnibus munitas calculis recenſet: Ergo &c.

In his omnibus obſerves velim, benevole Lector, mentionem fieri de cæremonia ſacra, tum de gratia quæ ſacrorum applicatione ſignorum ſuſcipienti ordines confertur, quæ quidem duo totam ſacramenti eſſentiam complectuntur. Igitur ex Eccleſia Græca tum veteri, tum recentiori Ordo eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum.

Idem momentum de ſacris Ordinationibus aſtruitur ex conſenſu Maronitarum, Neſtorianorum, Jacobitarum & Æthiopum.

HAS omnes proſequitur probationes Morinus L. de Ordinat. parte 2. a pag. 379. uſque ad 388. incluſive.

Non eſt animus hic cuncta texere. Sufficiat duo potiſſimum breviter ſubnotare: Alterum de origine nationum, de quo capite aliquid jamjam ſupra diximus: Alterum de inſcriptione eorum omnium quæ Morinus de eorum refert ordinationibus, quæ quidem per omnia paucis accidentalibus exceptis, in Græcorum Ordinationes collimant. Et vero authenticanos dicere pro Sacramento Ordinis apud illas gentes, tot teſtes, quot paginas in Morino de iſtorum Orientalium Ordinationibus, habemus ad quas remittimus Lectorem incredulum.

“ Maronitæ, *inquit Morinus pag.* 379. „ *in ſua de Ordinationibus Maronitarum* „ *præfatione*, quarum ſacras Ordinationes „ ſyre & latine edimus, gens eſt Syra „ Montem Libanum, & vicinas planities incolens, quæ licet paucula ſit, & „ Saracenis, Turciſque in quorum medio „ habitat, comparata, guttulæ in mare „ conjectæ rationem habeat, nomen tamen & religionem chriſtianam, conſervavit, libertatemque intercedente „ mediocri tributo, ſibi hactenus vindicavit. „ Addo & ſummo Pontifici a ſexcentis & amplius annis non ſine magno fidei zelo Maronitas adhærere.

Idem auctor pag. 364. in Præfatione ad Neſtorianorum Ordinationes multa de eorum origine & propagatione ſcribit: „ Neſtoriani, *ait*, quorum ſacras Ordinationes latine & ſyre edimus ab hæretico Neſtorio cujus hæreſim amplectuntur, denominati ſunt..... Quid„ quid ſit de Neſtorii in Meſopotamiam „ fuga, ita per Orientem ſerpſit teterrimus illius doctrinæ cancer, ut non modo plurimi Chriſtiani cis Tigrim & „ Euphratem habitantes Neſtorianæ hæreſi addicti ſint, ſed etiam quotquot „ trans Euphratem & Tigrim ad Sinas uſque & Antipodas noſtros, chriſtianum „ nomen profitentur & Neſtoriani ſint, „ & hactenus dici glorientur. Pontificem autem ſummum ſibi conſtituunt illi „ Hæretici, quem Catholicum vocant, „ cui, ut ſummo capiti, Metropolitæ „ omnes & Epiſcopi parent. Maximi „ etiam Reges & Principes in penitiſſimo Oriente hanc hæreſim cum populis ſuis olim excoluerunt &c. „

Eamdem proſequitur materiam Morinus, & multa ſcitu digna in Præfatione ad Ordinationes Syrorum, Jacobitarum, & Eutychianorum recenſet. Aliqua hic deli-

delibare non injucundum erit. Hic ſuam
incohat Præfationem ibidem p. 402. “ Ja-
„ cobitæ quorum ſacras Ordinationes edi-
„ mus, Eutyehianæ hæreſis ramuſculi
„ ſunt, ita dicti a Jacobo quodam Syro
„ inſigni iſtius hæreiis propagatore, qui
„ imperante Anaſtaſio, Orientem cum
„ Severo perturbare cœpit ... Lectorem
„ tantum monebo omnes iſtas Eutychii Se-
„ ctas quæ Eccleſiam Dei ſæculo quinto
„ & ſexto graviſſime afflixerunt, exurgen-
„ tibus Saracenis, & Orientem, Ægy-
„ ptumque & Africam ſubigentibus, in
„ Jacobiticam velut, pace facta, coaluiſſe,
„ aliarumque nomen prorſus extinctum
„ eſſe, in Oriente & Africa ubi ſecta iſta
„ viget, & numeroſa eſt, Jacobitarum no-
„ men tantum audiri. „

Ibidem pergit: “ Hanc hæreſim etiam
„ nunc amplectuntur Chriſtiani Aſiatici
„ permulti: Alexandrinus quoque Pa-
„ triarcha cum Coptitis, ſive antiquis
„ Ægyptiis, quos Mahumetana pernicies
„ non vaſtavit; univerſumque Æthiopum
„ Imperium. Eamdem etiam Jacobitarum
„ hæreſim profitentur Chriſtianorum reli-
„ quiæ, quæ in Inſula Socotora Arabiæ
„ & Æthiopiæ deprehenduntur, teſte
„ Maffæo Hiſt. Indic. L. 3. ... Æthiopes
„ autem non modo ſunt hæreſi Euty-
„ chianæ addicti, verum etiam Alexan-
„ drinum Patriarcham Eutychianum, ut
„ caput ſuum agnoſcunt, & reverentur,
„ habentque etiam Primatem ab eo or-
„ dinatum, & ad eos miſſum: ut Fran-
„ ciſcus Alvarez in legationis Hiſt. dicit
„ &c. „

Proſequitur ibidem part. 2. pag. 478.
“ Chriſtianorum in Oriente quartum ge-
„ nus eſt, qui Melchitæ dicuntur, id
„ eſt Regii Imperiales. Æquum nobis
„ non videtur eos præterire, licet nul-
„ los ab iis Rituales pruferamus: Plurimi
„ enim ſunt in Oriente, ſaltem multitu-
„ dine ſua, conſiderandi, ii ſunt Syri &
„ Arabes qui Græcorum dogmata ſequun-
„ tur. Differunt a Neſtorianis, quod Syn-
„ odum Epheſinam primam quæ Neſto-
„ rium condemuavit, amplectantur: ab
„ Eutychianis eorumque ramuſculis, quod
„ Synodum Chalcedonenſem & Conſtan-
„ tinopolitanam „ religioſe colant. A
„ Monothelitis quod ſextæ Synodo quæ
„ Monothelitas damnavit ſubſcribant.
„ Ut uno verbo dicam, græcæ ſunt opi-
„ nionis & ritus, qui ab aliis Sectis Orien-
„ talibus, ab antiquo Melchitæ dicti ſunt,
„ eo quod Imperatorum Edictis Chal-
„ cedonenſem fidem amplecti jubenti-
„ bus morem geſſerunt, ut teſtatur Nice-
„ phorus Lib. 8. Hiſt. c. 52. & chronicon
„ Alexandrinum in Marciano, qui Im-
„ peratoris ſententiam ſunt ſecuti, vocati
„ ſunt Melchitæ, id eſt imperiales. Hoc
„ nomen ab eo tempore iis qui Chalcedo-
„ nenſe Concilium tuebantur, ab Hæreti-
„ cis inditum, in hunc uſque diem illis
„ adhæſit. Primum igitur Catholici om-
„ nes Syriæ & Ægypti Melchitæ ab Hæ-
„ reticis dicti ſunt; ſed poſtea cum Græcis
„ ſchiſma fecerunt. „

Pergit. “ De Secta iſta ſic habet Jaco-
„ bus de Vitriaco L. 1. Hiſt. Hier. ſunt præ-
„ terea in Terra ſancta, & in aliis parti-
„ bus Orientalibus, aliæ barbaræ nationes
„ a Græcis & Latinis in multis diſſidentes,
„ quorum alios Jacobitas appellant a quo-
„ dam ſuo magiſtro dicto Jacobo cujuſdam
„ Alexandrini Patriarchæ diſcipulo. Hi
„ a multis jam temporibus a CP. Patriar-
„ cha cum Dioſcoro excommunicati, &
„ ab Eccleſia Græcorum ſequeſtrati, majo-
„ rem partem Aſiæ & totius tractus
„ Orientalis inhabitabant. Quidam inter
„ Saracenos; alii autem pruprias abſque
„ Infidelium conſortio occuparunt regio-
„ nes, ſcilicet Nubiam, quæ contermi-
„ na eſt Ægypto, & magnam Æthiopiæ
„ partem, & omnes regiones uſque in
„ Indiam, pluſquam quadraginta regna,
„ ut aſſerunt, continentes. „

Ex his liquet Jacobitas duplicis generis
eſſe: quoſdam ſcilicet Syriæ, quoſdam
vero Ægypti: Priores Jacobitæ ſimplici-
ter vocantur, alii Coptiti ſeu Coptitæ.
Omnes Eutychiani, qui ducem habent
non Eutychetem, quem deteſtantur, eo
quod carnem Chriſti dixerit phantaſticam
& cœleſtem, juxta Apollinaris placitum,
ſed Dioſcorum in concilio Chalcedonenſi
cum aliis Monophiſitis anathemate feria-
tum: Non nihil tamen inter ſe diſcrepant:
nimirum in eo quod Jacobitæ panem oleo
& ſale conditum conſecrent, e contra vero
Coptitæ.

His prælibatis ad alterum caput gradum
facimus; & monumentis fide digniſſimis
Ordinem haberi ut novæ legis ſacramentum
ab iſtis nationibus probatur.

Ritus Ordinationis Maronitarum, Syro-

rum ſicut latine licet Syre ex antiquo Orientis codice deſcriptus in medium adducit Morinus a pagina 384. uſque ad 433. In eo Ordinatio Spalmitæ, Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Archidiaconi, Presbyteri, Archipresbyteri, Epiſcopi, Patriarchæ ritui Græcorum affinis habetur.

Sequuntur Ordinationes Syrorum, Neſtorianorum, ex antiquiſſimis Orientis codicibus Bibliothecæ Vaticanæ exſcriptæ. Primum tenet locum Ordinatio Lectoris, deinde Subdiaconi, poſtea legitur Ritus ordinandi Diaconum, Presbyterum, Epiſcopum. Demum deſcribuntur Ritus Ordinationum Jacobitarum Syriæ, tum Ægypti ſeu Copticarum, Eutychianorum ex antiquis Indiarum codicibus deprompti. Primum affulget ordo Chirotoniæ Diaconorum, deinde Presbyterorum. Ibidem legitur Ritus ordinandi Epiſcopos, Metropolitas & Patriarchas. Et ſic adeſt univerſalis Eccleſiæ etiam apud nationes moribus & ritibus diſſonas pro Sacramento Ordinis conſenſus.

Diluitur momentoſa objectio ex variis Hæreticorum & Schiſmaticorum ordinationibus.

OBJICITUR: Illud argumentum ex ordinationibus Orientalium & Occidentalium pro ſacramento Ordinis aſtruendo non valet, ſi ordinationes omnes Orientis ſint vacuæ & mendaces: Si de multarum validitate vel in ipſo Occidente factarum tantum ſit dubium, ut nulla adhibeatur fides. Atqui res ſic ſe habet: Igitur ex ordinationibus nihil concludi poteſt pro Sacramento Ordinis. Probatur minor multis variiſque momentis.

Primo quidem pro Orientalium ordinationibus probatur. Qui non ſunt de Eccleſia, nihil habent cum ipſa commune: Sed omnes Orientis nationes non ſunt de Eccleſiæ corpore, quippe quæ ſint ab ea vel ſchiſmate, vel etiam quod pejus, ſimul & hæreſi ab ea divulſæ: ſic Græci, ſic ipſi Melchitæ, ſic Meſtoriani, ſic Jacobitæ & Æthiopes. Quid plura! omnes excommunicatæ ſunt. Igitur mendaces habent ordinationes, quæ verum non conficiunt Sacramentum.

Secundo idem confirmatur ex factis. Photius ſchiſmatis Græcorum Architectus, tamet a Gregorio Syracuſano inauguratus, ejus tamen ordinatio vacua & inanis declarata eſt in octava Synodo can. 4. ſimul & dejectus eſt a ſede Conſtantinopolitana, quam adhuc Neophytus, deturbato ab ea ſancto Ignatio, invaſerat. Sic habetur juxta Edit. Binii pag. 855. " Quartus canon declarat, quod Neophytus Photius numquam fuerit Epiſcopus, nec illi, qui in ſacerdotali gradu conſecrati ſunt ab eo, putentur eſſe Sacerdotes: ſed ſubvertenda eſſe omnia, quæcumque ille ad dandum aliis gradum Sacerdotii operatus eſt. ,, Et juxta Anaſtaſii Bibliothecarii Sedis Apoſtolicæ translationem: " Photium contra jus, faſque præcipiti temeritate, velut atrocem lupum in gregem Chriſti inſilientem, orbemque terrarum perturbatione complentem, numquam ante Epiſcopum fuiſſe, neque nunc ulla ratione eſſe, juſto decreto declaramus: Nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu in quem ab eo promoti ſunt manere. ,,

Tertio, non deſunt exempla non multum abſimilia in Occidente. Formoſi & Conſtantini ſummorum Pontificum Ordinationes Morinus Exercit. 5. c. 3. & 5. propugnat nullas, & iterandas eſſe. Idem dicit cap. 4. de inauguratione Ebbonis Remenſium Epiſcopi.

Quarto: Idem Morinus ibidem cap. 1. declarat ordinationes Hæreticorum, Schiſmaticorum, Excommunicatorum, Degradatorum, Symoniacorum juxta multorum graviſſimorum placita vacuas eſſe. Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem. Enimvero præſens controverſia non eſt de validitate ordinationum, ſed de ſacramento Ordinis quod quidem uti tale habuerunt Orientales omnes, etiam Schiſmatici, Hæretici & Degradati. Priores ante ſchiſma & hæreſim, poſteriores ante cenſuras; ſed & quod ad hodiernum uſque diem Orient. Eccleſiæ, tametſi hæreſi vel ſaltem ſchiſmate a Romana divulſæ inter Sacramenta tamen annumerant Ordinem, ut liquet ex allatis eorum Ordinationibus.

Reſpondeo ſecundo negando minorem. Namque juxta inconcuſſam D. Thomæ doctrinam characterem & quidem indelebilem imprimit Ordo ſacer, quocirca Epiſcopus Apoſtata quamvis exauctoratus, eſto non licite, ſed valide poteſt ordinare

nare

nare Sacerdotes. Ratio a priori petitur ex eo quod remaneat in eo poteſtas ſuper corpus Chriſti verum, & conſequenter altera ſuper Chriſti myſticum in iis quæ divina ſpectant Myſteria in Ordine ad corpus Chriſti verum, qualis eſt ordinatio, cujus primarius & principalis effectus eſt conficere Euchariſtiam, & offerre ſacrificium.

Ex hoc exurgit latum diſcrimen inter Pœnitentiæ & Ordinis Sacramentum, quod ad iſtud conficiendum requirantur ſubditi, quorum defectu juriſdictione carent Hæreticus, Degradatus, & Excommunicatus; hinc iſti non poſſunt abſolvere a peccatis, & conferre Pœnitentiæ Sacramentum, bene tamen ordinare valide, ſed non licite. Non diffiteor ordinationes quæ fiunt apud Hæreticos & Schiſmaticos eſſe mendaces quantum ad effectum gratiæ, quam dubio-procul defectu unitatis & obedientiæ, & propter hæreſeos & ſchiſmatis peccata non recipiunt, ſed non ratione characteris. Modo enim habeant Epiſcopi ordinantes intentionem faciendi quod facit Eccleſia, & materiam non ſecus ac formam debitam adhibeant, ſufficit. Si quæ tamen ordinationes rejectæ ſunt, dicendum eſt hoc factum fuiſſe propter aliquod fundatum de invaliditate dubium: ſic in dubiis Eccleſia rebaptizat. Neque vero audiendi ſunt contrarium propugnantes. Et ſic patet ad reliqua, in confirmationem adducta per modum, novarum objectionum, argumenta.

Ad juris abundantiam & difficultatum aut clariorem, aut ſaltem perfectiorem explanationem neceſſe & æquum duximus hic diſcutere celebrem de reordinationibus quæſtionem, quæ ſicut primævis, ſic & ſubſequentibus ſæculis multum exagitavit animos.

§. VI.

Num Ordinatio facta ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Degradatis, & Excommunicatis valida ſit?

QUÆSTIONEM hinc inde ſcopulis circumdatam & ſpinis præ opinionum non ſecus ac factorum varietate obſitam proponimus. Etvero quidam apud Morinum Exercit. 5. c. exiſtimant hujuſmodi Ordinationes irritas eſſe; quidam hoc reſtringunt ad eas quæ extra Eccleſiam fiunt. Nonnulli exiſtimant Epiſcopum, non obſtante exauctoratione & degradatione, manere ſemper Epiſcopum, & ordinandi poteſtatem in eo perſeverare, ſed defectu juriſdictionis amiſſæ, ab ipſo ordinatos nullum ſuſcepiſſe ordinem. Multo plures contendunt Ordinationes factas ab excommunicatis & aliis in titulo vocatis, modo adſit intentio faciendi quod facit Eccleſia in ordinante, & debitatum materia tum forma adhibeatur, validas eſſe; cui opinioni ſubſcribimus.

CONCLUSIO.

Ordinationes factæ ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Degradatis & Excommunicatis, ſive infra ſive extra Eccleſiam fiant, probabiliter validæ ſunt.

OBSERVATIO hæc pro ſenſu concluſionis noſtræ indagando neceſſaria eſt. Supponimus aliquem inaugurari Epiſcopum ab Apoſtata & Hæretico Epiſcopo, ſed valide & licite primum conſecrato; hac facta hypotheſi, ſenſus concluſionis eſt, iſtum eſſe vere ordinatum; e contra vero ſi foret conſecratus ab Epiſcopo cujus ordinatio prorſus invalida fuerat: hinc Lutheranorum & Anglorum Epiſcoporum ordinationes quæ nunc fiunt, propugnamus non eſſe validas, quia juxta Doctiſſimorum virorum placita ſucceſſio veri Epiſcopatus apud Proteſtantes defecit, maxime vero cum Ordinem non habeant ut Sacramentum, & ipſos ſuos Epiſcopos veluti meros ſuæ Eccleſiæ Miniſtros ventilent. Hac facta obſervatione, pro concluſionis elucidatione, ipſa jam

Probatur multis momentis.

Primo, ex Conciliis.

NICÆNUM I. generale totam dirimit quæſtionem iis verbis can. 8. ubi de Novatianis ait: "De iis qui ſe Catharos, id "eſt, puros quandoque ſe nominant, ad "Catholicam autem & Apoſtolicam Ec"cleſiam accedunt, ſanctæ magnæ Syn"odo viſum eſt, ut impoſitis eis mani"bus, ſic in Clero maneant." Eo loci Patres non loquuntur de manuum impoſitione ordinativa, cum Arianos inter

omnes

omnes Heterodoxos divinis myſteriis intenſiſſimos abſque reordinatione ſuſceperint, ut Socrates ſcribit de iis qui exauctorati & in exilium amandati fuerant, eo quod nec Arium, nec ejus Thaliam vellent proſcribere: tandem Pœnitentes ſuſcepti, & in propriam viciſſim ſedem reſtituti, velut veri Epiſcopi habiti ſunt. Neque de impoſitione ſanativa: non enim ibi agitur de miraculis patrandis, ſed de ſuſcipiendis Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus. Supereſt igitur ut canon intelligatur vel de manuum impoſitione reconciliativa, quæ erat ad pœnitentiam ſeu robur, ut Hæretici converſi, fideles impoſterum manerent, & in fide firmi evaderent, de qua manuum impoſitione multus eſt ſermo apud veteres Eccleſiaſticos Scriptores: vel demum, & probabiliter, de impoſitione manuum confirmativa, quandoquidem Novatiani ſolebant omittere chriſmationem confirmativam.

Carthaginenſe III. cap. 15. ſuffragatur his verbis: "Illud autem ſuggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum. Non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Epiſcoporum."

Toletanum VIII. c. 7. eamdem ſubindigitat veritatem: "Quia, *inquit*, & tanto ab eis ſingulariter appenduntur, quanto eidem ſummo culmini peragenda ſervantur. Quomodo ergo quod in ſe recipit, a ſe rejicere poterit, cum hæc a nullo altero conferri, quam a ſolis Pontificibus novit, a quibus nec ligata ſolvi, nec ſoluta poterunt ab aliquo religari. Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod divina juſſione, ſimulque Apoſtolicæ traditionis auctoritate ſacrum noſcitur extitiſſe. Verum ſicut ſanctum chriſma collatum & Altaris honor evelli nequeunt, ita quoque ſanctorum decus honorum, quod his compar habetur & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnibus modis inconvulſum." Eo loci loquitur Concilium de Epiſcopis Clericos pro myſteriorum diſpenſatione conſecrantibus. Porro quod eſt conſecratum, non poteſt non eſſe conſecratum, ſed manet ſemper tale. Atqui Epiſcopi ratione conſecrationis ordinant Eccleſiæ miniſtros. Igitur ſive intra, ſive extra Eccleſiam ordinent, rata eſt ordinatio, quia manet ſemper vel in ipſo Epiſcopo exauctorato Epiſcopalis conſecratio & character.

Tridentinum Seſſ. 7. can. 9. de hoc momento audiendum eſt: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Rationem modo allatam confirmat Trident. Synodus, definiendo tamquam de fide, characterem Ordinis eſſe indelebilem: ſic igitur Epiſcopus tametſi exauctoratus, modo in unitate Eccleſiæ ordinet, juxta rigidiores Theologos, vere ordinat; ſic & dum extra Eccleſiam conſecrat Sacerdotes: namque ubi adeſt cauſa non impedita, ibi producitur effectus; ſed ſupponimus Epiſcopum hæreticum denunciatum adhibere materiam & formam, ſimul & prærequiſitam intentionem: ſed in eo manet character Epiſcopalis, cujus virtute conſecrandi habet poteſtatem. Ergo &c.

Secundo, ex ſanctis Patribus.

AUCTOR libri de operibus cardinalibus Chriſti apud ſanctum Cyprianum Serm. de ablutione pedum, de eo momento ſic loquitur: "Baptiſmum repeti Eccleſiaſticæ prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros Ordines ſemel datos iterum renovat, nemo ſacro oleo lita iterum linit aut conſecrat &c. quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi evacuari poſſet quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emendaret quod ille ſemel ſtatuit & confirmat."

Celeberrima eſt ſancti Auguſtini iterata auctoritas pro noſtra concluſione. Lib. 1. de Bapt. contra Donat. c. 1. "Nam ſicut redeuntes, *inquit*, qui priuſquam recederent, baptizati ſunt, non rebaptizantur: ita redeuntes, qui priuſquam recederent, ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur; ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulat: aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum ordinationis ſuæ tamen gerunt: & ideo eis manus inter laicos non imponitur."

Rur-

Rurſus, & clarius de iiſdem Donatiſtis Ep. 50. ait: " Hoc erga iſtos ab initio „ ſervavit Africa Catholica ex Epiſcopo„ rum ſententia, qui in Eccleſia Romana „ inter Cæcilianum & partem Donati ju„ dicaverunt, damnatoque uno quodam „ Donato, qui auctor ſchiſmatis fuiſſe „ manifeſtatus eſt, ceteros correctos et„ iamſi extra Eccleſiam ordinati eſſent, „ in ſuis Ordinibus ſuſcipiendos eſſe cen„ ſuerunt. „

Non leviora dicit pro iſto momento S. Gregorius Lib. 2. Ep. 32. ad Joannem Epiſcopum Ravennatum. " Illud autem, „ *inquit*, quod dicitis, ut is qui ordina„ tus eſt, iterum ordinetur, valde ridi„ culum eſt, & ab ingenii veſtri conſide„ ratione extraneum: niſi forte quod „ exemplum ad medium deducitur, de quo „ & ille judicandus eſt, qui tale aliquid „ feciſſe perhibetur. Abſit autem a fra„ ternitate veſtra ſic ſapere. Sicut enim „ baptizatus ſemel, iterum baptizari non „ debet: ita qui conſecratus eſt ſemel, in „ eodem iterum Ordine non debet con„ ſecrari. Sed ſi quis forſitan cum levi cul„ pa ad Sacerdotium venit, pro culpa pœ„ nitentia indici debet, & tamen Ordo „ ſervari. „ Obſerves velim, benevole Lector, ſanctum Pontificem ibi eodem modo loqui de ordinatione ac de Baptiſmo: Sed Baptiſmus a quocumque exauctorato, ſive ſchiſmatico, ſive hæretico intra vel extra Eccleſiam exiſtente collatus valet: Igitur ſimiliter & Ordo. Et vero cenſuræ unum tantummodo præpediunt, videlicet legitimam Ordinum executionem; omnis quippe ſuſpenſus exercens ſui ordinis functiones ipſo facto incurrit irregularitatem, hoc eſt, citra grande peccatum non poteſt celebrare: ſed impræſentiarum agitur de validitate Sacramenti ordinis ab Epiſcopo exauctorato collati; non diffitemur eum licite non ordinare: ſed contendimus hoc valide facere, ut liquet ex dictis & luculentius ex modo dicendis apparebit.

Tertio, ex factis Ordinationibus ab exauctoratis tum intra, tum extra Eccleſiam, quas ipſa ab omni ævo ratas habuit Eccleſia.

DUPLICIS generis facta hic in probationum confirmationem promimus; omnia quidem ab exauctoratis promanantia, ſed quædam eorum qui cenſura aperta nondum erant ab Eccleſia ejecti, quædam vero qui nedum aut hæreſi aut ſchiſmate, ſed ex ſententia lata ab eadem pulſi fuerant. Et ſic ex uſu & poſſeſſione Eccleſiæ liquido conſtabit, omnes univerſim ordinationes a quibuſcumque exauctoratis validas eſſe. Quis autem aliquid adverſus tantam, uſu perpetuo firmatam diſciplinam, refragari audebit?

Facta prioris generis.

PRIMUM occurit ordinatio Anatolii, quem Dioſcorus nondum proſcriptus, poſt iniquam & crudelem Flaviani mortem, non ſine immani flagitio Epiſcopum Conſtantinopolitanum conſecrare auſus eſt: neque enim reperies Anatolium ultimam aliam manuum impoſitionem, ſeu conſecrationem Epiſcopalem accepiſſe.

Alterum eſt Maximi, qui in latrocinio Epheſino, depoſito Domno, inauguratus eſt Epiſcopus Antiochenus, cujus tamen conſecrationem Concilium Chalcedonenſe act. 10. probavit.

Tertium eſt Acacii Patriarchæ Conſtantinoplitani, cujus ordinationes ratas habuere Gelaſius & Anaſtaſius ſummi Pontifices, tametſi Romana Sedes cum eo communicare detrectaſſet. Quibus & ſimilibus exemplis claret Eccleſiam ordinationes tum ſchiſmaticorum, tum hæreticorum uti validas habuiſſe.

Facta poſterioris generis.

NEQUE vero deſunt exempla pro altero exauctoratorum genere, eorum ſcilicet qui extra Eccleſiam ordinaverunt, quorum tamen ordinationibus ſuum non abnegavit Eccleſia quoad ſubſtantiæ validitatem, calculum.

Agmen ducet Neſtorius, qui quamvis ab Eccleſia præciſus, multos tamen Presbyteros & Epiſcopos conſecravit, quorum ordinationes quamvis illicitas, non tamen invalidas cenſuit Eccleſia. Cujus rei teſtis irrefragabilis eſt S. Gregorius Magnus, qui L. 9. indict. 4. Epiſt. 61. de Neſtorianis ſic loquitur: " Neſtorium „ cum omnibus ſequacibus ſuis, & reli„ quas hæreſes anathematizantes, veneran-

das

„ das quoque Synodos quas univerſalis Ec-
„ cleſia recipit, ſe recipere & venerari
„ promittant, & abſque ulla dubitatione
„ eos Sanctitas veſtra, ſervatis eis propriis
„ ordinibus, in ſuo cœtu recipiat. „
Audis ſanctum Pontificem ne quidem indirecte loqui de reordinatione Neſtorianorum ad ſinum Eccleſiæ redeuntium, tametſi elapſis 170. circiter annis poſt condemnationem Neſtorii ſcribat. Non aliud S. Auguſtinus pro reconciliatione & Donatiſtarum & Pelagianorum exegit.

His accedit auctoritas Taraſii, qui ad calcem primæ actionis ſeptimi Concilii generalis ſimilia in gratiam Monothelitarum profert. “ Taraſius beatiſſimus
„ Patriarcha dixit: Sane & plurimi qui
„ in ſexta Synodo præſides fuerunt, a
„ Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro doctori-
„ bus, inquam, hæreſeos Monothelita-
„ rum fuere creati: ſed & hi viciſſim
„ Conſtantinopolitanas ſedes inter Cle-
„ rum diſtribuerunt, & ab eodem extre-
„ mo doctore Petro uſque ad ſextam Syn-
„ odum anni non pauciores quam quin-
„ decim interceſſerunt; qui vero inter-
„ mediis temporibus fuerunt, Thomas
„ ſcilicet, Joannes & Conſtantinus ab
„ Hæreticis fuere ordinati; verum ea de
„ cauſa non ſunt reprobati: circiter enim
„ quinquaginta annos hæreſis illa viguit,
„ & tamen in ſexta Synodo Patres qua-
„ tuor illos tantum prænominatos dam-
„ narunt, ceteros cum Ordinibus ſuſce-
„ perunt. „

Cuncta ſunt in hac & ceteris exauctorationibus ponderanda. Primo quidem Eccleſiam ratas habiſſe ordinationes Neſtorianorum & Monothelitarum, tametſi ab Epiſcopis ab ea exciſis factas. Sed non eſt potior ratio cur quædam aliæ rejiciantur; non enim ex privilegio nonnullas declaravit legitimas, ſed ex jure communi, & propter poteſtatem ordinandi inextinguibilem quæ remanet in Epiſcopis exauctoratis ratione characteris indelebilis & ſic non potior eſſet ratio quaſdam ratas, quaſdam vero ut irritas habere. Hoc ipſum confirmat Eccleſiæ diſciplina, quæ non cito citius, damnatis hæreticis, movit quæſtiones de validitate aut invaliditate Ordinum ab eis collatorum, ut patet in Novatianis, Donatiſtis, Pelagianis & Monothelitis. Jam quæritur num ante examen hujuſmodi ordinationes eſſent validæ quoad ſubſtantiam, vel non? Si primum, igitur & uti tales, elapſo examine, ſubſequenti tempore erant: ſi ſecundum, quod abſit dicere, refunderetur in Eccleſiam examinis procraſtinatio, quæ cauſa fuit multorum in Ordinationibus quoad ſubſtantiam defectuum, cum & Magni Gregorii ævo Neſtorianorum ordinationes coram Deo nullæ, ſpatio 170. annorum tamquam validæ habitæ fuiſſent: quæ quidem omnia magnam ſpirant contradictionem. Igitur dicendum eſt ordinationes extra Eccleſiam factas illicitas quidem eſſe, ſed nuſquam invalidas.

Quarto, ex rationibus divi Thomæ.

DIVUS Thomas cum ſancto Bonaventura & Doctore ſubtili, propugnat hujuſmodi ordinationes eſſe validas 3. part. Suppl. q. 38. art. 2. propter tria: I. Quia Epiſcopus exauctoratus propter hæreſim cum reconciliatur, non reordinatur juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam. Namque & in Concilio Lugdunenſi, & in Florentino, ubi de reconciliatione Græcorum actitatum eſt, altum eſt de reordinationibus ſilentium. II. Poteſtas Ordinum per hæreſis & ſchiſmatis peccatum non deletur. III. Ordinans eſt tantummodo Chriſti inſtrumentum.

Prima ratio his verbis concluditur: “ Aliquis Epiſcopus in hæreſim lapſus
„ quando reconciliatur, non iterum
„ conſecratur; ergo non amiſit pote-
„ ſtatem quam habebat, ordines confe-
„ rendi. „
Secunda: “ Præterea major eſt pote-
„ ſtas conferendi Ordines, quam pote-
„ ſtas Ordinum: ſed poteſtas Ordinum
„ non amittitur propter hæreſim, vel
„ aliquid hujuſmodi; ergo nec poteſtas
„ Ordines conferendi. „
Tertia hæc eſt: “ Præterea ſicut bapti-
„ zans exhibet tantum miniſterium exte-
„ rius, ita & conferens Ordines, Deo
„ interius operante: ſed nulla ratione ali-
„ quis ab Eccleſia præciſus amittit bapti-
„ zandi poteſtatem; ergo nec Ordines
„ conferendi. „

FIT

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

OBJICIES: Quod ſummi Pontifices & Concilia irritum habuere, non poteſt vel quoad ipſam ſubſtantiam validum cenſeri. Atqui res ſic ſe habet pro Ordinationibus factis a quibuſdam ſymoniacis, degradatis, excommunicatis, ſchiſmaticis, hæreticis. Igitur ne minimum quidem valent iſtæ ordinationes. Probatur minor factis & exemplis omni exceptione majoribus. Primo quidem, Urbanus II. hujuſmodi ordinationes iterari voluit, & cum eo Leo IX. Secundo, Lucius III. Frederico primo Imperatori promiſit ſchiſmaticos reordinare, & de facto poſtea ordinationes ab Octaviano aliiſque antipapis factas repeti curavit. Tertio, Stephanus V. idem fieri voluit pro ordinationibus a Formoſo ſuo prædeceſſore habitis. Quarto, Hincmarus ordinationes factas ab Ebbone Archiepiſco Remenſi irritas declaravit, quod & probavit Concilium Sueſſionenſe II. anno 853. adunatum. Quinto, Conſtantini in ſummum Pontificem inauguratio uti laica rejecta eſt, jubente Stephano IV. ejuſque conſecratio tamquam nulla declarata eſt: hinc & ab ipſo ordinationes repetitæ ſunt. Sic ſcribit Morinus exercit. 5. c. 5. Sexto, inter omnes ordinationes celeberrimæ ſunt illæ quæ a Photio factæ, ſed judicante octavo Concilio generali repetitæ ſunt. Septimo, reordinationis ſententiam propugnant celeberrimi Theologi, ut Gratianus L. 4. ſent. 25. Hugo a ſancto Victore, Guillelmus Pariſienſis, & alii apud Morinum exercit. 5. c. 1.

Reſpondeo primo, opponendo ſummis Pontificibus & Conciliis ſummos Pontifices, aliaque Concilia in probationibus laudata, ſimiliter & graviſſimos Theologos, in primis ſanctum Bonaventuram, Scotum, Robertum Pullum Cardinalem, Flammesbur, & omnium facile principem ſanctum Thomam; unde in tanto opinionum conflictu non mirum ſi ſummi Pontifices & Synodi modo uni, modo alteri adhærentes ſententiæ, quandoque etiam juxta & dubiorum pondus & temporum varietates ſtatuerint, ordinationes ab excommunicatis, ſchiſmaticis & Hæreticis factas vel irritas, vel etiam ratas haberi. Nec inde aliquid abſurdi pro dogmate judicandum eſt, cum hoc ſpectet diſciplinam, quæ non una fuit in Eccleſia, ut liquido patet ex baptiſmo ab Hæreticis collato, quem multi Africani alias ſanctiſſimi, ut Cyprianus & Firmilianus, zelo religionis abrepti rejiciebant. Dixi illam in reordinandis & non reordinandis varietatem abſque fidei diſpendio fuiſſe, non ſolum quia ad diſciplinam pertinebat, verum etiam ex eo quod, teſte Morino exercit. 5. cap. 1. & 2. de factis, non de jure controverſia emerſit.

Solutio colligitur ex Morino, qui ibidem c. 8. ſic loquitur; " Verum enim vero præcedentium controverſiarum enarratione videmur oleum flammæ addidiſſe, & difficultatem maximam tot allatis exemplis exaſperaſſe potius, quam ſedaſſe. Quid enim hoc aliud eſt, quam Epiſcopos Epiſcopis, Concilia Conciliis, Pontifices Pontificibus collidere, eoſque Cadmæam pugnam depugnantes oſtentare? Difficultatem diutiſſime & diligentiſſime examinarunt, Concilia coegerunt, virorum doctorum ſententias ſciſcitati ſunt; his tamen omnibus ſæpius peractis, nihil definitum eſt. Quin immo Pontifices inter ſe commiſſi, alter alterius ordinationes exauctorarunt, & nuvas ſuperinduxerunt. Aliquando tamen neutra ordinatio erat ſchiſmatica, neutra hæretica, neutra a regulis ordinationis ab Eccleſia deſcriptis deflectebat. Quamobrem igitur priore abolita, poſterior ſuperaddita eſt?,, Ex Morino propter opinionum graviſſimis utrimque ſuffultarum auctoritatibus varietatem nihil concludi poteſt adverſus noſtram quæ nunc in Scholis communis eſt.

S. Thomas breviter hanc dirimit quæſtionem 3. p. Suppl. q. 38. art. 2. Refert enim quatuor circa iſtud momentum ſententias: tres confutat: ſuum noſtræ addit calculum, & ſic eo loci loquitur, & quidem eruditiſſime: " Dicendum, quod circa hoc ponuntur in littera quatuor opiniones. Quidam enim dixerunt quod Hæretici, quandiu ab Eccleſia tolerantur, habent poteſtatem Ordines conferendi, non autem poſtquam fuerint ab Eccleſia præciſi: ſimiliter nec degradati, & alii huiuſmodi: Et hæc eſt prima opinio. Sed hoc non poteſt eſſe,

quia

Digitized by Google

,, quia omnis poteſtas quæ datur cum ,, aliqua conſecratione, nullo caſu contingente, tolli poteſt re ipſa durante, ſicut ,, nec ipſa conſecratio annullari: quia etiam altare, vel chriſma ſemel conſecrata, perpetuo conſecrata manent: unde ,, cum Epiſcopalis poteſtas cum quadam ,, conſecratione detur, oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis ,, peccet, vel ab Eccleſia præcidatur. Et ,, ideo alii dixerunt, quod præciſi ab Eccleſia qui in Eccleſia Epiſcopalem poteſtatem habuerunt, retinent poteſtatem alios ordinandi, & promovendi, ,, ſed promoti ab eis, hoc non habent: ,, & hæc eſt quarta opinio. Sed hoc etiam ,, non poteſt eſſe, quia ſi illi qui fuerunt ,, in Eccleſia promoti, retinent poteſtatem quam acceperunt, patet quod exequendo ſuam poteſtatem, veram conſecrationem faciunt: & ideo vere tribuunt omnem poteſtatem quæ cum conſecratione datur, & ſic ordinati ab ,, eis, vel promoti habent eamdem poteſtatem quam ipſi. Et ideo alii dixerunt ,, quod etiam præciſi ab Eccleſia poſſunt Ordines conferre, & alia Sacramenta, dummodo formam debitam & intentionem ſervent, & quantum ad primum effectum, qui eſt collatio Sacramenti, & quantum ad ultimum, qui eſt ,, collatio gratiæ: & hæc eſt ſecunda opinio. Sed hoc etiam non poteſt ſtare, quia ,, ex hoc ipſo quod aliquis Hæretico præciſo ab Eccleſia in ſacramentis communicat, peccat, & ita fictus accedit, & ,, gratiam conſequi non poteſt, niſi forte ,, in Baptiſmo in articulo neceſſitatis. Et ,, ideo alii dicunt, quod vera Sacramenta conferunt, ſed cum eis gratiam non ,, dant, non propter inefficaciam ſacramentorum, ſed propter peccata recipientium ,, ab eis ſacramenta contra prohibitionem ,, Eccleſiæ: & hæc eſt tertia opinio, ,, quæ vera eſt. ,,

Jam ad argumentum in forma reſpondeo diſtinguendo: Quod Concilia & ſummi Pontifices in quæſtione dogmatis irritum habent, ſic cenſeri debet, concedo: in quæſtione quæ ſpectat diſciplinam, ſubdiſtinguo: ſi ſummi Pontifices unanimi conſenſu, ita definiunt, concedo: ſin minus, nego. Et ſi diſtincta minore, nego conſequentiam. Quæſtio dogmatis definita invariabilis manet, & ab omnibus uti talis haberi debet: e contra vero ea quæ de diſciplina eſt. Neque vero Concilium etiam œcumenicum infallibilitatis privilegio pro diſciplina donatur, inquiunt Theologi; quocirca nemini mirum videri debet, ſi vel ipſa Concilia diverſa diverſis temporibus pro hoc ſtatuerint momento: Et ſic ad varias confirmationes ſolutio patet. Quædam per modum explicationis ad ſingula momenta dicere non abs re erit.

De Reordinationibus juſſu Urbani II. & Leonis IX. factis.

MORINUS Exer. 5. c. 2. iſta proponit facta, ſed non ſine magna ambiguitate. Quæſtio erat de Dailberto ad Diaconatum promoto a Nezeloue Epiſcopo Moguntino Schiſmatico & Hæretico: ſed obſerves velim, Reordinationi Dailberti Urbanum, naſcente ſcholaſtica & vix vagiente conſenſiſſe: nimirum ad cautelam, propter diverſas Doctorum inter ſe diſſidentium opiniones. Nec Leo IX. in hoc ſatis ſibi conſtat: namque ibidem ſcribit Morinus primum omnes Simoniacorum Ordinationes eum irritas declaraſſe, poſtea vero propter incommoda ex hoc ſtatuto emergentia, non omnes Ordinationes a Simoniacis actas, ſed eas ſolum ſimoniace, hoc eſt pacto & data pecunia factas evacuaſſe & caſſaſſe.

De Reordinationibus a Lucio III. factis.

EADEM eſt ſolutio ad facta Lucii, quæ ad facta Urbani II. modo allata eſt. Dicimus enim non niſi propter diverſa Scholæ ſententias ad cautelam eum quaſdam præcepiſſe reordinationes. Ita cenſet Morinus ibidem c. 2. his verbis: " Non referam Lucii III. promiſſionem reordinandis Schiſmaticis Frederico I. Imperatori datam; nec etiam promiſſionis ,, executionem, qui poſtea ordinatos ab ,, Octaviano, aliiſque Antipapis iterum ,, ordinavit, cum id contigerit Scholaſticis ,, Doctoribus jam cathedras poſſidentibus, ,, & Eccleſiam docentibus. ,,

Quod autem in his & ſimilibus multum ſcrupuli affulſerit, audiendus eſt de hoc momento idem Morinus, qui ibidem c. 3. num. 25. ſic loquitur: " Si antiquorum ,, Patrum & recentiorum ſententiis, qui

,, ante

„ ante natam ſcholaſticem ſcripſerunt, „ attente conſideremus, opinionum fluctuationem longe majorem, immo inter ſe commiſſionem & colliſionem deprehendemus, quæ optimum Pontificem Leonem IX. tantopere afflixit, ut referente Petro Damiano VI. opuſculi ſui præfatione, *in poſtrema Synodo*, quam hac de cauſa celebrabat, *omnes Epiſcopos ex divina obteſtatione rogaverit, quatenus Dei miſericordiam in commune deposcerent, & quid ſuper hoc ſcrupuloſo negotio decernendum eſſet, nutantibus revelaret.* „

Quod autem exuberans fuerit inter Theologos diſceptatio, patet ex S. Raymundo Summæ L. I. cap. de Hæreticis & ordinatis ab eis §. 9. Primum refert unam opinionem eorum qui ratas habent ordinationes factas ab Epiſcopo Hæretico, ſed nondum exauctorato; e contra vero longe faciunt, eas quæ fiunt ab excommunicato: Deinde vero alteri oppoſitæ ſuum addit calculum: " Ad iſtius quæſtionis „ intelligentiam, *ait*, nota quod Joannes „ & Rodolphus dixerunt, quod Epiſcopus Hæreticus qui recipit ultimam manus impoſitionem, id eſt, Ordinem „ Epiſcopalem in Eccleſia, ordines confert, ſed non ordinis executionem. Si „ autem extra, nihil confert, nec ordinem, nec ordinis executionem, quia „ nihil receperat .... Dicas ergo cum „ Laurentino, Vincentio & aliis fere omnibus, quod, ſeu extra, dum tamen formam Eccleſiæ ſervet in ordinando, & in „ forma Eccleſiæ fuerit ordinatus, ſemper „ verum ordinem confert, ſed non ordinis „ executionem; & hoc, ſeu ſcienter, ſive „ ignoranter, alius ordinetur ab eo. „

De Formoſi Papæ Ordinationibus, tum de Reordinatione Ebboais Rhemenſium Præſulis.

STEPHANUS IV. Ordinationes a Formoſo prædeceſſore ſuo factas, irritas declaravit. E contra vero ratas Joannes IX. Sergius vero III. adhæſit opinioni Stephani. De hoc momento Morinus ibidem c. 3. multa ſcribit, ſed tametſi anceps in judicando maneat, non obſcure tamen ſubbindigitat & Formoſi, & aliorum ab eo conſecratorum quoad ſubſtantiam validas eſſe ordinationes. Num. 3. ita ſcribit: "Iſtius „ Hiſtoriæ ſincera veritas aliunde certius hauriri non poteſt, quam ex Auxilii ſcriptis quæ nos primum in lucem edimus. Vivebat & ſcribebat tunc „ temporis in Italia, licet, ut ipſe teſtatur, exterus eſſet: tractatus duos de hac „ re ſcripſit, priore 40. capitula continente, probat Epiſcopum ſede pulſum, „ poſſe imminente neceſſitate, & utilitate „ in Eccleſiam, quæ Paſtore viduata eſt, „ auctoritate Pontificis ſe transferre. Deinde de probabiliter demonſtrari poſſe Ordinationes a Formoſo Pontifice factas ratas eſſe & legitimas, licet Formoſus, „ ut ipſi aiunt, non rite fuerit ordinatus. Denique ultimo capite dicit tandem eſſe ſibi contradicentium multitudinem, & auctoritatem, ut æquum judicium ſperare non poſſit, ſed univerſalis Concilii ſententiam eſſe expectandam; interim ſe in ea conſecratione qua „ initiatus eſt permanere velle. „ Ceterum Joannes IX. in Synodo Romana ordinationes tum Formoſi, tum eorum qui ipſi adhærebant, ratas habuit.

Non abs re erit hic texere quæ Joannes IX. Papa in gratiam ordinationis Formoſi protulit. Anno 904. Ravennæ Synodum 74. Epiſcoporum adunavit, in qua quidem reſcidit acta Stephani adverſus Formoſum ſævientis. Capite 4. ſic habetur apud Baronium pagina 662. " Epiſcopi igitur ſeu Presbyteri atque Diaconi, nec non & Subdiaconi, ceterique alterius ordinis ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, qui ab eodem venerando Papa Formoſo canonice conſecrati, & „ pro quorumdam libitu temere dejecti „ ſunt, in proprios ordines & gradus „ communi ſanctæ Synodi conſultu reducimus, perpetuoque robore ac canonica „ cenſura ſtabilitos, Deo auctore decernimus. „

Rurſus cap. 5. ibidem: " Reordinationes, ſeu rebaptizationes, & Sedium mutationes ſancti Patres in Africano Concilio congregati, omni modo interdixerunt, quos ſecuti & nos interdicimus. „

Non prætereunda quæ de hoc momento ſcripſit Baronius ad ann. 877. p. 641. ubi loquens de Stephano adverſus Formoſum recrudeſcente, ait: " Ita furore percitus homo, non quod jure liceret, ſed „ quod exæſtuans rabies ſuaſit, implevit, „ non enim fuit error in fide, ſed violentia

,, tia Tyranni in facto . ,,)Quibus verbis innuit non ſine paſſione Stephanum , Adelberti Tuſciæ Marchionis molitione in ſummum Pontificem adſcitum , Formoſi cadaver tribus abraſis digitis , tametſi e vivis ereptum , exauctoraſſe , ejuſque ordinationem , & non ſecus ac ordinationes eorum quos conſecraverat irritas declaraſſe , ut ſcribit Sigibertus in chronico . Neque vero mirum videri debet , quod tantis in Formoſum commotis tempeſtatibus , quidam partim timore , partim etiam conſcientiæ ſcrupuloſæ motibus agitati , reordinari a Formoſo conſecratos exiſtimaverint : ſed dubioprocul ſtandum eſt optimæ Joannis ſententiæ.

De Ebbone Morinus ibidem c. 4. ſcribit Hincmarum reordinaſſe ab eo conſecratos , cui ſententiæ ſuum addit calculum Concilium Sueſſionenſe ann. 853. adunatum : ſed Nicolaus I. iſtud non probavit . Non una etiam tunc temporis diſſidentium ſententia fuit , alii quippe Epiſcopum canonice electum , exauctoratione , executionem quidem ordinum , ſed non ipſos ordines amittere propugnabant ; e contra vero , ſi depoſiti ordinati fuiſſent Epiſcopi . Sic loquitur de hoc negotio Morinus ibidem c. 4. n. 8. & eorum refert placita dicendo : " Depoſitos ſcilicet , nul-
,, lam ordinandi poteſtatem habere , ir-
,, ritum eſſe & inane quidquid faciunt ;
,, canonice tamen Ordinibus reſtitutos ,
,, priorem poteſtatem recuperare : verum
,, diſtinguebant inter canonice ordinatos ,
,, & poſtea depoſitos , & a depoſitis , or-
,, dinatos . Hos iterum credebant ordinan-
,, dos , utpote qui nihil ab ordinante de-
,, poſito acceperant . Illos autem a Conci-
,, lio , cauſa cognita , legitime reſtitutos
,, nova ordinatione opus non habere . Ita-
,, que exiſtimabant ordinationem a Catho-
,, lico Epiſcopo datam deleri non poſſe ,
,, ſed illius vim depoſitione ita reprimi &
,, hebetari , ut aliam ordinationem gene-
,, rare non valeret . Similiter ſentiebant ,
,, ut & Pontifices de quibus capite præce-
,, dente , ordinationes contra canones factas
,, eſſe irritas & irritandas : ſic intellexit
,, Hincmarus , &c. ,,

Ceterum omnibus juſta lance ponderatis , Concilium Sueſſionenſe intelligendum eſt de ſuſpenſione ab officio ordinum , & dejectione ab honoris gradu : Et hoc non unum probat argumentum , Primo quidem ex eo quod familiare ſit apud Patres nonnumquam uti vocibus iſtis , *ordinationes malorum non ſunt validæ* , *ſed potius irritæ* , ut poteſtatis & honoris exauctorationem deſignarent : & de facto excommunicatus denuntiatus nullam habet juriſdictionis executionem : Quinimmo ſacramenta quæ conficit in eo ſenſu nulla ſunt , quod nec illi , nec ſuſcipientibus proſint , quandoquidem Epiſcopus exauctoratus peccat ordinando aliquem , ſuſcipiens vero ordines ab Hæretico & Schiſmatico notorio ipſe graviter peccat. In iſto duplici ſenſu loquitur magnus ſanctus Leo Epiſt. ad Anatholium Epiſcopum
,, Conſtantinopolitanum : " In Eccleſia
,, Dei , *inquit* , quæ corpus eſt Chriſti ,
,, nec rata ſunt ſacerdotia , nec vera ſa-
,, crificia , niſi in noſtræ proprietate natu-
,, ræ verus nos Pontifex reconciliet , ve-
,, rus immaculati Agni ſanguis emundet .
,, Audis ſanctum Pontificem loqui de invaliditate ſacrificii relative ad effectum , quod eo ſenſu dicit nullum , quum effectum gratiæ ad quem datur , non producat . 2. Algerus eodem prorſus ſenſu ſacrificium ab Epiſcopis Hæreticis oblatum fictitium prædicare non dubitat , tametſi velut ratum & validum haberet .

Quod autem hæc ſit Concilii mens unum hoc probat , videlicet quia reprehendit ſolum promotionem Halduini Altivillaris Abbatis ad Diaconatum ab Ebbone factam , quam vacuam credebat , & poſtea ad Presbyteratum , ſede Rhemenſi vacante , ſuſceptam a Lupo Catalaunenſium Epiſcopo per ſaltum : Porro nemo non novit ordinationes per ſaltum non eſſe irritas , ſed tantummodo illicitas. Jam audiamus Concilium Sueſſionenſe actione ſexta ſic loquens : " Tunc , de Presbytero quo-
,, dam & Monachorum Abbate in Alti-
,, villaris Monaſterio , nomine Halduino ,
,, qui ab eodem Ebbone Diaconus fuerat
,, ordinatus , & a Lupo poſtea venerabili
,, Epiſcopo Catalaunenſi , Presbyter ſine
,, examine fuerat conſecratus , commota
,, eſt quæſtio , de quo judicatum eſt a Syn-
,, odo ſecundum ſacros canones .... ut
,, qui ſaltu ſine gradu Diaconi , ad Sacer-
,, dotium proſilierat , degradationem de-
,, bitam reſilire debet . ,,

Confirmatur : Depoſitio Sacerdotis ſupponit validam eſſe ejus ordinationem juxta canones ; nemo quippe dicitur dejici de

gradu

gradu & poteſtate quam non habet: Sed Concilium mentionem facit expreſſam de depoſitione: Igitur Halduini ordinationem non invalidam judicavit, ſed e gradu officii tum Diaconatus, tum Presbyteratus ejectum definivit. Probatur minor ex ipſis Concilii verbis: " De quo, *inquit*, judi-„ catum eſt a Synodo ſecundum ſacros „ canones, ſicut ſcriptum eſt: ut qui Pre-„ sbyteri, ſine examine per ignorantiam, „ vel per ordinantium diſſimulationem „ ſunt provecti, quum fuerint cogniti de-„ ponantur. „

De nullitate ordinationis Conſtantini Papæ jubente Stephano IV.

Gravissima fuit de ordinatione Conſtantini Papæ controverſia, quam Stephanus IV. in Concilio quodam Romæ habito irritam declaravit tum propter crimina illi imputata, tum ex eo quod Laicus fuiſſet ordinatus, non quidem omiſſis Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus ordinibus, ſed quia ſimul & intra paucos dies ad iſtos contra canones aſcendiſſet gradus: hæc enim acceleratio, ſecluſa diſpenſatione, dicitur ordinatio laica. Morinus ibidem cap.5. hæc de Conſtantino effatur nu.2. " Conſtantinus adducitur, *ſcilicet in* „ *Concilium*, qui proſtratus, culpam con-„ fitetur, & veniam deprecatur. Erectus „ & ſecedere juſſus, alia die iterum voca-„ tur, ſed conſilio mutato, electionem „ ſuam defendit, aſſerens ſe nihil novi fe-„ ciſſe, Sergium Ravennatem Epiſcopum „ ex Laico creatum eſſe, & Stephanum „ Neapolitanum Epiſcopum, atque ex Lai-„ cis repente Epiſcopos factos fuiſſet. „ Pergit num.3. " His peractis prohibuerunt „ ſub anathematis interdicto ne quis Lai-„ corum, aut alius quivis: *Niſi per diſtin-„ ctos gradus aſcendens, Diaconus, aut „ Presbyter Cardinalis factus ad ſacrum „ Pontificatus honorem poſſit promoveri*. Nunc „ proxime ad quæſtionem propoſitam. „ Conſtat ex præcedentibus nihil Conſtan-„ tini ordinationi defuiſſe, niſi quod ele-„ ctus eſt in Pontificem quum adhuc eſſet „ Laicus, & quod ordinum ſuſceptio in „ ejus conſecratione præcipitata eſt. Se-„ cundum hodiernam iſta definiendi con-„ ſuetudinem, certiſſimum eſt validam eſſe „ Conſtantini ordinationem, & conſequen-„ ter valide alios ordinaſſe, licet illicite „ fuerit ordinatus. Immo, ex eadem con-„ ſuetudine dici poſſet non illicite ordina-„ tus. Nam qui diſpenſandi poteſtatem ha-„ bet, ſi impedimentum ſciat, & nihilomi-„ nus agat rem canone prohibitam, diſpen-„ ſaſſe cenſetur, licet id exterius non expri-„ mat: audiamus quid Pontifex in Conci-„ lio cum Patribus decernat. „ *De Epiſcopis vero atque Presbyteris & Diaconibus quos ipſe Conſtantinus conſecraverat, ita in eodem Concilio promulgatum eſt, ut Epiſcopi illi; ſi aliquis eorum Presbyter, aut Diaconus fuerit, in priſtinum honoris ſui gradum reverteretur. Et ſi placabiles fuiſſent coram populo civitatis ſuæ, denuo facto decreto electionis more ſolito, cum Clero & plebe ad apoſtolicam advenissent Sedem, & ab eodem ſanctiſſimo Stephano Papa benedictionis ſuſciperent conſecrationem. Presbyteri vero, illi Diaconi ab eodem Conſtantino conſecrati, ſimili modo in eo quo prius exiſtebant habitu, reverterentur. Et poſtmodum: ſi qui eorum placabiles extitiſſent, antefatus beatus Pontifex Presbyteros eos, aut Diaconos conſecraret, ſtatuens ut hi qui ex eis conſecrandi eſſent, nequaquam ad potiorem honorem aſcenderent, nec ad Pontificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error, in Eccleſia Dei pullularet.*

Baronius ejuſdem eſt Labii ad annum 769. pag. 322. & ita de hac materia ſeu facto ſcribit: " At quod ad Epiſcopos ſpe-„ ctat, ne eos exiſtimes iterum conſecra-„ tos, ſed accepiſſe dumtaxat, more ma-„ jorum, benedictionis myſterium, quod „ auctor nominat benedictionis Sacramen-„ tum. „ Seu ritum qui in reconciliatione & Hæreticorum, & Schiſmaticorum & eorum qui fuiſſent abſque cauſa propulſi ſeu exauctorati, adhiberi ſoleret: qui quidem ritus, excepta dumtaxat manuum impoſitione, cuncta continebat, quæ in ordinum collatione ſervabantur, ut ex quarto Concilio Toletano liquet ann. 633. celebrato. En ejus verba: " Epiſcopus, *ait can.* „ 28. Presbyter aut Diaconus, ſi a gradu ſuo „ injuſte dejectus, in ſecunda Synodo inno-„ cens reperiatur. Non poteſt eſſe quod fue-„ rat, niſi gradus amiſſos recipiat, coram „ altario de manu Epiſcopi, orarium, an-„ nulum & baculum: ſi Presbyter, orarium „ & planetam: ſi Diaconus, orarium & al-„ bam: ſi Subdiaconus, patenam & calicem: „ ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui „ recipiant, quæ cum ordinarentur, percepe-„ runt. „ Audis Concilium loqui ſolummodo

de reparatione gradus & honoris deperditi: Igitur cæremonia quæ præ ſe fert aliquam reordinationis ſpeciem, eſt tantummodo ad reſtaurationem juriſdictionis pro Epiſcopis, & gradus ſeu honoris, pro ſimplicibus Sacerdotibus, Diaconis & aliis inferioribus Miniſtris.

Factum Photii diſcutitur.

Photius vir nobilis, ambitione raptus ſanctum Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſicut molitione, ſic & violentia Bardæ potentis in aula regia Domini, clavum Imperii tenente Michaele III. e ſede non ſine horribili ſcelere deturbavit anno circiter 858. die 25. Decembris, deinde a Gregorio Syracuſano, Epiſcopus inauguratus legitimi Paſtoris loco, Lupus præficitur: Ipſe vero adunato 320. Epiſcoporum in urbe Conſtantinopolitana Concilio, Legatis partim pecunia, partim honoribus, vel forſan & comminatione pœnarum captis & corruptis, ut ſibi conſuleret apud Romanum Pontificem, Ignatium veluti criminis conſcium accuſari curavit. Verum Nicolaus I. fraude detecta, & Photium & illi adhærentes, nec ſuis parcendo oratoribus, excommunicavit; cujus ſententia confirmata deinde fuit in Concilio octavo œcumenico. Photius nihilo melior factus, immo excandeſcens, tametſi exauctoratus, alterum adunavit Concilium, in quo repetitis anathematiſmis ſanctum confixit Ignatium, quos & adverſus ſummum Pontificem vibrare auſus eſt. Sed mortuo Michaele, ejus ſucceſſor Baſilius, ejecto Photio, Ignatium in propriam reſtituit ſedem: iſto vero e vivis erepto ann. 178. Photius ſuppoſititia genealogia, qua Baſilium ex Regibus Armeniæ oriundum inducebat, tam apud iſtum Imperatorem callida iſta illuſum adulatione promeruit gratiam, ut ſedi Conſtantinopolitanæ iterum præfectus ſit: ſed & iterum magnas & novas in Eccleſia movit tragœdias, ſimulata enim cum Eccleſia Romana concordia, illuſit Joann. VIII. ſummo Pontifici, promittendo illi, ut totius Occidentis Patriarchæ, reſtituere Bulgariam, quam quidem Nicolaus I. ad fidem adduxerat, ſed e cujus juriſdictione, Imperatoris auctoritate, fuerat ſubrepta. Tum Photio Joannes ſub duabus conditionibus pacem & Communionem concedebat, quarum prior ea erat, ut adunato Concilio & Clero, ſuam confiteretur culpam, & cernuus & pœnitens veniam & pro intruſione, & pro injuriis quibus S. Ignatium & ipſum ſummum Pontificem laceſſiverat expoſtularet; altera vero ut Bulgariam pro ſpiritualibus Sedi Apoſtolicæ reſtitueret. Sed fraudum ſubtilis Architectus, novam hanc in Litteras Pontificias invexit, ut omiſſis ſatisfactionibus, mentio ſolum de ejus cum Papa reconciliatione fieret. Demum ſicut Eccleſiæ, ſic & Imperatori Leoni nomine ſapientis ſeu Philoſophi celebrato, exoſus factus, anno 886. ejectus, poſtea miſerrime vita functus eſt.

His prælibatis & ſuppoſitis, operæ pretium eſt explanare quæ de ejus ordinatione, & ceteris ab ipſo ordinatis difficilia circumferuntur. Primo quidem citra dubium eſt Photium fuiſſe a Nicolao I. exauctoratum, & ad Laicorum ordinem ejectum: 2. Ejus ordinationem ab eodem, deinde & a Concilio octavo œcumenico nullam & vacuam declaratam fuiſſe, quippe qui Eunuchus & Laicus, hoc eſt non ſuſcepto Clericatus ordine in Epiſcopum inauguratus fuiſſet: 3. Irritas quoque, juxta ejuſdem Pontificis & Concilii definitionem, ordinationes quas fecerat, & omnes ab eo ordinatos repetitis conſecrationibus ordinandos eſſe.

Ad hanc difficultatem reſponſum eſt, quæſtionem hanc eſſe de facto, non de jure: & dato quod de jure foret, ſpectare diſciplinam, quæ juxta temporum & Theologorum varietatem, non una ſed diverſa, ſalvo fidei dogmate, fuit. Quocirca nihil inde abſurdi in religione conſequitur.

Plurima Morinus de hac controverſia ſcripſit ibidem cap. 6. nu. 1. ubi ſic loquitur de Photii conſecratione: " Lector ipſe
„ judicet. Ratio prope ſola, & ſæpiſſime
„ a Concilio & illius temporis Patribus
„ inculcata depoſitionis Photianæ, eſt ea-
„ dem, quæ Conſtantini Pontificis: quod
„ nempe, cum laicus eſſet, in Epiſcopum
„ & Patriarcham repente ordinatus eſt.
„ Noli autem judicare, Lector, de hac
„ propoſitione ex uſu & praxi frequenti
„ hujus temporis, quaſi Patres intellige-
„ rent ex laico deſultorie præteritis ante-
„ rioribus gradibus, repente Epiſcopum
„ factum, ſed intelligunt id factum in iis
„ fuiſſe, quod Pontificis diſpenſatione ſæ-
„ pe nunc fieri videmus, ut quis ex laico

u pau-

Digitized by Google

„ paucis diebus omnes ſuſcipiat ordines, „ & poſtremo Epiſcopalem. Hoc eſt quod „ horruerunt admodum Patres noſtri „ &c. „

Non deſunt Theologi qui propugnent ordinationem Photii irritam fuiſſe non ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid, ſicque nec illum, nec ab eo conſecratos, propter ejus ſuſpenſionem fuiſſe invalide ordinatos: ita ut quoad validitatem quicquam de ordinatione & pro ſemetipſo & pro aliis amiſerit; & nihil ultra Nicolaum & Synodum octavam intendere.

Hujuſce reſponſionis veritas non obſcure colligitur ex eo quod in litteris Adriani Papæ ad ſanctum Ignatium directis, quæ lectæ ſunt in actione octava Concilii VIII. generalis Gregorius Syracuſanus, qui Photium conſecraverat, dejectus dicatur *e numero & dignitate Epiſcoporum*: porro nullus cordatus dixerit Gregorium charactere Epiſcopali fuiſſe ſecundum ſubſtantiam exutum, cum non diffitentibus contrariæ opinionis defenſoribus, per peccatum ſubſequens, & hoc juxta Concilii Tridentini definitionem, amitti non poteſt Ordinis character, quo quis ſemel inſignitus fuerit, ut revera inſignitus fuerat Gregorius Syracuſanus, & conſequenter Photius ab ipſo conſecratus. Igitur cum Gregorius maneret vere Epiſcopus, antequam Photii partibus adhæreret, non ſecus ac ipſe Photius revera Epiſcopus erat: hinc cum dicitur juxta Concilium non fuiſſe Epiſcopum, hoc intelligi debet de juriſdictione, dignitate & ordinis officio. Cujus rei argumentum non leve, & ne dicam irrefragabile eſt, quod Joannes octavus anno 879. a Photio non reordinationem, ſed emendationem & reſtitutionem Bulgariæ pro ditione Romana quoad ſpirituale expoſtulaverit: quin immo nec ipſi Patres in Synodo generali, in qua Photius nomine Epiſcopi pro tempore antecedenti, præſenti & præterito celebratur, aliud efflagitavere; non diffitemur tamen Clericos a Photio ordinatos, poſt Nicolai & Concilii definitionem reordinatos fuiſſe, ſed ad cautelam. Quin immo reordinatio poſt litteras communionis Joannis VIII. a quibuſdam Romanis propoſita, rejecta eſt ab Orientalibus, inquit Mimburgius Hiſt. de ſchiſmate Græco.

Verba Epiſtolæ Joannis VIII. non ſunt prætereunda: “ Nos itaque, *inquit Joan-* „ *nes in Epiſtola quam ad Baſilium & fi-* „ *lios Imperatoris reddidit, ubi ab Impe-* „ *ratore accepiſſet legationem*, aliis Patriar- „ chis, Alexandrino videlicet, Antiocheno „ & Jeroſolymitano, atque omnibus „ Archiepiſcopis, Metropolitis, Epiſco- „ pis & Sacerdotibus, cunctoque Clero „ Conſtantinopolitanæ ſedis, qui de or- „ dinatione beati Methodii & Ignatii re- „ verendiſſimorum Patriarcharum exiſtunt, „ una voluntate, parique voto conſentien- „ tibus, eumdem Photium ſatisfaciendo „ miſericordiam coram Synodo ſecundum „ conſuetudinem poſtulantem, in vera di- „ lectione fratrem, in Pontificali officio „ comminiſtrum, atque coram Synodo mi- „ ſericordiam quærendo, in Paſtorali ma- „ giſterio conſacerdotem, pro Eccleſiæ Dei „ pace & utilitate, amodo Chriſto faven- „ te, recipimus & jubemus.

Replicabis multa adverſus iſtam poſteriorem ſolutionem datam. 1. Concilium ſimpliciter dicit Photium non fuiſſe prius Epiſcopum. 2. Alio modo loquitur de ordinatis a Methodio & ſancto Ignatio, qui illuſi partes Photii ſuſceperant: alio modo de conſecratis ab ipſo Photio. Priores declarat ſolum depoſitos: ait enim: “ Depo- „ ſiti ſunt, & omni ſacerdotali operatio- „ ne privati. „ Ceteros vero prorſus degradatos, aitque: “ Photium ſcilicet qui „ mille tumultibus & perturbationibus or- „ bem terræ replevit, juſto decreto damna- „ mus, promulgantes numquam fuiſſe prius „ aut nunc eſſe Epiſcopum, nec eos qui „ in aliquo ſacerdotali gradu ab eo conſe- „ crati vel promoti ſunt, manere in eo ad „ quod poſiti ſunt: inſuper & eos qui ab „ illo conſuetas orationes ac præpoſituræ „ promotionem ſuſceperunt, ab ejuſmodi „ patrocinio coercemus; ſed & Eccleſias, „ quas, ut putatur, tam Photius, quam „ ii qui ab ipſo conſecrati ſunt, dedicave- „ runt, vel ſi commotas menſas ſtabilie- „ runt, rurſus dedicari & intronizari, at- „ que ſtabiliri decernimus; omnibus maxi- „ me quæ in ipſo & ab ipſo ad ſacerdota- „ lis gradus acceptionem vel donationem „ acta ſunt, in interitum ductis. „ Quibus ſententiis hæc diſcrepantia intercedit inter ordinatos a Photio, & ordinatos canonice ab aliis; quod illi ab officio ordinis, donec „ reſipiſcant, ſuſpendantur: iſti vero mendaces habere ordinationes declarentur.

Concinit Epiſtola Adriani ad ſanctum Igna-

tium in eodem Concilio act.3. "Porro ceteris qui ex conſecratione fraternitatis tuæ ſunt, & ſive ſponte, ſive vi, ſe ad Photium contulerunt, ſi ſui ſatisfactione libelli, cujus exemplar Miſſis noſtris commiſimus, ad te remeaverint, quamvis contra profeſſionem vel ſubſcriptionem ſuam egerint, ac multipliciter adverſus ſacerdotium tuum, & in contemptum Sedis Apoſtolicæ exercuerint, eos generaliter in ſuis gradibus confirmantes, ignoſcendum decrevimus." Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et hæc omnia unum tantummodo ſignificant, videlicet Concilium ſtatuere, ut ordinati a Photio in perpetuum, officiorum ſacerdotalium & honorum gradu privati remaneant, concedo: ut ipſo ſacerdotali charactere realiter exuantur, nego. Hoc ſolum inter ordinatos a Methodio & ſancto Ignatio, & ordinatos a Photio ſtatuunt diſcrimen, ut priores ſi reſipiſcant, ſuſcipiantur, & eis ſicut ordinum, ſic & officiorum & dignitatum gradus reſtituantur, nuſquam vero poſterioribus in majorem pro majori crimine vindictam. Nihil aliud Nicolaus I. & Adrianus prætendunt. Nec obeſt quod Concilium velit Eccleſias a Photianis conſecratas, iterum dedicari; hoc enim intelligi debet de reconciliatione quæ precibus & quibuſdam iteratis benedictionibus fit, non ſecus ac in Eccleſia prophanata ad hodiernum uſque diem in praxi conſpicimus.

Inſurges: Loquitur Synodus de prioribus tamquam de degradatis, ſed degradatorum nomine eos intelligimus, qui ita ſunt exauctorati, ut ne quidem in illis remaneat poteſtas ordinum, ſiquidem hæc degradato ſubripitur, alias, ſi degradatio foret ſolum operationis ſacerdotalis prohibitio, nihil prorſus a ſuſpenſione differret, quod eſt contra Summiſtas. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Nomine degradatorum intelligimus eos quibus poteſtas ordines ſuſceptos exercendi tollitur in perpetuum ſimul cum juriſdictione, concedo: quibus tollitur tantummodo ad tempus, nego.

Latum eſt diſcrimen inter ſuſpenſionem & degradationem: ſuſpenſio reſpicit actionem & operationem ſacerdotalem, quæ tum ad tempus ita prohibetur, ut ſi quis in ſuſpenſione ſacra celebraret, abſque mora irregularis evaderet: at, vero degradatio eſt ſuſcepti ordinis quoad executionem perpetua depoſitio, quæ ſignificatur per quamdam cæremoniam extrinſecam, cultello abradendo digitos conſecratos, non quod tollatur realiter character, cum ſit indelebilis, & quid mere ſpirituale, ſed ut intelligant populi, reum eſſe ad ſtatum Laicorum ejectum. Sunt & aliæ diſcrepantiæ. Degradatus nedum ſacerdotali operatione, ſed & juriſdictione exuitur, & excommunicatur; ſuſpenſus a divinis, non ideo ſuſpenditur, ſed ſaltem ſemper a juriſdictionis officio; remanent enim illi ejus ſubditi, quibus leges imponere ad gubernationem poteſt: neque etiam excommunicationis cenſuræ ſubjicitur: Porro & Concilium & ſummi Pontifices voluerunt quidem indulgere ordinatis a Methodio & ſancto Ignatio, ſed non Photianis: Et hoc unum ſubindigitant eorum ſicut & Concilii definitiones.

Urgebis: Atqui degradatio realem importat characteris deletionem: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Poteſtas ordinis annexam habet juriſdictionem, qua quidem deficiente, nullus Epiſcopus etiam valide conſecrare Sacerdotes valet: Sed Photiani Epiſcopi degradati, nullam habebant juriſdictionem, ea quippe & ſummorum Pontificum & Concilii definitionibus exuti fuerant. Ergo &c. Probatur major, in qua difficultas eſt. Eodem modo ratiocinari fas eſt de conſecratione ac de abſolutione Sacramentali: nam utraque actio exigit ſubjectum ſubditum: ſed juriſdictio ita requiritur ad abſolvendum pœnitentem a peccatis, ut ea ſecluſa, nullum ſit Sacramentum. Ergo a pari & ad conſecrandum.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem, nego majorem; hæc enim intercedit differentia inter poteſtatem ordinis & poteſtatem juriſdictionis, quod prior ſpectet corpus Chriſti verum vel immediate, vel ſaltem mediate: immediate pro ſacrificio offerendo: mediate pro Miniſtris conſecrandis, qui in Altari corpus Chriſti conficiunt: ſed poſterior non niſi actus morales, de quibus ferendum eſt judicium, ſpectat: Quid enim eſt aliud juriſdictio, niſi jus pronuntiandi de actibus humanis, vel ſolvendo, vel ligando: ſolvendo per abſolutionem a peccatis, tum ligando prævaricatores per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas: & ſic patet ſolutio ad probatio-

bationem; cum ea ſit inter pœnitentiam Sacramentalem & Sacerdotum conſecrationem diſcrepantia, quod objectum pœnitentiæ ſit quid morale & prudentiale, ſpectans judicium; conſecratio quid reale habens relationem ad corpus Chriſti conficiendum, quæ quidem productio eſt conſecrationis ſacerdotalis primarium objectum ſimul & finis.

Solutio eſt divi Thomæ hic 3. p. Supp. q.38. art. 2. ad 1. his verbis: " Dicendum „ quod effectus abſolutionis non eſt aliud „ quam remiſſio peccatorum quæ per gra- „ tiam fit; & ideo Hæreticus non poteſt „ abſolvere, ſicut nec gratiam in Sacra- „ mentis conferre: & iterum quia ad ab- „ ſolutionem requiritur juriſdictio, quam „ non habet ab Eccleſia præciſus. „

Inſiſtes: Quod Eccleſia dat, hoc ipſum in vindictam auferre poteſt: ſed Eccleſia confert Epiſcopo conſecrandi poteſtatem: & probatur. Epiſcopalis conſecratio non imprimit characterem: Igitur eam habet ab Eccleſia.

Reſpondeo negando minorem: Ipſe Chriſtus conſecrat Sacerdotes, dicente Joan. c. 1. *Hic eſt, qui baptizat*. Ad probationem diſtinguo: Epiſcopalis conſecratio non imprimit characterem adæquate & ſimpliciter, concedo: extenſive, nego. Character Sacerdotalis juxta noſtrorum Thomiſtarum placita extenditur in Epiſcopo. Subſcribit D. Thomas ibidem ad ſecundum, dicendo poteſtatem conferri Epiſcopo permanentem, eo quod ejus poteſtas vi conſecrationis accepta, directe reſpiciat Chriſtum Deum, cui parat Miniſtros. De hoc momento audiendus eſt ſanctus Doctor ibidem, ubi ad 2. ait: " Dicendum, quod „ in promotione ipſius Epiſcopi datur ſibi „ poteſtas quæ perpetuo manet in eo, „ quamvis dici non poſſit character: quia „ per eam non ordinatur homo directe ad „ Deum, ſed ad corpus Chriſti myſticum: „ & tamen indelebiliter manet ſicut cha- „ racter, quia per conſecrationem da- „ tur.

Inſtabis: Epiſcopus non habet poteſtatem niſi in Eccleſia: ſed ut primum exauctoratus eſt, jam non eſt de Eccleſia: Igitur ne quidem valide conſecrare poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Epiſcopus Hæreticus exauctoratus non eſt de Eccleſia ratione fidei & charitatis, atque influxus, concedo: illis enim ſolutis nexibus membrum putridum & a corpore reſecatum manet: Ratione characteris & ordinationis, nego: quod enim ſemel conſecratum eſt, non poteſt non eſſe conſecratum. Quia vero ab Eccleſia præciſus eſt, non habet licitam ordinis executionem. Sic reſpondet Angelicus Doctor ibidem ad 3. " Dicendum, *inquit*, quod illi qui pro- „ moventur ab Hæreticis, quamvis acci- „ piant ordinem, non tamen recipiunt „ executionem, ut licite poſſint in ſuis or- „ dinibus miniſtrare. „

Dices: Miniſter debet conſecrando Sacerdotes conjungi Paſſioni Chriſti quæ in Sacramento operatur. 2. & benedicere: ſed Epiſcopus Hæreticus denuntiatus neque Paſſioni Chriſti conjungitur & communicat, neque quemquam benedicere poteſt, cum ipſe ſit maledictus. Igitur omnibus penſatis, ne quidem valide Sacerdotes conſecrare poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo primam minoris partem: Epiſcopus exauctoratus non conjungitur Paſſioni Chriſti ratione fidei & charitatis, iis quippe virtutibus orbatus eſt, concedo: ratione characteris & formæ legitimæ quam adhibet cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, nego. Sic ſolvit difficultatem ibidem S. Thomas ad 4. " Dicendum, *ait*, quod per fidem Eccle- „ ſiæ continuatur Paſſioni Chriſti, quia „ quamvis in ea non ſint ſecundum ſe, „ ſunt tamen in ea ſecundum formam Ec- „ cleſiæ quam ſervant. „

Ad Alteram minoris partem ſimiliter diſtinguo: Epiſcopus Hæreticus nequit benedicere per ſe, & ad gratiam conferendam, quæ eſt ſecundarius ordinationis effectus, concedo: neque benedicere in nomine Eccleſiæ & conſecrare, nego. Ita ibidem Angelus Scholæ ad 5. ubi ſic loquitur: " Di- „ cendum, quod hoc eſt referendum ad ul- „ timum effectum Sacramentorum.

Solvitur argumentum ex Canone octavo primi Concilii Niceni.

Oppones: Quæſtio juris in Concilio œcumenico definita, pro omnibus fidei regula eſt, nec illi citra temeritatem refragari licitum eſt. Sed Hæreticos univerſim reordinandos ſtatuit ſacra illa Synodus; & probatur. Duos condidit pro Hæreticis canones, octavum ſcilicet & decimumnonum: in priori jubet reordinati Nova-

tianos, in poſteriori rebaptizari Cataphrygas eo quod formam Baptiſmi tentarent & deflorarent. Probatur minor quoad primam partem, ſcilicet Synodum ſtatuere Novatianos reordinari: namque eo ipſo quo jubet manus illis imponi, jubet reordinari: " Placuit ſancto & magno Concilio ut impoſitionem manus accipientes, ſic in clero permaneant. " Sed per eam manuum impoſitionem intelligitur reordinatio: Et probatur multis momentis. Primo hæc manuum impoſitio non eſt reconciliativa, cum aliquid ſpeciale eo loci ſtatuatur quod ceteris Hæreticis non erat commune; impoſitio vero ad pœnitentiam indiſcriminatim omnes & ſingulos ſpectat: 2. Neque chriſmativa dici debet: quandoquidem Græci Confirmationem unctione, & non impoſitione manus, niſi raro admodum deſignabant: Quid plura? impoſitio manuum Novatianis ad Eccleſ. redeuntibus adhibita, juxta multos graviſſimos auctores, erat aliis Hæreticis reconciliandis communis: Porro nuſquam memoriæ proditum eſt ceteros Hæreticos omiſiſſe Confirmationem, quippe quæ juxta veterem diſciplinam ſimul cum Baptiſmo conferretur, nec ipſis Novatianis vitio verſum eſt, Baptiſmi appendices prætermiſiſſe. Supereſt igitur quod Concilium loquatur de manus impoſitione ordinativa.

Reſpondeo negando antecedens propter rationes jamjam ſupra dictas. Ad probationem dico juxta quorumdam Theologorum placita, Concilium ſermonem inſtituere de manuum impoſitione chriſmativa, quam omiſiſſe Novatianos propugnant: ſicque aliquid ſpeciale pro eis ſtatuiſſe, cum ceteri Hæterodoxi eam baptizando conferrent: juxta vero multorum opinionem octavus canon Nicænus intelligendus eſt de chriſmatione verticali, quam dubio-procul teſte Theodoreto L. 3. Hær. Fab. c. 5. vel ipſi Novatiani prætermittebant: " Et iis, *inquit*, quos baptizant, ſanctiſſimum chriſma non præbent. Quapropter eos qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi Patres inungi præceperunt. " Videas velim, Theodoretum canonem non de manuum impoſitione chriſmativa & ordinativa, ſed baptiſmali explicare & interpretari.

Inſtabis: Atqui verba canonis Nicæni de reordinatione Novatianorum intelligi debent. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Synodus eſt ſui ipſius interpres in ſua ad Alexandrinos Epiſtola Tom. 2. Labbæi fol. 250. ubi de Meletianis ſic loquitur: " Illi vero qui ab eo in ſacrum ordinem lecti ſunt, ſimul atque ſanctiore ordinatione confirmati fuerint, ad Communionem poſt hæc admittantur, & permittatur illis quidem honoribus frui, & ſacris muneribus fungi. "

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et nomine ſanctioris ordinationis intelligunt novam inſtitutionem a legitimis Paſtoribus, hoc eſt, canonicam juriſdictionem & miſſionem, concedo: novam ordinationem, nego. Duplex in conſecratione Sacerdotis datur poteſtas: videlicet una circa corpus Chriſti verum, altera circa corpus Chriſti myſticum: utraque eſt ſanctior cum a legitimo Miniſtro procedat, nam ad eum ſolum ſpectat concedere & dare executionem ordinum, maxime circa corpus Chriſti myſticum: Igitur volunt Patres ſtatuuntque adverſus Meletianos Schiſmaticos, ut redeuntes ſanctiori ordinatione in eo ſenſu gaudeant, quod miſſionem & ordinum executionem, immo & conſecrationem, ſi opus ſit canonice in poſterum a legitimis Paſtoribus accipiant: Hoc ipſum in eadem indicant Epiſtola, his verbis: " Quin etiam nulla poteſtas eis ſit vel deſignandi quos velint, vel omnino quidquam faciendi abſque conſenſu Epiſcoporum Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, qui ſub Alexandro ſunt ſanctiſſimo Collega noſtro. "

Replicabis: Atqui Concilium de reordinatione eorum qui vel ſchiſmate, vel hæreſi ab Eccleſia præciſi ſunt, loquitur. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. In iſto ſenſu explanat canonem octavum Nicænum Theophilus Patriarcha Antiochenus Hieronymo coævus Tom. 2. Concil. Labbæi fol. 1801. " Declaravit, *inquit*, mihi tua pietas quod quidam eorum qui ſe Catharos nominant, volunt ad Eccleſiam accedere. Quoniam ergo magna Synodus Nicæna a ſanctis Patribus noſtris habita, ſtatuit ut ordinentur qui accedunt juxta hanc formam, eos qui ad Eccleſiam accedent, ordina: ſi quidem vita eorum recta eſt, & nihil eis adverſatur. "

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego Theophilum intelligere canonem

nonem Nicænum de manuum impoſitione ordinativa: non enim eo loci movet quæſtionem de Clericis Novatianis, ſed de Laicis ad quos ſic extendit ſacra Synodus privilegium, ut velit Clero eos aſcribi poſſe, ſi alio quam ſchiſmatis crimine non impediantur: " Si quidem, *ait*, vita eorum re„ cta eſt, & nihil eis adverſatur. „ Quod tamen veteres canones vetabant circa ceteros Hæreticos; quippe qui prohiberent ne nomen Eccleſiaſticæ militiæ darent, donec pluribus annis eorum in fide conſtantia probaretur.

§. VII.

Ordinem eſſe novæ legis proprie dictum Sacramentum variis oſtenditur rationibus.

Prima, eaque a priori ſic deducitur. Nomine Sacramenti intelligimus cæremoniam ſacram, qua traditur poteſtas ſpirituale aliquod miniſterium exercendi, ſimulque gratia ſanctificans ad illud rite & convenienter obeundum. Sed talis eſt Ordo. Igitur eſt novæ legis proprie dictum ſacramentum. Probatur minor multis momentis. Primo quidem ex his Scripturæ, Patrum & Conciliorum locis, quibus ſupra oſtenſum eſt cæremoniam Ordinum annexam habere gratiam. Secundo, ex Magiſtro Sentent. qui Lib.4. diſt. 24. dicit Ordinem eſſe *ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato*. Quam quidem definitionem ratam habet ſanctus Thomas hic 3. part. Supplem. q.34. art.2. his verbis: " Dicendum quod definitio quam „ Magiſter de Ordine ponit, convenit Or„ dini, ſecundum quod eſt Eccleſiæ ſacra„ mentum. Et ideo duo ponit, ſcilicet ſi„ gnum exterius, ibi, ſignaculum quod„ dam, ideſt, ſignum quoddam: & effe„ ctum interiorem, ibi, quo ſpiritualis po„ teſtas &c. „ Rurſus ibidem art.3. " Di„ cendum quod Sacramentum, ut ex di„ ctis patet, nihil eſt aliud, quam quæ„ dam ſanctificatio homini exhibita cum „ aliquo ſigno viſibili: unde cum in ſuſ„ ceptione Ordinis quædam conſecratio „ homini exhibeatur per viſibilia ſigna, „ conſtat Ordinem eſſe Sacramentum. „ Tertio, ideo Baptiſmus eſt ſignum ſenſibile gratiam elargiens, quia eſt ceterorum ſacramentorum janua, hominesque ad ea ſuſcipienda reddit capaces. Igitur & a ſimili, immo & a fortiori, Ordo eſt ſignum gratiæ practicum, cum pro munere habeat ordinare miniſtros, qui digne vel ipſa conficiant Sacramenta. Hanc tradit probationem ſanctus Thomas ibidem art. 3. & ait: " Propter quod unumquod„ que tale, & illud magis: ſed propter „ Ordinem fit homo diſpenſator aliorum „ Sacramentorum. Ergo Ordo habet ma„ gis rationem quod ſit Sacramentum, „ quam alia. „

Altera ratio ita proponitur: Quæ ſunt a Deo, non ſolum extrinſece, ſed & intrinſece ordinata ſunt; talis eſt hujuſce ſpectabilis mundi digeſtus per omnium entium naturam ordo: ita ut quælibet creatura per virtutem innatam in ſuo vieiſſim ſtet ordine, & ad præſcriptum tendat finem; talis eſt & Ordo pro ſpiritualibus: Eccleſia enim triumphans diverſis gratiæ vinculis Deo conjungitur, & felici pondere ipſi perpetuo adhæret: talis inter omnes electos, & cœleſtia agmina Angelorum, qui ideo gratia referti, quia ipſos fecit Deus ſuæ voluntatis & miniſtros, & ignem urentem, qui ſuo flagrantes amore, ardeant loquendo, & alios accendant. Priores illuminati a Deo & perfecti, inferiores illuminant & perficiunt: ordinatio enim ea eſt, teſte Dionyſio, inter eos, ut qui magis de Dei bonitate participant, aliis Angelis quidquid luminis eſt miniſtrent; ordo autem ille mirabilis gratiæ donis innititur. Sed non abſimilis eſt Hierarchia Eccleſiaſtica: Igitur conveniens eſt ut non ſecus ac naturalis ordo per virtutem innatam ordinatur ad finem, angelica vero per gratiam, ſic & humana ſigno ſenſibili ad Deum tendat & perveniat. Quia vero Eccleſia militans eſt media inter naturam & gloriam, inter Angelos ſanctos & entia mere naturalia, ex eo quod ſit ſupra naturam, gratiam in ſuis exigit ordinibus; ſed quia etiam paulo minus ab Angelis minoratur, gratiam per ſenſibilia debet accipere. Igitur Ordo eſt ſignum ſacrum & proprie dictum Sacramentum.

Hanc eximiam rationem profert Angelicus Doctor ibidem art. 1. in argumento *ſed contra*, & ita loquitur: " Rom.13. di„ citur: Quæ ſunt a Deo, ordinata ſunt: „ ſed Eccleſia a Deo eſt, quia ipſe eam æ„ dificavit ſanguine ſuo. Ergo Ordo in „ Eccleſia eſſe debet. „ Rurſus ibidem:

“ Præterea ſtatus Eccleſiæ eſt medius in„ ter ſtatum naturæ & gloriæ: ſed in na„ tura invenitur ordo , quo quædam aliis „ ſuperiora ſunt; & ſimiliter in gloria, ut „ patet in Angelis . Ergo in Eccleſia de„ bet eſſe Ordo. „

Tertia : Non minora ſunt novæ legis privilegia iis quæ Synagogæ conceſſa ſunt: immo, teſte ſancto Auguſtino, multo majora habemus in Sacramentis . Sed ordinatio Sacerdotum in veteri lege erat verum & proprie dictum Sacramentum ; nam in ea Ordo erat cæremonia admodum ſacra , cum ex præcepto Dei inungerentur miniſtri, & ſanctitatem legalem tantam conſerebat conſecratio , ut non niſi per Sacerdotes populi accederent in templum , ut Deo vero libarent. Eadem cæremonia quæ legaliter ex opere operato ſanctificabat Levitas , eiſdem ex opere operantis conſerebat gratiam : Igitur a ſortiori Ordo in nova lege eſt verum & proprie dictum Sacramentum , quod non mere legaliter , ſed & intrinſece ſanctificat animas. In hoc enim, inquit Concilium Florentinum , Sacramenta veteris legis a noſtris diſcrepant, quod illa gratiam per Chriſtum conferendam ſignificent , noſtra vero etiam ex opere operato illam producant, & digne ſuſcipientibus conſerant . Quod non obſcure dicit Apoſtolus Hebr. 10. v. 1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum , non ipſam imaginem rerum ; per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis , quas offerunt indeſinenter , numquam poteſt accedentes perfectos facere : alioquin ceſſaſſent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati.* Ergo &c.

Quarta : Sacramentum eſt ſignum a Chriſto inſtitutum ad noſtram ſanctificationem . Atqui Chriſtus omnes eo fine inſtituit Ordines: & probatur. Illud uti tale inſtituit Dominus, ſi cuncta Ordinum miniſteria veluti peregit: cum enim ipſe ſummus ſit Sacerdos, & omnes Ordinum gradus in ſummo contineantur ſacerdotio, dubio-procul ad Ordinem ſacrum revocandæ ſunt operationes, quibus vel pro ſacrificio conſummando , vel in ordine ad ſacrificium ipſe ſunctus eſt . Atqui res ſic ſe habet. Ergo &c. Probatur minor ex Simeone Theſſalonicenſi , qui in ſuo de Sacramento Ordinis libello ſeu dialogo cap. 12. apud Morinum a pag. 129. uſque ad pag. 200. Ordinationes Epiſcopi , Presbyteri , Diaconi & aliorum Miniſtrorum juxta ritum Græcum adamuſſim refert & commemorat.

Quinta : Quod ipſi Proteſtantes, tametſi Sacramentis novæ legis adverſantes, ultro ſatentur, a nemine ſenſato debet in dubium revocari . Atqui vel ipſi Proteſtantes veritate victi , ne dicam oppreſſi , Ordinem inter cetera novæ legis Sacramenta annumerare , aut ſaltem in eo quidquid Sacramenti naturam ſpirat , agnoſcere tenentur . Ergo &c. Probatur minor : Inter omnes audiendus eſt Calvinus Lib.3. inſtit. cap.19. num. 28. ubi ſic loquitur de Ordine: “ Quantum ad verum Presbyterii mu„ nus attinet , quod ore Chriſti nobis eſt „ commendatum , libenter eo loco habeo. „ Illic enim cæremonia eſt primum ex „ Scriptura ſumpta , deinde quam non eſ„ ſe inanem, nec ſupervacuam , ſed fide„ le ſpirituale gratiæ ſymbolum teſtatur. „ Rurſus §. 16. ait : Hanc cæremoniam non „ eſſe inutilem , ex eo quod ſit profecta a „ Spiritu ſancto , qui nihil fruſtra in Ec„ cleſia inſtituit . „ Ibidem cap. 3. §. 13. verbis expreſſis ait : “ Hanc impoſitio„ nem manuum fuiſſe ſolemnem ritum : „ quo aliquis conſecrabatur Eccleſiæ miniſter . Rurſus §. 16. cap. 3. “ Licet nul„ lum certum extet præceptum de manuum „ impoſitione , quia tamen fuiſſe in per„ petuo uſu Apoſtolis videmus , illa tam „ accurata eorum obſervatio præcepti vice „ nobis eſſe debet . „ Ex quo liquet Calviniſtas dum ex albo Sacramentorum expungunt Ordinem , a ſuo duce ſecedere.

Kemnitius In examine Concil. Trid. ad cap.2. & can. 3. 4. 5. Seſſ.23. negat Ordinem eſſe Sacramentum, ſed dubio-procul non ſibi conſtat , quippe qui dicat manuum impoſitionem eſſe a Chriſto inſtitutam , & “ Deum largiri gratiam per manuum im„ poſitionem . „ Rurſus ei “ additam fuiſ„ ſe a Deo promiſſionem „ gratiæ : quæ quidem & ſimilia verum novæ legis indicant Sacramentum.

Fit ſatis Objectionibus.

Objiciunt : Sacramentum proprie dictum conſtat materia & forma: ſed hoc in Ordine deeſt ; & probatur . Ne quidem formam determinatam habet Ordo , & tamen iſta prætermiſſa, nihil fit . Ergo &c.

Pro-

Probatur antecedens: Verba locum tenent formæ, inquit D. Thomas, eum habeant determinare materiam ad aliquem effectum producendum, ſcilicet gratiam: Sed Ordo verbis determinatis non fit; & probatur ex Canoniſtis. Summus Pontifex aliquem Epiſcopum creare poteſt, dicendo, *eſto Epiſcopus:* ſed non eadem eſt forma in Pontificali Romano contenta. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem, nego antecedens. Ad ſecundam, nego minorem. Ad ulteriorem, diſtinguo: Et verba laudata ſufficienter exprimerent effectum Sacramenti, concedo: & non exprimerent, nego. Non ſemel dictum eſt Chriſtum non determinaſſe in individuo formam Sacramentorum, ſi eam quæ Baptiſmo & Euchariſtiæ propria eſt excipias: ſed reliquiſſe poteſtatem Eccleſiæ aſſumendi verba quæ Sacramenti deſignarent effectum. Porro cum iſta, *eſto Epiſcopus*, ſignificent gratiam Sacramentalem, non mirum ſi Canoniſtæ ratam illam habeant.

Solutio eſt Iſamberti, qui diſp. 2. de Sacramento Ordinis articul. 2. ſic ſolvit argumentum. " Ad auctoritatem Canoniſtarum „ reſpondetur, eos tantum velle Chriſtum „ inſtituendo hoc Sacramentum, inſtituiſ„ ſe pro ejus forma verba illa, *quæ ſuffi„ cienter ſignificarent talem poteſtatem tunc „ de facto dari ordinatis*: unde cum iſta „ verba a ſummo Pontifice prolata, fa„ ciente ſimul manuum impoſitionem, *eſto „ Sacerdos*, vel *eſto Epiſcopus*, traditio„ nem prædictæ poteſtatis explicent: vo„ lunt ſummum Pontificem utendo ſolum „ hac forma verbali, & omittendo eam „ quam habet Pontificale, poſſe valide con„ ſecrare aliquem in Sacerdotem vel Epi„ ſcopum; at iſti Canoniſtæ numquam vo„ lunt impoſitionem manuum omitti in ta„ li ordinatione. „

Inſtans: Sacramentum ordinatur ad ſuſcipientis ſanctificationem: ſed Ordo non ſuſcipientem, ſed alios ſanctificandos per ſe primo reſpicit; & probatur. Ordinatur Sacerdos præciſe ut aliis conferat Sacramenta. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Ordinatur Sacerdos ad ſanctificationem aliorum, ut propter ultimum finem, concedo: ut propter finem immediatum, nego. Duo ſunt conſideranda & ponderanda in Ordine, videlicet ipſa ordinatio ſeu Ordo ſecundum ſe, deinde vero executio Ordinum ſeu poteſtatis acceptæ exercitium. Priori modo ſpectatus per ſe primo tendit ad ſanctificationem ordinantis, ut dignus evadat Chriſti miniſter, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*. Poſteriori modo ad ſanctificationem aliorum. Et vero conſecratio fit in ordinatione: Igitur ordinatus accipit interiorem gratiæ unctionem, cujus unctio interior eſt ſignum ſimul & cauſa, eo ipſo quo fit cum debita forma, juxta Chriſti intentionem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ordo eſt Sacramentum novæ legis.

Primo: Hæc veritas paſſim in Scripturis ſacris aſtruitur. Act. 14. habetur: *Cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros*. 2. ad Tim. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*.

Secundo: Traditio eam firmat & docet veritatem. Dionyſius Lib. de cœleſt. Hierar. cap. 5. ipſius Presbyteri ordinationem refert. S. Ignatius Martyr in ſua ad Trallianos Epiſtola commemorat Presbyteros. De Ordine tamquam de Sacramento loquuntur Innocentius I. Epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum: S. Leo Epiſt. 81. cap. 1. Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio: Ambroſius Lib. de Sacerdotali dignitate: Hieronymus Dial. adverſus Lucif. Auguſtinus Lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. Idem definiere Concilia: in primis Romanum ſub S. Sylveſtro ante Nicænam Synodum celebratum c. 5. Carthaginenſe ſub S. Cypriano anno 258. & demum Tridentinum Seſſ. 23. cap. 2. Eccleſia Orientalis in hoc cum Occidentali conſentit. Extant ubique in toto Oriente ad hæc uſque tempora Eccleſiæ, in quibus omnes Ordinis gradus ſervantur, videlicet Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, &c.

Tertio: Idem Sacramentum Manuſcripta conclamant, idem Ritualia, idem ordinationes Presbyterorum a ſummis priorum ſæculorum Pontificibus factæ.

Quarto: Non deſunt rationes quibus proba-

probatur Ordinem eſſe novæ legis Sacramentum. Inſtar omnium ſit cæremonia ſacra per Chriſtum inſtituta, annexam habens gratiam, ut patet ex ordinatione Sancti Timothei.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

OBJICIUNT Heterodoxi 1. inſtitutionem Ordinis in Scriptura Sacra non clareſcere, & ne quidem ibi fieri mentionem tum materiæ, tum formæ. 2. Patres intelligere ſacerdotium ut quid commune laicis & Presbyteris. 3. Concilia non ſemel abſtuliſſe poteſtatem a malis Sacerdotibus offerendi ſacrificium; quod fieri non potuiſſet, ſi Ordo eſſet Sacramentum imprimens characterem. 4. Eadem hæreticorum & ſchiſmaticorum Præſulum ordinationes eſſe vacuas declararunt.

Reſpondeo ad primum, Chriſtum inſtituiſſe Ordinem, quum in die Cœnæ præcepit Diſcipulis illud ſacrificium incruentum offerre in ſui commemorationem: quod & confirmavit ſuam poſt reſurrectionem, dicens Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Porro reliquit Eccleſiæ poteſtatem materiam & formam determinandi.

Ad ſecundum reſpondeo, Patres loqui de ſacrificio myſtico, quo ſenſu cor contritum & humiliatum eſt ſacrificium.

Ad tertium reſpondeo: Concilia quandoque malis Sacerdotibus in vindictam prohibuiſſe executionem Ordinum: nec ſemel Patres & nomen Sacerdotis ab eis abſtuliſſe, ſed in eo ſolum ſenſu quo ſunt miniſtri indigni.

Ad quartum reſpondeo, dato & non conceſſo Epiſcopos exauctoratos non ordinare, non inde ſequeretur Ordinem non eſſe Sacramentum. Communis tamen opinio eſt non ordinare quidem licite, bene tamen valide. Hoc unum probant facta & ſummorum Pontificum dicta.

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA,

DE

ESSENTIA SACRAMENTI

MATRIMONII.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Matrimonium ſit Sacramentum?

MANICHÆI negabant Matrimonium eſſe a Deo. Sed contra quod dicitur Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt.*

Dogma de eſſentia Matrimonii variis probatur argumentis.

PRIMO. Ex Sriptura Sacra.
Secundo. Ex ſanctis Patribus.
Tertio. Rationibus Theologicis &c. Unde ſit

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

SACRAMENTUM definitur ſignum ſacrum a Chriſto inſtitutum: Sed illa definitio competit Matrimonio. Igitur Matrimonium eſt novæ legis Sacramentum. Probatur minor omnibus prorſus momentis quæ aſtruunt fidei dogma.

§. I.

Proferuntur teſtimonia Scripturæ Sacræ.

EX veteri Teſtamento: Gen. 2. *Non eſt*, inquit Deus, *bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Rurſus ibidem: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Quibus poſitis, ſic argumentari fas eſt. Figura prænuntiat in veteri lege veritatem in nova adimplendam, ut docet Apoſtolus in Epiſtola ad Hæbreos. Sed conjunctio Adami cum Eva, figura erat matrimonii ut Sacramenti pro lege nova, quatenus ſignificabat Eccleſiæ cum Chriſto unionem, quæ in matrimonio reduplicative ut Sacramento conſummatur; namque Fideles Eccleſiam componunt, & habent cum Chriſto conjunctionem, in quantum in conſpectu Eccleſiæ, in fide & per fidem Chriſti conjunguntur, ut non ſolum in ſocietate juxta Chriſti religionem vivant, verum etiam ut prolem in fide educent, & ſicut per Baptiſmum, ſic & per bona opera Chriſti membrum, illam efficiant. Quod autem hic ſit genuinus Scripturæ ſenſus, patet ex Sancto Auguſtino, qui Lib. 9. de Geneſi ad litt. cap. 7. ita Scripturæ textum interpretatur.

Ex novo Teſtamento: Matth. 19. Chriſtus ait: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Suffragatur Apoſtolus 1. Cor. 7. his verbis: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit.* Rurſus ibidem, *Si nupſerit virgo, non peccavit.* Rurſus 1. ad Tim. 4. notat Hæreticos qui prohibebant nubere: & cap. 5. *Volo ergo*, inquit, *juniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe &c.* Rurſus Hebr. 13. *Honorabile connubium &c.* Demum Epheſ. 5. ſuam mentem clariſſime prodit Apoſtolus dicens de Matrimonio: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia:* & ſecundum textum Græcum, & quidem originalem, *in Chriſtum & in Eccleſiam.* Quibus verbis os loquentium iniqua adverſus Matrimonium contunditur: verba enim B. Pauli non eo intelliguntur ſenſu, quod Matrimonium myſterium ſit ſolum inter Chriſtum & Eccleſiam: ſed quod revera Matrimonium ſit

in

in ſe myſterium ſeu Sacramentum, cujus terminus & finis ſit Eccleſia, ſeu conjunctio & unio Chriſti cum Eccleſia. Εἰς Χριστὸν, εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. Si quæras quomodo Matrimonium ſit Sacramentum? habes ab eodem Apoſtolo eatenus eſſe Sacramentum, quatenus eſt ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia: quocirca alloquens homines uxoratos ait Eph. 5. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*.

Neque vero Matrimonium eſt ſignum vacuum, ſed practicum, annexam habens gratiam. Hoc ipſum non in uno loco Scripturæ habetur: namque 1. ad Tim. 2. de deſponſata loquens Apoſtolus ait: *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate*. Ecce gratia ſanctificans accepta in Sacramento, in qua ſi quis operante fide & dilectione Dei perſeveraverit mulier, ſalvabitur per filiorum generationem, nimirum juxta intentionem & Creatoris & Mediatoris, factam.

Bellarminus Lib. 1. de Matrimonio c. 2. ſic interpretatur verba Apoſtoli: " Videamus, *inquit*, quid Apoſtolus a conjugatis feminis requirat? *Si permanſerit*, ait, *in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate*: ubi quatuor bona enumerat Matrimonii Chriſtiani; contra quatuor mala, quæ ſine gratia Dei in matrimonio evitari non poſſunt. Primum eſt malum, non ſervare conjugii fidem. Secundum, odium & rixæ; quæ ſubinde inter conjuges oriuntur. Tertium, immunditia quædam & turpitudo ex rebellione membrorum. Quartum, intemperantia. His Paulus opponit fidem, dilectionem, ſanctificationem, & ſobrietatem, in quibus permanendum eſſe dicit, tamquam videlicet in ipſa matrimonii celebratione acceptis. "

Pergit, & ſubnotat Apoſtolum iterum prædicare in alio loco Matrimonii gratiam, quatenus inter Dei dona eam annumerat, " Atque hinc, *ait* idem auctor, 1. Cor. 7. vocat donum Dei matrimonium Apoſtolus, ut ipſam virginitatem: *Unuſquiſque*, inquit, *proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic*. Et 1. Theſ. 4. hortatur conjuges ut abſtineant ſe a fornicatione, & vas ſuum poſſideant in ſanctificatione, quam nimirum per Matrimonium ante acceperunt. "

§. II.

Expenduntur Summorum Pontificum Decreta.

Agmen ducet Siricius Papa, qui Epiſt. 1. c. 4. ſubindigitat Matrimonium eſſe rem ſacram: " Hoc ne fiat, *ait*, omnibus modis inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur. " Sed quorſum, quæſo, infidelitas circa matrimonium commiſſa foret ſacrilegium? ſi matrimonium non eſſet Sacramentum: cum peccatum ſacrilegii illud tantum cenſeatur, quo res ſacræ & a Deo ſanctificatæ profanantur.

Sequitur Innocentius I. qui de eodem momento expreſſioribus verbis loquitur Epiſt. 9. ad Probum, quippe qui aſserat Matrimonium divinam habere pro fundamento gratiam. " Qua de re, *ait*, ſtatuimus, fide Catholica ſuffragante, illud eſse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum, conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nec divortio ejecta, nullo pacto poſse eſse legitimum.

Non abſimili modo cenſet S. Leo Magnus Ep. 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum c. 4. ubi vocat Matrimonium Sacramentum ſimul & myſterium. En ejus verba: " Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem, haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſse myſterium. "

Non prætereundus Lucius III. Hic ſummus Pontifex in Concilio, quod, ſi fides adhibeatur Eſtio, non enim extat textus in Labbeanis Codicibus, duodecimo labente ſæculo Veronæ celebratum eſt, expreſse Matrimonium inter Sacramenta novæ legis annumerat: " Univerſos, *inquit in Decreto quod incipit*: Ad abolendam, *& refertur extr. de Hæreticis*: qui de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, vel de Baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, Matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt, quam

" Roma-

„ Romana Eccleſia prædicat & obſervat, „ vinculo perpetui anathematis innodamus. „

His accedit Eugenius IV. qui in inſtructione Armenorum ceteris novæ legis Sacramentis accenſet Matrimonium.

§. III.

Traditio Patrum pro Matrimonii Sacramento.

JAM elucescit mira iſta traditio tum in doctrina, tum in ſtatutis ſummorum Pontificum, qui primo ævo clavum Eccleſiæ tenebant: ſed mirum in modum eadem ſententiis Patrum roboratur.

Tertullianus non in uno, ſed in multiplici loco præfatum aſtruit dogma: in primis L. 2. c. 8. ad uxorem, “ Sufficiamus, „ *inquit*, ad enarrandam felicitatem ejus „ Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & „ confirmat oblatio, & obſignat benedictio; „ Angeli renuntiant, Pater ratum habet. „ Audis Tertullianum repetere gratiam Matrimonii ex oblatione & benedictione coram Deo, & juxta Chriſti præceptum factis.

Rurſus Lib. 1. adverſus Marcionem damnantem nuptias ait pag. 451. “ Sine du„ bio ex damnatione conjugii inſtitutio i„ ſta conſtabit. Videamus an juſta: non „ quaſi deſtructuri felicitatem ſanctitatis, ut „ aliqui Nicolaitæ aſſertores libidinis atque „ luxuriæ: ſed qui ſanctitatem ſine nuptia„ rum damnatione noverimus & ſectemur, „ & præferamus .... ſed & ſi nubendi „ jam modus ponitur, quem quidem apud „ nos ſpiritalis ratio Paracleto auctore de„ fendit, unum in fide matrimonium præ„ ſcribens, ejuſdem erit modum figere. „ Eo loci opponit Matrimonii ſacramentum pagano, cujus finis eſt inhoneſta voluptas, aut ſaltem intenditur.

S. Cyprianus ejuſdem eſt ſententiæ. Lib. de ſingularitate Clericorum aſſerit nexum matrimonii indiſſolubilem eſſe propter contrahentium fidem & benedictionem: & L. 3. teſtimoniorum ad Quirinum num. 62. ait: “ Matrimonium cum Gentilibus non „ jungendum ... Neſcitis quoniam cor„ pora veſtra membra Chriſti ſunt? „ Ibi exaltat virginitatem & matrimonium fidelium, quod quidem ut ſanctum habet.

S. Ambroſius ſuum huic dogmati addit calculum pluribus in locis, maxime Comment. in illa Apoſtoli verba ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt &c.* ait: “ „ Myſterii Sacramentum grande in unitate „ viri ac feminæ eſſe ſignificat. „ Rurſus Lib. 1. de Abraham cap. 7. loquens de eo qui alterius nuptam ducere cupit ut uxorem, ait: “ Qui ſic egerit, peccat in De„ um, cujus legem violat, gratiam ſolvit: „ & ideo quia in Deum peccat, ſacra„ menti cœleſtis amittit conſortium. „ Eo loci docet matrimonium chriſtianum non reperiri, ubi gratia non adeſt. Igitur ex Ambroſio, conjugium inter fideles initum eſt ſignum gratiæ practicum: adeoque vere & proprie dictum novæ legis Sacramentum.

Non diſſentit Hieronymus Comment. in verba mox laudata ex Epiſtola ad Epheſios excerpta: & in teſtimonium profert hæc Gregorii Nazianzeni verba, qui Apoſtoli ſententiam ſic interpretatur: “ Scio „ quia locus iſte ineffabilibus plenus ſit Sa„ cramentis, & divinum cor quærat inter„ pretis; ego autem pro puſillitate ſenſus „ mei, in Chriſto interim illud & in Ec„ cleſia intelligendum dico. „

Jam de hoc puncto audiendus eſt Sanctus Chryſoſtomus, qui Hom. 20. in Epiſt. ad Epheſios eumdem Pauli locum ſic explanat: “ Et benedixit, *inquit*, magnum „ eſt hoc myſterium; ac ſi dixiſſet, ve„ rumtamen allegoria iſta dilectionem con„ jugalem non evertit. „ Et mox: “ Re „ vera Myſterium eſt & magnum Myſte„ rium, relicto eo qui genuit, eo qui aluit, „ etiam ea quæ peperit, quæ miſere & cum „ labore parturivit, adhærere virum illi, „ quæ antea neque viſa ſit, atque hanc o„ mni præferre. Vere myſterium eſt. Et „ parentes etiam, cum iſta fiunt, non of„ fenduntur &c. „

B. Cyrillus Alexandrinus non leviora de hoc capitulo dicit, maxime Epiſt. ad Neſtorium ubi ſic loquitur: “ Nam hac ipſa „ de cauſa, *ſeu*, quo noſtræ quoque ſub„ ſtantiæ ſua benedictione cumularet, ſi„ mul cum Sanctis Apoſtolis ad nuptias „ in Cana Galilææ vocatum, huc ſe con„ tuliſſe, ſuaque benedictione eaſdem diſ„ penſatorie cohoneſtaſſe dicimus. „ Rurſus eamdem commemorat benedictionem L. 2. in Joan. cap. 2. ubi explicans miram converſionem aquæ in vinum ait; “ Chriſtum ſanctificaſſe

caſſe

caſſe conjugium, & gratiam nuptiis præparaſſe, ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur. „

S. Epiphanius Hær. 67. non ſilet eamdem benedictionem nuptiarum ſanctificativam: ſic enim ſcribit: “ Quomodo enim non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum cœlorum, cum vocatus ſit Salvator ipſe ad nuptias, ut nuptias benediceret. „

Inter omnes pro iſto dogmate aſtruendo eminet S. Auguſtinus. Primo quidem L. de bono conjugali, ubi non ſemel conjugium nomine Sacramenti celebrat. Cap. 18. ita loquitur: “ Propterea, *ait*, Sacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum virum & unam uxorem redactum eſt . . . . Sacramentum nuptiarum ſingularum noſtri temporis, ſignificat unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo futuram in una cæleſti civitate. „ Quod autem eo loci loquatur Sanctus Doctor de Sacramento proprie dicto, ex hoc potiſſimum liquet, quod conjugium Chriſtianorum nuptiis Gentilium opponat verbis iſtis ſubſequentibus: “ Nec cauſa ergo numeroſioris prolis fecerunt Sancti noſtri, quod Cato dicitur feciſſe Romanus, ut traderet vivus uxorem, etiam alterius domum filiis impleturam. In noſtrarum quippe nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri. „ Iterum c. 24. nuptias Chriſtianorum opponit Paganorum connubiis, ut quid propter gratiam quam confert longe præcellens.

Idem Pater comparat conjugium quod in nova lege celebratur, Sacramentis Baptiſmi & Ordinis, quæ quidem comparatio, non dicam vacua, ſed ridicula & prorſus inepta foret, ſi non haberet rationem Sacramenti proprie dicti. Celeberrimus eſt pro hoc momento locus ex L. 1. de nuptiis & concup. cap. 10. excerptus: “ Inter viventes, *ait*, manet quoddam vinculum conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, ſicut Apoſtatæ anima velut de conjugio Chriſti recedat, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit quod lavacro regenerationis accepit. „

Rurſus de bono conjugii c. 24. “ Quemadmodum, *inquit*, ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis; & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio removeatur, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente. Obſerves velim, benevole Lector, Patres vocare conjugium modo benedictionem nuptialem, quam prophanare reputant ſacrilegium; modo myſterium, nonnumquam etiam Sacramentum; nec ipſe Auguſtinus quoad gratiæ productionem Baptiſmo & Ordinationi illud aſſimilare dubitat. Jam inimici fidei ſi velint ſunt judices. Numquid ſupram Scripturam Sacram, ſupra ſummorum Pontificum ſtatuta, ſupra incontaminatam Patrum doctrinam ſeſe extollere non verebuntur? Num poſt tot teſtes & lumine & ſanctitate & antiquitate præpollentes, indiſcriminatim omnibus fidei monumentis & denſoribus relictis, eis nova commenta rimantibus credemus, & conjugium in Eccleſia celebratum non eſſe proprie dictum Sacramentum dicemus?

§. IV.

Statuta Conciliorum.

Quoniam Chriſtus Dominus dixit Matt. cap. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*; operæ pretium eſt hic texere ſtatuta Eccleſiæ in Conciliis adunatæ, quæ definivit & declaravit Matrimonium eſſe novæ legis Sacramentum.

Concilium Gangrenſe juxta verſionem Dionyſii Exigui can. 1. ait. *Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro ſuo fidelem ac religioſam deteſtatur, aut culpabilem æſtimat, velut quæ in regnum Dei introire non poſſit; anathema ſit.*

Bracarenſe I. can. 11. *Si quis*, inquit, *conjugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.*

Lateranenſe canone qui refertur in Decretalibus de ſimonia, capite *cum in Eccleſia*, nubentium benedictionem inter Sacramenta recenſet; ait enim: “ Horribile eſſe quod pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis aliquid requiratur . . . . Ne igitur hæc de cetero fiant, vel pro perſonis

„ ſonis Eccleſiaſticis deducendis in ſedem, „ vel Sacerdotibus inſtituendis aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nnbentibus, ſeu aliis Sacramentis conferendis „ collatis aliquid exigatur, ſtrictius prohibemus. „

Conſtantienſe ſupponit tamquam de fide ſeptem eſſe novæ legis Sacramenta, quorum unum eſt Matrimonium, quum Seſſ. 15. iſtum Joannis Hus anathemate percellit articulum: *Sacerdotes quomodolibet criminoſe viventes, ſacerdotii polluunt poteſtatem, & ſicut filii infideles, ſentiunt infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ.* Hoc ipſum concluditur ex Conſtitutione Martini V. ab eodem approbata Concilio, in qua quidem hæc habentur: “ Interrogetur an credat „ quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum, Confirmationis, „ vel Extremæ-Unctionis, vel ſolemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter. „ Ibi loquitur de interrogatione facienda ei qui in hæreſeos ſuſpicionem venerit.

Florentinum eamdem propugnat veritatem; namque Eugenius IV. in decreto unionis Armenorum ſic definit: “ Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet „ Baptiſmus, Confirmario, Euchariſtia, „ Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & „ Matrimonium. Horum quinque prima „ ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in „ ſeipſo perfectionem; duo ultima totius „ Eccleſiæ regimen, multiplicationemque „ ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: Per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur „ in fide; renati autem & roborati, nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod „ ſi per peccatum ægritudinem incurrimus „ animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur; ſpiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam-Unctionem. Per Ordinem vero Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter: Per Matrimonium corporaliter „ augetur. „

Tridentinum ceterorum velut appendix totam Matrimonii materiam mirum in modum explanat Seſſ. 24. his verbis: “ Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque „ nexum primus humani generis parens „ divini Spiritus inſtinctu pronunciavit, „ cum dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Chriſtus Dominus apertius docuit, cum poſtrema „ illa verba, tamquam a Deo prolata referens dixit: Itaque jam non ſunt duo, „ ſed una caro, ſtatimque ejuſdem nexus „ firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* „ Gratiam vero quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atque perfector, „ ſua nobis Paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit, dicens: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*: mox „ ſubjungens: *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Cum igitur Matrimonium in „ lege Evangelica veteribus connubiis per „ Chriſtum gratia præſtet; merito inter „ novæ legis Sacramenta annumerandum, „ Sancti Patres noſtri, Concilia & univerſalis Eccleſiæ Traditio ſemper docuerunt. „

Ruſus can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis, a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit.*

Obſrvandum venit Concilium Grangrenſe & Bracar. anathemare percellere eos Hæreticos, qui nuptias ut quid prophanum & non ut Sacramentum habebant. Lateranenſe eodem prorſus modo loquitur de conjugio ac de ceteris Sacramentis ut ejus ipſa ſonant verba: “ Horribile eſt, *ait*, quod „ pro ſepulturis & exequiis mortuorum, „ & benedictionibus nubentium, ſeu aliis „ Sacramentis aliquid requiritur. „ Quæ quidem voces, *ſeu aliis Sacramentis*, referuntur ad iſta *benedictionibus nubentium*, quibus conjunguntur eum particula, *ſeu.* Conſtantienſe loquitur in ſenſu oppoſito Joannis Hus, qui propugnabat Matrimonium eſſe tantummodo in officium naturæ, & non Sacramentum: quod & Lutherus & Calvinus dicebant, quos ideo Tridentinum ſuo perſtringit ſtylo cenſorio. Quid plura? Eugenius in Florentino explanat Armenis hanc fidem.

Digitized by Google

dem. Igitur cum ſeptem nominet ei Sacramenta, quorum unum eſt Matrimonium, dubio-procul aliter ſentire citra fidei periculum nemo poteſt.

§. V.

Conſenſus Eccleſiarum Arientalium & teſtimonia Græcorum recenſentur.

De veteribus Græcis non eſt relictus ambigendi locus. Epiphanium, Chryſoſtomuum, Gregorium Nazianzen. jam laudavimus, nunc ad recentiores properare juvat, ut Proteſtantes intelligant ab ipſa adhuc vagiente Eccleſia teſtimonia omni exceptione majora pro Sacramento Matrimonii ad noſtra uſque tempora incunctanter perſeveraſſe.

Allatius in ſuo percelebri opere, cujus titulus eſt De utriuſque Eccleſiæ conſenſione L. 3. cap. 11. inter Sacramenta novæ legis annumerat conjugium, oſtendendo Græcos anathemate percuſſiſſe Cyrillum Lucarem eo quod numerum ſeptenarium Sacramentorum, temeraſſet: Ejuſdem eſt labii Arcudius, qui librum 7. de hac materia fuſo & eleganti calamo conſcripſit. C. 2. ita loquitur: " Matrimonium Chriſtus „ Dominus ad Sacramenti dignitatem eve- „ xit, relicta prorſus intacta ejus natura. „ Unde cauſæ quæ conſtituunt Matrimo- „ nium quatenus eſt homini quid natu- „ rale, hoc eſt, ex naturali inclinatione „ proveniens, eædem conſtituunt Sacra- „ mentum. „

Simeon Theſſalonicenſis inter Græcos recentiores celeberrimus, p. 61. & ſeq. probat auctoritate Scripturæ conjugium, quod Matrimonium honorabile τίμιος γάμος Græci nuncupant, eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum.

Meletius Syrugus Ref. art. 15. Cyrilli Lucaris a fide Apoſtatæ, ex græco, latine ſic redditur: " Omnes, *inquit*, Eccleſiæ „ ab Apoſtolorum Traditione acceperunt, „ conjugium honorabile inter Sacramenta „ annumerandum eſſe: Vocamus Matri- „ monium honorabile, non illud quidem „ quod in univerſa terra communi con- „ junctione hominis cum femina ad filio- „ rum procreationem.. ſed illud quod in- „ ter Fideles celebrat Eccleſia invocatione, „ quæ in ſacris precibus continetur, de quo di- „ citur conjugium honorabile eſt, & thalamus „ nuptialis abſque macula, & illud ipſum „ eſt quod nulla de cauſa ſolvi debet: & „ hæc prohibitio lata eſt ab eo qui præce- „ pit ne in poſterum repudii libellus dare- „ tur, quia non licitum eſt homini ſepa- „ rare quod conjunxit Deus. Matrimoni- „ um alio modo initum ſolubile eſt juxta „ D. Paulum dicentem, hominem infide- „ lem a propria poſse ſeparari uxore ſi vul. Pergit ibidem, & art: " Idem Apoſtolus „ expreſſis terminis illud vocat Myſterium „ ſeu Sacramentum, cum dixit, hoc My- „ ſterium magnum eſt: Neque vero ſo- „ lummodo magnum dicit, ſed in Chriſto „ & in Eccleſia. „ Audis illum Theologum ſecernere conjugium Chriſtianorum a conjugio Paganorum, quod iſtud mere naturale ſit, utpote fundatum in conjunctione ne naturali beſtiis communi, inquit Syrurgus: illud vero ſacrum Myſterium & Sacramentum.

Confeſſio ortodoxa p. 183. idem dogma complectitur q. 115. dicit: " Sextum Sa- „ cramentum eſse conjugium, quod qui- „ dem fide mutua data, inter deſponſatos, „ a Sacerdote poſtea confirmatur. „ His accedunt definitiones Synodorum Cyrilli Beroæ, & Parthenii ſenioris quibus aſtruitur Matrimonium ut Sacramentum adverſus Cyrillum Lucarem: Lucarem: Eamdem doctrinam propugnat Correſſius. Obſerves Græcos ponere Matrimonium ſextum numero inter Sacramenta.

Gregorius Protoſyncellus Correſſii diſcipulus ſuffragatur Synopſ. p. 153. & 154. air: " Explicatio ſexti Sacramenti, videli- „ cet Matrimonii. „ Pergit: " Matrimo- „ nium eſt perfecta concordia & unio viri „ & feminæ, ut ſimul totam degant vitam „ iſtam. Dicimus conjunctionem perfectam, „ quia iſtud compoſitum coaleſcens ex vo- „ luntate viri & feminæ, & Eccleſiæ, a „ nemine, perdurante eorum vita, ſolvi „ poteſt, juxta illud Chriſti effatum, *Quod* „ *Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Deinde vero aſserius Matrimonium eſse Sa- „ cramentum a Deo inſtitutum, quo qui- „ dem homo feminæ pro hac tota vita „ temporali conjungitur, & Apoſtolus nos „ docet eſse Sacramentum dicendo: *Hoc* „ *Sacramentum magnum eſt*, eo quod Chri- „ ſti cum Eccleſia unionem ſignificat. „

Non prætereundus Jeremias Patriarcha Jeroſolymæ, qui reſp. 1. & 2. adverſus Theologus Wittembergenſes omni argumento-

rum

rum genere probat conjugium eſſe novæ legis Sacramentum. In ſecunda reſponſiooe ait: “ Matrimonium eſt donum Dei quod „ a Deo hominibus ad filiorum procreatio- „ nem coocesſum eſt, quamdiu univerſus „ iſte corruptioni obnoxius perdurabit. „ Subdit vero: “ Eſſe Myſterium ſeu Sacra- „ mentum, ſicut cetera a Deo inſtitutum; „ quæ quidem ſunt Ordinatio, Euchariſtia, „ Chriſma & Baptiſmus, illudque ipſum „ Chriſtum benedicere. „

Omnia Græcorum Ritualia eamdem confirmant veritatem. Io Eccleſiæ aditu primo celebrantur ſponſalia: 2. His peractis adducuntur verſus altare ſponſus & ſponſa, corona utrique apponitur in ſignum victoriæ ſuper concupiſcentiam, ſervata ſcilicet ad hæc uſque tempora caſtitate. 3o. Pſalmus *Beati immaculati &c.* dicitur, annulus aureus ſponſo, argenteus vero ſponſæ datur. 4. Variis & iteratis precibus ſeu oratiooibus benedicuntur.

Prima oratio: “ *Tu, Domine*, ait Sacerdos, *qui eos benedixiſti, dicendo, creſcite & multiplicamini, unum corpus effeciſti, & propter hoc dixiſti, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; ita ut duo in carne una, & quod Deus conjunxit homo non ſeparet*, &c.

Altera oratio a Sacerdote prolata hæc eſt, & benedictiones ſpirituales, potiſſimum ſpectat: *Benedictus ſis, Domine Deus noſter, qui inſtituiſti Matrimonium myſticum & immaculatum, ſicut inſtituiſti legem conjugii corporalis. Tu qui es incorruptibilitatis Cuſtos, & rerum hujuſce mundi largus Diſpenſator: Tu qui initio hominem creaſti &c. Mitte igitur nunc gratiam tuam cæleſtem ſuper ſervos tuos N. N. & da filiæ iſti ut in omnibus ſuo ſubdita ſit viro, & huic veſtro ſervo, ut ſuæ uxoris caput exiſtat, ut vitam tuæ voluntati conformem ducant. Benedic eos ſicut benedixiſti Abraham & Sara.*

Tertia & quidem inter ceteras potiſſima his concipitur terminis: *Deus ſancte, qui ab initio hominem ex limo formaſti, qui ex ejus coſta mulierem produxiſti, quique ad auxilium illi conjunxiſti, eo quod bonum non tibi viſum eſt hominem eſſe ſolum ſuper terram: Mitte Domine manum tuam ex ſancto habitaculo tuo, & conjunge N. ſervum tuum, & N. ancillam tuam, quandoquidem per ſe mulier viro conjuncta eſt: conjunge eos perfecta concordia, eoſque corona ut una ſint caro: concede eis conjugii fructus; & ſint in filiis felices, &c.*

Demum unum hic ſubnotare juvat, ſcilicet in Euchologiis recentioribus altum eſſe ſilentium de Liturgia pro nuptiis celebrandis, & de Communiope, nam ad veſperam fit conjugii cæremonia, at vero in vetuſtioribus manuſcriptis quorum R.P. Goar exemplaria refert, conjugati ex præſanctificatis accipiunt ſacram ſynaxim; quæ quidem pia conſuetudo vel ipſo Simeonis Theſſalonicenſis tempore adhuc florebat. C. 276. p. 195. Euchol. p. 398. hæc omnia fuſo calamo ſcripſit Renaudotius Tom. 5. perp. fidei L. 6. c. 2.

§. VI.

Continent aliæ Eccleſiæ Orientales.

Non ſecus ac Græci Melchitæ, Jacobitæ Syriæ, & Alexandriæ, Neſtoriani celebrant benedictionem nuptialem: Priores vero dum erant cum Eccleſia Romana conjuncti, non abſimiles pro eodem momento ritus habebant, ut infra dicetur, ſicque ab Apoſtolis initium duxit Traditio pro Sacramenti Matrimonii dogmate.

Primum prodimus Ebnaſſal celeberrimum Coptitarum Canoniſtam. Iſte de hoc momento hunc inſtituit ſermonem, qui latine ſic redditur: “ Poteſt celebrari Matri- „ monium, neque tamen abſque Sacerdo- „ tis præſentia, ejuſque prece ſuper con- „ trahentes fuſa, & oblatione ſanctæ Eu- „ chariſtiæ, quæ eodem tempore quo coro- „ nantur, fit, ita ut iſta cæremonia in u- „ na caroe duæ perſonæ conjungantur, ut „ dicit Dominus, perfectum eſt. Niſi i- „ ſtæ adſint conditiones, iſta unio non ha- „ betur ut Matrimonium: Namque ipſa „ creatione uſus mulierum viris reditur licitus, „ & viciſſim uſus virorum mulieribus. „

Subſcribit Abuſebah tractatu de Scientia Eccleſiaſtica his verbis: “ Oportet mu- „ lierem cum viro ejus capite præſentari „ coram altari Dei Altiſſimi, ibi eorum fit „ memoria io iis quæ a Sacerdote per „ modum inſtructionis dicuntur, & ut i- „ pſi corpori Domini communiceot, ad „ hoc ut unum evadant corpus. „

His accedit Echminii p. 2. c. 2. ſect. 2. MS. Ar. qui non abſimili modo de eodem loquitur Sacramento: “ Omne, *ait*, „ quod Matrimonium ſpectat explicatur in „ primo ſancti Epiphanii canone: qui du- „ cit uxorem, prætermiſſa Eccleſiæ pre- „ ce,

„ ce, eidem cum fornicariis pœnitentiæ „ ſubjicietur, eamque & vir, & femina, „ peracta oratione, ſuſcipient: & conve- „ niens erit ut ad tempus ab invicem ſe- „ parentur: quandoquidem fornicatio non „ ut conjugium haberi debet, & uti talis „ nuſquam cenſenda eſt. „

In Rituali pervetuſto Jacobitarum Syriæ hæc leguntur: *Domine, creaſti patrem noſtrum Adam, eumque ſuper opera manuum tuarum conſtituiſti: In adjutorium mulierem ei dediſti: Utrumque benedixiſti, & dixiſti, creſcite & multiplicamini . . . . In tuo dixiſti Evangelio, relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, erunt duo in carne una: quod Deus conjunxit homo non ſeparet. Oramus te, Domine, ut ſecundum multitudinam miſericordiæ tuæ benedicas præſentes famulos qui veniunt ad Templum ſanctum tuum, ut in charitate ſpirituali conjungantur, & ut miniſterio noſtro, adjuvante gratia, nuptialem ſuſcipiant coronam: ut toto vitæ ſpatio bonis repleas, ad hoc ut magnum tuum celebrent & glorificent nomen. Benedic eos, Domine, ſicut benedixiſti Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Jacob & Rachel.. Concede eis liberos qui ab omni erga ipſos anxietate abſtineant, quique vitam a peccato immunem ducant &c.*

In altera oratione juxta ritum Jacobitarum Eccleſia benedictiones potiſſimum pro ſpiritualibus expoſtulat: *Benedic eos, Domine, & hic conjunge famulos tuos qui vinculo conjugii adunantur: confirma eos in ſpe, charitate & fide, ſicut & in operibus juſtitiæ, & rectitudinis, ut eorum Matrimonium non abſimili modo laudabile ſit, ac erat veterum Patrum piorum & juſtorum connubium, qui quidem pietate conjuncti fuere, quorum nepotes benedictionibus abundarunt, qui & ſicut arena maris, & ſtellæ cœli multiplicati ſunt. Concede eis ſicut juſtitiæ fructus, ſic & benedictionis.*

Rurſus in poſtrema benedictione legitur: *Sponſe vere animarum caſtarum, & ab omni impuritatis fæce immunium, concede famulis tuis qui de hoc Matrimonio copulantur, quique miniſterio meo te Mediatorem habuerunt: ſpirent proborum morum & virtutum odorem: flagret inter eos ſincera charitas, pax, tranquillitas, atque concordia quam nec paſſiones perturbare queant: Eos corrobora, quatenus inter ſe perfectam animæ & corporis ſervent caſtitatem.*

§. VII.

Ex rationibus Theologicis idem affulget dogma.

Prima ſic exponitur: Quod eſt ſignum gratiæ practicum, dubio procul eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum: Atqui tale eſt conjugium in Eccleſia inter Fideles celebratum. Et probatur: Primo quidem eſt ſignum ſacrum, nam unionem Chriſti cum Eccleſia ſignificat, hinc cauſæ matrimoniales ad ipſius Eccleſiæ Tribunal deferuntur. Secundo eſt ſignum practicum gratiæ, ſin minus non foret magnum Sacramentum, ut ait Apoſtolus, cum nihil ſupra Matrimonium veteris legis haberet. S. Thomas utrumque propugnat 3. p. Suppl. qu. 42. art. 1. & 3. In priori ſic loquitur: “ Dicendum, quod Sacramentum „ importat aliquod remedium ſanctitatis „ homini contra peccatum exhibitum per „ ſenſibilia ſigna: unde cum hoc invenia- „ tur in Matrimonio, inter Sacramenta „ computatur. „ In poſteriori argumento *ſed contra* ita procedit: “ Auguſtinus L. de „ bono viduitatis L. 8. dicit, quod Matri- „ monium eſt ægrotis in remedium: ſed „ non eſt in remedium, niſi in quantum „ aliquam efficaciam habet: ergo habet „ aliquid efficaciæ ad reprimendam concu- „ piſcentiam. Sed concupiſcentia non re- „ primitur niſi per gratiam: ergo in ipſo „ confertur gratia. „

Deinde vero in corpore articuli variis allatis opinionibus circa cauſalitatem gratiæ per Matrimonium ſic concludit cum ea, quæ propugnat illud Sacramentum ſimilem in efficacia habere cum ceteris Sacramentis energiam: “ Alii, *inquit*, dicunt, quod „ Matrimonium in quantum in fide Chri- „ ſti contrahitur, habet ut conferat gra- „ tiam adjuvantem ad illa operanda, quæ „ in Matrimonio requiruntur: & hoc pro- „ babilius eſt. Quia ubicumque datur di- „ vinitus aliqua facultas, dantur etiam au- „ xilia quibus homo convenienter uti poſſit „ facultate illa: ſicut patet, quod omnibus „ potentiis animæ reſpondent aliqua mem- „ bra corporis, quibus in actum exire poſ- „ ſint. Unde cum in Matrimonio detur „ homini ex divina inſtitutione facultas „ utendi ſua uxore ad procreationem pro- „ lis, datur etiam gratia ſine qua id con-

„ ve-

„ venienter facere non poſſit: ſicut etiam „ de poteſtate Ordinis ſupra dictum eſt, „ & ſic iſta gratia data, eſt ultima res „ contenta in hoc Sacramento. „

Altera hæc eſt: Matrimonium vinculo indiſſolubili ex SS. Patribus, maxime ex ſancto Cypriano ſupra laudato innitur: Sed annexum non habet iſtud vinculum niſi ut Sacramentum eſt: Et probatur: Si conſideretur, inquit Bellarminus L. 1. de ſacr. Matr. cap. 4. in officium naturæ, dubio-procul non habet indiſſolubilitatem, cur enim vir non poſſet remittere uxorem ſterilem vel ex naturæ defectu, vel ex infirmitate corporis? 2. Conſtat, inquit idem Theologus Matrimonium legitimum, immo & conſummatum ante ſuſceptionem Baptiſmi, diſſolvi poſſe: Igitur non ex alio capite indiſſolubilitatem non habet, niſi ex Sacramenti ratione.

Tertia: Conjugium teſte D. Auguſtino ordinatur ad remedium concupiſcentiæ: ſed hoc ipſum non habet niſi a gratia Sacramentali, ſeu ut Matrimonium Sacramentum eſt, quandoquidem uſu Matrimonii magis incaleſcit concupiſcentia, quæ certe non comprimitur niſi ex debito fine & recta Eccleſiæ inſtitutione. Ergo &c.

Quarta: Jugum Chriſti, veteris legis jugo multo ſuavius eſt: ſed ſi Matrimonium non foret Sacramentum, vix hoc clareſceret, quandoquidem Judæi plures habebant uxores in remedium concupiſcentiæ; quomodo igitur tumentes paſſionis concupiſcentiæ fluctus confringet Chriſtianus, niſi gratiam habeat Matrimonio annexam, quæ ſola metam ponit exceſſibus concupiſcentiæ, juxta illud Dei ad Paulum a Satana colaphizatum 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*. Ergo &c.

Quinta: Duplex eſt conjugii finis, primarius unus, ſecundarius alter. Prior in conjunctione cordium per fidem & relative ad Chriſtum cum Eccleſia unitorum ſitus eſt; alter vero in procreatione prolis juxta religionis ſtatuta formandæ & educandæ: ſed utrumque exigit gratiam. Igitur Matrimonium eſt ſignum gratiæ practicum. Probatur minor. Primo quidem, conjunctio per fidem eſt quid ſupernaturale, tum quia ſi pro fidelitate ſumatur, qua ſponſus ſoli uxori adhæreat, iſta vero ſoli viro, ſecluſa gratia ad propellendas undequaque videlicet ex parte diaboli, mundi, & propria concupiſcentia occurrentes tentationes, hoc non fit. Quid plura adjiciam? Neque prolem in fide per Baptiſmum ſuſcepta parentes abſque gratiæ auxilio conſervabunt, ſed a quo, quæſo, Sacramento illa gratia repetenda? niſi a Sacramento Matrimonii ex inſtitutione Chriſti conſerente auxilia neceſſaria ad ea ſubeunda munia, & alia, ut ſcilicet uxorati, adverſantibus uniuſcujuſque paſſionum diverſarum impetibus, adverſantibus tribulationibus, hinc inde irruentibus, adverſantibus diverſi quandoque temperamenri tempeſtatibus, in pace Chriſti, & concordia compoſita vivent.

Sexta demum iſto fundatut ratiocinio, Quod iiſdem Eccleſiæ cæremoniis, eodem apparatu & non abſimili pompa & ſolemnitate, & quidem in ſolo Eccleſiæ conventu fit, eſt quid ſacrum, ſicut cetera Sacramenta, namque quod mere naturale, mere prophanum & laicum eſt, ſeu etiam mere civile, non eſt quid ſacrum: Atqui conjugium Chriſtianorum his omnibus gaudet privilegiis: Igitur eſt Sacramentum proprie dictum. Probatur minor. Primo, quidem Matrimonium tantum in Eccleſia celebratur, quocirca Apoſtolus ait: *Filii Sanctorum ſumus*, quod certe non dicitur de filiis Gentilium, & Hæreticorum, qui non habent Matrimonium ut Sacramentum. Ideo enim juxta interpretes beati Pauli, ſoli filii ex Chriſtianis procreati dicuntur filii Sanctorum, quia tametſi in peccato concepti, attamen ex Matrimonii Sacramento habent originem, & ex hoc hauriunt ſanctitatem legalem & extrinſecam. 2. Fit in conſpectu Eccleſiæ, & præſentia Parochi benedicentis deſponſatos, & hoc ita prærequiritur, ut illa ſecluſa conditione juxta Concilii Tridentini definitionem, non ſit Sacramentum. 3. Denique illud comitatur pompa, illud & magna ſolemnitas, ut experientia comprobat quotidiana. Audiſti benevole Lector pro hoc momento ritus Eccleſiæ Orientalis, nunc velim, ad ritus Eccleſiæ Occidentalis aurem tuam accommoda.

§. VIII.

Modus quo in Eccleſia Latina Sacramentum Matrimonii celebratur.

Observandum eſt ritus Latinos de conjugio celebrando Græcis affines eſſe, quod non levius eſt argumentum hanc cæremoniam ab eodem primigenio fonte, ſcilicet Apoſtolico promanaſſe. Eodem benedictionis nuptialis nomine donantur deſponſati: funduntur ſuper eos preces: divina nutriuntur Euchariſtiæ alimonia: ſicut annuli, ſic & corona affulgent: apud omnes Chriſtianos per mutuum partium expreſſum conſenſum in Eccleſiæ conventu fit, ut patebit ex auctoritatibus ſubſequentibus.

Primo loco, laudamus perantiqua Miſſalia in quibus habetur Miſſa pro benedictione nuptiarum & compoſita & celebranda. De antiq. Eccleſ. Ritib. t. 1. c. 9. art. 5. in veteri Miſſali hæc habentur: *Ut quod te auctore jungitur, te auxiliante ſervetur. Ut quæ generatio ad mundi edidit ornatum, regeneratio ad Eccleſiæ producat augmentum. Videant filios filiorum ſuorum uſque in tertiam & quartam regenerationem, & te benedicant omnibus diebus vitæ ſuæ.*

In altero pervetuſto Rituali ſeu officio legitur benedictio annuli; unus quippe apud Latinos confertur, ſcilicet uxori: deſponſati Miſſæ adſtant ſacrificio, & pace data, Sacerdos eos his verbis benedicit: *Benedicat & cuſtodiat vos Deus Pater, oſtendatque Dominus faciem ſuam vobis & miſereatur veſtri. Convertat Dominus vultum ſuum ad vos, & det vobis pacem: impleatque vos Chriſtus omni benedictione ſpirituali in remiſſionem peccatorum ut habeatis vitam æternam. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob ipſe vos conjungat, impleat benedictionem ſuam in vobis.*

Secundo, officia perantiquis viciniora non abſimili modo continent ritus & orationes, cum tamen leviori hoc diſcrimine, quod quædam benedictionem, quæ locum formæ obtinere poteſt ante ceteras orationes dandam enarrent, quinimmo antequam deſponſati intrent in Eccleſiam, qualis iſta benedictio: *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, ſit vobiſcum, & ipſe vos conjungat, impleatque benedictionem ſuam in vobis.*

Tertio, in officio quingentis circiter abhinc annis exarato, cæremonia hæc adinvenitur: Poſtrema facta benedictione Sacerdos dexteram ſponſi, ſiniſtram vero ſponſæ aſſumens ait: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Deus Abraham, Iſaac & Jacob vobiſcum ſit: vos conjungat, & ſuam in vobis adimpleat benedictionem.*

Quarto, denique in recentioribus ord. 5. 6. 7. 8. & 9. legitur: *Ego vos deſponſo* ſeu, *Ego vos conjungo*; in quibus quidem verbis forma non repoſita eſt, cum Sanctus Thomas in ſolo conſenſu expreſſo conſtituat.

Diluuntur objecta Heterodoxorum ex Scriptura ſacra deſumpta.

Objiciunt: Conjugium ut Sacramentum non fundatur in divinis Scripturis. Igitur non eſt proprie dictum novæ legis Sacramentum. Probatur antecedens: Si fundaretur, maxime in his Apoſtoli ad Epheſ. 5. verbis: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Sed ex his verbis hoc colligi non poteſt: & probatur. Primo quidem in Græco qui eſt primigenius textus, non habetur *Sacramentum*, ſed *myſterium*. Secundo, *magnum* referri non poteſt ad deſponſatos, tum quia ſunt quid reſpectu Chriſti & Eccleſiæ minimum, tum quia unio viri cum femina eſt quid naturale. Tertio, Apoſtolus dicit in Chriſto & in Eccleſia, nuſquam vero in quocumque textu, in viro & femina. Ex quo manifeſte ſequitur Matrimonium non eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum.

Reſpondeo primo, Apoſtolorum eo loci celebrare conjunctionem viri cum femina ut quid pluſquam naturale; alias nihil haberet eorum unio ſupra vel ipſas belluas, quæ ad ſpeciei ſuæ conſervationem per multiplicationem individuorum conjunguntur: immo loquitur de ſigno gratiæ efficaciori, ſigno matrimoniali veteris legis, maxime cum iſtud eſſet ſolum in officium naturæ, & præter figuram nihil haberet: cum igitur veritas in nova lege ſit facta per Chriſtum, dicendum eſt, ex mente Apoſtoli, Matrimonium in nova lege eſſe Sacramentum, cujus figura præceſſit in veteri quæ novam adumbrabat. Hujuſce loci interpretes habemus Ambroſium, Hieronymum, Gregorium Nazian-

ze-

tenum & Chryſoſtomum in probationibus laudatos.

Reſpondeo ſecundo, negando antecedens primi argumenti, & minorem ſecundi. Ad iſtius priorem probationem diſtinguo. Et myſterium apud Græcos idem eſt ac Sacramentum, concedo: & non eſt, nego. Quod autem Apoſtolus ibi loquatur de Sacramento non vacuo, ſed proprie dicto, ex antecedentibus judicandum eſt. Hæc ſunt priora verba: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Cuncta ſunt in iſto textu ubique gratiam ſpirante ponderanda. Primo quidem præcipit Apoſtolus viris ſuas diligere uxores, ſicut Chriſtus ſuam diligit Eccleſiam, adeoque ſpiritualiter, ſancto & pio affectu, & relative ad amorem quem Chriſtus habet pro Eccleſia. Sed talis amor viri erga uxorem non niſi a Sacramento procedit, & non mere a natura, quæ de ſe corrupta eſt.

Secundo: Idem Apoſtolus injungit viro ſuam uxorem eodem proſequi amore, quo ſeipſum diligit: Igitur & more ſancto a gratia promanante; nemo quippe cordatus dixerit Apoſtolum dare præceptum de amore naturali, cum homo propenſus ſit ad amorem ſui, & quidem per exceſſum.

Tertio: In hoc potiſſimum commendat amorem ſupernaturalem viri & pro ſemetipſo, & pro conſocia uxore ſua, ex eo quod uterque ſint membra non ſolum Eccleſiæ, ſed & Chriſti, quod dubio-procul intelligi non debet de amore mere naturali. Sed quomodo Chriſti membra ſunt, niſi qua a ſacræ Euchariſtiæ alimonia aluntur & irrorantur gratiarum imbre, cujus fons perennis eſt Sacramentum.

Quarto: Apoſtolum loqui de effectibus gratiæ Sacramentalis, argumentum irrefragabile illud eſt, quod ex his inferat effectibus Matrimooium eſſe magoum Sacramentum. Eoarratis quippe omnibus conjugii dotibus, vinculis & conditionibus quibus vir tenetur ſuam amare ſpooſam, & illi adhærere, ſic concludit; *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Quæ quidem illatio male, quod abſit dicere, deduceretur, ſi Matrimonium foret quid naturale, & oullo modo Sacrameotum.

Ad alteram probationem diſtinguo; *Magnum* referri non poteſt ad Matrimonium materialiter ſumptum, & ut eſt in officium naturæ, coocedo: formaliter ſpectatum, nego. Conjugium poteſt conſiderari dupliciter, nimirum materialiter, & formaliter. Matrimonium priori modo ſpectatum eſt cootractus naturalis & civilis, & ſub hoc reſpectu quid naturale. Poſteriori vero modo eſt conjunctio cordium in fide Chriſti & Eccleſiæ, ſub quo quidem reſpectu ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, & conſequenter eſt quid magnum, quandoquidem nedum belluarum inter ſe ſocietatem, ſed ceterorum homioum qui non ſunt de corpore Eccleſiæ conjunctionem in immenſum ſuperet.

Ad tettiam ejuſdem argumenti probatiooem utique diſtinguo: Apoſtolus ait: *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*: ita ut unio Chriſti cum Eccleſia ſit terminus ſignificatus per conjugium Fidelium, concedo: ut ſit ſubjectum magnitudinis quam eo loci celebrat Apoſtolus, nego. Non enim hic meotionem facit de magnitudine & Eccleſiæ & Chriſti, ſed matrimonii Fidelium, quorum quidem conjunctio non præcellit conjunctioni Eccleſiæ cum Chriſto, quam ſolum ſignificat, ſed conjunctioni Paganorum & Hæreticorum, propter gratiam quam præ ſe fert, & annexam habet. Hujus ſolutionis pondus affulget ex textu græco, ubi non habetur, *Ego dico in Chriſto & in Eccleſia*: ſed *in Chriſtum & in Eccleſiam*. Igitur vox illa, *magnum*, non de Chriſto & Eccleſia, ſed de Chriſtianorum conjunctione dicitur.

Inſtant: Atqui Scriptura non poteſt intelligi de vero Sacramento: ergo nulla ſolutio; & probatur. Apoſtolus eo loci lau-

dat iſta Geneſ.2. verba: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una*. Sed iſta verba dubio-procul de matrimonio Adam & Evæ in officium tantummodo naturæ intelliguntur. Igitur & illa: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Apoſtolus laudat Geneſeos verba de matrimonio naturali Adam cum Eva tamquam de figura, quæ præceſſit conjugium ut Sacramentum, concedo: tamquam de exemplo per omnia ſimili, nego. Ultro fatemur conjunctionem Adæ cum Eva fuiſſe in officium naturæ, ſed tamen figuram matrimonii Chriſtianorum, quatenus utrumque Deum habet auctorem; ſed veritas plura dicit quam figura. Igitur nuptiæ Chriſtianorum habent hoc ſupra conjugium Proto-parentum, quod ſint Sacramentum: quod quidem patet ex antecedentibus, immo & conſequentibus. Apoſtolus quippe iſta verba: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: non dixit de primorum parentum conjunctione, cum neutet habe ret patrem & matrem, ſed de conjunctione indiſſolubili conjugatorum novæ legis, *& adhærebit uxori ſuæ*: adeoque Sacramentali, cum matrimonium in officium naturæ, inquit Bellarminus Lib. 1. de Sacr. Matrimonii cap. 2. & poſt ipſum Iſambertus diſp.3. de Matr. art.1. vinculum indiſſolubile annexum non habeat. Hanc autem prærogativam affixit Chriſtus ſoli novæ legis conjugio, his verbis Matth.19. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*; hoc eſt, ut interpretantur SS. Doctores, quod Deus gratia Sacramentali conjunxit, ſolvi abſque crimine non poteſt.

Inſiſtunt: Ipſe Deus conjunxit Adam & Evam, eoſque utique benedixit; quin immo juxta conſtantem ſanctorum Patrum doctrinam, conjunctio Adæ cum Eva Chriſti præfigurabat cum Eccleſia unionem, & tamen non erat Sacramentum. Igitur a ſimili nec conjugium Chriſtianorum.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem. Ratio diſcriminis non una eſt. Primo quidem, Deus ut auctor naturæ fuit cauſa conjunctionis Adæ cum Eva, cauſa vero Sacramenti Matrimonii ut auctor gratiæ, nempe per Chriſtum filium ſuum dilectum, qui & gratia ſua illud indiſſolubile fecit. Secundo, Deus quidem benedixit Proto-parentes, ſed larga quadam benedictione, ſcilicet ad multiplicationem, ſicut ceteras benedixit creaturas; hoc eſt, dedit eis virtutem ſeſe in multiplicatione individuorum abſque impedimento conſervare. Sic enim habetur Geneſ. 1. *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus quod eſſet bonum. Benedixitque eis dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris . . . . Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram . . . maſculum & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram &c.* Tertio, conjunctio Proto-parentum erat quidem ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia, ſed tantummodo ſpeculativum, quandoquidem ante Chriſtum, teſte Apoſt. 1. Cor. 10. cuncta contingebant in figuris: at non ſic conjugium in nova lege: eſt enim ſignum practicum gratiæ, cujus rei argumentum eſt, quod illud ſolum vocetur Sacramentum, non quidem mere ſpeculative, & pro Eccleſia futura, ſed in ipſo Chriſto & Eccleſia præſenti, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ.5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Hoc ipſum non obſcure confirmat idem Apoſtolus 1. Tim. 2. ubi loquens de muliere ait: *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate*. Citra dubium eſt ſanctum Paulum non de alia ſanctitate loqui, quam de ea ſanctificatione, Matrimonii celebratione & ſacris cæremoniis ac benedictionibus habita.

Perſiſtunt: Atqui illa ſanctificatio eſt ſolum legalis & extrinſeca, quæ quidem reddit Matrimonium legitimum, nuſquam vero ſanctum ſanctitate intrinſeca. Ergo &c. Probatur antecedens: Si conjugium dicendum eſſet ſanctum intrinſece, maxime ex eo quod dicatur donum Dei. 1. Cor.8. Sed nomine doni intelligitur eo loci donum in quadam generali ſignificatione acceptum, quo ſenſu virginitas dicitur donum Dei, quæ tamen non ſemel eſt quid mere naturale, cum inveniatur apud Paganos non ſecus ac apud Chriſtianos. Ergo &c.

Reſpon-

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego minorem: Tametſi enim virginitas quandoque ſit quid naturale, ut in frigidis & infirmis contingit, eo tamen loci Apoſtolus loquitur de ea quatenus eſt magnum Dei donum; teſte enim Salomone Sap. 8. nemo, ſecluſa gratia Dei ſpeciali, exorbitante & colaphizante ut plurimum concupiſcentia, poteſt eſſe continens. Porro S. Paulus ibi ſermonem habet de virginitate illa quæ adverſante carne ſervatur: quocirca de ea præceptum dare æquum non judicat, ſed relinquit cuilibet pro arbitrio juxta gratiæ menſuram ſervari. Hinc cœlibatum & ſtatum conjugalem exponit, utrumque dicit Dei donum, ſed virginitatis majus. Verba ſingula ponderanda ſunt: ſi enim virginitas ex eo vere & intrinſece donum Dei eſt, & matrimonium cum ea in dono aſſimilet, non poteſt negari iſtud eſſe novæ legis Sacramentum.

Sic loquitur 1. Cor. 7. *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permanent ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam uri... Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Suam iterum prodit mentem 1. ad Theſſ. 4. adhortans uxoratos vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, fugiendo fornicationem; hoc eſt, in ſanctificatione ſuſcepta in Matrimonii Sacramento. *De cetero ergo, Fratres*, inquit, *rogamus vos & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.* Audis Apoſtolum adhortari deſponſatos ut ſpurcitias carnis Gentilium abhorrentes, vivant ſobrie & caſte, ſeu ſancte in matrimonio, & ut ait 1. Cor. 7. *Hoc itaque dico, Fratres, tempus breve eſt: reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.*

Replicant: Illud ſolum ut Sacramentum haberi debet, quod annexam habet gratiæ promiſſionem, & a Deo inſtitutionem. Sed nullibi legitur in Scriptura Deum inſtituiſſe Matrimonii Sacramentum, & ei gratiam affixiſſe. Ergo &c.

Reſpondeo primo, iſtud argumentum manere ex ſuperioribus ſolutum: diximus enim ex traditione divina, eſſe Sacramenta, de quibus non fit in Scripturis expreſſa mentio.

Reſpondeo ſecundo, Sacramentum Matrimonii cum gratia illi annexa ſi non explicite, ſaltem implicite annuntiari per loca Scripturæ in probationibus adducta, maxime in iſto Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt &c.* Eo quippe loci habet Sacramenti nomen, tum & efficaciam, cum prædicetur *magnum in Chriſto & in Eccleſia*: ſi enim annexam non habet gratiam, dubio-procul magnum non eſt dicendum.

Objectiones ex ſanctis Patribus, Doctoribus & Theologis depromptæ ſolvuntur.

Opponunt Heterodoxi: Quod Deo placere non poteſt, inter Sacramenta non eſt annumerandum. Atqui tale eſt Matrimonium in præſenti ſtatu: & probatur. Primo quidem auctoritate Siricii Papæ, qui Epiſt. ad Hymetium Tarraconenſem ait: „ Qui in carne ſunt, Deo placere non „ poſſunt. „ Quæ verba de Matrimonio intelligi argumentum eſt, quod ibidem prohibeat Sacerdotibus nubere, iſtis innixus Scripturæ ſacræ verbis: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*: & *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Secundo, ſimilia profert Origenes Homil. 6. in Num. apud Gratianum can. *Connubia*, 32. quæſt. 2. aſſerens Spiritum ſanctum non adeſſe uſui Matrimonii.

Reſpondeo primo, argumenta Proteſtantium peccare per exceſſum propter duo. Primo quidem, inde ſequeretur Matrimonium eſſe de ſe malum, quod eſt unus Manichæorum error, immo quod abſit dicete, vitio non nihil verteretur Creatori, qui dubio-procul cuncta bene fecit: ſed & hoc adverſatur Scripturæ ſacræ, quæ non ſemel laudat Patriarcharum conju-

gia, quorum vel ipſe Deus nedum inſtitutor, ſed & promotor fuit. Nonne Iſaac, nonne Tobias, Deo auctore, alter cum Rebecca, alter cum Sara propinqua ſua nupſit? Secundo, ſed & in alio excedit puncto in ſuis objectionibus Calvinus, & ſimilis furſuris iniqui homines, quod in probationem ad expungendum e numero Sacramentorum conjugium, afferant veteris Teſtamenti auctoritates, cum in lege Moſaica nuptiæ non niſi in officium naturæ eſſent.

Reſpondeo ſecundo, in forma negando minorem, juxta illud Actuum 10. *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. Ad probationem diſtinguo: Et eo loci loquitur Siricius Papa de ſacrilegis conjugiis tum Monachorum, tum Sacerdotum, quibus nubere ex canonibus non erat licitum, concedo: & loquitur de Matrimonio juxta Eccleſiæ regulas contracto, nego. Suam prodit mentem ſanctus Pontifex cap. 7. ubi perſtringit nominatos, & jubet ab his connubiis abſtineri; in eo ſenſu ait: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*. Namque illicita conjugia ſunt abominationes. Verba ſubſequentia Siricii ex veteri excerpta Teſtamento ſunt ad caſtitatem exhortatoria; in iis enim Deus Sacerdotes veteris legis invitat ut ſancti ſint, & juxta verba Apoſt. 1. Corinth. 7. *Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*.

Ad Alteram probationem diſtinguo: Ex Origene Spiritus ſanctus non eſt præſens actui matrimoniali per concurſum generalem, nego: per ſpecialem, ſubdiſtinguo: ſi fiat modo mere naturali, concedo: ſi motivo ſupernaturali & juxta intentionem tum Creatoris, tum Mediatoris, nego. Cuncta ſunt diſtinguenda, cuncta ponderanda & ſecernenda, ut vani Hæreticorum in errore prætextus eliminentur. Matrimonium igitur poteſt conſiderari in ſtatu innocentiæ, & in ſtatu naturæ lapſæ: rurſus in ſtatu naturæ lapſæ ante, & poſt Chriſtum. In ſtatu priori fuiſſe optimum conſtat ex Geneſ. 2. ubi legitur Deum cuncta bene feciſſe: immo ait: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi &c.* Deinde vero maſculum & feminam benedicens, dixit: *Creſcite & multiplicamini*. Quinimmo docent Theologi matrimonii ſtatum vel ipſa virginitate in ſtatu innocentiæ, fuiſſe præpollentiorem: in ſtatu naturæ lapſæ emergit quidem in matrimonio concupiſcentiæ non ſemel exuberantis exceſſus: ſed iſta paſſio, modo oratione, modo intentione ſancta corrigi & ad rationis metam adduci poteſt. Matrimonium in lege veteri erat ſolummodo in officium naturæ; in nova Sacramentum eatenus evadit, quatenus conſenſus, ſeu cordium conjunctio a Chriſto elevata eſt ad hoc, ut ſit gratiæ ſignum practicum, & ſuam cum Eccleſia ſignificet unionem. Habet igitur actus matrimonii quod ſit ſanctus, ſi fiat motivo ſupernaturali, puta ad prolem habendam quæ Creatori obediat, & quæ in fide formetur, ut Mediatoris adimpleat legem; actus autem ſupernaturales ſine Spiritus ſancti gratia elici poſſe, nemo Catholicorum propugnabit. Origenem ſolum velle uſum matrimonii mere naturalem non eſſe a concurſu ſpeciali Dei, conſtat ex eo quod clauſulam hanc apponat: " Ego autem, licet non uſquequa„ que pronunciem, puto tamen &c. „ Quibus verbis ad ſummum loquitur de iis qui veſana victi concupiſcentia, peccant per exceſſum, eo quod juxta Apoſtoli præceptum non ſiſtant intra honoſtæ ſobrietatis limites.

Sed ut omnis debacchantibus præcludatur aditus, operæ pretium eſt ſubnotare Sacramentum Matrimonii non in uſu carnali, ſed in affectione, & cordium per fidem conjunctione ſitum eſſe. Sic propugnat ſanctus Ambroſius Lib. 6. de inſtit. virginis c. 6. " Non defloratio, *inquit*, „ virginitatis facit conjugium, ſed pactio „ conjugalis. „ Sic S. Auguſtinus Lib. 1. de nuptiis & concupiſ. c. 11. & Lib. 2. de conſenſu Evang. cap. 1. Eo quippe loci docet verum fuiſſe inter Beatiſſimam Virginem & ſanctum Joſeph, illibata permanente utriuſque virginitate, conjugium. Incaſſum igitur ex copula carnali, quæ in præſenti ſtatu quamdam præ ſe fert verecundiam, Matrimonii Sacramentum explodere moliuntur.

Inſtant: Sanctus Auguſtinus, qui poſt Siricium ſcripſit, propugnat Sacramentum Matrimonii non eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum. Igitur & Siricii ſententia non alio modo intelligenda eſt. Probatur antecedens. Primo quidem Tract. 9. in Joan. aſſerit verba Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, non intelligi

niſi.

Digitized by Google

niſi de Chriſti cum Eccleſia unione: ne quis enim aliter conciperet, ſubdit: *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Rurſus Lib. de nupt. & concup. clarius ſeſe explicat his verbis: " Quod in Chriſto & in Eccleſia eſt „ magnum ſacramentum, hoc eſt in ſingulis quibuſque viris atque uxoribus minimum, ſed tamen conjunctionis inſeparabile ſacramentum. „ Demum ſi Matrimonium quandoque appellat Sacramentum, in quadam acceptione generali uſurpat ſacramenti nomen: hinc ſanctus Leo Epiſt. 92. ad Ruſticum ait, nuptias ab initio ſic inſtitutas fuiſſe, ut non haberent in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum; uterque locus, ſancti ſcilicet Auguſtini & ſancti Leonis, ex Epiſt. 92. ſummi Pontificis ad Ruſticum Narbonenſem deſumitur, & refertur a Gratiano can. *Non eſt dubium*: & can. *Cum ſocietas*. Immo ipſe Hieronymus Lib. adverſus Jovinianum non parum deprimit Matrimonium.

Reſpondeo negando antecedens, cujus falſitas ex probationibus claret. Ad priorem probationem diſtinguo: Matrimonium ratione vinculi ſpectatum non eſt magnum ſacramentum, concedo: adæquate ſumptum, nego. Matrimonium duplicem ſubit conſiderationem: poteſt enim ſpectari, ut unionem inter deſponſatos indiſſolubilem importans; deinde vero adæquatæ, & ut dicit cordium conjunctionem, quæ Chriſti cum Eccleſia confœderationem ſignificat. Priori modo ſpectatum non eſt ſacramentum proprie dictum, ſed tantum lato modo: quo quidem ſenſu ſumitur a ſancto Auguſtino Tract. 9. in Joan. & a ſancto Leone; ſed in poſteriori acceptione illud ſumit S. Auguſtinus Lib. 1. de nupt. & concupiſ. c. 10. ſicut & S. Leo; verba enim ſancti Pontificis laudata a Gratiano, ait Bellarminus Lib. de Matr. c. 5. non ſunt genuina. " Nam, *inquit*, „ illa verba Leonis: *Cum ſocietas nuptiarum ſic ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum commixtionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum*: Gratianus, addita negatione, ita legit: *Cum ſocietas nuptiarum ſic ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum commixtionem non haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum*. „ Sed emendandus eſt Gratiani codex ex „ ipſa Leonis Epiſtola. Eodem modo emendandus eſt textus Magiſtri Lib. 4. „ Sent. diſt. 26. ubi eadem loca cum „ eadem depravatione habentur. „

Quid plura adjiciam? Non diffitemur ſacramentum Matrimonii eſſe quid minimum relative ad ipſam Chriſti cum Eccleſia unionem, cum unio Chriſti cum ſua immaculata ſponſa ſit cauſa ſacramentorum, aut ſaltem finis. Sed ſi verba loci poſterioris ſancti Auguſtini ponderentur, eum de vinculo indiſſolubili Matrimonii, quod eſt res ſacramenti, & non ipſum ſacramentum, ſermonem inſtituere affulgebit; poſtquam enim dixit *minimum*, ſubdit, *ſed tamen conjunctionis inſeparabile ſacramentum*.

Ad Hieronymum facilis eſt reſponſio; eo loci diſputat contra Jovinianum, qui matrimonium virginitati in ſtatu præſenti naturæ lapſæ coæquabat: & oſtendit contrarium.

Inſiſtunt: Sicut ſenſum Scripturarum a ſanctis Patribus, ſic & vel ipſorum Patrum a Doctoribus & Scholæ Magiſtris habemus. Sed Doctores omni exceptione majores docent conjugium etiam in præſenti ſtatu non eſſe proprie dictum ſacramentum, quippe qui propugnent non producere gratiam ex opere operato: ſic defendunt Alphonſus a Caſtro Lib. 11. contra hæreſes, verbo *Nuptiæ*; hæreſ. 3. Petrus a Soto Lib. 2. de Matr. Durandus in 4. Dict. 26. q. 3. His accedit Magiſter Sententiarum, qui Lib. 4. Sent. diſt. 2. ſic loquitur: " Alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjutricem „ conferunt, ut Baptiſmus: alia in remedium tantum ſunt, ut conjugium: alia gratia & virtute nos fulciunt, ut „ Euchariſtia & Ordo. „ Quibus verbis ſecernit Matrimonium a ceteris Sacramentis, in eo potiſſimum quod non producat gratiam, ſed ſolum quod ſit in concupiſcentiæ remedium. Ergo &c. Confirmatur: Non legitur antiquos Patres & antiqua Concilia ante Conſtantienſe & Florentinum, Matrimonium inter ſacramenta novæ legis annumeraſſe. Ergo &c.

Reſpondeo primo, opponendo Theologos Theologis. S. Thomas omnium princeps in 4. diſt. 26. q. 2. art. 2. & 3. docet Matrimonium in ſtatu innocentiæ fuiſſe in officium naturæ: in ſtatu naturæ lapſæ in remedium concupiſcentiæ; in nova tandem lege a Chriſto Domino ad dignitatem Sacramenti elevatum; & ſi quid infirmum in

in Sententias circa hoc momentum dixit, aſſerendo illud dogma ſola opinione probabiliori fulciri, dubio-procul in ſua Summa iſtud ipſum tuetur ut fidei dogma Catholicum; namque 3. part. Supp. q. 42. art. 2. ex profeſſo docet auctoritate Apoſtoli ad Epheſ. 5. Matrimonium eſſe proprie dictum novæ legis ſacramentum: art. 3. producere gratiam virtute propria, ſicut cetera ſacramenta. Eo loci ſanctus Doctor triplicem refert opinionem, quarum prior eſt eorum qui tenent Matrimonium nullo modo eſſe cauſam gratiæ, & illam rejicit. " Sed hoc, *inquit*, non poteſt ſta-„ re, quia ſecundum hoc, in nullo abun-„ daret a ſacramentis veteris legis. „ Alteram eorum qui ponunt illud grariam conferre quantum ad receſſum a malo: & iſtam ut minus habentem propellit. " Sed hoc, „ *ait*, eſſet nimis parum, quia hoc etiam „ in veteri lege habuit. „ Tertiam demum illorum qui propugnant Matrimonium ut ſauramentum producere gratiam adjutricem ad operanda ea quæ in Matrimonio requiruntur; ſubdit: " Et hoc proba-„ bilius eſt, „ Audis ſanctum Thomam abſolute rejicere ſententiam eorum qui dicunt Matrimonium nullo modo producere gratiam: audis docere eam producere quæ eſt in remedium: audis & juxta ſuam ſententiam probabilius eſſe conferre pleniorem & abundantiorem, quæ det auxilia ad ſubeunda ſecundum Deum cuncta conjugii tum debita, tum onera.

S. Bonaventura in 4. diſt. 26. art. 2. Scotus eadem diſt. q. unic. Ruardus in explicatione articuli 18. Lovanienſium, Dominicus Soto in 4. diſt. 26. q. 2. art. 2. huic ſubſcribunt ſententiæ: ſubſcribunt nunc univerſim omnes Academiæ, nec a definitionibus Florentini & Tridentini cirra fidei periculum contraria opinio defendi poteſt.

Reſp. ſecundo neg. minorem. Ad probationem diſtinguo: Aliqui Theologi Catholici ante definitionem Eccleſiæ docuerunt Matrimonium non producere gratiam; ſed alii æqualis ponderis affirmativam propugnabant, concedo: omnes univerſim negativam defendebant, nego. Pro more poſitum eſt ut de aliquo dogmate ſolum implicite revelato diſputare licitum ſit, donec accedat Eccleſiæ definitio; cum autem non niſi ducentis abhinc annis controverſia mota ſit de Matrimonio ut Sacramento, & Patres, & Concilia, & Doctores, & Theologi quæſtionem ex profeſso non moverunt de cauſalitate gratiæ iſtius ſacramenti; conſtans tamen fuit traditio Matrimonium eſse ſacramentum, juxta illud Tridentini Seſs. 24. " Matrimonium „ merito inter novæ legis ſacramenta an-„ numerandum, ſancti Patres noſtri, Con-„ cilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio „ ſemper docuerunt. „

Reſpondeo tertio ad ejuſdem minoris probationem, poſſe explicari Theologos pro adverſo poſitos; ſic enim Iſambertus diſp. 3. de Matrim. art. 2. eos ipſos interpretatur. " Ad id autem, *inquit*, quod ur-„ gent deſumptum ab auctoritate quorum-„ dam Scholaſticorum, reſpondetur primo „ imponi Alphonſo a Caſtro, & Petro a „ Soto; illi enim, locis in objectione ci-„ taris docent ex profeſſo Matrimonium „ eſſe proprie ſacramentum. Durandus ve-„ ro citato loco num. 5. agnoſcit Matri-„ monium in nova lege eſſe ſacramentum „ & hoc tamquam de fide; deinde quærit „ an conferat gratiam ex opere operato, ſicut „ alia ſacramenta, & licet maxime præpen-„ deat in partem negantem, eam tamen „ non audet determinare ut ipſemet profi-„ tetur num. 8. immo fatetur *communem* „ *Theologorum ſui temporis ſententiam eſſe*, „ *Matrimonium conferre gratiam ſanctifican-„ tem contrahentibus, eodem plane modo* „ *quo alia ſacramenta eam conferunt*: ſed mo-„ tus auctoritate quorumdam Canoniſta-„ rum, voluit proponere ſuas circa iſtam „ partem difficultates, non tamen determi-„ nate explicando propriam ſuam ſenten-„ tiam. Quod vero ſpectat ad Magiſtrum „ Sententiarum, reſpondetur illum 4. Sen-„ tent. diſt. 2. agnoſcere Matrimonium pro „ ſacramento proprie dicto novæ legis: & „ ibidem diſt. 1. explicando definitionem „ ſacramenti, expreſſe docere ſacramenta fuiſ-„ ſe inſtituta non tantum ad ſignificandum: „ ſed etiam ad ſanctificandum ideoque cum „ diſtinctione ſequenti numeret Matrimo-„ nium inter ſacramenta novæ legis pro-„ prie dicta, non negavit illud conferre „ gratiam ſanctificantem, ſed paulo obſcu-„ rius eſt locutus &c. „

Ad confirmationem reſpondet Bellarminus Lib. 1. de Matrim. c. 5. " Ut vera „ ſit Concilii ſententia, non eſt neceſſe „ ut omnes Patres & omnia Concilia di-„ ſertis verbis habeant, Matrimonium „ eſſe ſacramentum; ſed ſatis eſt ſi aliqui

„ Pa-

Digitized by Google

„ Patres & aliqua Concilia id habeant , „ & nulli Patres nullaque Concilia contrarium aliquando docuerint: vel ſi quis „ forte contrarium ſenſerit , ejus opinio „ communi judicio reprobata fuiſſe monſtretur . Porro Patres nonnullos Matrimonium pro ſacramento habuiſſe, ſupra „ nos eorum locis allegatis docuimus .... „ Concilia vetera id explicarunt quod ſuis „ temporibus in controverſiam vocabatur, „ Matrimonium videlicet a Domino inſtitutum, remque ſanctam & bonam eſſe. „ Utrum autem ſacramentum eſſet proprie „ dictum , non fuit cauſa cur tractarent , „ cum nemo de illa re tunc ambigeret : „ Concilia autem poſteriora , cauſa id poſtulante , declararunt quod a veteribus „ omiſſum fuerat. „

Proponuntur alia Heterodoxorum argumenta ex inconvenientibus.

OPPONUNT: Sacramentum conſtat materia & forma . Sed Matrimonium his omnibus caret . Igitur inconveniens eſt illud inter novæ legis ſacramenta annumerare . Probatur minor. Primo quidem non habet formam : namque forma ab Eccleſia procedit; ſed benedictio a Sacerdote facta non eſt forma , quippe quæ non ſit neceſſaria , nec adhibeatur ab his qui contrahunt matrimonium clandeſtine , tamen valide , ubi non eſt recepta diſciplina quam ſacra Synodus Tridentina invexit ; neque vero debita affulget materia in traditione corporum ; quis enim uſquam dixerit corpora eſſe Sacramenti materiam ? Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem . Ad primam probationem dico , verba contrahentium quibus exprimitur conſenſus , & non benedictionem , locum formæ obtinere . Solutio eſt D. Thomæ hic 3. p. Supp. q. 42. art. 1. his verbis : “ Dicendum „ quod verba quibus conſenſus matrimonialis exprimitur , ſunt forma hujus ſa„ cramenti , non autem benedictio Sacer„ dotis, quæ eſt quoddam ſacramentale. „ Non deſunt tamen Theologi , qui impræſentiarum propugnent eſſe eſſentialem. Juveninus diſp. 11. de ſacram. c. 2. docet Matrimonium clandeſtinum producere quidem indiſſolubilem inter deſponſatos unionem , ſed a ratione ſacramenti deficere , eo quod omiſſa Eccleſiæ ſolemnitate celebretur.

Ad alteram probationem ſimiliter diſtinguo ; Traditio corporum non eſt ſacramenti materia, ſi ſecundum ſe & materialiter conſideretur , concedo: ut conſenſum formalem per verba de præſenti connotat , nego . Traditio corporum ſpectari poteſt duplici modo : videlicet ratione corporum, & ratione conſenſus . Priori modo conſiderata , non aſt materia ſacramenti , bene vero poſteriori , ſub illo quippe reſpectu ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia . Nec mirum , alio modo ratiocinandum eſt de ſacramentis quæ conſtant actibus, & quid morale per omnia important : & de aliis quæ habent pro materia formali quid phyſicum , qualis eſt aqua in Baptiſmo. Illa habent pro materia actus , ut pœnitentia : idem de Matrimonio dicendum: illa quid mere phyſicum, ut Baptiſmus, Confirmatio , Euchariſtia, Ordo, & Extrema-Unctio . Huic reſponſioni aſtipulatur S. Thomas ibidem ad 2. “ Di„ cendum quod ſacramentum Matrimonii „ perficitur per actum ejus, qui ſacramen„ to illo utitur, ſicut Pœnitentia: Et ideo „ ſicut Pœnitentia non habet aliam mate„ riam , niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos , „ qui ſunt loco materialis elementi ; ita „ eſt de Matrimonio. „

Inſiſtunt : Sacramentum efficit quod ſignificat : Sed Matrimonium non efficit unionem Chriſti cum Eccleſia quam ſignificat. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Sacramentum efficit quod ſignificat & continet, concedo : quod ſignificat tantum, nego . Sacramenta novæ legis ex Florentino ſignificant gratiam quam continent & in ſubjecto producunt : Porro ſacramentum Matrimonii ſignificat aliquid aliud quod non efficit, videlicet unionem Chriſti cum Eccleſia . Sic reſpondet D. Thomas ibidem ad 4. “ Dicendum quod unio Chriſti ad „ Eccleſiam non eſt res contenta in hoc „ ſacramento: ſed res ſignificata & non „ contenta ; & talem rem nullum ſacra„ mentum efficit, ſed habet aliam conten„ tam rem & ſignificatam, quam efficit.... „ Magiſter autem ponit rem non contentam , quia erat hujus opinionis , quod „ non haberet rem aliquam contentam. „ Quænam autem ſit res ſignificata & contenta dicit ibid. ad 5. “ Dicendum quod etiam „ in hoc ſacramento ſunt illa tria: quia ſa„ cramenta tantum ſunt , actus exterius ap-

„ pa-

„ pareotes: ſed res & ſacramentum eſt obligatio, quæ innaſcitur viri ad mulierem, ex talibus actibus; ſed res ultima contenta, eſt effectus hujus ſacramenti, non conrenta autem eſt res quam Magiſter determinat. „ Tria igitur in Matrimonia ſicut in ceteris ſacramentis reperiuntur; ſcilicet id quod eſt ſacramentum taotum, ſeu ſignum ſenſibile, & eſt traditio corporum in fide Chriſti facta: res & ſacramentum, eſt obligario quæ naſcitur viri ad mulierem ex actibus quibus conſenſus exprimitur: res ſacramenti, eſt ipſa unionis gratia.

Urgent: Quod non producit gratiam, non habet rationem ſacramenti: ſed conjugium non producir gratiam: Et probatur. Productio gratiæ fit per materiam ſanctificatam: ſic in Baptiſmo aqua, in Cooſirmatione chriſma precibus & benedictione Eccleſiæ ſanctificanrur ad producendam gratiam: in Matrimooio vero nihil ſanctificationis affulget. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Materia ſanctificatur ad producendam gratiam per merita Chriſti, quæ vi inſtitutionis applicantur, coocedo: per Eccleſiam, ſubdiſtinguo: & hæc ſanctificatio non deeſt Matrimonio, concedo: & deeſt, nego. D. Thomas hic art. ad 1. ſic reſpondet: “ Dicendum quod ſicut aqua Baptiſmi habet quod corpus tangat & cor abluat, ex tactu carnis Chriſti: ita Matrimooium hoc habet ex hoc, quod Chriſtus ſua Paſſione illud repræſentavit, & non principaliter ex aliqua ſanctificatione Sacerdotis. „ Sed addo Eccleſiam fundere preces ſuper deſponſatos quibus præparantur ad contrahendam unionem conjugalem, eamque ſacrameotalem, ut patet ex iis quæ retulimus.

Replicant: Pelagianum eſt dicere actus humanos eſſe gratiæ cauſam: ſed in hypotheſi cooſenſus gratiam operatur. Ergo &c.

Reſpondeo diſtingueodo minorem: Producere gratiam ſecundum ſe & oude ſumptos, concedo: ut meritis Chriſti, & fide atque charitate elevatos, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Solutio eſt D. Thomæ ibidem ad 2. “ Dicendum, *inquit*, quod ſicut aqua Baptiſmi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, ſed ad characterem; ita actus exteriores & verba exprimentia conſenſum directe faciunt nexum quemdam qui eſt ſacramentum Matrimonii, hujuſmodi nexus ex virtute divinæ inſtitutionis diſpoſitive operatur ad gratiam. „

Reponunt: Si Matrimonium foret ſacramentum, actus ejus eſſeot honeſti: ſed actus Matrimonii non ſunt tales: Et probatur. Primo quidem irreverentiam annexam habent: Secundo, non ſunt in remedium concupiſcentiæ, cum illam potius augeant quam minuant. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Actus Matrimonii non ſuot honeſti, nego; ſunt enim conſenſus & viri & mulieris in uoionem chriſtianam confluentes: Actus materiales, ſeu uſus Matrimonii, ſubdiſtinguo: & cohoneſtantur per fidem, per dilectionem & intentionem boni fiois, concedo; & noo cohoneſtantur, nego mioorem & conſequentiam. Ad primam probationem patet ſolutio. Ad ulteriorem, diſtinguo: Concupiſcentia augetur per actum ſacramentalem, nego: Per uſum Matrimonii, ſubdiſtinguo: ſecundum quid materialiter & per accideos, concedo: ſimpliciter, nego: namque uſus ille intra juſtam ſiſtit metam vi Sacramenti, modo conjuges agant ut Chriſtiani. D. Thomas ibidem hanc ſolvit difficultatem ad 4. “ Dicendum quod cootra coocupiſcentiam poteſt præſtari remedium dupliciter. Uno modo ex parte ipſius concupiſceotiæ, ut reprimatur in ſua radice: Et ſic remedium præſtat Matrimonium per gratiam quæ in eo datur. Alio modo ex parte actus ejus, & hoc dupliciter. Uno modo, ut actus ad quem concupiſcentia inclinat, exterius turpitudine careat, & hoc fit per bona Matrimonii quæ honeſtant carnalem concupiſcentiam. Alio modo, ut actus turpitudinem habeos impediatur; quod fit ex ipſa natura actus; quia dum concupiſcentiæ ſatisfit in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat. Propter quod dicit Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Melius eſt nubere, quam uri*. Quamvis enim opera concupiſcentiæ congregata ſecundum ſe, nata ſint concupiſcentiam augere, tamen ſecundum quod ratiooe ordinantur, ipſam reprimunt: quia ex ſimilibus actibus ſimiles relinquuntur diſpoſitiooes & habitus. „

Ergo-ne Matrimonium omnibus neceſſarium ex eo quod ſit in concupiſcentiæ remedium?

dium? Abſit dicere, cum ſint alia media quibus paſſio coerceri poteſt; ita D. Thomas ib. ad 3. „ Dicendum, *inquit*, quod „ ratio illa procederet, niſi contra concupiſcentiæ morbum poſſet aliquod efficacius remedium adhiberi. Adhibetur autem majus remedium per opera ſpiritualia & carnis mortificationem, ab illis qui „ Matrimonio non utuntur. „

Perſiſtunt: Quod eſt formaliter immundum non debet haberi ut Sacramentum: Atqui Matrimonium etiam in conſpectu Eccleſiæ contractum, eſt quid immundum: Et probatur. Conſenſus expreſſus contrahentium dicit conſenſum in copulam carnalem, quippe qui ſit mutua corporum traditio ad prolis generationem. Sed copula carnalis in ſtatu naturæ lapſæ importat quid immundum, hinc Abimelech Sacerdos antequam Davidi eſurienti panes ſacros propoſitionis comedendos daret, dixit, 1. Reg. 21. *Si mundi ſunt pueri, maxime a mulieribus?* cui reſpondit David, *Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus ab heri, & nudius tertius*. Unde Apoc. 14. habetur. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt*. Confirmatur: Levit. 18. & 20. Procreationis inſtrumenta, turpitudinis nomine donantur: Hinc in eodem libro Moyſes ad continentiam & purificationem adhortatur Sacerdotes his verbis: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Confirmatur iterum: 1. Cor. 7. ait Apoſtolus: *Virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*. Igitur conjugata vel in ipſa lege gratiæ non eſt ſancta per omnia, ſcilicet propter carnis inquinamenta. Demum uſus conjugii intrinſecam ita habet annexam turpitudinem, ut vel ipſi perditi homines non audeant niſi in ſecreto illum habere. Ergo &c.

Reſpondeo primo, Matrimonii uſum non importate quid immundum niſi materialiter, formaliter vero per accidens, & ratione motivi, ut ſi quis accedat ad uxorem ſolum ut paſſioni faciat ſatis: quia tamen concupiſcentia ſæpius exorbitando prævenit rationem, ideo per accidens & defectu vigilantiæ aliquod ſubrepit peccatum. Ceterum quod Deus ſanctificavit, ne commune dixeris: Porro Matrimonium ut Sacramentum cuncta cohoneſtare, immo & ſanctificare nemo negabit, niſi hoſpitem ſe probet in divinis Scripturis, quæ ſanctitatem Patrum Matrimonio conjunctorum magnis efferunt laudibus; unde nego minorem. Ad probationes ex veteri Teſtamento deſumptas dicimus, in illis & ſimilibus locis agi ſolum de immunditia legali & mere materiali, quam in uſu uxorum ſuarum contrahebant Sacerdotes; hinc ad munia ſubeunda tenebantur uti purificationibus, & ad tempus a mulieribus abſtinere, ut indicant verba L. 1. reg. 21.

Ad alias ex novo Teſtamento confirmationes, diſtinguo juxta rationem primum datam: uſus Matrimonii turpitudinem materialem importat, quæ ex concupiſcentia nimis exardeſcente promanat, concedo: formalem, ſubdiſtinguo; ſi deſit recta in uſu matrimonii intentio, concedo: ſin minus, nego. Quia vero integritas corporis magnam paſſionum victoriam importat, ideo virgo dicitur ſancta ſpiritu & corpore; ſpiritu propter mentis ad cœleſtia elevationem, cum teſte Apoſtolo cogitet tantum quæ Dei ſunt: tum corpore propter integritatem etiam materialem, & non peccet lapſu carnis, ſicut ut plurimum contingit uxoratis, modum & finem a Creatore præſcripta adamuſſim non ſervantibus. Ad hanc tamen perfectionem eos adhortatur Apoſtolus, ad hanc Eccleſia: Apoſtolus quidem 1. Cor. 7. *Nolite*, ait, *fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi;* quibus verbis vult uxoratos ſe ad tempus continere, ut vacent orationi, maxime vero ut ſacram accipiant Euchariſtiam; ſic enim præcipit Concilium Aurelianenſe, clavum regni tenente Roberto. Ea autem quondam in Eccleſia Latina inoleverat conſuetudo, ut deſponſati ipſa celebrationis Matrimonii die Dominicum acciperent corpus, & ob tanti convivii reverentiam, aliquibus diebus ſicut Tobias in continentia vitam ducerent, ut primitias unionis in odorem ſuavitatis Deo optimo offerrent: ſic aliqui præſcribunt canones Miſſ. Gellon. Rem. Marten. tom. 1. p. 610. Egbertus Archieſcopus Eboraci, & Burchardus unum pro iſto momento laudant canonem. Regio. L. 5. cap. 155. Burch. L. 9. cap. 5. hæc diu perſeveravit diſciplina uſque ad annum 1501. ita ut Presbyteri exigerent pro diſpenſatione pecuniam: qui quidem abuſus pecuniæ expoſcendæ Senatus Pariſienſis mandato ad poſtulationem civium Abbavilenſium dato reſciſ-

ſciſſus legitur: quod quidem ſtatutum ulteriori Eccleſiaſtico DD. Poncher Pariſienſium Epiſcopi munitum eſt. Stat. Steph. Poncher. Ep. Pariſ. Not. ad Regin. pag. 586.

Reſpondeo ſecundo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Conſenſus importat copulam implicite, & ut quid licitum & conſentaneum, concedo: ut quid eſſentiale, nego. Conjugium enim reduplicative ut Sacramentum nihil aliud dicit præter cordium in fide Chriſti conjunctionem. Sic propugnant Sancti Patres, qui quidem paſſim docent Matrimonium ratum tameſi non conſummatum eſſe Sacramentum.

S. Ambroſius L. de inſt. virg. c. 6. ait: „ Defloratio virginitatis non facit conjugium, ſed pactio conjugalis. „ Auguſtinus L. 23. contra Fauſtum c. 8. ait: Inter beatam Virginem & S. Joſeph verum fuiſſe conjugium: Non concubitu, ſed affectu; non commixtione corporum, ſed copulatione, quod eſt carius, animorum. „ Rurſus L. 2. de conſenſu Evang. c. 1. " „ Hoc, *inquit*, exempo magnifice inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervata pari conſenſu continentia, poſſe remanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. „

Ad ulteriores probationes quæ de immunditia procedunt, eadem eſt reſponſio ac ſupra. Ad ultimam, diſtinguo: Omnes homines non niſi in ſecreto propter pudorem utuntur mulieribus, ex eo quod concupiſcentia ſæpius exorbitet, concedo: præciſe quia uſus ille peccatum eſt, nego.

Reponunt: Atqui conſenſus in culpam eſt quid eſſentiale Matrimonio, etiam ut Sacramentum dicitur. Ergo &c. Illud eſſentiale cenſeri debet, quo poſito ponitur Sacramentum; illo vero ſublato vel ipſa Eccleſia pronuntiante, nullum eſt. Atqui res ſic ſe habet. Et probatur: Si adſit ratione infirmitatis ad copulam impotentia, ipſo facto Matrimonium & ut contractus naturalis, & ut contractus civilis, & ut Sacramentum ita nullum eſt, ut hæc impotentia inter impedimenta dirimentia annumeretur; hinc & vir, accedente Eccleſiæ judicio, poteſt cum alia femina nubere, ſi forte impedimentum ex parte deſponſatæ contingat. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Et ex pluribus contingit Matrimonium irritari, quæ conditiones vocantur, concedo: ita ut illæ conditiones ſint ipſa conjugii eſſentia, nego. Metrimonium formaliter eſt quid phyſicum ſimul & morale; hinc duo in eo ſpectanda ſunt, videlicet unio cordium in fide: deinde vero ratio contractus qui multas ſubit conditiones, quæ quidem citra eſſentiam ſunt, attamen ſunt conditiones ſine quibus nihil efficitur: quod poteſt illuſtrari exemplo ignitionis ad quam prærequiritur approximatio ſtupæ vel ligni ad ignem, qua quidem omiſſa, nuſquam erit ignitio: Ergo-ne ignitio eſſentialiter eſt approximatio? Abſit dicere: Non abſimili modo dicendum eſt eſſentiam Sacramenti Matrimonii in conjunctione cordium ſitam eſſe, ſed eam non inducere rationem veri Sacramenti, ſi adſit impotentia, eo quod conſummationem pro conditione ſine qua non habere voluerit Eccleſia: eſto quod in hypotheſi impotentiæ ſit Sacramentum, non tamen indiſſolubilitatem producit, defectu conditionis ab Eccleſia appoſitæ.

Reponunt: Atqui Matrimonium quomodocumque ſpectatum non eſt Sacramentum: Ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum: eo ipſo quo importat conſenſum ad copulam pro generatione prolis, non poteſt ſubire rationem Sacramenti: Atqui re ipſa eam importat pro uſu & pro fine: Ergo &c. Probatur major: Quod opponitur Sacramento non poteſt eſſe Sacramentum, hoc quippe manifeſtam implicat contradictionem: Sed Matrimonium ex eoquod dicat conſenſum ad copulam carnalem in gratiam procreationis prolis, opponitur Sacramento ſcilicet Ordinis; maxime propter duo; Primo quidem, Ordo ſacer annexum habet caſtitatis votum, & Ordinatio eſt impedimentum dirimens Matrimonium. 2. Sacerdos ſoli Deo vacare debet, non ſic vero uxoratus, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 7. *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego majorem: Ad alteram nego Matrimonium opponi Sacramento, cum caſtitatis votum ſit ſolum de jure Eccleſiaſtico, nam in Eccleſia Orientali non impedit

pedit Ordinationem; immo nec in Eccleſia Latina, in hypotheſi quo ordinandus foret uxoratus, modo ab uxore abſtineret: in utraque Sacerdos ſemel conſecratus non poſſet nubere; & Ordinatio eſt impedimentum dirimens in iſto caſu juxta Eccleſiæ univerſalis ſanctiones. Nec mirum ſecundum Concilii Tridentini definitionem Seſſ. 25. Eccleſia poteſtatem habet apponendi conditiones Matrimonium dirimentes, eo quod ſit contractus, qua ratione conditiones ſubit, quibus omiſſis non valet. Ad ulteriores probationes unum tantummodo evincunt, Eccleſiam ſcilicet a S. Spiritu gubernatam recte impoſuiſse Sacerdotibus caſtitatis votum, ne negotiis ſæcularibus a Matrimonio indivulſis implicati, quæ Domini ſunt non ſatis cogitent, Neque vero replicandum eſt iſtam non ponderare rationem, cum Paſtor multum inſudet in paſcendo gregem: labor quippe per ſe primo ad animarum frugem & ſalutem ordinatus non diſtrahit a Deo ſicut res familiæ, cum totus cedat in gloriam Dei.

Urgent: Quod eſt prophanum etiam ſecundum quod celebratur in Eccleſia, non eſt ſacrum & conſequenter inter Sacramenta annumerandum: Sed Matrimonium pro ut in Eccleſia contrahitur, non eſt quid ſacrum: Et probatur. Non datur pecunia pro re ſacra: Sed datur Sacerdoti qui conjunxit benedictione deſponſatos: Ergo &c. Confirmatur: Solemnitas Matrimonii ſolum quid prophanum ſpirat, cum fiat inter convivia & epulas, & homines non ſine ſuperbia & pompa mundana ducant choros &c. Confirmatur iterum; ſi fiat ante Baptiſmum, ratificandum eſt: immo & inter Fideles qui per Procuratorem nubunt. Igitur non producit de ſe gratiam, nec conſequenter rationem Sacramenti continet.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem, diſtinguo: Datur pecunia pro celebratione Matrimonii per modum eleemoſynæ, ſicut datur pro celebratione Miſſæ, concedo: nam teſte Apoſt. 1. Cor. 9. *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? Et qui altari deſerviunt, cum altari participant?* Secus, nego.

Ad primam probationem ſimiliter diſtinguo: Solemnitas fit in pompa ad exultationem & gaudium ſpirituale, concedo: ſic laudatur Dominus teſte Propheta in tympano & choro, in chordis, & organo: hinc gaudium eſt coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente; quocirca pater convivium fecit in gratiam filii prodigi pœnitentis: Quid-ni & in nuptiis fieret, cum hoc & approbaverit, & ſanctificaverit Chriſtus, qui eo prorſus ſcopo adfuit nuptiis in Cana Galilææ celebratis? Et iſta pompa abſque pio fine fieri non poteſt, nego; eo enim ipſo quo ad celebrationem Matrimonii in Eccleſia celebrati conſequitur, aliquid boni & ſancti ſapit.

Ad ulteriorem probationem reſpondent Theologi cum Bellarminio Lib. 1. de ſacr. Matr. c. 5. Matrimonium ante Baptiſmi ſuſceptionem contractum ratificari poſt Baptiſmum ut ad Sacramenti dignitatem elevetur: inter abſentes quoque etiam hoc fieri debet, ſed alia ratione; videlicet ex eo quod ſit de validitate contractus inter abſentes celebrati, ut muniatur calculo partium, ne fraus aliqua ſubrepat, & obligatio diſſolvatur. Quandonam vero producatur gratia dum inter abſentes celebratur Matrimonium, probabile eſt hoc fieri pro muliere eo ipſo quo promittit fidem ſponſo: pro iſto vero quando certior factus de die & hora qua ſuus orator pro ſe contrahit, dat coram Deo conſenſum: vel ſaltem ratificationis tempore, Namque ſponſi ſiſtuntur coram Sacerdote qui ad cautelam eos præſentes conjungit. Sic docet Gonetus diſp. 2. de Matr. art. 2. §. 3.

Inſtant: Si Matrimonium eſt Sacramentum, virginitati anteponendum eſt: Sed hoc eſt contra Apoſtolum dicentem 1. Cor. 7. *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit melius facit*. Tum quia ſi res aliter ſe haberet, omnes nubere tenerentur, & hoc in concupiſcentiæ remedium: Sed de hoc non conſentiunt ſancti Doctores. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Tametſi enim Matrimonium ſit virginitate quid nobilius quoad modum producendi gratiam, cum illam producat ex opere operato, virginitas vero ſolum ex opere operantis; non tamen quoad ſtatum, ipſo dicente Apoſt. 1. Cor. 7. *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.... Mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta corpore & ſpiritu: Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi.* Et ſic melius eſt juxta Apoſtolum non nubere, ſed de hoc non præceptum, ſed

ſolum

ſolum dat conſilium. Non diffitemur Matrimonium eſſe in concupiſcentiæ remedium, ſed iſta recte coercetur per orationem & mortificationem in continentibus, inquit D. Thomas hic 3. p. Supp. qu. 42. art. 3. ad 3. ubi ſic ſolvit argumentum: " Dicendum quod ratio illa procederet, " niſi contra concupiſcentiæ morbum poſ- " ſet aliquod efficacius remedium adhibe- " ri. Adhibetur autem majus remedium " per opera ſpiritualia & carnis mortifica- " tionem ab illis, qui Matrimonio non " utuntur. "

Reſpondetur objectionibus quæ proponuntur adverſus traditionem Eccleſiarum Orientalium.

Opponunt: Dionyſius L. de Hierarchia Eccleſiaſtica loquitur de Sacramentis, ſed omiſſo prorſus Matrimonio. Igitur non conſtat ex Eccleſia Orientali, in qua quidem primas ille pater tenet ſedes, Matrimonium eſſe Sacramentum.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: S. Dionyſius omittit Matrimonium, eo quod ratio inſtituti, ut de eo loqueretur, non expoſtulabat, concedo: omittit negando eſſe Sacramentum: nego. Aliud eſt aliquid ſilere, aliud negare: pro more poſitum eſt ſanctos Patres & Doctores de iis ſolum loqui, quæ materia quam tractant, exigit. Porro nemo non novit Dionyſium eo in libro laudato ſermonem inſtituere de Hierarchia Eccleſiaſtica, adeoque de illis ſolum Sacramentis loqui quæ potiſſimum requirunt ſacras actiones, quæ per Hierarchas ſeu Eccleſiæ Principes exercentur: Ceterum innumeros habemus Eccleſiæ Orientalis pro Sacramento Matrimonii aſtruendo teſtes, de quibus ſupra in probationibus.

Inſtant: Cuncta Orientalium Euchologia non niſi benedictiones pro Matrimonii celebratione continent: nec deſunt antiqua in quibus ea ſolum verba leguntur: *Gloria & honore coronaſti eum*. Sic habetur in Manuſcripto Cryptæ-ferratæ & in alio Bibliothecæ Barberinæ. Ex quibus liquet Eccleſiam Orientalem non habere Matrimonium ut Sacramentum.

Reſpondeo diſtinguendo; Et in quibuſdam aliis Manuſcriptis recentioribus legitur, *Talis ſervus Dei coronatur*, concedo: Et non habetur, nego. Ita enim legitur in Euchol. p. 394. Ad iſtius argumenti & ſubſequentium ſolutionem obſervandum eſt, 1. Formas Sacramentorum apud Orientales eſſe ut plurimum deprecatorias. 2. Verba benedictionis a Sacerdote lata juxta inconcuſſam divi Thomæ doctrinam 3. p. Suppl. qu. 42. art. 1. non eſſe formam Sacramenti Matrimonii, ſed tantummodo conſenſum expreſſum: " Dicendum, *inquit*, quod verba quibus conſenſus ma- " trimonialis exprimitur, ſunt forma hu- " jus Sacramenti, non autem benedi- " ctio ſacerdotalis, quæ eſt quoddam Sa- " cramentale. " Quocirca varietas nec in benedictione facienda, nec in nominibus officit Sacramento.

Replicant: Graviſſimi Auctores Latini Græcos inſimulant varietatis circa Matrimonium, & in hoc puncto Eccleſiæ Latinæ diſſentire propugnant. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et iſti auctores nullius ſunt ponderis ſicut & Fellavius Septemtrionis Doctor, concedo; & audiri debent, nego. Non mirum ut jamjam dictum eſt, ſi quidam rerum Eccleſiaſticarum Orientalium ignari, quoſdam Orientalibus in fide nævos tribuerint. Præter teſtimonia omni exceptione majora quæ laudavimus pro conſenſione Eccleſiæ Orientalis circa numerum Sacramentorum cum Latina, habemus Concilium Florentinum, in quo quidem aſtantibus Græcis, nulla de Sacramentis mota eſt controverſia: Quinimmo decretum pro inſtructione Armenorum de hoc momento non niſi poſt Græcorum diſceſſionem factum eſt. Non diffitemur quaſdam inter Theologos Scholaſticos Latinos & Græcos emerſiſſe circa materiam & formam Sacramentorum diſceptationes, ſed cum omnes de eſſentia & numero Sacramentorum conveniant, dogma intactum manet.

Urgent: Quod in Synodis declaratum eſt nullum, non habendum eſt ut Sacramentum: Sed Matrimonium Orientalium declaratum eſt nullum & vacuum a Miſſionariis: Et probatur. Alexius Meneſes in Synodo Diamperi definivit Matrimonium Orientalium non eſſe Sacramentum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et illi Miſſionarii errore facti detinebantur: concedo: Et non detinebantur. nego. Quaſi vero Miſſionarii ut primum ad Orientales plagas appulſi, quidquid in vaſtiſſimis illis regio-

gionibus pro fide eſt, furtim & adverſantibus ubique Mahumetanis levius edocti ſe ſcire confiderent: ſed zelus qui non eſt ſecundum ſcientiam, omnia tentat, ut errantes ad viam ſalutis & Eccleſiæ gremium adducantur: Hinc Schiſmaticis & Hereticis Orientalibus complures nævos quoque in doctrina Sacramentorum eis effingunt, magnam Deo reddere gratiam rati, ſi promiſcue & non ponderatis æqua lance de religione momentis, illos adunent Eccleſiæ, cui dubio-procul non nihil, & ne dicam multum nocent, dum tribuunt errores quibus dogmatum traditio concutitur. His adde quod ignorantia ſupina in rebus Eccleſiaſticis laborantes audiunt, & ſimplicium commenta pro teſtimonio certo de corruptione traditionis habent.

Perſiſtunt: Illi Matrimonium pro Sacramento non habent, qui totam formam in precibus conſtituunt: Atqui ſic ſe gerunt Orientales non pauci. Et probatur: niſi accedat benedictio Sacerdotis, quæ alias in ſolis ſita eſt precibus, non habent Matrimonium ut Sacramentum: Quinimmo, ſi deſponſati in aliquod grave cadant peccatum, quod pro pœnitentia canonica expiandum eſt, non conjungunt eos, donec adimpleatur: Porro pro omnibus peccatis mortalibus illam exigi ſubindigitat collectio canonum: Sed res ita ſe habet, ut ſcribit Renaudotius Tom. 5. perp. Eccleſ. lib. 6. c. 4. Ergo &c.

Reſpondeo primo, perantiquam Orientales ſervare diſciplinam, qua Sacramenta precibus conficienda ſunt, namque antiquitus preces fundere ſuper aquam, Euchariſtiam, oleum, pœnitentes, erat Sacramenta peragere.

Reſpondeo ſecundo, Orientales habere quidem Matrimonium ut contractum tum naturalem tum civilem, ut verum Matrimonium, nuſquam vero ut quid ſacrum, niſi benedictio Eccleſiæ accedat: quod quidem probat eos illud habere ut verum Sacramentum: Et hoc ipſum ulterius probat illa diſciplina qua ſicut Confeſſionem, ſic & Communionem præviam exigunt. Apud illos Confeſſio duplicis generis peccatorum fit; una ſcilicet levium, altera gravium peccatorum, quibus annexa eſt Pœnitentia canonica: Prior fit die qua nuptiæ celebrantur, altera expleri debet antequam contrahatur Matrimonium. Sic ſcribit Dionyſius Berſalibi, coll. can. MS. Art. Bib. Reg.

Reſpondeo tertio negando abſolute majorem: dato enim & non conceſſo, Orientales reponere formam Matrimonii in benedictione Eccleſiaſtica, non inde ſequitur eos abnegare Matrimonii Sacramentum, verum potius illud aſtruere. Nec in hoc ab Occidentalibus multum diſcrepant, cum graviſſimi Theologi Sorbonici nunc propugnent, formam in his Sacerdotis verbis (Ego vos conjungo) ſitam eſſe.

Reſpondeo quarto diſtinguendo minorem. Orientales, ſecluſa benedictione Eccleſiæ, non habent Matrimonium ut Sacramentum, quia eſt conditio ſine qua non, concedo: ita ut juxta eorum placita verba benedictionis ſint formæ, nego. Sufficit ut ſint conditio ſine qua non, quæ ſi omittatur, ſicut in Eccleſia Orientali, ſic & in Occidentali, juxta multorum ſententiam Matrimonium tametſi verum conjugium, non tamen rationem Sacramenti ſubit.

Ex his omnibus luce meridiana clarius apparet Matrimonium juxta ritum Græcorum, Jacobitarum, Neſtorianorum celebratum, eſſe proprie dictum novæ legis Sacramentum. Sic propugnat Allatius, ſic Arcudius, ſic R. P. Goar, ſic Renaudotius: ſic denique defendunt continuatores Bollandi diſſert. in Coptitas. Tom. 5. Junii §. 224. his verbis: " Inter Sacramenta Matrimonium verum & proprium habere locum, ut cetera omittam, ex eo aperte conficitur, quod Sacerdos nubentibus aſſiſtens, & conſuetas preces recitans, identidem repetat gratiam contrahentibus ex ea ſuſceptione conferri. Omnia ordinate procedunt, præmittuntur ſponſalia, caventur impedimenta, mutuus conſenſus & acceptatio expreſſe declarantur; iiſque rite peractis celebratur Miſſa, ſub cujus finem, ſponſus uterque prævie confeſſus Sacram Euchariſtiam recipit, & in pace dimittitur. Quid hic ad Sacramenti rationem deeſſe velint critici, haud equidem aſſequor: Si quid aliunde peccet Coptitarum ignorantia, id neque huic, neque aliis Sacramentis detrimentum aſferre poſſe perſpicuum eſt. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Matrimonium eſt nova Legis Sacramentum.

PRIMO hoc declarant iſta ad Epheſ. 5. verba: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem*

autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Hoc ſummi Pontifices, ut Siricius Epiſt. 1. cap. 4. Innocentius I. Epiſt. 9. Hoc & Sancti Patres, videlicet Tertullianus L. 2. ad uxorem. Cyrillus Alex. Epiſt. ad Neſtorium. Auguſtinus L. de bono conjugali cap. 18. Hoc, Concilium Gangrenſe, Bracharenſe, Conſtantienſe; in primis Tridentinum Seſſ. 24.

Secundo: Concinunt Eccleſiæ Orientales. Teſtes habemus Simeonem Theſſal. p. 61. Meletium Syrurgum refut. art. 15. Cyrilli Lucaris, Gregorium Protoſyncellum pag. 153. Ritualia & Confeſſio orthodoxa idem aſtruunt. Ebnaſſal inter Coptitarum Canoniſtas celeberrimus idem propugat, idem & Abuſebah tractatu de ſcientia Eccleſiaſtica.

Tertio, ratio ſuffragatur; namque Matrimonium eſt ſignum rei ſacræ, unionis ſcilicet Chriſti cum Eccleſia, juxta illud Apoſtoli effatum de Matrimonio: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Quid plura? Matrimonium ex SS. Patribus indiſſolubile inducit inter virum & mulierem vinculum, quod dubio-procul non habet niſi ut Sacramentum eſt, cum licitum ſit Judæis ſuas dimittere uxores.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi iſta verba Apoſtoli de Matrimonio, *magnum eſt Sacramentum*, intelligantur de Chriſto & Eccleſia, citra dubium intelliguntur quoque de unione viri cum femina, non ut quid corporeum & materiale, ſed ut eſt unio cordium in fide & amore Chriſti, ſub quo reſpectu repræſentat miram Chriſti cum Eccleſia conjunctionem.

Secundo: Nec ullum faceſſit negotium ex eo quod Apoſtolus eo loci laudet unionem Adæ cum Eva. Verba quippe primario ad Sacramentum conjunctionis Chriſtianorum referuntur; ſecundario vero ad Matrimonium primorum parentum, videlicet ut ad figuram unionis Sacramentalis. Huic ſigno aderat quoque benedictio, ſed temporalis & ad multiplicationem, at non ad Sacramentum ſaltem ſtricte ſumptum: non enim unio Adæ cum Eva erat ſignum gratiæ practicum, quamvis non nihil ſignificaret unionem Verbi cum noſtra humanitate.

Tertio: Nonnumquam Patres aſſerunt Matrimonium eſſe quid commune, immo & ſæpius fœdatum, ac peccati occaſio: ſed loquuntur de actu & uſu, qui paſſione impurus evadit, ſed non de unione cordium in fide, ſub quo ſolum reſpectu eſt ſacramentum.

Quarto: Errant & cæcutiunt nonnulli Miſſionarii, qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ Orientalium ignari, ſcripſerunt eos non habere Matrimonium ut Sacramentum, cujus contrarium cuncta conclamant Ritualia; ſicut enim in noſtris, ſic & in Ritualibus totius Orientis adeſt benedictio nuptiarum, quam Orientales inter novæ legis Sacramenta, ne una quidem excepta Eccleſia, annumerant.

FINIS.

00565543

Digitized by Google

Digitized by Google